UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D. Thomam De Beatitvdine. De Actibvs Hvmanis. De Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censvris. Prælectiones Theologicæ Posthvmæ

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi In I. II. D. Thomæ De Beatitvdine Et Actibvs Hymanis Prælectiones Theologicæ Posthvmæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-72898

Visual Library

R. P.

LEONARDI LESSII

E SOCIETATE IESV THEOLOGI

IN I. II. D. THOMÆ.

DE BEATITVDINE

ET

ACTIBVS HVMANIS

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ POSTHVMÆ.

OLIM IN ACADEMIA LOVANIENSI

Anno M. D. XC. primùm, iterùm M. D C. propositæ.

ET

Tam in vita, quàm à morte Auctoris plurimorum votis ad prælum expetitæ.

Collegij soc. Iesu Accessit eiusdem. Paderborna

Ad quæst. xix. de Conscientia. Art. vi.

AVCTARIVM

Complectens Variorum Casuum Conscientiæ

RESOLVTIONES.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PERILLVSTRI
AC REVERENDISSIMO DOMINO

D.GASPARI NEMIO

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORI
ANTVERPIENSIVM
EPISCOPO.

CVIVS potiſsimùm nomini hos R. P. LEONARDI LESSII Auunculi mei poſthumos fœtus inſcriberem, diu deliberandum non fuit. Tutore egebant potente, docto, beneuolo: vtpote proprio dudum parente orbati. In quo hæc magis coniuncta, quàm in Te, REVERENDISSIME DOMINE? Potentiam, dignitas quâ potiris, adfert. Doctrinæ Tuæ, quantumuis à proprijs abhorreas laudibus, ipſe tamen præco fuiſti, cùm pridem Duaci eximij Sacræ Theologiæ Doctoris ac Magiſtri, non modò geſsiſti titulum, ſed & munus præclarè obiuiſti. Beneuolentiam vel hoc nomine experimur, quòd in Societate noſtra vixerit bona Tui pars, duo Fratres Tui HENRICVS & IOSEPHVS: quibus viris, etſi nihil Tui causâ deberemus quòd propter illos amicior ſis, ſuâ tamẽ ipſorum obſtricti ſumus quàm plurimùm. De HENRICO nuper vitâ functo, ſic ad nos Bruxellis perſcriptum: *Virum amiſit Bruxellenſe Collegium domeſticis externiſque amabilem & fructuoſum; ſtudioſum non minùs ſuæ, quàm alienæ perfectionis; Religioſæ diſciplinæ, regularum omnium, & paupertatis potiſsimùm obſeruantem; diuinæ voluntati iuxta Obedientiæ interpretationem adimplendæ vnicè deditum: virum, qui vinceret benè agendi dexteritate, temporis velocitatem; obſequiorum promptitudine, amicorum deſideria; fraudes ac Aulæ laruam, candore & ſimplicitate; laborem & vigilias, præſtanti diligentia; amaritudinem atque anguſtias morbi, inuictâ patientiâ; mortem denique ipſam, conſtanti in æterni Numinis decretum reſignatione & caritate.* Hæc de HENRICO dicta, etiam in IOSEPHVM

)(cadunt.

cadunt. Illius tu quidem imaginem nuper exprimi iussisti; sed in vno mores habes vtriusque. Si HENRICVS MORVM SVAVITATE OMNIBVS CARVS, INDEFESSA CARITATE OMNIBVS VTILIS, talis pridem fuerat IOSEPHVS: cuius propterea quantumuis pridem demortui non minùs recens est memoria. Cui enim excidant vel illæ ingenij, prudentiæ, & facundiæ dotes, quibus summa quælibet decora sperare poterat, nisi Societatis nostræ humilitatem honoribus omnibus prætulisset: vel religiosæ illæ virtutes, quibus cùm Deo hominibusque carus esset, Tuum imprimis animum ita conciliauit, vt dubitari posset in eo amando plusne virtuti, an naturæ dares. Est quòd & ego gaudeã peculiarem mihi necessitudinem cum eo intercessisse, quæ eo die cœpta, quo simul in Societatem venimus; aucta, cùm simul omnia, quibus suos sibi Societas aptat, studia percurrimus: eius morte finita non est, cùm Tu supersis, quem pro eo diligam. Nec hoc mihi sic est proprium, vt non cum pluribus sit commune. Tu enim vti nobis fratrum Tuorum desiderium subleuas, ita nostros, qui eos amauimus, animos ad Te conuertis, non assiduo tantùm de nobis benè merendi studio, sed etiam morum cum illis similitudine. Præterquam enim quòd cum religiosa humilitate Tua nequeat dignitas comparari, quã illi similes fuerunt inter se, tam Tu es vtrique. Et morum quidem suauitatem à patre hausistis, quem præter ceteras dotes, comis agendi ratio cum facundia, multarumq; linguarum peritia coniuncta sic apud imos iuxta ac summos gratiosum fecit, vt Petro Ernesto Comiti Mansfeldio Belgium tum gubernanti, quem ob ciuitatis Siluæducensis (cui erat à Secretis) negotia conuenire frequentiùs oportuerat, ad litterarum vsque commercium familiaris esset. Sed qualecumque id est, quòd patris Tui comitatem viri Principes amauerint: plus est quòd pauperes deprædicent Tuã; in quos non comis tantùm, sed & liberalis es: & quasi amplitudini benignitatis Tuæ,

Diœcesis

Diœceſis Tua non ſufficeret; non modò Siluæducis in patria Tua, ſed in ipſa etiam Hibernia quæſitum is, quos eleëmoſynis iuues. Nec in hos benignior, quàm eorum, quibus reuerentiam debes, maximè Apoſtolicæ Sedis es obſeruantior: exempla per ſe patêre mauis, quàm à me vulgari. Quid de religione in Deum & pietate dicam? Vt Te ſibi totum vendicêt curæ quas habet annexas dignitas Tua, ſupereſt tamẽ quotidie tempus, quo res diuinas commenteris: neque negotijs ſubtractum credis, quod Deo impendis. Quid de cura gregis, quem non tantùm vigilijs protegis, exemplo incitas, ſed etiam verbo paſcis? Aſſueuiſti nimirum iam pridem operi diuinorum omnium diuiniſsimo animas paſcendi, qui non priùs Sacerdos, quàm Virouiaci in Flandria Paſtor fuiſti: vt pateret non tam Tibi Te, quàm alijs initiatum eſſe; muneriſque quod nunc geris, iam tum & omen caperes, & ſpecimen dares. Verùm propoſitum mihi erat, non virtutum Tuarum, quas exercere, quàm oſtentare mauis, præconem agere; ſed hiſce libris Tutorem & Patronum quærere: quem vti in Te reperiſſe me confido, ita manebo

Perilluſtris & Reuerendiſsimæ Gratiæ Tuæ
Humillimus in Chriſto Seruus

IACOBVS WYNSIVS

Louanij XIII. Kal. Aprilis, S. IOSEPHI feſto die,
Anno M. DC. XLV.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

BENEVOLE LECTOR.

SATIS scio, & res ipsa persuadet, quòd huiusmodi te cogitatio subitura sit vbi hæc aspexeris, quid causæ sit cur post 20. & ampliùs annos, quibus à LESSII morte in paucorum priuatorum manibus hæsere hæc scripta, in lucem tandem iubeantur prodire. Falli, nos dices, si nomen LESSIO nouum decusque conciliandum existimemus, qui longè accuratioribus, atque ad limam exactis lucubrationibus, consentiente Doctorum calculo inter primos sæculi huius fertilissimi Theologos locum non infimum sortitus est: tum à scopo aberrare quàm longissimè, si huiusmodi minùs digestis curis, post tot doctissima sapientissimorum Magistrorum volumina in his ipsis, quas damus, materijs, ad plenum publico elaborata, arbitremur nouâ Theologiam luce illustrandam. Rectè ais, quicumque ista differis; & habes nos minimè repugnantes. Neque enim ita hospites sumus in LESSIANIS scriptis, quorum ipse dum viueret censor & iudex fuit vt prælo dari possent, vt aut nomini eius quidpiam splendoris accrescere posthumo hoc fœtu, aut Theologiam sub hęc tempora longè excultissimam nouis inuentis locupletandam arbitremur. Quid ergo? inquies. Paucis rem habe cuiusmodi hæc scripta sint, quorsum, & quibus de causis tam serò edita. Sunt inprimis non publico ab Auctore destinata, sed discipulis in scholis prælecta, dum Theologiæ Professorem Louanij ageret ab Anno LXXXV. superioris sęculi, vsque ad primum nunc currentis. Itaque hunc in ijs sibi præfixit scopum, non vt vndique numeris suis absoluta essent, quibus ad perfectionem addi posset nihil; sed vt ad instructionem, vtilitatemque studentium quàm maximè forēt accommodata. Quod optimè assequi se posse existimauit, si materiam anni vnius lectionibus præfixam, quoad angustiæ temporis sinerent, ita totam complecteretur, vt nihil alicuius momenti non esset delibatum saltem, & auditorum meditationi subiectum: quem morem iam inde à LESSII temporibus scholæ nostræ Louanienses hactenus seruant, secùs ac alibi fieri assolet, vbi Magistri ex annuâ materiâ aliquam dumtaxat partem pro arbitrio deligunt, in quam se totos effundunt, alijs interea penitus intactis (vtri conuenientiùs iam non disputo.) Necesse igitur fuit LESSIO huiusmodi docendi viam insistenti multas hinc inde quæstiones obiter perstringere; nonnullas etiam, quæ ad intelligentiam præsentis materiæ non essent omnino necessariæ, intactas transilire. En tibi ipsissimas causas, quare tanto post obitum viri tempore

pore publico denegatæ sint. Vrserunt quidem iam inde ab annis plurimis, & auctoritate & ingenij laude præstantes viri non pauci, inter hos frequentissimè *Carolus Scribanius* noster, vir omnino magnus, Lessii aliquando auditor, qui mihi religionē mouebat, nisi hæc euulgarem; & vt aptiùs fortiusq; persuaderet, suā è cælis, quò tunc contenderet, opem promittebat. Non defuêre complures qui suo ære ac impensis hæc exequi conceperant; atque vt de Canonicis, Capitulorum Decanis, & alijs taceam, certè *Leonardus Schoofs* nobilis Abbatiæ S. Michaëlis Ordinis Præmonstratēsis apud Antuerpienses Religiosus Canonicus, Lessii è sorore nepos, has Prælectiones Posthumas à se & à dominis Concanonicis suis descriptas, prælo mandasset, nisi præmatura contagio pium Pastorem, cùm pro ouibus animam poneret, magno suorum luctu sustulisset. Fuêre & alij qui commune quoddam doctorum hominū hæc scripta legendi desiderium in suis Bibliothecis & Academijs expressere; quorū nonnulla testimonia subnexa inuenies. Fauebat etiam horum votis ipse Præpositus Generalis Societatis nostrę Reuerendus admodum Pater Mutius Vitelleschus, qui Anno M. DC. XXIII. (ipso nimirum quo Lessivs è viuis excessit) peculiaribus me litteris adhortatus est, *vt omnes LESSII lucubrationes, quæ luce digna iudicantur, typis ederentur, Ne*, vt ait, *de tanti viri laboribus quidquam periret*. Verùm ne illo tempore ijs fieret satis, (vt alia sileam quę intercurrêre, bellorum turbines, occupationes distractionesque eorum qui hæc maturandi curam susceperant, aliaque ex his nata) remorata tantisper est hæc consideratio, quòd ipse Auctor publico nō parasset, nec eâ essent accuratione expolita, quâ reliqua viri scripta, inter quæ de ijsdem obiectis nonulla erant pleniùs vberiusque tractata. Quia tamen *Leßiana* claritas, & cetera lineamenta subtilis dilucidæque mentis in ijs apprimè relucebant, quibus per multos capi, delectarique iam dudum constabat, vicit tandem ea pars, quæ diutiùs ea supprimi non oportere, contendebat. Et quid ni vicisset, suffulta cùm esset nobili suffragio, patrocinioque eminentissimi Cardinalis *Francisci Barberini*, qui anno huius sæculi trigesimo nono *R. P. Andream Iudoci* nunc flandrobelgicæ Societatis nostrę Prępositum Prouincialem, tunc verò Romæ Prouinciæ Procuratorem agentē, suopte impulsu rogauit, vt, si qua Lessii essent Posthuma, typis vulgarentur; aut si hoc non fieret, ad se inter manuscripta asseruanda quouis pretio mitterentur. Tantā de Lessii doctrina ex alijs eius scriptis opinionē animō cōceperat, ingenio iudicioq; acri præditus eximius ille Ecclesię Princeps. Igitur de prelo seriò cogitari cæptum est, hoc præsertim tempore, cùm Lessiani nominis celebritas ex vitę integritate, morūq; sanctimonia lōgè lateq; nouâ luce inclarescceret. Atq; vtilitas sufficiens visa, si multi, quibus *Leßiana* claritas breuitate mixta placet, & abditæ retruseque speculationes parùm cordi sunt, habeant compendiosam quandam ac

dilucidam Theologię quasi synopsin (nihil enim est aliud, si cum vastissimis aliorum tractatibus conferas) in quâ sine temporis longi impendio, aut magno labore, quem adhibere, aut non lubet, aut non vacat, nanciſci possent, quo sciendi desiderio, aut necessitati facerent satis. Quin & hęc vna de causis fuit, vt hę modò, prę alijs, *Leßianæ* Theologię partes in lucem edantur: quia nimirum harum scientia (vtpote quę Casus conscientię & cetera, quę *Positiua* vocant, maximè complectantur) Parochis, atque animarum curatoribus magis & vtilis sit, & necessaria. Ceteræ tamen proximè, si res & temporum iniquitas patiatur, vulgabuntur; atque ita vniuersâ à Lessio explicatâ Theologiâ frueris. Habes amice lector voluminis huius edendi rationem, ac ordinem. Tuæ beneuolentiæ erit, si quid fortasse occurrerit quod penitius discursum optares, ita id accipere, vt memineris, quod antè monui, virum prudentiâ eximium, cùm omnia complecti non posset, tempori & studentium vtilitati seruire voluisse, alia præ alijs seligendo; & quasi fœcundum semen iecisse in animos audientium, in quo virtus quidem tota contineretur, sed meditatione interim, quasi vitali quodam calore foueri deberet, vt in plenos sese fructus efferret. Tum præcipuè cogites velim, hæc non tam offerri ijs, qui reconditissimas difficultates Metaphysicas vsque ad abyssum quādam retectas videre gestiunt, quàm alteri doctorum hominum generi, qui planam atque apertam Theologicæ doctrinæ faciem simpliciori intuitu contemplari satis habent. Denique rogatum Te velim, vt si quid in editis iam pridem ab ipso Auctore scriptis nonnihil ab his diuersum reperias, ne ita id accipias, quasi ipse nō sat sui memor, pugnantia inter se statuat; sed quòd nos hæc vti accepimus integra efferēda potiùs, quàm vel minimùm immutata tibi obtrudere, censuerimus; scientes tuæ id esse prudentiæ, vt posteriora ab ipso Auctore emendata euulgataque hisce Posthumis prælaturus sis.

TESTIMONIA NONNVLLA.

Quàm auidè semper expectatæ fuerint
Theologicæ hæ Lessii *Commentationes.*

Ivstvs Lipsivs inter litterarum principes nominatissimus, iam inde ab anno seculi huius sexto, & vitæ suę vltimo, testamentarias de Lessii Theologicis commentationibus tabulas consignauit, quas hîc velut ad tumulum religiosè appendo. *Ante quindecim dies,* inquit scriptis ad Lessivm litteris, *nescio quid panxi in Theologica tua, quæ multi expectamus; hîc exscripsi, ne qualecumque mihi pereat, & iudicium saltem meum consignet.*

IN

IN

R. P. LEONARDI LESSII

SOCIETATIS IESV THEOLOGI

COMMENTARIOS THEOLOGICOS.

Videſne LECTOR *hoc opus? Sophiæ vides*
Opus ſacratæ. Quidquid illa condidit
A condito orbe, conditum his libris habes.
Abyſſus ante & pelagus hoc rerum fuit:
Sed iſte lucem fecit & compendium.
Sublimia hic videbis & ſubtilia:
Humanáque hic videbis & cæleſtia.
In pauca tibi ſed vera verba conferam.
Philoſophus eſſe qui voles, lege hos libros:
Theologus eſſe qui voles, lege hos libros.

ANDREAS VALERIVS DESSELIVS, Vir non tantùm Iuris vtriuſque titulo, ſed & ſcientiæ, quam eruditis ſuis monumentis poſteritati tradidit, elogio clariſsimus, poſteaquam in ſuâ Bibliothecâ Belgicâ Anno 1623. qui LESSIVM immortalibus adſcripſit, in lucem datâ, multa de editis à LESSIO voluminibus præclarè enarraſſet, tandem concludit. *Sunt & in manibus plurimorũ in totam D. Thomæ Summam dictati ab eo quondam in ſcholis Commentarij: quos vtinam typis mandatos orbis legat vniverſus!*

Non minùs ad horum LESSII poſthumorum commendationẽ magnificè pronuntiauit NICOLAVS VERNVLÆVS, qui ſingularibus ſuis lucubrationibus eximium cenſeri poteſt Louanienſis Vniuerſitatis ornamentum: & modò tertiùm eiuſdem pro tempore ſummus eſt Prę ſes ſeu Rector: is in ſua Academia, quam ad alterum centenarium iubilante hac Vniuerſitate Anno 1627. euulgauit, LESSIANÆ doctrinæ coronidem hanc adijcit. *Quidquid publici iuris ſcribendo fecit, omnium applauſum tulit. Quidquid è cathedra dictauit, ab omnibus quæritur, deſcribitur, aſſeruatur. Ita dignum prælo iudicatur quidquid ab eius ore vel calamo prodyt.*

ACROAMA

AD

R. P. LEONARDVM LESSIVM

POST DVOS ET VIGINTI ANNOS

IN POSTHVMA THEOLOGIA REDIVIVVM

ET

SCHOLIS RESTITVTVM.

NON vnius Ioſephi oſſa poſt mortem prophetauerunt,
Nec ſolius Polydori vox à tumulo audita eſt

lib. 3. Æneid.

LEONARDVS LESSIVS
E SOCIETATE IESV

CLARISSIMVS ET FIDE ET CANDORE THEOLOGVS.

AB INTEGRITATE ALTER IOSEPH
A CÆLESTIVM GRATIARVM COPIA POLYDORVS
viuere deſijt.

Et tamen, etiamnum quaſi ſuperſtes, voce poſthuma
dat *Præcepta*, *Leges* dictat *agendi benè*, & *beatè viuendi*.
Extra Cenſuram & Sacramenta poſitus,
Cenſuras expedit, & *Sacramenta* proponit.

Increato Verbo proximus
in ipſo iam Verbo videt
quod de *Incarnato* præſcribit.
Extra ictum naturæ caſumque conſcientiæ ſtans in Deo,
nobis adhuc euntibus, adeoque in lapſum pronis,
Humanæ vitæ ruinas aperit, *reſoluit Caſus*, *præcipitia detegit*.
quò poſſimus euitare ruinas, caſus corrigere, præcipitia declinare.

Et verò
de *Humanis actibus* quis certiora docendo ſtatuat,
quàm qui ferendo innocenter & fortiter,
humana omnia perpeſſus eſt?

NIL AGENTI, IMO NESCIENTI
CASTISSIMO IVVENI

Afflata impetigo proſerpere & perſiſtere vltra tibias non potuit,
quia integerrimi corporis reliquum
virginalis innocentia occuparat.

Illas tamen
pertinace tormento quinque & quadraginta annis,
ſiue ad patientiæ meritum, ſiue ad fortitudinis augmentum,
ad vſque tumulum ſic exercuit,
vt propter repulſam à pudica carne,
in extimas eius partes
grauiùs indignata videretur.

AD

AD
TOLERANTIÆ PONDVS ACCESSERE
VIRO
IMMANES CALCVLI DVO,
quos viuus ille quidem
cum incredibili dolore semper parturijt:
eniti tamen, nisi cæsus à morte, non potuit.
SED HÆC
vt externa corpori, sic fuere minora.
Vis longè maior animo eius incubuit,
qui sæpè,
etiam à bonis inuidiosè prouocatus, & seuerè percussus,
nunquam tamen vel ad latum vnguem
à rectitudine dicendi abijt,
à sentiendi constantia declinauit.
TOT INTER TVRBINES ET TEMPESTATES
quis crederet vel durare potuisse vnum hominem?
Et tamen inter illos
LEONARDO
mens serena semper & suda,
exemplo suo docuit
eum ridere posse mortalia omnia quantumuis ardua,
qui infra se humana videat:
qui supra se tantùm æterna prospectet.
HÆC PRODIGIA TVM VIVENTIS,
Maiorum fuere rudimenta
quæ secuta defunctum.
EVGE LEONARDE,
Etiam post mortem tua ora loqui possunt, quando ossa prophetant.
Nec trunca, nec inanis à sepulchro vox tua prodibit,
omni echone melior, quia solidior:
Nec principio suo carens,
licet ab æternitate profecta.
NON SEMPER OMINOSVM EST, QVOD POST OCCASVM SONAT.
Tunc enim etiam turtures & philomelæ
sua voce se produnt.
VIDEO SVPERSTITEM POST SVA BVSTA PHOENICEM:
AVDIO CYCNVM ETIAM A SVA MORTE CANENTEM,
dum intelligo Te voce etiam posthuma
hominibus diuina dictantem.
SIC AGE
LEONARDE.
SIC ÆTERNVM VIVE IN ORE VIVENTIVM,
QVANDO ETIAMNVM PENDENT
A TVO
ETIAM DEFVNCTI ORE MORTALES.

Applaudebat
IOANNES VANDEN BERGHE
I.V. Licentiatus, & Insignis Ecclesiæ Collegiatæ D. Petri Louanij Canonicus.

IN

IN

OPERA THEOLOGICA POSTHVMA

R. P.

LEONARDI LESSII.

Fortè sepulchralem Lessi Mors viderat vrnam:
  Vincimur, aut vinci posse putamur, ait.
Ipse sibi superest, & adhuc à funere viuit;
  Nec cinis arbitrio subditur ipsa meo.
Tam benè qui LEGES, & IVS iustissimus ipse
  Nouerat, hic potuit ius violare meum?
Vlciscar, faciamque nefas; ne nescia vinci
  Dicar ab exanimi victa fuisse manu.
Dixit, & ad Lessi chartas caua lumina torquens,
  Vindicat has fati lege, putatque suas.
Sæpe etiam, Hæc meæ sunt, fertur clamasse; sed illis
  Injicere obscuras non fuit ausa manus.
Pulueribus tantùm, & densâ caligine sepsit;
  Pro tumulo, latebras visa probare fuit.
Si lateant, satis est: etiam latuisse, perire est,
  Exitus ingenijs pluribus iste fuit.
Tot veterum curæ, quas ætas postera nescit,
  Aut putat extinctas, quid nisi luce carent?
Dixerat, & furuos spargens circum vndique rores:
  Ista tuis, Lethe spargimus, inquit, aquis.
Inuida, quid frustra es? malè lux celatur in vmbra:
  Plenum est ingenij luce, quod abdis, opus.
Lux vires à nocte capit, nec clarius vnquam,
  Plurima quàm circùm dum volat vmbra, nitet.
Quid nisi nox aperit formosos ætheris ignes?
  Tunc Helice cerni, tunc Cynosura potest.
Tunc Ariadneæ spectatur flamma coronæ,
  Candida tunc profert Cassiopea caput.
Lux tua, Taure, latet, si nox non euocet illam;
  Si non sint tenebræ, lux tua, Virgo latet.
Arcada quis nosset, quis nosset plaustra Bootæ,
  Hos nisi nox vmbris proderet atra suis?
Pleiades, atque Hyades, Geminique, & Cancer, & Hædus
  Nocte patent, noctis munere nomen habent.
Quid tibi vis igitur? quid Mors tibi cæca repugnas?
  Ista quod à tenebris, hoc quoque sidus habet.
Cui tamen vt speres obscuram offundere noctem,
  Nec tua nox, nec spes ista perennis erit.
Non sinat hoc Pietas, non hoc Sapientia; Lessi
  Curas illa suas credit, & illa suas.
Diuáque victuris dum custos vtraque chartis
  Assidet, & spolium temporis esse vetat:
En iterum venit in cathedras, & pulpita doctor,
  En iterum post se Lessius ipse venit.
(a) Mortalésque docet, quæ sint ad gaudia nati;
  (b) Quid cursum dubias dirigat inter aquas.
Quæ vada, quæ syrtes illuc properantibus obstent,
  Quæ fragiles illùc peruehat aura rates. (quam
(c) Quas habeat, quibus in tabulis, spes naufragus; &
  Annonæ nunquam deficientis opem.
Nescijt hæc Stagira sagax, ignaráque tanti
  Porticus arcani, totaque Stoa fuit.
Altiùs hinc trans & nubes, & sidera fertur
  Ad solium magni, conciliumque Dei.
(d) Et docet, vt nostris similes Deus induat artus,
  Naturámque nouam, dissimilémque suæ.
(e) Vt simul extremas rerum excedentia metas
  Aptet, & æterno fœdere nectat Amor.
(f) Cesserit vt morti, quem nunquam vita reliquit,
  Seque minor magnus gaudeat esse Deus.
Hæc nos, & nondum genitos arcana nepotes
  Non defecturo, ceu priùs, ore docet.
Felix, qui præsens hausit spirantis ab ore,
  Omnia quæ meritò discere secla volent.
Nos quoque felices, quibus hæc solatia restant;
  Quamuis hinc abyt, non tamen omnis abest.
In chartis supereſt. Hic, Lessi maxime, præsens
  Te fruor, hic ego te pænè videre puto.
Mensque sibi credit, gaudetque audirè loquentem,
  Totaque doctoris pendet ab ore sui.
Sic oculos intenta suos dum pascit, & aures,
  Nescio quid certè sentit adesse tui.
Ignoscant picti vultus, & picta tabellis
  Nomina; quod legimus, maior imago tua est.
Quid nisi vox nobis, & verba sonantia desunt?
  Pascimur ingenio postera turba tuo.
Sed neque vox deerit: te primus, & vltimus orbis
  Audiet, & gemino proxima terra polo;
Et quæcunque ætas signabit euntia fastis
  Tempora. Vox operis tanta futura tui est.
At vobis malè sit mala Mors, Noctesque malignæ,
  Quarum hæc inuidiâ lux propè rapta fuit.
Quis furor, ô pestes, vos sic armauit in illud,
  Quod se posse neget carpere liuor Opus?
Quidue virum petitis, cuius virtutibus æther
  Annuit, & supplex inuocat orbis opem?
Cur non Nestorios, cur non celatis Arios,
  Totque alios scelerum perfidiæque duces?
Opprimite hos tenebris, penitúsque inuoluite vestris;
  Vtiliter mundi publica damna latent.
Perdite, quæ populos, orbémque volumina perdunt;
  Grande operæ pretium: tutior orbis erit.
Nocte tegi debet Noctis fœdissima proles,
  Quam Nox si videat, non ferat esse suam.
Hæ cedro niteant chartæ; situs inquinet illas;
  Nam cur inficiant ista venena diem?
Eumenidum thalami, nigrique cubilia Ditis,
  Aut Chaos, aut per quæ Cerberus antra iacet,
Aut carcer, cuius Furiæ pallentia seruant
  Limina, sunt illis scrinia digna libris,
Quos Tumor, & Fastus, speratáque crimine Fama,
  Et mendax peperit Religionis Amor,
Et Furor, & cæcis implexus fraudibus Error.
  Istáque quæ loquitur sæpè per ora, Venus.
Lessius interea vestris redimitus ab vmbris
  Clarior, in lucem, post sua fata, venit.

(a) De beatitudine.
(b) De actibus humanis.
(c) De Sacramentis.
(d) De Incarnatione.
(e) Vnio Hypostatica.
(f) Communicatio idiomatum.

SIDRONIVS DE HOSSCHE
è Societate Iesv.

IN

IN EIVSDEM

R. P.

LEONARDI LESSII

OPERA THEOLOGICA POSTHVMA.

EN iterum auditur, magnum & venerabile nomen,
Lessius; & toto, quà patet, orbe docet.
Fatales tenebræ, longæque obliuia noctis,
Et nihil hic mortis triſtia iura valent.
Exſurgit tumulo victor, viuitque ſuperſtes,
Et mortale nihil iam, velut ante, ſonat.
Et quamuis olim anguſtâ latuere ſub vrnâ,
Non benè iam cineres, oſſaque terra capit.
Vt tamen intereat neglecti fama ſepulchri,
Vt tumulum repetant oſſa, ciniſq; ſuum;
Ipſe etiam vt pereat tumulus: victura ſuperſunt
Virtutum, & ſacri, tot monumenta, libri.
Hæc certè, quamuis hoc laudi liuor iniquus
Audiat, exitio non dabit vlla dies.
Certa loquar certis Diuorum condita faſtis:
Scire pijs tantùm vatibus iſta licet.
Veſtibulum ante ipſum, primoque in limine cœli
Virgo cæleſtes excubat ante fores.
Stant capiti centum nunquam cedentia ſomno
Lumina, centenas exſerit illa manus.
Illi omnis vaſti cuſtodia credita mundi eſt:
Cum ducibus populos Prouida Diua regit.
Illa ſagax rerum, & diuinæ conſcia mentis
Per tenebras etiam tartara mœſta videt:
Tartara opaca, imamque Stygem, manéſque profundos,
Et ſcelera, & pœnas quas meruere pati.
Cúmque mala, & noxas mortalia crimina poſcunt,
Ingemit, & lentâ corripit arma manu.
At quoties fas eſt largiri munera, gaudet,
Et ſua quæ meruit præmia quiſque refert.
Omnia præcepit, ſecum omnia mente peregit
Quæ quondam aſpiciet ſera, tegétque dies.
Æternis ſignata tenet virgo omnia faſtis:
Hos etiam Diui, cum voluêre, legunt.
His valuæ Superum diſtinctæ, atque aurea cæli
Limina: manſuro ſtant adamante notæ.
Et terram, & cœlos mirâ illic fecerat arte
Diua; ſuo fulgent ſidera quæque polo.
Illic res hominum, & miſeræ diſcrimina vitæ,
Gaudiáque, & culpas, & pia facta videt.
Leſſius eſt illic, atque incunabula LeſsI,
Et teneræ lacrymis immaduere genæ.
Parue, quid ah! vagis? minima eſt pars iſta malorum.
Hei mihi! quos gemitus, quæ venit, hora feret!
Ne tamen intereà pigeat curíſque, iocíſque
Altius humanis exſeruiſſe caput.
(a) Et labor, & nullas induſtria tranſeat artes,
Dum iuuat, & vitæ tempora prima ſinunt.
Parua mora eſt cum cura hominum te poſcet, & iſtis
Optabit ſtudijs, ingenióque frui.
Et iam te celebrat ſapientia moribus æqua,
Et iam voce tuâ pulpita docta ſonant.
Ignotáſque vias naturæ, arcanáque mundi
Dum reſeras, linguis turba, animíſque fauet.
(b) Hæreſis inuidit patriæ communis Erynnis,
Et ſubitâ triſtem iußit abire fugâ.
Inde mali labes, & ſemina prima doloris:
Illum lætæ tibi finiet vna dies.
(c) Atque vtinam, cum ſede aliâ ſacra dogmata pandes,
Eueniat dictis gratia tanta tuis:
Nec grauiora pati cogat male-conſcia fama,
Quæ retulit laudes certiùs ante tuas!
Illam cum dolor, atque metus, & opinio fallax,
Et turpes armant ambitione doli;
Sæuit, & occultum fœdo vomit ore venenum.
In ſiluis truſquam tætrior vlla fera eſt.
(d) At tu conſilijs, qui nunc tibi ſupplicat, orbem,
Doctrinaque duces perge docere viros.
Nec tibi ſit tanti mendacem auertere famam,
Ingenij vt celes pignora docta tui.
Hoc Deus, hoc Virtus dedit hoc Sapientia munus;
Sic fies ſeræ poſteritatis amor.
Atque aliquis forſan, qui te modò deuouet, olim
Ante tuos ſtatuet munera vota pedes.
Nequidquam certè conſpectâ in imagine tota
Hærebat trepido mens labefacta metu:
Hic quoque iam ſtabant diuina pignora mentis,
Leſſius in titulis omnibus vnus erat.
(e) Hæc fauor, & meritæ laudes, & plauſus in aſtra
Suſtulerant faſtis adijcienda ſacris.
Quam certa expenſo figit veſtigia greſſu!
Quas ineat longè proſpicit ante vias.
Quanta arcana, auo non intellecta priori,
Optatâ ante oculos luce retecta patent!
Quàm breuibus quàm magna inſunt miracula chartis!
Nec rerum cauſſæ, nec latet ipſe Deus.
Non potis expleri mens, ardeſcitque legendo,
Atque alias iſto fonte requirit aquas.
Ergo etiam tacitis aliquando aßueta latebris
In lucem, atque auidas auſa venire manus.
Et legit, & probat hæc orbis, melioráque vota
Concipit, (f) & cœli gaudia mente fouet.
(g) Iam pudet exiguo vitæ, & diſcrimine mortis
Hoſtibus infeſtas ſæpè adijſſe vias.
(h) Iam propius diuina ſequi veſtigia certum eſt,
Et medicam plagis applicuiſſe manum.
Quàm benè conſuluit quondam qui ſanguine fuſo
Vulneribus ſanat vulnera noſtra Deus:
Et voluit moriens indignos ferre dolores,
Ne miſeris ſemper mors patienda foret!
Has ego tum LeſsI curas, monumentáque vidi.
Seruantur faſtis cetera Virgo tuis.
Scire quidem volui titulos, & nomina; at illa
Mortales oculos cernere plura vetat.
Velauitq; ſacro, quo contegit omnia, peplo:
Inde etiam è tenebris emicuere ſuis.
Scilicet & nubes vbi cœlum obducta recondit,
Sol latet, & clarum ſpargit vbique iubar.
Dúmque nigrâ ſub nocte oculis lux publica mundi
Abfuit, à tenebris gratior illa nitet.
Tempus erit quando latebris erepta legentur
Omnia: nec longè ſit, precor, illa dies!
Gratáque poſteritas; Felix ô patria, dicet,
Quæ genuit talem quantulacumque virum!

IVSTVS FRISIVS
Societatis IESV.

APPRO-

(a) Encyclopediam conficit.

(b) Philoſophiam docens, Dusco per hæreticorũ tumultus exigitur A. 1578. & morbum contrahit, qui illũ in omni vitâ infeſtauit.

(c) Theologiam docet.

(d) Conſuli tur vndique etiam à doctiſſimis.

(e) Æſtimatio Scriptorum LESSII, & fructus.

(f) De beatitudine.

(g) De actibus humanis

(h) De Incarnatione, & Sacramentis.

APPROBATIO SVPERIORVM.

EGo Andreas Iudoci, *Societatis* IESV *per Flandro-belgium Præpositus Prouincialis, pro potestate mihi facta à Reuerendo admodùm* P.N. *Mutio Vitelesco Præposito Generali, concedo Cornelio Coenestenio Typographo Louaniensi, facultatem excudendi* R. P. LEONARDI LESSII *Societatis nostræ Theologi, in* D. *Thomam* De Beatitudine & Actibus Humanis, de Incarnatione Verbi, de Sacramentis ac Censuris *Prælectiones Theologicas posthumas. Item,* Variorum Casuum Conscientiæ Resolutiones. *Quæ omnia à deputatis eiusdem Societatis Theologis examinata, & approbata sunt. In quorum fidem, hasce manu mea subscriptas, & consueto officij sigillo munitas dedi. Louanij.* II. *Ianuarij.* M. D C. XLV.

ANDREAS IVDOCI.

APPROBATIO CENSORIS.

PRælectiones *Theologicæ posthumæ,* R. P. LEONARDI LESSII Societatis IESV, *De Beatitudine & Actibus Humanis,* de *Incarnatione Verbi,* de *Sacramentis & Censuris*; quibus accesserunt *Variæ Resolutiones Morales*; dignissimæ sunt quæ typis vulgentur: vtpote, in quibus dilucida claritas cum breuitate conspirans (qui est proprius LESSIANI calami character) multorum vtilitati seruiet, quibus aut non vacat, aut non libet vastas aliorum Auctorum Commentationes euoluere. Ita censeo. XII. Nouembris. M. D C. XLIV.

GASPAR ESTRIX *S. Theologiæ Licentiatus, Plebanus, & Librorum Censor Antuerpiæ.*

SVMMA PRIVILEGII
PRO
SACRO ROMANO IMPERIO.

CVm *ex mandato Sacræ Cæsareæ Maiestatis, omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, atque alijs quibuscumque librariam negotiationem exercentibus, seriò strictèque inhibeatur, ne quis libros vllos à Societatis nostræ Patribus hactenus editos, aut edendos in posterum, intra S. Romani Imperij, Regnorúmque, & Dominiorum suæ Cæsareæ Maiestatis hereditariorum fines, simili, alioue charactere, aut forma, siue in toto, siue in parte, excudere, vel recudere, vel aliò cudendos mittere, aut alibi etiam impressos inuehere, vendere, aut distrahere clam seu palam, citra eiusdem Societatis consensum ac testimonium præsumat: Ego Andreas Iudoci, Societatis* IESV *per Prouinciam Flandro-belgicam Præpositus Prouincialis, concedo Cornelio Coenestenio Typographo Louaniensi, facultatem excudendi* R. P. LEONARDI LESSII *è Societate nostra Theologi, in* D. *Thomam de* Beatitudine & Actibus Humanis, *de* Incarnatione Verbi, *de* Sacramentis ac Censuris, Prælectiones Theologicas posthumas: *item* Variorum Casuum Conscientię Resolutiones. *In cuius rei fidem, litteras has manu mea subscriptas, & sigillo officij mei munitas dedi. Louanij.* II. *die Ianuarij. Anno Domini* M. D C. XLV.

ANDREAS IVDOCI.

SVMMA PRIVILEGII REGII.

PHilippus, Dei gratiâ Hispaniarum Indiarumque Rex Catholicus, & potentissimus Belgarum Dynasta sanxit, ne quis præter voluntatem Cornelij Coenestenij Typographi Louanienſis, Lectiones Theologicas posthumas R. P. LEONARDI LESSII in D. Thomam de *Beatitudine & Actibus Humanis,* de *Incarnatione Verbi,* de *Sacramentis ac Censuris:* item eiusdem *Variorum Casuum Conscientiæ Resolutiones,* intra nouem annos proximos imprimat, aut alibi impressas vel in partem, vel in totum, in hasce Inferioris Germaniæ Prouincias importet, venalésue habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum, alijsq; pœnis mulctabitur; vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ XI. Febr. A. M. DC. XLV.

Signatum

GAILLARD.

QVÆSTIO PRIMA.

De vltimo fine Hominis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm homini conueniat agere propter finem?

1 CONCLVSIO est. Homo in omnibus actionibus sibi proprijs, seu (quod idem est) in omnibus actionibus humanis, agit propter aliquem finem.

Vbi duo sunt notanda. Prius est, illas actiones dici hoc loco *homini proprias*, non quæ secundùm substantiam operis ipsi propriæ sunt, vt intelligere & velle: sed eas omnes quas operatur secundùm modum agendi sibi proprium, qui est agere liberè tamquam dominum suarum actionum.

Finis duplex. Alterum est, finem esse duplicem, scilicet *finem-cui*, & *finem-qui*. *Finis-cui* dicitur is, cui aliquod bonum appetitur. *Finis-qui*, est ipsum bonum quod appetitur. Vt cùm homo appetit Deo gloriam; Deus, est *finis-cui*; gloria, *finis-qui*. Cùm homo sibi appetit salutem; homo, est *finis-cui*; salus, est *finis-qui*. Hoc modo ab Aristotele & Doctoribus homò dicitur *finis rerum corporearum*.

Finis-qui rursum est duplex; scilicet *bonum ipsum* secundùm se, quod propriè dicitur *finis-qui*: & *coniunctio huius boni*, quem vocant *finem-quo*; nam mediante vnione habetur bonum principale. D. Thomas hîc loquitur potissimùm de *fine-qui*, quatenus significat ipsum bonum eiusque coniunctionem, siue obtentum sit, siue obtinendum: ex consequenti etiam de *fine-cui*; quia quidquid appetitur, alicui appetitur. Vide eundem infrà q. 3. a. 1.

Nunc Probatur Conclusio; Primò, Quia omnes actiones humanæ procedunt à voluntate deliberata, seu iudicio rationis directâ: atqui voluntatis obiectum à quo ipsa mouetur, est finis aliquis: ergo omnes istæ actiones procedunt ab obiecto voluntatis, tamquam à causa finali; ac proindè fiunt propter finem.

2 *Quomodo omnis actio voluntatis sit propter finem?* Secundò Probatur, Quia omnis actio humana, vel est elicita à voluntate, vel imperata. Si est elicita; vel est *Prosecutio*, vel *Fuga*: sed omnis prosecutio tendit in aliquod bonum tamquam finem: omnis etiam mali fuga prouenit ex vi alicuius inclinationis in bonum: ergo omnis actus voluntatis elicitus tendit in finem, seu fit propter finem. Confirmatur, quia omnis actio elicita voluntatis, est vel *Amor*, vel *Desiderium*, vel *Gaudium*; vel est motus his contrarius; vel est quasi mixtus ex contrarijs, vt *Ira*: atqui hi omnes tendunt in aliquem finem propter quem fiunt: *Desiderium*, in finem obtinendum; *Gaudium*, in finem obtentum; *Amor*, in finem absolutum (quia amor est simplex complacentia boni propter se, quam voluntas primò in se excitat, vt bono, per huiusmodi affectionem, inhæreat. Loquor de *Amore* propriè, vt est prima affectio voluntatis, distincta à desiderio.) Reliquæ affectiones voluntatis, ex his oriuntur: *Odium*, ex *Amore*; *Timor*, *Tristitia*, & *Desperatio* (quæ est species tristitiæ) oriuntur ex *desiderio*: *Ira*, est affectio mixta ex *Tristitia* & *Desiderio*: *Audacia*, *Spes*, *Intentio*, sunt desiderij motus. Hinc patet omnem motum internum voluntatis, fieri propter aliquem finem.

Idem Probatur de motibus imperatis. Nam hi omnes procedunt ex motu desiderij; desiderium autem procedit à bono obtinendo, per intellectum apprehenso, tamquam à causa finali: ergo omnes motus imperati, ab eodem bono, tamquam à causa finali, procedunt.

DVBIVM I.

Vtrùm verum sit quod ait D. Thomas in corpore, *obiectum voluntatis esse finem?*

VIdetur enim hoc falsum; Primò, Quia si 3 Deus statuisset nullam condere creaturam, bonitas eius esset obiectum voluntatis ipsius; & tamen non esset vllo modo finis: neque enim esset finis respectu Dei; quia Deus sicut nullam habet causam efficientem, ita nec finalem: sicut enim dicitur esse à se, id est, non ab vllo; ita etiam dicitur esse propter se, id est, non propter vllum finem. Neque etiam esset finis respectu creaturæ, vt quæ nulla esset futura.

Secundò, Quia bonum vtile, seu id quod est medium ad finem, est obiectum voluntatis: nam est species boni, & tamen non habet rationem finis.

Respondeo, Nomen finis dupliciter accipi posse: Primò, *Pro fine in actu secundo*, id est, pro eo quod exercet actu causalitatem finis: sicut efficiens in actu secundo dicitur quod actu exercet causalitatem efficientis. Et hoc modo finis non est obiectum voluntatis, quia non supponitur actui voluntatis, sed illum ineludit. Secundò, *Pro fine in actu primo*, id est, pro bono quod per se amabile est, ac proinde proximè aptum vt exerceat causalitatem finis: & sic finis est obiectum voluntatis, ac supponitur eius actui tamquam prius. Hinc patet Responsio ad primum Argumentum. *Quomodo finis sit obiectum voluntatis.*

Ad secundum, quidam dicunt bonum vtile 4 non pertinere ad obiectum voluntatis, eò quòd non sit per se amabile, sed solùm per accidens. Sicut nix per accidens est visibilis.

Sed hoc non rectè dicitur, tum quia bonum vtile est species boni; tum quia ita est amabile propter finem, sicut Conclusio est intelligibilis propter principia: atqui Conclusio non est per accidens intelligibilis, sed naturâ suâ, quamuis non sit intelligibilis nisi ex principijs: ergo similiter vtilitas non est per accidens amabilis, sed naturâ suâ; quæ tamen tota pendet ex bonitate finis.

Respondeo igitur, D. Thomam non loqui de adæquato voluntatis obiecto, hoc enim est bonum in genere complectens etiam bonum vtile, sed de obiecto principali. Obiectum enim principale est quod per se primò attingitur à potentia; vt, quod per se amatur, intelligitur, videtur, estque ratio cur attingantur reliqua. Hoc modo finis est obiectum voluntatis; quia finis per se amatur, & cetera omnia propter finem. Dicuntur autem media non amari per se, non vt illud *per se* opponitur ei quod est *per accidens*, sed vt opponitur ei quod *propter aliud*.

DVBIVM II.

Vtrùm finis sit causa vt est in intentione (vt insinuat D. Thomas in Responsione ad primum*) An vt est in rerum natura?*

5 OMissis sententijs, Respondeo & Dico Primò, Vt finis exerceat suam causalitatem respectu intentionis, non requiritur vt priùs tempore vel naturâ sit in intentione.

Probatur, Quia esse in intentione, nihil est aliud, quàm esse intentum; sicut esse in intellectione, est esse intellectum: atqui esse intentum includit intentionem iam esse à fine causatam: ergo esse in intentione, non est quid præuium necessarium vt finis causet, sed est denominatio extrinseca prouenies ex effectu finis.

Dico Secundò, vt finis sit causa actionum à voluntate imperatarum, requiritur vt priùs tempore vel naturâ sit in intentione. Patet, quia finis non est causa vllius actionis imperatæ, nisi mediante intentione, cuius vi applicantur aliæ facultates ad suas operationes. Hinc patet, vt finis sit causa ipsius intentionis, solùm requiri vt priùs naturâ existat in intellectu; vt autem sit causa aliarum operationum, requiri vt ante existat in intentione.

6 Dico Tertiò, Ratio proxima causandi per modum finis, est bonitas ipsius, vt existit in rerum natura actu, vel potestate, vel certè opinione; conditio autem necessaria ad sic causandum, est, esse obiectiuè in intellectu.

Aliud est ratio causandi in fine aliud cõditio necessaria ad causandũ. Similiter in cæteris causis.

Explico, Sicut in causa efficiente priùs naturâ quàm causet, duo requiruntur; scilicet vis operandi, quæ requiritur tamquam ratio formalis per quam res est actiua; & applicatio seu propinquitas ad patiens, quæ requiritur tamquam conditio necessaria: ita etiam in causa finali duo requiruntur priùs naturâ, quàm vim suam finalem (vt sic loquar) exerat: nempe bonitas rei existens actu, vel potestate, vel putata existere. Et hæc est ratio formalis per quam finis habet vim finalem: & apprehensio huius bonitatis, tamquam conditio seu applicatio. Cùm enim finis debeat vim suam exerere in voluntatem (nihil enim potest à fine moueri nisi voluntas) necesse est vt illi applicetur, & fiat præsens voluntati; fit autem præsens per intellectionem. Eadem duo distingui possunt in causa formali & materiali.

Nunc probatur prior pars, Quia voluntas non intendit finem vt eum intelligat, sed vt eius bonitatem realem possideat & sibi coniunctam habeat; vt patet cùm quis intendit consequi sanitatem, diuitias, honores, voluptates: ergo ipsa realis bonitas rei quæ dicitur finis, est ratio causandi per modum finis, non autem eius cognitio. Illud enim est ratio causandi per modum finis, quod est ratio cur voluntas ad illud moueatur.

Altera pars, Scilicet quod cognitio sit necessaria conditio, patet; quia voluntas non potest moueri seu trahi ab aliquo bono, nisi mediante intellectu, vt infrà dicetur. Et hoc est quod vult Diuus Thomas in Responsione ad Primum.

Dices Primò, Bonitas finis sæpè non existit; 7
vt cùm quis intendit consequi sanitatem: imò interdum est impossibilis: ergo illa non potest esse ratio realiter causandi. Patet consequentia, quia realis causa supponit esse reale in rerum natura; vt videmus in ceteris causis.

Respondeo Negando Consequentiam, Id enim peculiare est causæ finali, quod possit vim suam exerere etiam dum non existit. Ratio est, quia bonum possibile vel existimatum possibile, sufficiens est vt concipiatur intellectu, idque propter amplitudinem istius potentiæ, quæ se extendit ad omne possibile & imaginabile: existens autem obiectiuè in intellectu, sufficiens est vt ratio bonitatis & pulchritudinis quæ in eo apparet, alliciat voluntatem in sui amorem; non enim voluntas minùs latè patet quàm intellectus: vnde ad omne illud se extendere potest, ad quod se porrigit vis intellectus.

Nec obstat quod voluntas dicatur moueri & allici à fine: tum quia intellectus etiam dicitur moueri ab obiecto intelligibili: tum quia hæc motio est metaphorica, nihilque dicit nisi dependentiam actus voluntatis ab obiecto, tamquam à causa formali extrinseca, sine qua per intellectum apprehensa, voluntas non potest in se talem speciem actus efficere.

Dices Secundò, Pro varia apprehensione eiusdem obiecti mutatur in voluntate species actus. Si enim Deus apprehendatur vt bonum nostrum, est obiectum spei; si vt bonum suum, est obiectum charitatis; si apprehendatur cognitione naturali, est obiectum amoris naturalis; si per fidem, est obiectum amoris supernaturalis qui habetur in via; si per claram visionem, est obiectum amoris beatifici: qui omnes amores videntur specie distincti: ergo apprehensio non est conditio, sed ratio formalis obiecti.

Variata cognitione, varia est species actus voluntatis.

Respondeo Negando Consequentiam. Quòd enim variatâ cognitione varietur species actus in voluntate, ex eo prouenit, quòd per distinctam cognitionem distincta bonitas voluntati proponatur; distincta, inquam, vel re, vel ratione. Hinc tamen non sequitur cognitionem esse rationem formalem, non autem conditionem seu applicationem obiecti: eodem enim modo si quis eandem virtutem agendi diuerso modo applicaret patienti, diuersa esset actio; tamen applicatio est solùm conditio, non autem ratio agendi. Vide Caietanum hoc loco.

DVBIVM

DVBIVM III.

Vtrùm verum sit quod dicitur in responsione ad secundũ, *Impossibile esse vt actus à voluntate elicitus sit vltimus finis?*

8 VIdetur enim esse falsum; quia potest quis vltimum finem constituere in delectatione spirituali, quæ est actus voluntatis. Et quidem de actu amoris & desiderij, non est dubium; quia hi actus non expetuntur nisi propter obiectum, vt illi inhæreatur. Solùm difficultas est de gaudio, quod est actus quidam voluntatis vltimò resultans ex bono adepto; vnde videtur posse esse vltimus finis seu vltimum appetibile.

Sed etiamsi gaudium propter summam suauitatem quam secum adfert, & qua formaliter afficit voluntatem, dignum sit quod per se expetatur, tamen non potest esse vltimum expetendum.

Cur gaudium spirituale non possit esse vltimum expetendum.

Ratio est, Quia etsi gaudium sit vltimum bonum quod resultat in animo, non æstimatur tamen esse principale & præcipuum bonum: maius enim bonum censetur possessio illius obiecti, quæ est fons gaudij, quàm ipsum gaudium: vnde reuera illud gaudium est propter bonum possessum tanquam propter finem; vt suprà dictum est.

Potest quis sibi voluptatẽ carnis expetere vltimò, vt patet in Epicureis.

Secus est de carnali delectatione; hanc enim potest quis sibi constituere tamquam finem vltimum, seu tamquam primum appetibile; quia cùm hæc delectatio oriatur ex rebus infimis nullam excellentiam habentibus, ob quam expetantur seclusâ delectatione; tota, vel certè principalis ratio appetendi illam, est ipsa delectatio: vnde delectatio ipsa æstimatur vt maius bonum & principalius, ad quod consequendum illa appetantur veluti media.

Hinc patet verum esse quod ait D. Thomas, si qua actio humana sit vltimus finis, ipsam esse imperatam à voluntate: nam hæc delectatio est actus imperatus.

Dices Primò, Ergo verum non est omnem actionem humanam esse propter finem.

Respondeo Negando Consequentiam, Nam ista delectatio quatenus est actio humana, est propter seipsam, vt est passio; ideò enim illam vult elicere, vt eius suauitate afficiatur. D. Thomas autem nihil vult aliud quàm in omni actione libera aliquem intendi finem, siue extrinsecum siue intrinsecum; quod fit, quando quis vult delectationem propter seipsam.

Dices Secundò, Vltimus finis est visio Dei, tamen hic actus non est imperatus: ergo non est verum si actio humana sit vltimus finis, illam esse imperatam à voluntate.

Respondeo Negando Consequentiam, Quia visio Dei non est actio humana; non enim subdita est nostræ libertati; sed est actio supernaturalis, quæ per modum naturalis operationis elicitur, nempe necessariò: loquitur autem D. Thomas de vltimo fine quem homines sibi constituunt, qui semper est aliqua actio humana.

ARTICVLVS II.

Vtrùm agere propter finem sit proprium rationalis naturæ?

COnclusio Prima, Omne agens generali quadam ratione dicitur agere propter finem, quatenus per suam actionem tendit ad aliquid determinatum, quod est finis illius operationis. 9

Affirmatur. Conclusio Secunda, Sola natura rationalis propriè dicitur agere propter finem; quia cognoscit & seipsum mouet in finem.

Notandum, Tria esse rerum genera: *Ratione prædita, sensu prædita, ratione & sensu carentia.* Horum omnes operationes tendunt ad aliquod determinatum, quod est finis cuiusque operationis.

Ob duas causas. Sed sola ratione prædita propriè dicuntur agere propter finem; idque ob duas causas. Prima, Quia sola cognoscunt rationem finis & mediorum, id est, obiectum propositum esse per se conueniens & propter se appetendum; &, hæc media esse vtilia ad talem finem. Secunda, Quia sola se determinant ad suas actiones, idque ex vi cognitionis finis; vnde non solùm operantur propter finem, sed etiam seipsa mouent & agunt in finem.

Sensu prædita seu bruta non ita propriè agunt ob finem: tum quia nullo modo cognoscunt illud bonum, quod est finis operationum; tum quia penitus à natura sua siue à Deo sunt determinata ad suas actiones. Itaque aguntur in finem, sicut sagitta in scopum.

Hinc sequitur Primò, Omnes & solas actiones proprias naturæ rationali, quatenus à tali agente procedunt, fieri propriè & formaliter propter finem: quia hæ omnes & solę procedunt ex formali cognitione finis. 10

Omnis rerum naturalium operatio vt est à Deo, fit ob certum finem, tum proprium rebus, tum commune. Secundò, Actiones aliarum rerum, vt procedunt ab ipsis rebus, non fieri propriè & formaliter propter finem; quia causa finalis non exercet in ipsis propriè vim suam, cùm eam non cognoscant, & finis non exerat vim suam nisi cognitus: tamen quatenus eędem actiones subsunt directioni diuinæ, & quodammodo à Sapientia diuina procedunt, sic propriè sunt propter finem. Duplici autem ratione illæ actiones procedunt à Deo: Primò, Ratione virtutis actiuæ per quam fiunt: Deus enim per suam sapientiam, ac proinde ob certum finem, omnem vim agendi quæ est in creaturis, instituit, formauit, & conseruat. Secundò, Ratione concursus generalis, quem Deus ad singulas operationes, ob certum finem exhibet. Ratione prioris dependentiæ, omnes actiones rerum fiunt ob finem certum; sicut motus sagittæ fit ob certum finem. Sicut enim cùm Sagittarius ob certum finem imprimit sagittæ impetum ad motum, ille motus prouenit ex vi impressa, & consequenter ex intentione sagittarij: ita Deus, quia singulis rebus impressit vires ad certos fines, operatio manans ex illis viribus, manat ab intentione Dei, & fine à Deo concepto, adeoque illi, vt auctori, adscribenda.

Actiones rerum duplici modo pendent à Deo.

Ratione alterius dependentiæ fiunt eò finem, quatenus concursus generalis qui cuique rei datur ob certum finem, ita cum naturæ operatione coalescit, vt fiat vna operatio. Hinc sapienter dictum est à Philosophis, Opus naturæ esse opus Intelligentiæ. Vide cetera apud D. Thomam & Caietanum.

ARTICVLVS III.

Vtrùm actus humani accipiant speciem à fine?

11 Conclusio est affirmans. Intellige de fine intrinseco, qui est ipsum obiectum actus; sed de hoc infra q. 18. & 19.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm sit aliquis finis vltimus humana vitæ?

Conclusio est affirmans. Ratio est, quia non potest in finibus per se ordinatis esse processus in infinitum: idque probat D. Thomas rationibus allatis ex Aristotele 2. Metaphys. & 1. Ethicor.

Vltimus finis dupliciter accipitur.

Notandum Primò, Finem vltimum posse accipi dupliciter. Primò in genere; sic nihil est aliud, quàm plenitudo omnis boni, seu, esse optimè. Secundò, in particulari; sic nihil est aliud, quàm illa res vel rerum collectio, in qua inuenitur boni plenitudo; vt Deus, secundùm veritatem; secundùm autem falsas opiniones, diuitiæ, voluptates, honores &c. D. Thomas loquitur de fine vltimo vtrouis modo accepto.

Notandum Secundò, Rationes D. Thomæ tantùm probare in omni intentione esse aliquid vltimum quod intenditur, in quo sistat intentio; & in omni serie mediorum eligendorum ob aliquem finem intentum, esse aliquid vltimum in quo sistat intentio, & à quo inchoanda sit executio.

Patet exemplis, Finis enim vltimus quem agricola, vt est agricola, intendit, est copiosa messis: vt hanc assequatur, disponit mediorum seriem: ob hanc enim primò vult serere; vt serat, vult arare; vt aret, comparat equos & instrumenta: vbi videmus intentionem eius sistere in messe, electionem in parandis instrumentis. Possumus tamen ex hac ratione colligere esse aliquem vltimum finem humanæ vitæ apud omnes homines: si subsumamus, omnes homines intendere esse beatos, saltem in genere; idque non propter aliud, sed quia hoc per se bonum est: & vt hoc assequantur, omnes actiones suas eò referre, saltem implicitè seu interpretatiuè. Itaque esse beatum, seu, esse quam optimè, est vltimus finis humanæ vitæ; quia propter se expetitur, & omnes vitæ actiones propter illum.

Dices, Hinc non sequi esse aliquem vltimum finem totius humanæ vitæ ex natura & conditione rei: sed solùm ex hominum destinatione.

Respondeo Negando quod assumitur; Quia necesse est vt ille sit vltimus finis humanæ vitæ, quem omnes homines rationis naturalis ductu sibi proponunt, & in quo nemo potest falli: atqui talis est beatitudo in genere.

ARTICVLVS V.

Vtrùm vnius hominis possint esse plures vltimi fines?

Conclusio; Neque ex natura rei, neque ex hominum intentione, possunt vnius hominis esse plures vltimi fines simul. Vtrumque intendit D. Thomas & tam de fine vltimo in particulari, quàm in genere. 12

Prior pars probatur clarè, Quia vltimus finis in genere ex natura rei consistit in summa perfectione omnium potentiarum animæ; atqui summa perfectio cuiusque potentiæ est vnica, seu vnius speciei: ergo & aggregatum ex illis summis perfectionibus est vnicum: hoc autem est vltimus finis.

Altera pars probatur clarè à D. Thoma, & satis per se patet ex terminis; nam de ratione vltimi finis est, vt sit bonum necessarium, & sufficiens vt sis quàm optimè: atqui nullo modo fieri potest vt intendas duo bona tamquam tibi necessaria, & tamen vtrumque seorsim putes tibi sufficere.

Dices, Qui peccat mortiferè constituit vltimum finem in creatura: atqui homo potest peccare mortiferè etiam simul peccatis diuersi generis; verbi gratia, fornicatione, & sic constituet finem vltimum in voluptate; & ambitione, sicque constituet in honore.

Respondent Caietanus & Medina non constituere finem vltimum in bono creato, quod est obiectum peccati; sed in seipso: ipse autem in omni peccato est vnus idemque. Sed hæc Responsio non satisfacit; loquimur enim hîc de fine *qui* appetitur, non *cui*; peccator autem non est finis *qui* appetitur, sed *cui*. Oportet ergo vt bonum distinctum ab homine sit finis vltimus qui appetitur. Itaque poterit vnus homo habere plures fines vltimos quos appetat.

Quomodo peccator constituat finem vltimum in bono creato.

Respondeo igitur, Peccatorem non constituere propriè finem vltimum in obiecto peccati; quia non censet illud continere omne bonum necessarium vt sit quàm optimè: sed solùm secundùm quandam æstimationem moralem; quatenus dum amore illius rei deserit verum summum bonum, censetur illud pluris æstimare, ac proinde facere sibi summum bonum. Dici etiam potest peccatorem non constituere in bono creato vno vel duobus totum finem vltimum, sed partem tantùm: Conclusio autem agit de fine toto.

Dices Secundò, Eiusdem effectus possunt esse duæ causæ efficientes integræ, saltem per diuinam potentiam: ergo similiter eiusdem hominis poterunt esse plures fines vltimi. Patet Consequentia, quia vtrumque est causa extrinseca, ac proinde videtur par vtriusque ratio.

Respondeo Negando Consequentiam, Quia finis vltimus comparari debet non cum quauis causa efficiente, sed cum causa prima efficiente; vnde sicut vnius rei non possunt esse plures causæ primæ

primæ efficientes, ita nec plures fines vltimi. Adde, esse malum & contra rectam rationem, constituere sibi plures fines: vnde Deus non potest ad hoc cooperari supernaturali modo, sicut potest cooperari ad hoc, vt duæ causæ efficientes proferant eundem effectum.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm homo omnia quæ vult, velit propter finem vltimum?

13 COnclusio est affirmans. Loquitur autem D. Thomas de fine vltimo in genere, qui est, esse beatum; seu, esse quam optimè.

Notandum, tribus modis aliquid appeti propter finem. Primò, ex vi præsentis intentionis. Secundò, ex vi intentionis quæ præcessit. Tertiò, intentione interpretatiua, id est, quæ ex ipsa natura operis, siue ex naturali perfectione voluntatis censetur esse. Nunc

DVBIVM EST,

Quonam modo ex his tribus appetantur omnia propter finem vltimum in genere?

D. Thomas hìc ad 3. insinuat secundum modum, scilicet ex virtute præcedentis intentionis. Et ita multi Thomistæ tenent. Idem videtur sentire Durandus in 4. d. 49. quæst. 4. num. 8.

Sed contra, Primò, Multa appetimus cùm primùm venimus ad vsum rationis; vt cibum, potum, vestem, lusum &c. & tamen numquam ante cogitaueramus de vltimo fine, aut hæc esse appetenda propter illum: non ergo omnis appetitio prouenit ex vi intentionis vltimi finis quæ præcesserit.

Secundò, Vt aliquid dicatur appeti ex vi præcedentis intentionis, non sufficit vt intentio talis finis, vel ordinatio actionum nostrarum ad talem finem præcesserit; sed necesse est vt post se relinquat aliquem effectum: Vel effectuum continuatam seriem, ex quorum vltimo talis appetitio sequatur vel actio. Et ratio est, quia intentio debet habere aliquam vim & influxum in vltimum opus quod ex vi illius fieri dicitur, saltem mediatè; alioqui nulla est causa cur opus ex illius virtute dicatur proficisci. Patet exemplo. Cùm quis intendit celebrare, ex vi huius intentionis sequitur alia voluntas, scilicet adeundi templum: ex hac, sequitur itio vsque ad locum; ex loci & vestium præsentiâ, sequitur voluntas se vestiendi & ipsa vestitio; hinc itio ad altare; hinc lectio totaque actio sacra & sacrificatio, animo etiam nihil cogitante de sacrificio, sed omninò distracto. Si hæc series interrumpatur, opus est noua intentione actuali; vt si quis vadens ad sacrum, abducatur à via; vel si quis in sacro committat errorem. Nunc subsumo: atqui non cernitur talis cohærentia & connexio omnium nostrarum appetitionum cum appetitione vltimi finis: ergo non sequuntur ex virtuali intentione finis. Vide Scotum in 4. d. 49. q. 10. §. Ex his sequitur. Vbi sententiam illam refutat.

Quid requiratur vt aliquid dicatur fieri ex intentione virtuali?

Respondeo igitur, Non hoc sensu dici omnia 14 appeti propter vltimum finem, sed iuxta tertium modum; nempe, quia omnis appetitio boni partialis, censetur sequi ex appetitione boni integri; idque ob duas causas. Prior est, quia omne bonum partiale naturâ suâ ordinatur ad completionem boni integri ipsius suppositi; sicuti omnis pars naturâ suâ ordinatur ad totum. Secunda, quia voluntatis inclinatio per se primò tendit in bonum adæquatum suppositi: in bonum autem singularum potentiarum tendit quasi secundariò, quatenus hoc bonum est necessarium ad bonum integrum suppositi. Itaque omnis inclinatio & affectio voluntatis in bona particularia, secundùm æstimationem moralem censetur sequi ex affectu boni integri, quod est vltimus finis in genere; scilicet, esse optimè. Fortasse D. Thomas nihil aliud voluit.

Omnia appeti propter finem intentione interpretatiuâ.

Ex his soluitur argumentum eorum, qui existimabant omnia opera Infidelium esse peccata; eò quòd Infideles aliquandò se & omnia sua retulerint ad honorem Idoli, tamquam ad vltimum finem. Nam esto aliquandò sic retulerint, non tamen dum illa faciunt, faciunt ex vi illius præcedentis intentionis: nam ex illa intentione non sequitur aliqua continuata series, vel aliquis effectus, vnde proximè omne opus illorum prodeat. Sed neque interpretatiuè omnia faciunt propter honorem Idoli; quia faciunt multa opera indifferentia, quæ naturâ suâ non tendunt ad honorem Idoli: faciunt etiam multa opera moraliter bona, quæ naturâ suâ non ad honorem Idoli, sed veri Dei tendunt. Omne enim opus virtutis naturâ suâ cedit in honorem veri Dei, ac proinde interpretatiuè censetur propter Deum fieri.

Omnes actiones infidelium non sunt peccata. Opposita damnata est à Pio V. & Gregorio XIII. ac nouissimè anno 1641. ab Vrbano VIII. speciali constitutione.

Dices, Causa secunda efficiens non potest mouere seu efficere nisi cooperante causâ primâ efficiente: ergo similiter finis particularis non potest mouere voluntatem, nisi simul cooperante fine vltimo.

Respondeo Primò, Si hoc argumentum valeret, conuinceret omnia appeti ab homine ex actuali intentione finis vltimi; quod tamen illi non concedunt.

Respondeo Secundò, Finem vltimum in omni motu voluntatis cooperari fini particulari: non quod moueat immediatè voluntatem hominis, aut quòd homo velit propter illum; sed quia causa prima cooperatur homini in omni volitione, idque propter vltimum finem. Dum enim homo aliquid vult ob aliquem finem particularem, Deus cooperatur eius voluntati ob finem vniuersalem seu vltimum. Et ità fit vt finis vltimus concurrat non tantùm ad omnem motum voluntatis, sed etiam ad omnem operationem creaturæ.

DVBIVM II.

Vtrùm hoc modo omnia quæ homo appetit, appetat ob vltimum finem in particulari consideratum, qui est Deus?

16 *Dupliciter aliquid appetitur propter Deum.*

NOtandum est, hominem dupliciter posse aliquid appetere propter Deum. Primò, vt Deum honoret, vel ei gratificetur. Secundò, vt Deum consequatur tamquam summum bonum. Nunc Respondeo, Homo sola obiecta honesta, hoc modo, scilicet interpretatiuè, appetit propter Deum.

Ratio est, quia hæc sola naturâ suâ tendunt ad Dei honorem, suntque media ad Deum consequendum: ergo hæc sola censentur fieri ex affectu voluntatis in Deum. Indifferentia, vt talia sunt, non censentur appeti propter Deum: quia neque illis Deus honoratur, neque sunt media promerendi Deum. Multò minùs ea quibus connexa est malitia venialis vel mortalis; absurdum enim est dicere eum qui fornicatur, appetere illam delectationem propter Deum, tamquam ob vltimum finem; Deumque plus diligi in huiusmodi delectatione, quàm ipsam delectationem; vt quidam videntur dicere. Nam illa appetitio nullo modo sequitur ex affectu erga Deum; neque naturâ suâ ducit in Deum, sed abducit; neque honorat, sed inhonorat.

In omni bono quod appetitur, an Deus appetatur.

Dices Primò, Omne bonum est quædam Dei participatio; ergo in omni bono appetitur ipse Deus.

Respondeo Primò, Hinc non sequi omne bonum appeti propter Deum, sed potiùs è contrario Deum appeti propter quoduis bonum. Appetitur enim in omni bono vt Deus sit, vt videlicet illud bonum quod amatur esse possit, quod sine Deo esse nequit.

Secundò, Fateor in omni bono appeti quandam Dei imitationem analogam. Hinc tamen non sequitur appeti ipsum Deum, nisi quali ratione etiam bruta & omnes creaturæ quandam Dei imitationem appetunt. Et sic D. Thomas 1. p. qu. 6. art. 4. ad 2. dixit omnia appetendo propriam perfectionem, appetere Deum; quatenus perfectiones omnium rerum, sunt quædam similitudines diuini esse. Verum talis locutio non est propria.

Dices Secundò, Qui appetit bonum partiale, magis appetit bonũ integrum, in quo omnia partialia continentur. Sed omne bonum creatum respectu Dei est veluti particula; ergò &c.

Respondeo, Maior tantùm est vera de bono integro quod componitur ex bonis illis particularibus: tale autem bonum non est Deus.

Dices Tertiò, Omnis appetitio boni censetur esse propter vltimum finem in genere, qui est plenitudo boni & carentia mali; atqui iste vltimus finis reuera continetur in Deo; ergo omnis appetitio boni censetur esse propter Deum.

Respondeo, Negando Consequentiam; tum quia illa plenitudo boni quam homo desiderat, est quid communius & abstractius quàm Deus. Tum quia non continetur in Deo nisi obiectiuè vel causaliter, non autem formaliter. Tum denique quia sufficit distinctio rationis, vt alterum fine altero appeti possit; vt patet in attributis diuinis: multi enim amant Dei Misericordiam, & oderunt ipsius Iustitiam; cùm tamen hæc solâ ratione distinguantur.

Dices Quartò, Si sola obiecta honesta hoc modo in Deum tendunt; ergo quotiescumque homo appetit aliquid ob delectationem vel commodum naturæ, appetit illud vt vltimum finem (quia appetit illud propter se, & nullo modo refert in Deum) ac proinde peccat mortiferè: quod tamen est falsum; quare & illud ex quo sequitur.

Respondeo, Appetit illud vt vltimum finem operis, non autem vt vltimum finem operantis; vnde ob hanc causam nullum est peccatum. Quia etsi vltimum finem operis statuat in aliquo obiecto delectabili, non tamen suum finem vltimum in eo ponit.

ARTICVLVS VII.

NOn habet peculiarem difficultatem. Vide D. Thomam.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm omnes Creaturæ habeant eundem vltimum finem?

COnclusio est, Omnes creaturas habere eundem vltimum finem tamquam rem cuius gratiâ sunt; non tanquam rem, quam adipiscantur. 17

Quomodo Deus sit finis omniũ Creaturarum.

Notandum est, cum Deus dicitur finis omnium creaturarum, non esse intelligendum de *fine-qui* intenditur, sed *cui*; quem D. Thomas hîc videtur accipere per *finem cuius gratiâ* (cùm tamẽ Aristoteles quem hîc citat, per *finem cuius gratiâ*, intelligat rem illam quę intenditur.) *Finis* autem *qui* intenditur in omnibus creatis, est gloria Dei extrinseca, quæ consistit in duobus, sed diuerso modo. Nam obiectiuè constit in eo quod diuinæ perfectiones, potentia, sapientia, misericordia, iustitia, ceteraque attributa, in creaturis tamquam in effectis & quasi speculis resplendeant: formaliter verò consistit in eo quod creatura rationalis illas cognoscat, amet, veneretur, & laudet. *Gloria* enim formaliter est *clara cum laude notitia*; teste Cicerone. Seu est *notitia alterius excellentiæ, pariens amorem, venerationem & laudem.* Intrinseca Dei gloria obiectiuè consistit in excellentia & veluti luce diuinarum perfectionum; formaliter in notitia & amore æterno sui.

Gloria Dei in quo constiſtat.

Quod autem Deus sit *finis-cui* omnium creaturarum; gloria verò Dei sit *finis-qui*, patet Prouerb. cap. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus*: Nempe tamquam propter eum, cui quæritur vel intenditur aliquod bonum per totam creaturarum collectionem. Non potest autem Deo quæri aliquod bonum intrinsecum, ipsum perficiens; cùm per essentiam suam sit infinitè perfectus: ergo intenditur bonum aliquod Dei extrinsecum, quod perficiat ipsas creaturas: hoc autem non potest esse aliud quam gloria Dei. Quod patet. Tantùm enim sunt duo genera bonorum extrinsecorum;

diuitiæ

diuitiæ & gloria. (Sub gloria enim comprehenditur fama, laus, & honor.) Diuitiæ non sunt per se expetendæ, sed solùm propter vtilitatem ad alia bona. Non ergo Deus intendit diuitias per creaturas, cùm illi nullam vtilitatem adferre possint, ergo gloriam: hæc enim sola inter bona extrinseca, est per se expetenda. Vnde Deuter. 26. *Faciet te excelsiorem cunctis Gentibus, quas creauit in laudem & nomen & gloriam suam.*

QVÆSTIO SECVNDA.

In quibus consistat Beatitudo?

DOcet hac Quæstione, Beatitudinem non consistere in diuitijs, honoribus, fama, imperio, voluptatibus huius vitę, aut in aliquo bono creato; tamquam in obiecto, cuius possessione & fruitione beati simus.

Ratio generalis est: nam cùm his omnibus potest quis esse miser; & sine his potest esse beatus. Relinquitur ergo in solo Deo beatitudinem hominis consistere, quia in ipso solo est plenitudo omnis boni; & in ipso solo hæc boni plenitudo tota simul possideri potest. *In speciali hæc explicata sunt lib. de summo bono.*

QVÆSTIO TERTIA.

Quid sit Beatitudo?

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Beatitudo sit aliquid creatum?

1 COnclusio est: Obiectum Beatitudinis esse increatum; ipsam verò formalem nostram Beatitudinem, esse creatam.

Notandum est Primò, Rem quam desideramus vltimò adipisci, cuius adeptione efficimur beati, vocari beatitudinem obiectiuam; ipsam verò possessionem seu tentionẽ huius boni, vocari beatitudinem formalem; quia est perfectio quædam nobis inhærens.

Notandum Secundò, Quosdam existimasse, ipsam visionem Dei increatam quâ Deus seipsum intuens, beatus est, esse nostram beatitudinem formalem; hanc enim visionem intellectui nostro communicari, vt per eam, Deum videat. Ita senserunt Doctores quidam Parisienses, vt refert Gregorius in 2. d. 7. q. 2.

Visio increata Dei non est nostra beatitudo.

Sed omninò tenendum est, Visionem Dei increatam, non esse nostram beatitudinem; neque per illam nos Deum visuros: sed per aliquod donum creatum. Est communis sententia Theologorum.

Et quidem quod beati reipsa non ita videant Deum, satis colligitur primò ex Concilio Bremensi, Clementina *Ad nostrum, de hæreticis*, vbi definitur beatos egere lumine gloriæ ad videndum Deum; quo sanè lumine non egerent, si per ipsam visionem Dei increatam viderent: lumen enim non requiritur in intellectu nisi ad visionem in se eliciendam. Secundò, Ex Concilio Tridentino sess. 6. can. 11. vbi contra Lutherum & Hosiandrum definitur nos non esse formaliter iustos per iustitiam Christi vel Dei: vnde sequitur nos etiam non esse beatos beatitudine Dei. Patet consequentia, tum quia beatitudo est præmium iustitiæ; tum quia beatitudo est vita beati, cùm tamen iustitia non sit vita. Quô fit vt multò minùs possimus esse beati per aliquid extrinsecum, quàm iusti.

Quod verò etiam contradictionem implicet, Probatur; quia visio increata Dei, est ipse Deus; sed implicat contradictionẽ vt Deus per seipsum suppleat effectum formalem actus vitalis: idque ob duas causas: prior est, quia actus vitalis debet informare potentiam; vita enim debet esse in viuente. Atqui visio increata non potest esse forma intellectus creati: ergò &c. Altera est, quia actus vitalis vt tribuat suum effectum potentiæ, necessarium est vt ab ipsa effectiuè procedat: de ratione enim motus vitalis est vt procedat ab intrinseco principio; alioqui per illum potentia non dicetur viuere, sed modo mortuo eum excipiet: atqui repugnat visioni increatæ procedere à creatura.

Denique si homo possit videre per ipsam Dei visionem, necessariò videret omnia, & tam perfectè, quàm ipse Deus: nam vbi est eadem forma, ibi est idem effectus formalis.

Obijcitur Primò, Non repugnat essentiam diuinam ita nobis vniri, vt per eam intelligamus tamquam per speciem intelligibilem; vt dictum est, 1. p. q. 12. ergo neque vt per illam videamus tamquam per operationem intelligibilem. 2 *Obiectio de specie intelligibili.*

Et confirmatur, Quia Deus potest humanæ naturæ tribuere suam subsistentiam, eamque ita ipsi vnire, vt ipsa per eam formaliter subsistat. Cur non etiam poterit ei dare vel vnire suam beatitudinem, vt per eam formaliter sit beata?

Respondeo, Negando Consequentiam. Est enim dispar valdè ratio. Nam species intelligibilis non postulat vt intellectum informet, aut vt ab eo procedat; sed tantùm vt intimè ei sit præsens, & cooperetur. Visio autem quâ intellectus videt, debet ab ipso procedere & ipsum vitaliter informare; hoc enim significat nomen visionis. *Refellitur.*

Hinc patet responsio ad confirmationem. Nam id, in quo aliquid subsistit tamquam in hypostasi, non debet illud informare, nec ab eo procedere. Non enim Petrus est in suo brachio, neque à

brachio procedit, sed potiùs brachium ab illo. Pari modo vt subsistentia Verbi diuini communicetur humanæ naturæ, sufficit vt humana natura illi inexistat & innitatur tanquam supposito; neque requiritur vt illa subsistentia informet naturam humanam.

Objcitur Secundò, Beatitudo debet esse quid perfectissimum in beato: nam est summum bonum. Atqui operatio creata non est huiusmodi; nam est accidens quoddam imperfectius substantijs & potentijs.

Beatitudo non est perfectissima in ratione entis, sed operationis vnientis vltimo fini.

Respondeo, Beatitudo non postulat vt sit quid perfectissimum in ratione entis, sed vt sit perfectissima operatio in modo vitaliter attingendi & consequendi vltimum finem, quod conuenit operationi creatæ.

Objcitur Tertiò, Homo ordinatur ad beatitudinem, non autem ad aliquam operationem creatam; alioqui ordinaretur ad aliquid imperfectius.

Respondeo, Hominem non ordinari ad beatitudinem, tamquam ad rem diuersam; Nam beatitudo ipsa ordinatur ad perficiendum hominem: sed ordinatur homo non beatus ad seipsum beatum; sicut pars ordinatur ad totum, vel res incompleta ad seipsam completam.

3 Objcitur Quartò, Maius bonum est amari à Deo, quàm operari operatione creatâ circa Deũ. Atqui amamur à Deo actu increato; ergo in eo est nostra beatitudo.

Amor increatus nõ est formalis nostra beatitudo.

Respondeo; Amari à Deo, dupliciter potest considerari. Primò, præcisè quatenus est denominatio extrinseca nihil ponens in amato: Et sic etiamsi amor quo amamur sit quid optimum (nam est Charitas Dei increata) tamen non est bonum nobis intrinsecum; ac proinde non potest esse nostra formalis beatitudo. Secundò, quatenus ille amor est efficax, & fons omnis nostri boni: sic melius nobis est amari quàm amare; quia in amari, tanquam in causa, comprehenditur eminenter omne bonum nostrum supernaturale, videre, amare, frui. Non tamen idcirco beatitudo nostra consistit formaliter in eo quod est amari à Deo; sed causaliter: quia ex vi huius amoris conferuntur nobis maxima bona creata quibus formaliter beati sumus.

ARTICVLVS II.

Vtrum Beatitudo sit operatio?

4 Conclusio est affirmans, Beatitudinem formalem, esse operationem. Probatur, quia Beatitudo est vltima hominis perfectio; atqui perfectio cuiusque rei, est eius operatio. Quod intellige de operatione immanente; vt est, videre, amare, frui. Nam operatio transiens, non est perfectio operantis, sed patientis: vt illuminatio, non est perfectio solis, sed aëris. Hæc tamen operatio supponit operans iam perfectum.

Beatitudo immediatiùs perficit potentias animæ, quàm ipsam essentiam.

Hinc sequitur, Beatitudinem principaliùs & immediatiùs perficere potentias animæ, quàm essentiam; siue essentia distinguatur ex natura rei à potentijs, siue non. Nam operatio non conuenit essentiæ, quâ essentia est, sed quatenus habet rationem potentiæ vitalis. Vide Scotum in 4. d. 49. q. 2. vbi contrariam sententiam tribuit Henrico, nempe beatitudinem non consistere principaliter in operatione seu perfectione potentiarũ, sed in illapsu quodam obiecti beatifici in essentiam animæ, ex quo quasi secundariò redundet in potentias, mediante operatione potentiarum. hanc sententiam sic intellectam vt primò sonat, Scotus refutat tribus Argumentis.

Scotus impugnat sententiam Henrici de illapsu obiecti beatifici in essentiam animæ.

Primò, Quia impossibile est vt Deus habeat aliquem nouum illapsum in essentiam animæ, nisi ratione alicuius noui doni creati: nam antea erat intimè in illa essentia per suam essentiam. Vnde nisi aliquid noui in ea faciat, habebit se ad illam vt antea: ergo per illud donum nouum erit formaliter beatus, non autem per ipsum essentiæ illapsum.

Secundò, Quia ille illapsus est prior naturâ quàm quæuis operatio; ergo si in illapsu consistat beatitudo formalis, homo erit beatus, etsi per diuinam potentiam nihil operetur. Et ita dormiens poterit esse beatus; quod est contra rationem naturalem, & Aristotelem 12. Metaph.

Tertiò, Deus ipse non est beatus præcisè per hoc quod identificetur suæ essentiæ, sed per hoc quod est intelligens & amans seipsum (alioqui sequeretur esse beatum, etsi non esset intelligens:) ergo similiter creatura nõ est beata per hoc, quod obiectum beatificum illi sit intrinsecum illique illabatur & intimè eam penetret; sed per cognitionem & amorem.

Henricus explicatur.

Sed fortasse longè est alia mens Henrici, quàm ea quam Scotus ei attribuit. Non enim dicit illapsum in essentiam fieri absque dono creato, vel in hoc illapsu consistere formalem beatitudinem: sed videtur hunc illapsum ponere vt principium beatitudinis, & veluti beatitudinem in habitu. Vnio enim Dei cum anima per dona habitualia, maximè per lumen gloriæ, est beatitudo in habitu, non tamen est beatitudo absolutè; quia hæc consistit in operatione.

Dices, habitus supernaturalis est perfectior operatione: ergo beatitudo potiùs consistit in habitu quàm in operatione. Consequentia patet: quia beatitudo consistit in perfectissima vnione animæ cum Deo: atqui ea vnio est perfectior quæ fit per donum perfectius (non enim Deus nouo modo vnitur creaturæ nisi per nouum donum:) ergo cum habitus sit donũ perfectius quàm operatio, etiam vnio quæ fit per habitum, perfectior erit vnione quæ fit per operationem. 5

Quod autem habitus sit donum perfectius operatione; Probatur, tum quia habitus supernaturalis infunditur à solo Deo, operatio autem fit à nobis: tum quia habitus ille habet se per modum potentiæ respectu operationis: atqui potentia est perfectior operatione; nam est causa æquiuoca, id est, diuersæ rationis, virtute in se continens omnes operationes.

Respondo, Negando Consequentiam. Etsi enim habitus supernaturalis in ratione entis fortè sit perfectior operatione, tamen non est perfectior in modo attingendi Deum tamquam obiectum beatificum. Nam per habitum nudum non attingitur Deus vitali modo & proximè; sed modo mortuo & remotè; vt patet in dormiente.

Non in quauis perfectissima vnione cum Deo sita est beatitudo, sed in vitali.

Ad Probationem Consequentiæ, Beatitudo non consistit in quauis perfectissima vnione cum Deo (vt patet in vnione hypostatica, quæ etsi perfectissima sit, tamen non est ipsa beatitudo; neque

neque anima Christi per illam est beata :) sed consistit in perfectissima vnione vitali, qua sentitur & gustatur ipse Deus ; & anima ita afficitur, ac si ipsamet transformaretur in Deum. Itaque nihil refert quòd vnio illa, seu præsentia Dei per gratiam in essentia animæ (quam præsentiam Henricus *illapsum* vocat) sit perfectior quam vnio obiectiua per operationem ; quia illa vnio per gratiam cum essentia animæ, non est vitalis ; id est, non fit mediante sensu vitali ; vnde secundum se non sentitur, sed modo mortuo se habet. Vtrùm autem Deus illabatur essentiæ creatæ per donum distinctum ab habitibus, qui sunt in potentijs ; an per idem ; non est huius loci. Sanè si essentia animæ non distinguitur à potentijs, non est necesse ponere donum illud quo illabitur essentiæ, esse distinctum ab habitibus potentiarum; de qua re in Tractatu de gratia.

DVBIVM I.

Vtrùm operatio illa in quâ consistit nostra Beatitudo, debeat effectiuè ab anima procedere: an sufficiat eam extrinsecùs immitti?

6 MVlti Doctores affirmant visionem & amorem beatificum infundi à solo Deo, intellectu & voluntate se merè passiuè habentibus. Ita Ockam & Gabriel in 1. d. 1. & Petrus ab Aliaco ibidem. & multi alij. Scotus verò dubitat.

Beatitudo formalis emanare debet ab ipsis potentijs.

Sed contrarium omninò tenendum; scilicet has operationes non solùm debere recipi, sed etiam effectiuè manare à potentijs animæ. Ita passim alij Doctores vel insinuant vel expressè docent.

Probatur Primò, Quia in Concilio Constantiensi definitum est intellectum beatorum, vt ad visionem beatificam eleuetur, egere lumine gloriæ : vt habetur Clement. *Ad nostrum. De hæreticis.* Atqui lumen non requiritur in potentia cognoscente nisi ad eliciendum actum cognitionis. Non enim requiritur ad recipiendam visionem ; quia visio immediatè debet existere in ipsa potentia intellectiua, non in lumine ; vt fit in omni habitu.

Dices ; Lumen erit necessaria dispositio ad recipiendam visionem à Deo immissam : sicut lumen corporale in aëre, est necessaria dispositio ad recipiendas species ab obiecto diffusas.

Respondeo, Esse disparem rationem : Ideò enim requiritur lumen in aëre, quia cùm species sint magis spirituales quàm obiectum, obiectum non potest eas producere nisi lumine quodammodò eleuetur & iuuetur ad earum productionem. quare tantummodò circa obiectum requiritur lumen; nullo autem modo requiritur vt visio recipiatur in oculo. Deus autem non diffundit sui speciem; & si diffunderet, non egeret externo lumine ; cùm ipse sit prima & summa lux.

7 Secundò Probatur ; Nam Scripturæ & Patres passim insinuant nos beatos fore per hoc quod videbimus, & amabimus, & fruemur Deo. Atqui hæc nomina non significant nudam passionem seu receptionem, sed productionem vitalem visionis & amoris.

Tertiò Probatur à priori, Quia videre, amare, gaudere, frui, & similia, sunt vitæ seu vitales motus, per quos formaliter viuimus ; (cuius signum est quod nullo modo possint competere rebus inanimis :) atqui vita debet manare à principio intrinseco. Vnde viuentia dicuntur quæ seipsa mouent, id est, à principio intrinseco ; & per hoc distinguuntur à non viuentibus, quæ potiùs dicuntur moueri à generante, quod impressit vim mouendi. Cuius etiam signum est, quòd ea quæ ab extrinseco recipiuntur, subiecto nihil cooperante, suscipiuntur & inexistunt modo mortuo; sicut lumen ab aëre, calor ab aqua, habitus ab anima. Quare si visio & amor suscipiuntur à potentijs se merè passiuè habentibus, modo mortuo suscipiuntur, possuntque sic suscipi à dormiente. Quare non possunt beatum reddere.

Quid sit vita seu vitalis motus.

Argumenta in contrarium, sunt nullius fere momenti. Non enim si beati lumine gloriæ actiuti eliciunt visionem effectiuè, sequitur eos posse cessare. Nam si homo totus esset oculus, vel si acciæ essent palpebræ, non posset cessare à visione, tamen effectiuè illam visionem produceret. Similiter non sequitur hominem seipsum beare propriè ; quia ista locutione significatur vel ipsum esse obiectum suæ beatitudinis, vel causam efficientem virtute propriâ. Potest tamen aliquo sensu admitti; si enim homo dicitur seipsum iustificare, mundare, saluare ; cur non possit etiam dici seipsum beare, quatenus virtute diuinitùs acceptâ & Dei auxilio, in seipso elicit actus illos quibus beatus est? quia tamen id liberè non facit, neque virtute propriâ, satis impropria est locutio. 8

Solutiones obiectionum.

DVBIVM II.

Vtrùm per potentiam Dei absolutam, isti actus visio, amor, & alij similes possint produci absque concursu effectiuo potentiarum?

OMissis sententijs, Respondeo & Dico Primò, Istos actus, & quemuis alium actum vitalem, posse secundùm totam suam substantiam & entitatem produci à solo Deo, absque cooperatione potentiæ creatæ. Est Scoti, Occami, & multorum aliorum. 9

Affirmatur.

Probatur, Quia actus vitales, secundùm suas entitates, sunt qualitates quædam realiter distinctæ à potentijs animæ (vt patet ex summa perfectione quam adferunt potentijs) manantes ab illis effectiuè, & in illis tamquam immediatis subiectis inhærentes: atqui Deus potest per se immediatè supplere omnem influxum effectiuum creaturarum: ergo omnem efficientiam quam habet anima in illos actus potest supplere.

Vnde sequitur Primò, Deum posse illos actus secundùm totam ipsorum substantiam producere extra subiectum ; & eos qui producti sunt in subiecto & per subiectum, ponere extra omne subiectum. Quod patet, quia actus illi solùm duplicem dependentiam habent ab anima; scilicet in genere causæ efficientis, & in genere causæ materialis seu subiectiuę. Atqui Deus potest per se supplere dependentiam effectiuam, vt dictum est ; & etiam quodammodò potentiam subiectiuam. Non quidem tribuendo accidenti eundem modum existendi, quem habebat in subiecto, sed cōseruando totam illius entitatem extra subiectum ; sicut in Tractatu de Eucharistia est ostensum. Potest enim Deus omne accidens habens propriam entitatem separare à subiecto, & seperatim conseruare.

Actui vitales secundùm suam entitatem possunt diuinâ virtute produci sine concursu potentiarum.

Sequitur

Sequitur Secundò, Non esse de essentia illorum actuũ, vt reipsa manent à potentijs, aut existant in illis; sicut non est de essentia accidentis, actu inesse subiecto: & tamen de illorum essentia est aptitudo ad emanandum à potentijs, & ad illas informandas.

10 Dico Secundò, Per huiusmodi tamen actus à solo Deo productos in intellectu vel in voluntate, anima non intelliget, non amabit, non fruetur; sed solùm recipiet eos per modum rei mortuæ. Patet ex dictis Dubio superiore.

Actus vitales non tribuunt suũ effectum formalem, nisi dimanent à potentijs effectiuè.

Probatur, Quia intelligere, amare, frui, non solùm est informari talium actuum entitate; sed etiam est eos producere in seipso ab intrinseco, ita vt essentia & vis animæ effectiuè in illos influat. Quare simplex informatio nõ sufficit, vt hi actus tribuant suum effectum formalem seu denominationem: sed vlteriùs requiritur emanatio. Ratio est, quia non solùm denominant quatenus sunt formæ inhærentes, sed etiam quatenus actus emanantes: & vtrumque in illorum denominatione includitur.

ARTICVLVS III.

An beatitudo sit operatio partis sensitiuæ, an intellectiuæ tantùm?

11 Conclusio, Beatitudo est tantùm intellectiuæ partis operatio. *Partem intellectiuam* vocat, in qua est intellectus & voluntas. Probatur, quia sola pars intellectiua immediatè potest attingere summum bonum, seu vltimum finem.

ARTICVLVS IV.

An beatitudo sit operatio intellectûs, an voluntatis?

12 Prima Conclusio; Essentia beatitudinis non potest consistere in actu voluntatis.

Probatur; Quia beatitudinis essentia consistit in assecutione vltimi finis: sed non assequimur vltimum finem per actum voluntatis: ergo &c.

Secunda Conclusio; Beatitudo consistit in actu intellectûs.

Probatur, Quia per actum intellectûs consequimur vltimum finem.

DVBIVM I.

Vtrùm tota beatitudinis ratio consistat formaliter in vnica operatione?

13 *Thomistæ statuunt beatitudinem in sola visione.*

Thomistæ defendunt totam consistere in sola visione: reliquas verò operationes, vt amorem & fruitionem, esse veluti perfectiones beatitudinis extrinsecas. Ratio est; quia sola visione Dei possidemus ipsum Deum, eumque intra nos præsentem tenemus.

Refelluntur.

Sed hæc sententia difficilis est intellectu. Primò; Quia ex ea sequitur eum qui videret Deum, esse vere & perfectè beatum, etiamsi non amaret, neque gauderet illo, Deo non præbente concursum ad hos actus. Quod sanè videtur absurdum, & contra communem modum concipiendi. Quomodo enim verè est beatus, qui nec amat nec gaudet de bono obtento? Respondet Sotus in 4. d. 49. q. 1. a. 4. talem non fore beatum; quia beatitudo est omnium bonorum aggregatio, quã ille non habet. Rectè; sed hinc sequitur non in sola visione totam essentiam beatitudinis cõsistere; quod nos volumus: cuius tamen contrarium a. 3. docet Sotus. *Vti etiam Soti aliorumq; responsio.*

Alij Respondent, talem non fore beatum, quia etsi tota beatitudo in visione consistat; tamen hoc intelligendum esse de visione vt actu causat amorem & gaudium; quam causalitatem hîc non habet.

Sed contrà: vel enim hoc ita intelligendum est, vt tota beatitudo censeatur consistere in visione, & illa actuali causatione, exclusis effectis, scilicet amore & gaudio: & hoc dici nequit; quia illa causatio non facit visionem meliorem; nec illi quidquam addit nisi fortè aliquam relationem resultantem, quæ nullius est momenti ad hominẽ magis beandum. Vel est ita intelligendum, vt includãtur effectus causati; & sic non consistit beatitudo in sola visione, sed etiam in alijs actibus.

Secundò Probatur, Si quis Deum videns, impediretur ab amore & gaudio, necessariò esset animo inquieto, & doleret se tanto bono violentè priuari. At quomodo cum illa inquietudine & dolore de re necessaria ad perfectam Dei coniunctionem, consistere poterit beatitudo, quæ debet satiare appetitum? 14

Tertiò, Ille non haberet in sua potestate frui bono obtento: Frui enim, vel est gaudere, vel cum delectatione vti. Atqui *nemo beatus est, qui eo quod amat, non fruitur*; vt inquit D. August. l. 8. de Ciuitate cap. 9. Vnde etiam propriè non diceretur adeptus vltimum finem; quia non ita possideret, vt posset illo frui.

Quartò, Si auarus qui vltimum finem constituit in diuitijs, non posset illas amare, nec vllam voluptatem ex illis accipere, non censeret se beatum possessione diuitiarum: ergo similiter hîc.

Quintò, Ad perfectam rationem beatitudinis requiritur perfecta vnio vitalis cum Deo: atqui ad perfectã vnionem requiritur non solùm vnio per intellectum, sed etiam per voluntatem. Nam non minùs voluntas immediatè attingit ipsum Deum quàm intellectus: ergo etiam vnio voluntatis pertinet ad essentiam beatitudinis. Quare

Dico Primò, Verius est & communi modo concipiendi conformius, ad rationem integræ beatitudinis pertinere non solùm nudam visionem, sed etiam amorem & gaudium. 15 *Requiritur præterea Amor & Gaudium.*

Probatur Primò, Rationibus supra allatis.

Secundò, Quia id est magis consentaneum ceteris Doctoribus, qui beatitudinem constituunt in pluribus operationibus. D. Bonauent. in 4. d. 49. a. 1. q. 5. in tribus constituit, scilicet visione, dilectione & fruitione. Alij constituunt in visione & fruitione; vt Richardus & Supplementum Gabrielis eâdem. d. Per fruitionem intelligunt hi duo Doctores dilectionem, quę tamẽ coniuncta sit cum gaudio: nisi enim cum gaudio quis diligat, non dicetur frui. Imò ipse D. Thomas opusc. De beatitudine, dicit beatitudinem consistere in visione, dilectione, fruitione, vnione, laude, gratiarum actione & gratulatione. vbi ponit tres actus externos manantes ex beatitudine, *Bonau.* *Richar.* *Gabriel.*

tudine, in quibus non vult ipsam essentiam beatitudinis esse sitam, sed tantùm indicare qui actus externi immediatè ex beatitudine sequantur. Et infra q. 4. a. 8. ad 3. dicit perfectionem charitatis esse beatitudinem essentialem, quantùm ad dilectionem Dei.

Tertiò, Quia id est magis consentaneum definitioni Benedicti XI. quam habet in quadam extrauaganti, vbi inter cetera sic ait: *Animas Sanctorum qui ex hac vita migrarunt, ex visione & fruitione Dei verè esse beatas.* Nomine *fruitionis*, videtur intelligere quod passim Doctores, amorem cum gaudio: vel gaudium, quod necessariò amorem includit. Vide Castro verb. *Beatitudo* hæres. 6. vbi etiam hanc extrauagantem ad verbum ponit. Certè, hoc modo loquendi satis insinuat fruitionem non esse accidentariam & extrinsecam beatitudini.

Bened. XI.

Quartò, Quia expresè hanc sententiam insinuat Catechismus Romanus in explicatione vltimi articuli Symboli: *Solida beatitudo, quam essentialem communi nomine, licet vocare, in eo sita est, vt Deum videamus, eiusq; pulcritudine perfruamur, qui omnis bonitatis & perfectionis fons est & principium.*

Catech. Rom.

Quintò, Est magis consentanea Scripturæ & Patribus, qui beatitudinem aliquandò explicant nomine gaudij, aliquandò nomine fruitionis. Matth. 25. *Intra in gaudium Domini tui.* Psal. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos; quoniam apud te est fons vitæ; & in lumine tuo videbimus lumen.* Vbi tres actus insinuantur. D. August. lib. 10. Confess. c. 12. *Omnes ipsum gaudium, beatam vitam vocant.* & cap. 23. *Vita beata est gaudium de veritate.*

Script.

August.

16 Dico Secundò, Ad rationem perfectam beatitudinis essentialis requiritur non solùm amor & gaudium concupiscentiæ, sed etiam amor & gaudium amicitiæ: ac proinde in vniuersum requiruntur quinque actus. Vbi notandum, *Amorem concupiscentiæ in Deum*, vocari à Doctoribus eum, quo amamus Deum nobis, cupientes eum possidere in nostrum commodum. *Gaudium concupiscentiæ* est, quo gaudemus de Deo possesso, sicut auarus gaudet obtentâ pecuniâ. *Amor amicitiæ Dei*, quo cupimus ipsi Deo omne bonum tam intrinsecum quàm extrinsecum, nullâ commodi nostri habitâ ratione; sed solùm vt ipsi Deo bene sit. *Gaudium amicitiæ* est, quo gaudemus videntes Deum tantis bonis intrinsecis & extrinsecis affluere.

Quinque Actus essentiales beatitudini.

Nunc probatur, Quia hi omnes actus versantur immediatè circa ipsum Deum, vti suppono, & sunt necessarij ad perfectam mentis vnionem cum Deo: ergo omnes pertinent ad rationem beatitudinis, quæ postulat perfectam vnionem cum Deo.

Antecedens probatur, Quia singuli nouo modo vniunt mentem cum Deo. Visio enim sistit Deum menti præsentem, eumque veluti intus in anima detinet. Amor concupiscentiæ inclinat animam in Deum, vt illum per intellectum, tamquam per manum quandam, præsentem teneat & non dimittat. Gaudium concupiscentiæ est vitalis suauitas & quies tamquam in bono proprio iam obtento. Amor amicitiæ est motus animi in Deũ eiusque bona, vt ipsi insunt. Gaudium amicitiæ est vitalis suauitas in bonis diuinis, vt sunt bona Dei.

Secundò, Quia hi quinque actus sunt necessarij & sufficientes vt excludant omnem inquietudinem & molestiam vndecumque prouenientem; & plenè satient appetitum: atqui hoc videtur requiri & sufficere ad rationem beatitudinis: ergo

Hi actus sunt ad beatitudinem necessarij.

Quod ad hoc sint necessarij, Probatur Primò, Quia si vel vnus ex istis desit, nascetur magnum desiderium tanti boni, à quo violentè impeditur: quod non erit sine afflictione. Secundò, Quia nemo beatum absolutè dixerit, qui ex bono obtento nullam suauitatem percipit. Neque sufficit quod beatus gaudeat de bonis Dei; quia etiam debet gaudere de Deo, tanquam de bono proprio iam obtento; alioqui non fruetur eo tamquam bono suo: quod tamen requirit D. Augst. l. 8. de Ciuit. c. 9. cum ait: *Nemo beatus est, qui eo quod amat, non fruitur.* Et l. 1. de Doctr. Christ. c. 32. *Summa merces hæc est, vt Deo fruamur.* Neque etiam sufficit, vt gaudeat de Deo, vt est bonum ipsius; nam gaudium amicitiæ est præstantius gaudio concupiscentiæ, tùm suauitate, tum honestate; ac proinde minùs potest à beatitudine abesse.

Augst.

Confirmatur, Quia beatitudo continet summã amicitiam hominis cum Deo, tamquam filij cum parente: atqui non est perfecta amicitia, vbi non est gaudium de bonis amici. Itaque necessariò requiritur vt summè gaudeat de bonis Dei. Quod si vtrumque gaudium est necessarium, etiam vterque amor necessarius est: cùm gaudium intrinsecè amorem vel includat vel supponat.

Quòd verò isti quinque actus sufficiant; Probatur Primò, Quia non sunt alij modi, quibus anima immediatè Deo vniatur vitali modo. Quò fit, vt excludant omnem inquietudinem animæ circa Deum, faciantque desiderium animæ satiari. Dico, *modo vitali*; quia etsi possit dari maior vnio cum Deo, scilicet hypostatica; tamen quia hæc non fit mediante actu vitali, ideo non facit formaliter beatum; neque excludit inquietudinem circa Deum; neque ad beatitudinem est necessaria.

Et ad eam sufficiunt.

Secundò, Quia hi actus, tantis bonis & tanto gaudio implent animam, vt nulla creatura ei aliquam molestiam possit afferre. Nam naturaliter impossibile est vt cum summo gaudio consistat vel minima tristitia. Vnde si anima beata esset in corpore mortali, non perciperet naturaliter dolorem ex alteratione vel lasione corporis: nam ex gaudio voluntatis, tanta descenderet delectatio in appetitum sensitiuum, vt non esset futurus capax molestiæ, quam alioquin illa læsio causaret. Vnde, quòd Dominus pati potuerit, singulari dispensatione factum est (vt docent Theologi) Deo cohibente portionem animæ superiorem, ne in inferiorem, suum gaudium transfunderet; vel impediente inferiorem, ne per sympathiam virium, delectationem ex gaudio voluntatis conciperet.

Dico Tertiò, Aliquo tamen sensu dici potest totam beatitudinem consistere in visione; nempe tamquam in radice & fundamento aliarum perfectionum. 17

Beatitudo radicaliter consistit in visione.

Probatur, Quia visio est prima vnio mentis cum Deo, per quam Deum intra se tenet, ex qua ceteræ vniones necessariò consequuntur. Ergo ceteræ perfectiones continentur in visione tamquam

quam in fundamento. Ergo ipsa potest dici tota beatitudo, scilicet fundamentaliter. Sicut Sap. 15. *Notitia Dei* vocatur *consummata iustitia*; id est, Iustitiæ perfectæ fundamentum. Sed contra

18 *Soluuntur obiectiones.* Obijcitur Primò, Scripturam multis locis beatitudinem per solam visionem vel apparitionem Dei explicare; similiter Patres.

Respondeo Primò, Non dicunt eam consistere in sola visione, sed in visione. Simili modo dicunt consistere in gaudio & delectatione. Et quamuis dicerent solam visionem Dei esse nostram beatitudinem, non ideò excluderent actus necessariò visionem sequentes; sed tantùm visionem & fruitionem creaturarum: vt multis exemplis Scripturæ ostendi potest.

Secundò, Exponi possunt consistere in visione tamquam in fundamento: si enim Scriptura dicit hominem iustificari per fidem, quia fides est fundamentum iustitiæ, vt explicat Concil. Trid. sess. 6. c. 8. quantò magis potest dici beari visione Dei? cum visio non sit fundamentum remotum, sicut fides, sed proximum vnde tota reliqua perfectio beatitudinis necessariò profluit: neque sit fundamentum extrinsecum, sed intrinsecum, & primaria pars; veluti radix in arbore.

Obijcitur Secundò, Beatitudo consistit in adeptione vltimi finis: sed hunc adipiscimur solo actu intellectus; vt probat D. Thom. hoc art.

Respondeo, Eam non consistere totam in nuda adeptione seu præsentia vltimi finis; sed in adeptione & reliquis perfectionibus, quę naturâ suâ adeptionem comitantur: quas existimo D. Thomam non excludere. Sicut si obiectum beatitudinis esset pecunia, ipsa formalis beatitas non esset sita in nuda possessione pecuniæ; sed in possessione & fruitione. Adde, non esse perfectam adeptionem, nisi bono obtento possis frui; vt patet in beatitudine falsa.

19 Obijcitur Tertio, Beatitudo obiectiua est quid vnum: ergo etiam formalis debet esse vna aliqua operatio, quâ obiectum illud possideatur. Consequentia probatur; Primò, Quia beatitudo formalis debet respondere obiectiuæ. Secundò, Quia beatitudo formalis est vltimus finis intrinsecus, & vltimum expetendum: atqui sola visio est vltimum appetibile; quia, vt supra dictum est, nullus actus voluntatis potest esse vltimum appetibile, cùm tendat in obiectum appetibile vlteriùs. Tertiò, Quia summum gaudium oritur ex beatitudine; atqui si gaudium esset pars beatitudinis, oporteret gaudere de gaudio.

Formalis beatitudo est collectio multarum perfectionum quibus Deo iungimur. Respondeo, Negando Consequentiam, Quia etsi obiectum beatificum sit vnicum, tamen pluribus modis debet vniri vt omninò beatos reddat. Itaque non est imaginandum beatitudinem formalem esse quandam simplicem perfectionem; sed esse collectionem multarum perfectionum, quibus Deo iungimur.

Ad primam Prob. Beatitudo formalis non debet respondere obiectiuæ in simplicitate; nam vni obiecto respondent plures actus, qui necessarij sunt vt obiecto perfectè vniamur.

Ad Secundam Probationem, Nego solam visionem esse vltimum appetibile completum. Est quidem pars præcipua, in qua reliqua tamquam in radice, continentur; non tamen est formaliter completum appetibile vltimum. Qui enim solam visionem haberet, non quiesceret, sed vlteriùs appeteret fruitionem. Dicitur autem vltimum; vel fundamentaliter, vel iunctis illis perfectionibus quæ necessariò ex illa sequuntur.

Ad Confirmationem, Nullus actus voluntatis potest esse absolutè vltimum appetendum; potest tamen esse vltimum expetendum inter bona intrinseca homini; vel saltem potest esse pars vltimi boni intrinseci & completi: quamuis inter has partes etiam sit aliquis ordo.

Ad Tertiam Prob. Dupliciter potest intelligi ex beatitudine nasci summum gaudium. Primo, ex tota beatitudine formaliter, tamquam ex vno integro bono. Non enim dubium est quin beati videntes in scipsis totam illam excellentiam, mirè gaudeant. Et sic etiam gaudent de suo gaudio beatifico. Sed hoc gaudium non est necessarium ad essentiam beatitudinis; nam proximè est de solo bono creato. Secundò, ex beatitudine obiectiua; id est, ex Deo, vt est bonum suum, & vt est bonum ipsius beati. Et hoc gaudium est intrinsecum beatitudini, estque sufficiens vt per se & formaliter incomprehensibili suauitate animâ perfundat, ita vt non sit opus alio gaudio de hoc gaudio. *Duplex gaudium ex beatitudine.*

Itaque Deus vt est bonum suum, & vt est bonum nostrum, est obiectiuè causa omnis suauitatis & oblectationis beatificæ. Amor vterque est causa veluti effectiua vel dispositiua: nam est necessaria dispositio in voluntate, vt in ea delectatio oriatur. Gaudium verò vtrumque est causa formalis illius suauitatis. Vnde patet non esse opus vt de gaudio beatifico sit aliud gaudium, sicut de viso Deo debet esse gaudium: cùm enim Deus visus non delectet formaliter, sed solùm obiectiuè, opus est aliquo alio actu de hoc obiecto, qui formaliter suauitatem afferat.

DVBIVM II.

In quonam ex his actibus potissimùm consistat beatitudo.

20 HOc Dubium eò pertinet, vt magis intelligatur, quænam sit vis singulorum actuũ ad beandam animam.

Sunt tres sententiæ. *Tres sententiæ.*

Prima est; Eam potissimùm consistere in visione Dei. Ita D. Thomas hìc & alibi. *1. D. Thoma.*

Secunda, Potissimùm consistere in fruitione. Ita Scotus in 4. d. 49. q. 5. & Richardus eâdem dist. circa Primum principale. q. 7. & quidam alij. Per *fruitionem* intelligunt amorem amicitiæ. *2. Scoti.*

Tertia est, Eam potissimùm consistere in gaudio seu delectatione; iuxta illud Matth. 25. *Intra in gaudium Domini tui.* Ita Cardinalis Aureolus, vt refert Capreolus *in* 4. d. 49. *3. Aureoli.*

Respondeo & Dico Primò, Beatitudinem nostram principaliter esse sitam in actu intellectus; scilicet in clara visione Dei. Ita D. Thomas hoc loco, & eius sectatores. *Beatitudo principaliter sita est in clara Dei visione.*

Probatur Primò, Quia visione apprehendimus & tenemus in nobis summum bonum nostrum. Sicunt manu tenemus pecuniam, visu pulcritudinem, auditu symphoniam, gustu dulcedinem. Et ex hac apprehensione, cetera bona tanquam ex fonte manant. Ergo in hac consistit principaliter nostra beatitudo. Sicut si vltimus finis esset sympho-

symphonia, beatitudo nostra principaliter consisteret in auditu, per quem tenemus symphoniã.

Responsio Scoti. Respondet Scotus, tentionem per visionem, esse quidem primam ordine generationis; sed eam quæ fit per fruitionem, esse primam ordine perfectionis & intentionis: nam per visionem intenditur fruitio.

Soluitur. Sed contra. Amor amicitiæ, quem intelligit Scotus, non est tentio obiecti formaliter: non enim si amico velis bonũ, ideò vel tu, vel amicus censetur tenere & habere præsens illud bonum: sed vt summùm amor impellit vt per aliam potentiam illud bonum amico procuretur.

Confirmatur, Quia hic amor non spectat bonum amantis, sed amati: ergo per eum non rectè dicitur amans tenere suum bonum. Sed neque per gaudium tenetur obiectum beatificum præsens; quia gaudium & delectatio supponunt bonum iam esse obtentum: qui enim gaudet de suo bono, iam illud obtinuit; & qui gaudet de bono Dei, supponit Deum iam illud habere.

21 Dicet aliquis, Quomodo verum est visione Dei apprehendi & possideri Deum? non enim visione domus, possideo, id est, habeo domum: neque visione pecuniæ, teneo pecuniam, eamúe possideo.

Deus per visionem possidetur. Respondeo, Ad rationem perfectæ possessionis pertinet, vt res ita habeatur præsens, & in potestate possidentis, vt possit eâ vti & frui, & omne commodum & oblectamentum ex ea percipere, quod ex ea capi potest. Itaque cùm per visionem Deus ita habeatur præsens & teneatur, vt videns possit eo frui, & omne oblectamentum ex eo percipere, quod ex eo capi potest; visio est vera Dei possessio. Simili modo auditio symphoniæ est eius possessio; quia ita per auditum tenetur, vt omnem oblectationem ex ea possis percipere. Secus est visione domus vel pecuniæ; non enim videndo dumtaxat, vtimur & fruimur domo, commodumúe ex ea percipimus; sed inhabitando. Prouenit autem id ex ipsis rerum naturis, quæ postulant vario modo nobis vniri, vt ex ipsis commoda propria percipiamus.

Sed difficultas est, quo ordine hi actus concurrant ad constituendam beatitudinem.

22 *Quo ordine hi actus se habeant.* Dico Secundò, Primo loco, est Visio. Secundo, Amor amicitiæ in Deum. Tertio, Gaudium amicitiæ. Quarto, Amor concupiscentiæ. Quinto, Gaudium concupiscentiæ. De visione iam dictum est.

De Amore amicitiæ probatur, Quia hic amor videtur prior amore concupiscentiæ. Nam immediatè oritur ex sola directa visione Dei. Amor concupiscentiæ requirit præterea aliquam reflexionem visionis super seipsam. Vt enim quis cupiat possidere bonum, debet concipere intellectu non solùm ipsum bonum, sed etiam eius possessionem, quæ hîc est ipsa visio directa: nam per visionem directam Dei, Deum possidemus. Vt ergo appetam Deum possidere, debeo ipsam visionem videre seu intelligere: ergo priùs ratione oritur amor amicitiæ ex directa visione, quàm amor concupiscentiæ.

Tertio loco est Gaudium amicitiæ; quia immediatè oritur ex amore & visione Dei, quatenus Deus est bonum suum.

Quarto loco est Amor concupiscentiæ; vt patet iam ex dictis; quia requirit reflexionem visionis super seipsam, quod priores actus non requirunt.

Quinto loco est Gaudium concupiscentiæ; quia gaudium naturâ posterius est amore; supponit enim amorem.

Aduerte tamen, etsi gaudium sit amore posterius, videri tamen quid præstantius; quia est terminus & consummatio omnium motuum voluntatis: est enim quies in bono adepto: & sanè, longè suauiùs afficit animam, quàm amor. Hinc amor non excludit omnem molestiam; gaudium verò excludit. Quare post visionem, homo videtur principaliter beari gaudio amicitiæ; vnde id perfectionis ordine videtur tenere secundum locum: tertium verò, Amor amicitiæ: quartum, Gaudium concupiscentiæ: quintum, Amor concupiscentiæ: quamuis ordine generationis aliter se habeant, vt dictum est. Vnde rectè Pontifex in Extrauag. suprà citatâ dicit *Animas esse verè beatas visione & fruitione Dei: fruitio* enim propriè est gaudium includens vel supponens amorem.

Gaudium est quid præstantius amore.

Contra Obijcitur Primò, Voluntas est perfectior facultas quàm intellectus: ergo beatitudo consistit potissimùm in operatione voluntatis.

23 *Obiectiones soluuntur.*

Antecedens Probatur, Nam voluntas formaliter est libera, intellectus non est liber.

Secundò, Voluntas mouet, intellectus autem mouetur.

Tertiò, Voluntas est appetitus vniuersalis extendens se ad omnia bona; intellectus est appetitus particularis inclinans solùm ad intelligere.

Denique voluntatis obiectum est *bonum*; intellectus autem *verum*: atqui *bonum* est præstantius *vero*.

Intellectus est perfectior voluntate. Respondeo Negando Antecedens; Perfectior est enim intellectus, vt rectè docet D. Thomas cum Caietano 1. parte quæst. 82. artic. 3. & Durand. in 4. d. 49. quæst. 4. idque ob duas causas. Primò, quia per intellectum anima in seipsa quasi creat omnia: format enim in se perfectas & viuas omnium essentiarum veluti picturas, quibus spiritali modo fit omnia, veluti nouus quidam mundus spiritalis, multò pulcrior & admirabilior quàm mundus iste corporeus. Secundò, quia per intellectum omne bonum quodammodo in nobis recipimus: nam intellectio & maximè visio facit obiectum animæ præsens, illudque intus tenet. Per voluntatem solùm inclinamur in bonum, vt mediante intellectu vel alia facultate, illud teneamus.

Ad Primam Confirmationem. Etsi voluntas sit formaliter libera, intellectus tamen est fons & origo huius libertatis. Nam libertas voluntatis oritur ex indifferentia & amplitudine intellectus.

Ad Secundam. Etsi voluntas moueat intellectum applicando illum per quandam sympathiam ad exercitium actus: tamen intellectus mouet voluntatem altiori modo; nempe eam illuminando, eiusque actui tribuendo speciem. Adde, quod intellectus non semper eget motione voluntatis; vt patet in visione beatifica quæ naturâ suâ in beatitudine antecedit omnem actũ voluntatis. At voluntas nihil potest, nisi ab intellectu moueatur; nam essentialiter ab eius illuminatione pendet: implicat enim contradictionem vt voluntas aliquid velit, intellectu eam non illuminante.

Ad Tertiam, Etsi voluntas sit appetitus vniuersalis; intellectus tamen est discretor vniuersalis, & Iudex omnia cognoscens, discernens & diiudicans; quod sanè est perfectius.

Ratio boni nõ est præstantior ratione veri, nec contrà.

Ad Quartam, Ratio *boni* non est præstantior ratione *veri*. Nam ex parte rei est vna formalis ratio *veri* & *boni* solùm ratione distincta; vt alibi dictum est. Deinde, *verum* non est propriè obiectum intellectus, nisi accipiatur fundamentaliter; scilicet pro entitate rei quæ denominatur vera, quatenus in se idonea est vt ei respondet verus conceptus; vel quatenus est conformis suæ ideæ per quam facta est. Adde, cùm vtraque potentia sit vniuersalis attingens omne ens, non posse eas distingui ex diuersitate obiectorum secundùm se distinctorum, sed ex diuerso modo tendendi in idem obiectum: intellectus enim ita tendit in obiectum, vt illud in se formet, & cum tota eius bonitate sibi vniat: voluntas verò veluti pondus quoddam in illud inclinat. Atqui patet hoc esse minùs perfectum, quàm illud.

24 Obijcitur Secundò, Charitas est perfectissima virtus: ergo eius operatio, est perfectissima operatio; & consequenter potissima in beatitudine. Antecedens probatur ex D. Thoma 1. parte quæst. 108. artic. 5. & 6. vbi dicit *Ordinem Seraphim qui est summus, dici ab amoris ardore, non à cognitione: quia* (inquit) *respectu Dei amor est perfectior cognitione.* Secundò Probatur ex D. Anselmo l. 2. Cur Deus homo cap. 1. *Peruersus ordo est amare vt intelligas; rectissimus, intelligere vt ames*: ergo vltimus finis est amare, non videre.

D. Thomas.

Anſel.

Charitas via, ordinatur ad visionem patriæ.

Respondeo, Charitas est perfectissima virtus inter eas quæ habentur in via; vt patet 1. ad Corinth. 13. *Maior horum est Charitas*, videlicet, fide & spe; tamen lumen gloriæ est perfectius. Sed hoc non habetur in via. Hinc patet responsio ad primam confirmationem antecedentis. Ad secundam respondeo, Eam sententiam non haberi apud D. Anselmum eo loco; tamen posse colligi. Loquitur Anselmus de cognitione & amore in statu viæ, qui est status merendi. Quare cùm charitas sit principium totius meriti, iure censetur in hoc statu perfectissima. Non tamen negat Anselmus, quin amor iste, ob quem data est homini cognitio in via, ordinetur ad vlteriorem cognitionem tamquam ad finem suum; imò id ipsum satis ibidem insinuat; ait enim homini datam esse cognitionem vt Deum amaret; huiusmodi autem amorem non esse frustrà, ac proinde debere aliquando Deum assequi: Atqui hæc assecutio fit per cognitionem claram. Ergo etiam amor huius vitæ est ob cognitionem, nempe patriæ.

25 Obijcitur Tertiò, Etsi Amor amicitiæ erga Deum in via ordinetur ad visionem Dei, sicut meritum ad præmium, & sicut medium ad finem; non tamen in patria: sed potiùs visio ordinatur ad ipsum. Non enim ideò beati volunt Dei honorem & gloriam vt ipsum videant; sed contrà ideò volunt videre, vt ipsum ament & honorent: imò ob hunc finem visio Dei datur creaturæ. Ergo Amor amicitiæ in patria est præstantior visione; ac proinde in eo consistet præcipuè nostra beatitudo.

Amor spectari potest, vel vt

Respondeo, Hunc amorem dupliciter spectari posse. Primò, Vt est perfectio quædam hominis. Secundò, Vt censetur bonum quoddam dilecti: nam beati per amorem omne bonum, etiam suam beatitudinem, & omne bonum creaturarum, Deo offerunt; imò omnes perfectiones Deo intrinsecas, quantum in ipsis est, Deo tribuunt. Si ergo amor spectetur priore modo, sic visio propriè non ordinatur ad ipsum; sed est perfectio summa in suo genere, ex qua resultat alia perfectio summa alterius generis. Potest tamen dici visio ordinari ad illam perfectionem, sicut essentia rei dicitur ordinari ad operationem, id est, ad seipsam operantem, sicut pars ordinatur ad totum. Omnis enim perfectio partialis ordinatur ad integram, ad quam non peruenitur, nisi comitante vel mediante alia perfectione partiali. Sic visio quæ est perfectio partialis, ordinatur ad integram beatitudinem; quæ integritas non potest haberi nisi comitantibus alijs perfectionibus quæ ex visione manant. Et ideò dicitur visio ad illas ordinari tamquam ad fines secundarios, per quos peruenitur ad integram beatitudinem & perfectionem totalem.

bonũ beati, vel vt bonum Dei. Vt prius non est finis visionis.

Visio quo sensu possit dici ordinari ad Amorem.

Si autem amor spectetur vt est bonum Dei, sic visio magis propriè ordinatur ad amorem; ideò enim beati cupiunt Deum videre, vt ipsum ament; id est, vt omne bonum increatum ipsi gratulentur, & omne bonum creatum ad ipsius gloriam referant. Vnde hac ratione amor præfertur visioni, & beati magis cupiunt amare, quàm videre; quia bonum diuinum præferunt suo. Hinc Moyses & D. Paulus ex amore in Deum, parati fuerunt carere Dei visione & beatitudine, non tamen carere ipsius amore; vt multi Patres docent. De quo alibi dictum est.

Amor vt est bonum dilecti, est finis visionis.

Moyses D. Paulus;

An verò, si vterque actus consideretur vt est bonum Dei, amor sit præferendus visioni, dubitari potest. Nam visio, est gloria quædam Dei, vtpote *Clara Dei cum laude notitia*; est etiam suprema Dei imago ipsum repræsentans. Nihilominus amor videtur præstantior, non physicâ excellentiâ, sed æstimatione morali: nam omnia bona creata & increata Deo tribuit. Cuius signum est quòd quiuis Princeps malit amari à subditis, quàm suam potentiam cognosci. Hinc tamen non sequitur hunc amorem esse maius bonum hominis, aut hominem magis per illum beari, quàm per visionem.

Qua ratione amor sit præstantior visione.

26 Obijcitur Quartò, Amor est vis vnitiua transformans amantem in amatum; vt docet Dionys. 4. diu. nom. Atqui beatitudo maximè consistit in vnione cum Deo, & in quadam transformatione in diuinitatem; ergo &c.

Respondeo, Amor dicitur vis vnitiua, tum quia formaliter efficit illam vnionem quæ consistit in consensu affectuum; tum quia impellit ad consecutionem realem rei amatæ, vt eam realiter vnitam habeamus. Sed hæc vnio fit per actum alterius potentiæ, nempe per visionem in præsente negotio. Dicitur autem transformare amantem in amatum, quia facit vt amans de se suisque commodis nihil cogitet vel curet, sed solùm de bonis dilecti, non secus ac si ipse non esset distinctus à dilecto. Transformat itaque cogitatione, affectu, & studio.

Amor transformat in dilectum.

ARTI-

ARTICVLVS V.

Vtrùm Beatitudo sit operatio intellectus speculatiui an practici?

27 COnclusio est, Beatitudo magis consistit in operatione intellectûs speculatiui, quàm practici. Vbi aduerte, illud *magis*, non significare beatitudinem patriæ consistere etiam in operatione intellectûs practici; hoc enim verum non est: nam beatitudo ita consistit in visione Dei speculatiua, vt cognitio practica non sit pars essentialis beatitudinis. Tantùm ergo significatur quandam beatitudinem, scilicet imperfectam, qualis haberi potest in hac vita, consistere secundariò in operatione intellectûs practici, cuius est dirigere operationes & moderari passiones, vt rectè exponit Conrardus, idq; patet ex fine *Corporis*.

Conrardus.

DVBIVM I.

Vtrùm visio Dei tantùm sit speculatiua an etiam practica?

28 NOtandum hîc, Scotum in 1. quæst. 4. Prologi, existimare omnem cognitionem esse practicam, quæ antecedit operationem voluntatis, eamque aliquo modo dirigit, vel quæ mouet voluntatem ad illam. Vnde vult Theologiam esse practicam scientiam, etiam vt versatur circa mysterium Trinitatis & perfectiones diuinas; quia horum cognitio apta est voluntatem mouere & dirigere. Quare iuxta eius sententiam visio beatifica vt versatur circa diuinam essentiam, practica cognitio erit. Quare sententia in re non peccat, sed recedit ab vsitato modo loquendi, iuxta quem, cognitio practica ea dumtaxat dicitur, quæ immediatè versatur circa nostras actiones tamquam circa obiectum, ostendendo illas esse agendas vel omittendas, vel modum agendi. Quo posito

Cognitio practica iuxta Scotum.

Iuxta communem sententiam.

Respondeo, Visionem beatificam simul esse contemplatiuam & practicam formaliter, sed quatenus se extendit ad diuersa obiecta; ita tamen vt primariò sit speculatiua, secundariò practica.

Visio beatifica est simul speculatiua & practica.

Quòd sit speculatiua, patet; quia est cognitio Dei, & increatæ ipsius perfectionis, quæ non potest fieri.

Quòd practica, Probatur; Quia visione beatifica beati non solùm cognoscunt perfectiones diuinas, sed etiam omnes regulas suarum operationum, & omnia quæ ipsis agenda sunt, saltem in genere; vt, se debere summè Deum diligere, venerari, in omnibus obedire, semper laudare, &c. quæ iudicia sunt practica. Hinc vlteriùs patet visionem hanc, quatenus beatifica, esse solùm speculatiuam; quia vt beatifica, versatur solùm circa bonum increatum, quod non cadit sub praxim. Deinde, quia non est practica nisi vt versatur circa operationes, quæ pertinent ad ordinem creaturarum, quarum cognitio est extra ordinem beatitudinis.

Sed quatenus est beatifica, est solùm speculatiua.

29 Dices Primò; Ad rationem beatitudinis requiritur amor & gaudium: sed ad hæc requiritur cognitio practica quæ immediatè versetur circa illas operationes: ergo &c.

Respondeo, Negando minorem: Nam hi actus sequuntur ex nuda cognitione speculatiua quâ Deus cognoscitur vt summum bonum suum, & summum bonum nostrum. Ratio est, quia isti actus ex clara cognitione Dei sequuntur necessariò; ipsaque natura voluntatis est determinata ad illos, hoc ipso, quo obiectum proponitur. Cognitio practica vt summum tunc necessaria est, quando voluntas posita cognitione obiecti, non est per se ad eius amorem determinata: tunc enim vt seipsam determinet, videtur debere cognoscere aliquo modo suum actum, & an hîc & nunc sit conueniens illum elicere, quæ cognitio est practica. Verùm si quis benè consideret, neque tunc semper cognitio practica est necessaria. Nam nuda cognitio speculatiua obiecti boni vel malij sufficit vt voluntatem alliciat vel auertat; vt infrà patebit.

Ad amorē & gaudium non est necessaria cognitio practica.

30 Dices Secundò, Vt visio esset simul practica & speculatiua, oporteret in ea contineri varia iudicia: atqui hoc repugnat ipsius simplicitati, ergo &c.

Respondeo, Visionem posse comparari vel ad diuinitatem, vel ad ea quæ in diuinitate eminenter continentur.

Respectu diuinitatis, continet tantùm vnum iudicium ex parte rei, quo cognoscitur diuinitas sicuti est in seipsa. Vnde sicuti ex parte rei inter attributa diuina non est distinctio; ita neque est distinctio cognitionum seu iudiciorum in visione. Cùm hoc tamen stat primò, quòd visio formaliter sit iudicium quo iudicant Deum esse Vnum, Trinum, Omnipotentem, Æternum, Summum bonum, summè diligendum, honorandum; id est, dignum summa dilectione & honore &c. quia sicut Deus est formaliter hæc omnia absque distinctione quæ sit ex parte rei: ita visio clara Dei, est formaliter horum omnium cognitio & iudicium absque distinctione quæ sit ex parte rei. Secundò, cum hoc stat, quòd in visione contineantur multa iudicia ratione distincta. Nam etsi à beatis non distinguantur respectu obiecti, distinguuntur tamen à nobis. Non enim possumus illam visionem concipere nisi comparando illam ad diuersa attributa, quæ ratione à nobis distinguuntur; vel ad diuersas conceptiones nostras quibus Deum cognoscimus, quibus illa visio eminenter æquipollet.

Visio vt se extendit ad diuinitatem continet solùm vnum iudicium.

Respectu verò eorum quæ in diuinitate videntur, potest continere plura iudicia aliquo modo ex parte rei distincta, quæ ex vi visionis sequuntur circa secundaria obiecta. Et hac ratione visio illa non est omninò simplex. Sed hoc nihil refert: sufficit esse omninò simplicem respectu diuinitatis, quæ est obiectum primarium. Itaque fatemur non esse omninò simplicem quatenus est intellectio speculatiua respectu Dei, & practica respectu nostrarum actionum. Verùm hac de re plura in 1. parte q. 12.

Visio Dei, vt extendit se ad obiecta creata eminenter in Deo contenta, non est omnino simplex.

DVBIVM II.

Vtrùm verum sit quod ait D. Thomas in corpore *beatitudinem huius vitæ potissimùm consistere in contemplatione, secundariò in operatione practici intellectûs dirigentis actiones & passiones.*

34 REspondeo, Verum esse, si rectè exponatur. Si enim nomine Cõtemplationis intelligamus, nudam contemplationem, vt non includat charitatem Dei & gaudiũ ex charitate nascens, sic non est verum; vt benè ostendit Canus lib. 9. de locis c. 9. Nam contemplatio huius vitæ, præsertim quæ solis naturæ viribus habetur, (de qua Aristoteles loquebatur citatus à D. Thoma) est valdè imperfecta & laboriosa, ita vt ob eam solam non possit quis rectè beatus dici. Si verò contemplatio accipiatur, vt includit charitatem & gaudium, nempe pro vita contemplatiua, sic est verum beatitudinem huius vitæ potissimùm consistere in contemplatione seu vita contemplatiua; secundariò in vita actiua, id est, in exercitio virtutum per operationes externas.

Beatitudo huius vitæ primariò consistit in vita contemplatiua, secundariò in practica.

Probatur, Quia beatitudo huius vitæ nihil aliud est quàm summa quædam participatio seu imitatio veræ beatitudinis; atqui hæc potissimùm consistit in vita contemplatiua, secundariò in vita practica: ergo &c.

Antecedens patet, Quia cùm in hac vita non possit haberi vera beatitudo, sed solùm quædam imitatio; summa imitatio illius erit beatitudo huius vitæ. Rursus, cùm beatitudo viatoris vt sic, sit, non quidem habere, sed tendere ad veram beatitudinem, eique fieri proximum; beatitudo ipsius consistit in eo, per quod maximè tendit in veram beatitudinem. Vtrumque horum maximè conuenit vitæ contemplatiuæ.

Dices, Vita practica consistens in exercitio virtutum, non est participatio beatitudinis veræ: ergo in eo non consistit beatitudo huius vitæ secundariò.

Respondeo, Etsi non sit participatio beatitudinis essentialis, quæ solùm versatur circa Deum, tamen pertinet ad beatitudinem huius vitæ, quatenus per virtutum exercitia nosipsos in veram beatitudinem promouemus. Non enim solùm beatus dicitur qui habet actu veram beatitudinem, sed & qui ad illam tendit, vel ad eam ius acquirit. Sicut diues dicitur, non solùm qui possidet, sed etiam qui ius habet. Vnde iuxta Scripturæ phrasim, iusti *Beati* dicuntur. Psal. 118. *Beati immaculati in via.* Quia ius habent ad veram beatitudinem, & per opera bona ad eam tendunt in dies. Singulari tamen modo dicuntur *Beati*, qui in vtrâque vitâ iuxta modum humanum sunt perfecti; vt colligitur ex sermone Domini in monte, Matth. 5. v. 3. & sequentibus.

Qui in vtraque vita perfecti, iuxta modũ humanum maximè beati in via.

ARTIC. VI. VII. VIII.

Vide D. Thomam.

QVÆSTIO QVARTA.

De his, quæ ad Beatitudinem exiguntur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm delectatio requiratur ad Beatitudinem?

1 REspondet D. Thomas eam requiri vt quiddam beatitudinem concomitans. Sed notandum, delectationem seu gaudium esse quiddam consequens seu concomitans visionem Dei, quæ est beatitudo fundamentalis: tamen intrinsecè includitur in beatitudine integra; vnde respectu huius non est quid concomitans vel consequens, sed pars intrinseca; vt ostensum est q. 3. a. 4. n. 25.

DVBIVM.

Vtrùm Beati delectentur immediatè de ipso Deo, an solùm de ipsa visione?

2 DVrandus in 1. d. 1. q. 2. & in 4. d. 49. q. 5. negat Beatos immediatè frui Deo, aut de Deo delectari, aut Deum esse obiectum immediatum fruitionis aut delectationis; sed vult eos frui & delectari immediatè tantùm de ipsa visione; de Deo solùm mediatè. *Sicut*, inquit, *qui friget, dicitur delectari sole, quia calore eius delectatur*, Fundamentum Durandi est: quia Deus cùm sit

Durandus asserit de sola visione.

suppositò à nobis distinctus, non potest esse per se & immediatè propriũ bonum nostrum, sed solùm mediante aliquo effectu, per quem nobis coniungatur. Sicut sol non est bonum hominis frigentis, nisi ratione caloris illi communicati: ergo beati non possunt illo immediatè frui, vel delectari tamquam proprio bono; sed solùm mediatè, quatenus eius effectu vel visione delectantur.

Respondeo, Beatos non solùm frui & delectari immediatè ipsa visione Dei, sed etiam ipso Deo, & quidem primariò. Ita passim alij DD. in 1. d. 1. Ockam, Gabriel, Gregorius, Maior. Et in 4. d. 49. vbi Paludanus. Et Caietanus 2. 2. q. 17. a. 5. Vbi tamen Durandum ita refellit, quasi negaret beatos non posse immediatè frui & delectari bonis Dei, quatenus Dei sunt; quod tamen Durandus non negat. Solùm enim loquitur de delectatione seu gaudio concupiscentiæ, quo gaudent de Deo, tamquam bono proprio.

3 *Beati primariò & immediatè delectantur & fruuntur Deo.*

Ockam. Gabriel. Gregor. Maior. Palud. Caiet.

Probatur Primò, Quia Deus est summum bonum nostrum, non solùm ratione alicuius effectus vel visionis, sicùt Sol ratione luminis & caloris; sed etiam per se & immediatè: ergo per se & immediatè delectat, eoque fruimur. Consequentia per se patet. Antecedens Probatur; Quia visio non se habet veluti bonum quoddam solitarium distinctum à Deo: sicut calor respectu

Durandi similitudo refellitur.

respectu solis, vt imaginatur Durandus: sed habet se tamquam coniunctio Dei eiusque apprehensio; sicut possessio pecuniæ, & pecunia non censentur duo bona distincta, sed vnum integrum bonum. Ergo sicut auarus delectatur immediatè non solùm possessione, sed etiam pecuniâ possessâ: ita beatus proximè de toto illo, scilicet Deo viso, delectatur tamquam integro bono suo; Non autem priùs de visione, & consequenter solùm de Deo. Vbi notanda est differentia inter exemplum Durandi & rem positam. Sol enim non est secundùm se, nec formale bonum frigentis, sed calor à Sole productus in ipso: vnde Sol non dicitur eius bonum nisi causaliter, quòd in illo aliquod bonum causet. Deus verò secundùm se & formaliter efficitur bonum beati; Nam visio Dei & Deus constituunt vnum integrum bonum formaliter homini inexistens; visio enim habet se per modum vnionis, tentionis & possessionis, qua immediatè vnitur & possidetur Deus: vnde intrinsecè includit ipsum Deum; sicut vnio rem vnitam, & possessio rem possessam. Secus est de calore respectu Solis.

Deus & visio Dei habent se per modum vnius boni. Sicut res & rei possessio.

Probatur Secundò, Qui delectatur visione picturæ, immediatè delectatur picturâ visâ tamquam obiecto immediatè causante delectationem: neque visio vllo modo delectare potest nisi quatenus includit ipsam picturam. Et qui delectatur potu vini, immediatè delectatur ipso vino; vt benè explicat Caietanus: ergo similiter qui delectatur visione Dei, immediatè delectabitur ipso Deo viso.

Probatur Tertiò, Idem est obiectum immediatum spei, & fruitionis seu delectationis patriæ. Nam idem bonum quod ante sperabatur, postquam obtentum fuerit, delectat. Atqui obiectum spei est ipse Deus, non autem visio Dei considerata vt est quid distinctum à Deo, sicut Durandus considerat: ergo Deus idem iam obtentus & possessus, est immediatum obiectum delectationis & fruitionis. Minor probatur, Quia si Deus non esset immediatum obiectum spei, spes non esset virtus Theologica: ad virtutem enim Theologicam non sufficit vt mediatè Deum respiciat; alioqui etiam Religio esset virtus Theologica: respicit enim immediatè cultum Dei, mediatè verò ipsum Deum.

Ex his patet Responsio ad fundamentum Durandi. Falsum enim est Deum secundùm se non esse immediatè bonum nostrum. Dupliciter enim Deus dicitur bonum nostrum; Primò, effectiuè; quatenus ab ipso tamquam fonte manat omne bonum nostrum nobis inhærens: quo modo etiam Sol dicitur bonum nostrum ratione effectuum. Secundò, quasi formaliter & per seipsum. Neque ad hoc requiritur vt ipse tamquam forma inhæreat homini. Nam pecunia & diuitiæ per se censentur bonum auari, & tamen nulla reali vnione ipsi iunguntur. Vnde vt aliquid realiter censeatur bonum meum, sufficit vt apprehendatur tamquam aliquid ad me pertinens per modum rei possessæ, cuius vsus vel fruitio sit in mea potestate. Et hoc modo Deus ipse per se formaliter est bonum nostrum, scilicet tamquam res possessa, quâ semper possumus frui seu delectari, præsertim cùm vitali vnione perpetuò nobis in beatitudine iungatur.

4 *Responsio ad obiectiones.*

Ipse Deus secundùm se est immediatè bonum nostrum.

5 Obijcitur Secundò, Desiderare sibi Deum, nihil est aliud quàm desiderare Dei visionem: ergo similiter frui Deo, est frui Dei visione; & Deum esse bonum nostrum, est Dei visionem esse bonum nostrum: ac proinde neque ipse immediatè est bonum nostrum, neque ipse immediatè delectat, sed visio eius.

Respondeo, Hæc esse quidem coniuncta, sic vt separari nequeant, tamen non esse omninò eadem, sed distingui formaliter. Nã in altero exprimitur obiectum veluti formale desiderij, in altero materiale. Visio enim Dei non desideratur nisi quatenus intrinsecùs includit Deum, veluti formam suam, à qua omnem suam bonitatem & excellentiam quasi formaliter habet (nam obiectum se habet per modum formæ respectu actus vitalis). vel, quod in idem ferè redit, dicendum est, Deum desiderari tamquam bonum principale; visionem verò tamquam vnionem & possessionem huius boni. Quare desiderium & fruitio immediatè versantur circa vtrumque, nempe circa visionem & circa Deum, tamquam circa vnum integrum obiectum constans veluti duabus partibus materiali & formali; vel tamquam re & rei possessione. Non verò tamquam circa duo obiecta, quorum alterum sit proximum, alterum remotum.

6 Obijcitur Tertiò, Damnati summè tristantur non de Deo secundùm se, sed de carentia visionis diuinæ: ergo beati summè gaudent non de Deo secundùm se, sed immediatè de visione diuina. Consequentia Probatur; Quia sicut Deus non est malus damnatis, nisi ratione pœnæ quam infert; ita non est bonus beatis, nisi ratione præmij quod confert; quod præmium est visio.

Aliter damnati dolent de carentia Dei, aliter Beati gaudent de eius visione.

Respondeo Negando Consequentiam. Ideò enim damnati non possunt tristari de Deo, sicut beati possunt de illo gaudere, quia Deus non potest damnatis vniri tamquam ipse per se sit illorũ malum; sicut potest vniri beatis tamquam secundùm se ipsorum bonum. Ad Confirmationem. Nego illam comparationem: Deus enim per se non potest esse malum damnatorum, cùm nihil in eo sit nisi summa dulcedo: potest tamen per se esse bonum beatorum; vt dictum est.

Obijcitur Quartò, Delectationes distinguuntur secundùm operationes quas consequuntur; & ex illis iudicantur bonæ vel malæ vel indifferẽtes: ergo illæ operationes sunt causæ delectationum. Atqui non sunt causæ nisi obiectiuè; ergo proximum obiectum delectationis est operatio.

Respondeo, operationem esse quidem obiectũ delectationis, sed non solam; verùm etiam rem illam circa quam versatur operatio. Hæc enim duo constituunt vnum integrum obiectum delectationis; vt patet in visione pulchritudinis, in auditu symphoniæ &c.

Aliter respondet Caietanus, sed non ad vim argumenti.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in Beatitudine principalior sit Visio quam delectatio?

Conclusio est, Visionem esse principalem. Patet ex dictis suprà q. 3. a. 4.

Circa Responsionem *Ad secundum*, est

DVBIVM.

Quomodo appetitus animalium non sit peruersus appetendo operationem propter delectationem, cùm Deus instituerit delectationem propter operationem.

7 REspondeo, Deum instituisse delectationes propter operationes, miscendo eas operationibus veluti condimentum, vt ab animalibus auidiùs expeterentur operationes: sicut Medicus miscet dulcia quædam medicamento, vt lubentiùs sumatur. Hunc autem ordinem nullo modo peruertunt animalia: Primò, quia non appetunt operationem ob delectationem, ordinando operationem ad delectationem tamquam medium ad finem; hoc enim esset peruertere ordinem diuinæ institutionis: sed simplici modo appetunt operationem ob delectationem, tamquam ob rationẽ quandam boni quæ est in operatione: sicut appetitur saccharum ob dulcedinem, tamquam ob bonitatem intrinsecam. Non enim est necessarium vt res semper appetatur propter optimam rationem boni quæ in ipsa est; sufficit vt ob aliquam appetatur, & nulla adsit mala circumstantia. Secundò, quia non ob solam delectationem appetunt operationes, sed etiam quia per se sunt naturæ conuenientes. Sic aues nidificant, non quia hoc delectabile, sed quia instinctibus naturæ conueniens. Verùm quia delectatio facit eas magis conuenientes, quàm per se sint, ideò in causa est vt operationes ardentiùs appetantur.

Animantia appetunt operationes non solùm ob delectationem, sed etiam quia naturæ cõuenientes.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ad Beatitudinem requiratur Comprehensio?

8 REspondeo, Ad beatitudinem necessariò concurrere tria: Visionem, Comprehensionem, & fruitionem.

DVBIVM I.

Quis actus significetur hic nomine Comprehensionis.

Distinctio inter visionem & cõprehensionem.

NOtandum est, visionem per se solùm dicere claram cognitionem rei visæ, & formaliter non esse tentionem seu consecutionem boni desiderati; Nam qui amat pecunias, licet videat eas, non tamen ideò eas tenet; & tamen si amet pulcritudinem, videndo eam tenet; si amat musicam, audiendo tenet. Et contrà, comprehensio per se non dicit visionem, sed solùm adeptionem boni desiderati eo modo, quo aptum est haberi. Nam aliter habentur honores, aliter diuitiæ & voluptates. Quamuis igitur ratio visionis & comprehensionis, in visione Dei concurrant, tamen aliquo modo distinguuntur: quia visio Dei, tantùm dicit summam quandam perfectionem intellectûs; non autem tentionem summi boni: comprehensio autem includit quidquid est de ratione visionis, & addit præterea specialem quandam habitudinem ad Deum tamquam ad finem obtentum; vt notat D. Thomas q. 4. art. 3. ad 3. quæ habitudo est in voluntate. Quo posito

9 Respondeo, Nomine comprehensionis non significari aliquem actum distinctum à visione & amore concupiscentiæ: sed vtrumque habere rationem comprehensionis, connotando tamen concomitantiam alterius. Visio enim habet rationem comprehensionis immediatæ. Nam per visionem immediatè tamquam per manum quandam apprehenditur & tenetur Deus. Requirit tamen hæc visio vt rationem habeat perfectæ comprehensionis, concomitantiam amoris concupiscentiæ. Et ratio est; quia comprehensio dicit apprehensionem seu tentionem boni amati: illud enim dicitur comprehendi quod ante sumus prosecuti, & etiamnum amamus, & propter amorem tenemus. Vnde etiam amor habet rationem comprehensionis, sed mediatæ. Quia sicut voluntatis est prosequi bonum dum est absens, & ad illud tendere: ita eiusdem voluntatis est tenere illud cum fuerit præsens. Atqui voluntas non tenet illud aliquo actu suo, nisi amore concupiscentiæ; vt patet in beatitudine falsa: auarus enim obtentâ pecuniâ, non tenet illam aliquo actu voluntatis, nisi amore quo vult illam possidere. Itaque amor concupiscentiæ habet rationem comprehensionis mediatæ; quia hoc amore homo tenet Deum præsentem per intellectum. Itaque per voluntatem fit comprehensio tamquam per causam applicantem, & quantùm in se est mouentem, & quasi stringentem intellectum, veluti manum, vt fortiter teneat.

Quo modo visio sit comprehensio, & quomodo amor?

Voluntas comprehendit Deum mediante visione.

Hinc sequitur, Visionem vt est prior amore, non esse perfectam comprehensionem; quia non consideratur vt terminus prosecutionis voluntatis. Verùm quia ex visione eodem instanti temporis sequitur amor qui fertur in visionem & in Deum visum, & quantùm in se est necessitat intellectum vt omnibus viribus teneat Deum præsentem, fit vt eodem instanti temporis visio incipiat habere rationem completæ comprehensionis.

Visio vt est prior amore non est perfecta comprehensio.

Hinc etiam intelligitur quomodo verum sit quod ait D. Thomas *ad tertium* etiam visionem esse obiectum comprehensionis. Comprehensio enim pertinet ad voluntatem, tamquam ad id quo Deum mediatè comprehendimus: & sic visio est eius obiectum. Voluntas enim vult ipsam visionem manere, & ad hoc intellectum quantùm in se est mouet, vt semper Deum per visionem præsentem habeat.

DVBIVM II.

Vtrùm Visio, Comprehensio, Delectatio rectè dicantur dotes animæ?

10 REspondeo, Rectè dici dotes animæ, metaphorâ acceptâ ab eo quod in nuptijs humanis fieri solet. Sicut enim ibi dos dicitur quod solet dari sponsæ dum eam sponsus in domum suam solenniter introducit: ita rectè dotes dicuntur diuitiæ illæ quæ animæ dantur, dum à sponso suo in cœlum traducitur. Pari modo dicuntur dotes corporis, ornamenta supernaturalia quæ corpori tribuentur quando in cœlum transferetur. Quare cùm animæ tunc hæc tria dentur, rectè dicuntur animæ dotes. *Visio* respondet fidei, *comprehensio* spei, *delectatio* seu *fruitio* charitati.

Quid sit Dos.

Dotes animæ sunt visio, comprehensio, & delectatio.

charitati. Vbi nomine *comprehensionis* vt distinguitur à *visione*, debet intelligi actus voluntatis, quatenus in eo est vis quædam tenendi obiectum beatificum per visionem tamquam per manum quandam. Nomine *fruitionis* siue *delectationis* intelligi debet vtraque delectatio, scilicet tam ea quæ est de Deo, vt est bonum beati; quàm quæ est de Deo, vt est bonum suum.

11 *Cur charitas non dicatur dos.*

Petes Primò, Cur Charitas non numeretur inter dotes, cùm tunc detur etiam actus charitatis longè perfectior quàm in via? Respondeo, quia Charitas pertinet ad ipsum essentiale vinculum spiritalis matrimonij inter Christum & animam: Nam matrimonium spiritale constat vinculo Charitatis. Vnde non ponitur inter dotes quæ matrimonio superueniunt.

In Baptismo contrahitur matrimonium inter Christum & animam.

Petes Secundò, Cum matrimonium spiritale inter Christum & animam contrahatur in baptismo, cur dona quæ tunc illi dantur, non dicuntur dotes? Respondent quidam, tunc non contrahi matrimonium, sed sponsalia tantùm, quæ sunt promissio futurarum nuptiarum. Verùm rectè dici potest tunc fieri matrimonium: nam Ecclesia passim dicitur sponsa Christi, vxor agni, &c. imò ipsum matrimonium humanum est signum matrimonij spiritalis Ecclesiæ cum Christo; vt patet ad Ephes. 5. Ratio est, quia tunc fit contractus de præsenti, non de futuro. Vnde non expectatur alius consensus vel alius contractus.

Dos quando danda.

Respondeo igitur, dotem non solere dari dum matrimonium contrahitur, sed promitti: datur autem reipsa quando sponsa in domum sponsi solenniter traducitur: hoc autem non fit per baptismum; sed relinquitur veluti in longinqua regione vt eius probetur fides in sponsum: & interim dantur ei quædam dona cœlestia instar viatici quo se sustentet, & ad sponsum absentem proficiscatur.

Notandum est, has dotes non eodem modo assignari à Doctoribus. Tamen assignatio D. Thomæ est magis recepta, & tantum est quæstio nominis, non rei.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm ad Beatitudinem requiratur rectitudo voluntatis?

12 *Affirmatur.*

Conclusio, Rectitudo voluntatis requiritur ad beatitudinem, antecedenter tamquam necessaria dispositio; & concomitanter, quia beati nihil possunt velle nisi in ordine ad diuinam voluntatem.

Notandum est, vtramque partem esse fide certam. Priorem quidem, quia certum est, neminem posse saluari absque charitate, vt colligitur tum ex alijs Scripturæ locis, tum prioris ad Cor. 13. Charitas autem est rectitudo voluntatis. Intellige hæc secundum legem ordinatam seu statutam: Nam per absolutam Dei potentiam potest quis saluus fieri absque Charitate antecedente. Alteram verò; quia certum est beatos peccare non posse: ita enim tradunt omnes P P. & D D. Scholastici, & colligitur apertè ex Scripturis.

13 *Contrarium videtur tenuisse Origenes homil. 20. super Numeros, asserens Angelos Custodes adducendos in iudicium, vt constet vtrum fortè aliquid ex ipsis causæ fuerit quod deliquerimus. Nisi enim, inquit, esset etiam aliquid in ipsis quod in causa nostra culpandum videretur, numquam diceret Scriptura Angelos huius & illius Ecclesiæ dereliquisse Charitatem priſtinam, suam patientiam, &c.* Idem repetit hom. 24. idque confirmari potest Iob. 4. *Qui seruiunt ei, non sunt stabiles; & in Angelis suis reperit prauitatem.*

Error Origenis, Angelos posse peccare.

Sed est error exploratus. Primò, quia si peccarent vllo modo, amitterent beatitudinem; non enim illa potest cum tanto malo consistere. Atqui beatitudo est perpetua & incorruptibilis; vt patet ex Scriptura 1. Petri. 1. *Regenerauit nos in spem viuam, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem, conseruatam in vobis in Cœlis.* Psal. 38. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.*

Apocal. 21. & 22.

Secundò, Quia si possent peccare, falsum esset illud Apoc. 21. *Non intrabit in eam quidquam coinquinatum.* Et c. 22. *Omne maledictum non erit amplius.*

Tertiò, falsum esset non esse ibi luctum & dolorem, contra illud Apoc. 21. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus neque clamor: neque dolor erit vltra; quia prima abierunt*: quia ex peccato vtrumque necessariò sequitur.

Nec obstat illud Apoc. 2. quod mouit Origenem: Angeli enim illi sunt septem Ecclesiarum Episcopi. Illud autem Iob. 4. intelligitur de Angelis cum adhuc essent in statu viæ: quorum pars peccauit.

DVBIVM.

Quæ sit causa cur illi qui sunt Beati, peccare non possint?

14 *Quidam referunt in Amorem. Ockam, Gabriel, Gregor. Scotus.*

Quidam putant, id non prouenire ex vi visionis beatificæ; sed eò quòd Deus vel assiduè causet actum amoris beatifici in Beatis; vt volunt Ockam, Gabriel, Gregorius. Vel certè quod assiduè determinet voluntatem ipsorum ad amorem beatificum eliciendum; vt vult Scotus in 4. d. 49. qu. 6. Cum amore autem illo non posse vllum peccatum consistere. Quòd si Deus relinqueret voluntatem videntis essentiam ipsius, absque tali determinatione vel infusione actus, existimant talem hominem Deum videntem peccare posse.

Verius refertur in visionem. D. Thom. Caiet. Durand.

Sed contrarium est multò probabilius, scilicet ex vi beatificæ visionis prouenire, vt nullo modo peccare possint. Ita D. Thomas hîc cum Caietano, Durando in 2. d. 7. q. 1. & in 4. d. 49. q. 8. n. 16. & alij qui docent voluntatem beatorum necessitari ad amorem à Deo clarè viso.

15

Probatur Primò, Quia ex vi visionis beatificæ prouenit vt voluntas sit determinata ad amandum Deum super omnia, & quantùm fieri potest perfectissimè: atqui cum perfectissimo amore actuali nullo modo potest consistere vllum peccatum veniale, vt omnes fatentur. (hic enim amor extendit se toto conatu ad omnia facienda quæ nouit Deo placere vt faciat, & ad vitanda quæ nouit Deum velle vitari:) ergo cum visione nullo modo stare potest vt vel omissione vel commissione peccent. Maior probatur, quia visio ita proponit voluntati summum bonum vt nulla

possit ei occurrere ratio cur velit aut non amare, aut cessare ab amore : ergo facit vt necessariò amet. Patet consequentia , quia nemo potest voluntariè cessare ab aliquo opere, nisi occurrat aliqua ratio cessandi ; Non enim priuatio, præsertim tanti boni, est per se appetibilis. Antecedēs probatur, quia amor Dei nihil continet laboris vel incommodi, nec impedit aliquod aliud bonum, estque per se quid præstantissimum, & fons ineffabilis gaudij.

Dices, cur non poterit occurrere aliqua voluptas appetenda quæ Deo displiceat ?

Respondeo, tum quia omnis voluptas ibi eminenter continetur qua parte naturam benè afficit: tum quia in comparatione illius boni, omne aliud bonum nihili reputatur, & censetur non bonum; imò si repugnet illi bono , censetur ingens malum : ac proinde non potest esse ratio cessandi à tanto bono.

16 *Bonum infinitum, infinitè trahit voluntatem.*

Probatur Secundò , Quia bonum quò maius est, eò magis trahit voluntatem in sui amorem si clarè proponatur : ergo bonum infinitum in quo est plenitudo boni , infinitè eam trahet : *infinitè*, inquam, comparatiuè ; nempe sic , vt per nullam suam potentiam possit resistere quantumuis sit perfecta ; vel , quod idem est , vt non possit cohibere impetum amoris in illud. Si enim, quo bonum , quod ei clarè exhibetur , eamque ad sui amorem sollicitat, est maius, eò difficiliùs se continet ab eius amore : quomodo se queat continere quando bonum infinitum clarè propositum, eam sollicitabit & alliciet?

Probatur Tertiò, Voluntas videntis Deum ita se habet ad Deum, sicut voluntas viatoris se habet ad rationem boni in communi : atqui viator nihil potest appetere nisi sub ratione boni : ergo beatus nihil potest appetere nisi sub ordine ad Deum ; ac proinde nihil potest velle quod sit peccatum.

Dices, esse disparem rationem , quia ratio boni in genere includitur in omni re, etiam in peccato ; est enim peccatum bonum delectabile: at bonitas diuina non includitur in omni re particulari, quam beati poterunt appetere.

Beati nihil possunt appetere, nisi in ordine ad Deum.

Respondeo, Etsi bonitas diuina non includatur intrinsecè in re particulari, tamen potest in ea re spectari aliquis ordo ad diuinam bonitatē ; vt, quòd placeat Deo , quòd ad eius gloriam pertineat. Voluntas autem beati ita erga Deum afficietur, vt omne aliud bonum nihili æstimet, nisi quatenus talem habitudinem ad Deum habet ; ac proinde non poterit aliquid , nisi in quo sit talis habitudo, appetere. Quare sicut viator nihil potest appetere nisi inueniat in eo aliquam rationē boni ; ita beatus nihil poterit velle nisi Deum ipsum, & quod talem ordinem ad Deum habet.

Dices, saltem per inconsiderationem poterunt aliquid appetere in quo non sit iste ordo.

Respondeo , Id fieri non posse , tum quia lumine gloriæ omnes circumstantias statim perspicient in omni opere ; tum quia charitas Dei eos determinat ad summam diligentiam & circumspectionem.

Visio Dei per se reddit voluntatem impeccabilē.

Sed dubitari potest, vtrùm possent Beati peccare, si amor iste diuinitus suspenderetur, solaque cum visione manerent.

Verius videtur etiam hoc euentu non posse peccare; quia voluntas eorum manet in actu primo determinata ad amorem Dei ex vi illius visionis ; & consequenter ad omne illud quod concipitur vt necessarium ad illum amorem. Quare cum vitatio omnis peccati sit necessaria ad illum amorem , manet etiam determinata ad illud vitandum.

17 *Obiectiones soluuntur.*

Obijcitur Primò , Voluntas ex natura sua est libera, ac proinde indeterminata ad illum amorem ; vt patet in hac vita : per visionem autem non superuenit illi aliqua intrinseca dispositio illam necessitans. Nam idem est obiectum Charitatis in via & in patria , solumque est diuersitas in modo illud applicandi : atqui diuersa applicatio non potest efficere vt amor qui hic est liber, ibi sit necessarius.

Respondeo , Etsi voluntas sit indeterminata ad amorem Dei in hac vita, eò quòd clarè in ipso non cernat vniuersitatem bonorum : tamen posità clarâ visione , ex naturâ suâ est determinata absque vlla re illi superadditâ. Talis enim est naturæ vt si Deum non videat clarè , maneat indeterminata ad eius amorem ; si videat clarè , iam hoc ipso sit determinata.

Amor viæ & patriæ specie vidē-tur distin-gui.

Ad Confirmationem; Respondeo, Valdè probabile esse obiectum amoris viæ & patriæ distingui quodammodo ratione formali, & hos amores distingui specie Nam in via non concipitur Deus proprio conceptu , & sicut est in seipso ; sed confuso & generali accepto ex creaturis, quibus quodam modo vestitur. In patria verò concipitur conceptu proprio, prout est in seipso. Vnde propria ratio deitatis, in via manet incognita.

Diuersus modus applicandi obiectum, efficit vt aliquid nunc libe-rè, nunc necessariò appetatur.

Quòd si quis tueri velit amorem viæ & patriæ esse eiusdem speciei ; tunc respondendum esset diuersum modum applicandi obiectum posse efficere vt aliquid nunc necessariò, nunc liberè appetatur ; quamuis appetitiones illæ sint eiusdem speciei : vt videre est in primis motibus , qui in primo instanti dum fiunt , sunt necessarij , posteà tamen liberè possunt continuari per hoc solùm, quod ratio incipiat ad aliquid attendere, ad quod in primo instanti non attendebat. Simili modo diuersa apprehensio efficere poterit vt id quod ante liberè amabatur , nunc necessariò ametur. Sed prior responsio est verior.

18

Obijcitur Secundò, Amor beatificus non procedit ex naturali propensione voluntatis , cùm sit supernaturalis : ergo ab intrinseco non est necessarius, sed tantùm ab extrinseco.

Confirmatur , quia si voluntas destitueretur auxilio supernaturali, non amaret Deum etsi clarè visum: ergo tota necessitas prouenit ab auxilio extrinseco.

Posita visione Dei, voluntas ab intrinseco est determinata vt eū amet quantùm potest per omnes suas vires , siue naturales siue supernaturales.

Respondeo , Amor ille non prouenit ex sola propensione naturali : nihilominus hæc etiam concurrit adiuta habitu charitatis & concursu diuino. Nam hoc ipso quo quis videt Deum , voluntas eius ab intrinseca sua propensione est determinata ad illum amandum quantùm potest, siue per vires intrinsecas, siue per habitum charitatis infusum , siue per auxilium supernaturale assistens illi. Quòd tamen ille amor sit supernaturalis, non habet quâ parte procedit ex naturali propensione voluntatis , sed qua parte procedit ab habitu & auxilio supernaturali.

Ad Confirmationem, Si voluntas omni auxilio supernaturali destituta Deum videret , non posset quidem illum amare sublimi illo amore beati-

beatifico; necessariò tamen illum amaret amore quodam naturali, in quem omnem suam vim expenderet: quia bonum, quantumuis sit supernaturale, potest amari amore naturali: quo enim est excellentius, eo est magis idoneum vt viribus naturæ ametur. Vnde cum hoc bonum sit infinitè excellens, etiam infinitè quodammodo naturam voluntatis ad se trahit. Verùm quod recipsa nunc iste amor non sit naturalis, sed supernaturalis; profluit ab habitu Charitatis qui cooperatur naturæ.

Bonum quantumuis sit supernaturale in substantia, potest tamen amore naturali amari.

Obijcitur Tertiò, Charitas est habitus: atqui de ratione habitus est vt illo vtamur, cùm volumus: ergo beati non necessariò amant Deum.

Respondeo, non esse de ratione habitus vt illo possimus vti & non vti; vt patet in lumine gloriæ. Quare etsi in hac vita omnes habitus ita sint in nostra potestate, vt possimus eos applicare & non applicare ad vsum; non tamen in altera vita, quando & ipsa voluntatis propensio erit ad amorem Dei determinata, quæ nunc est indeterminata & libera.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ad beatitudinem hominis, requiratur Corpus?

Concluſio est. Ad perfectam beatitudinem, Corpus non esse necessarium. Vide D. Thomam.

DVBIVM I.

Vtrùm ante resurrectionem Corporum, animæ sanctæ sint reipsa beatæ?

19 *Veteres quidam negant.*

QVidam Veteres id negarunt, existimantes interim eas detineri in abditis quibusdam receptaculis & promptuarijs. Insinuat Irenæus l. 5. contra hæreses sub finem. Et Iustinus q. 60. & 76. ad Orthodoxos. Qui tamen liber non est Iustini Martyris, sed alicuius posterioris. Hos tamen duos multi Catholici excusant. Apertè docet hanc sententiam Tertull. l. 4. contra Marcionem. Lactantius l. 7. diui. Inst. c. 21. Ex hæreticis Vigilantius teste Hieronymo lib. contra Vigilantium pag. 2. Græci iam à quingentis annis idem tenent. Item Armeni & Anabaptistæ. Vide Castrum de hæresibus, verbo *Beatitudo*, hæresi 6. Idem docet Caluinus lib 3. Inst. c. 25. §. 6. vbi dicit stultum esse definire, an animæ sint in cælo, & gloria fruantur. Et statim post duas lineas, definit eas nondum gloriâ frui; seipsum hoc modo stultitiæ condemnans.

Item varij hæretici.

20 *Animæ sanctæ sunt nunc re ipsâ beatæ essentialiter.*

Verùm fide tenendum est, animas iustorum corporibus exutas, simul atque perfectè fuerint expiatæ, recipere essentialem beatitudinem, quæ consistit in visione & fruitione Dei.

Ex Concilijs Florent.

Est definitum in Concilio Florentino sess. vlt. vbi Græci hunc suum errorem reuocarunt. *Definimus*, inquit Concilium, *illorum animas, qui post baptismum susceptum, nullam omninò peccati maculam incurrerunt; illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel ijsdem exutæ corporibus sunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum Trinum & Vnum sicuti est; pro meritorum tamen diuersitate aliam aliâ perfectius.*

Concil. Trid. sess. 25. in decreto de veneratione Sanctorum docet Sanctos quorum reliquiæ sunt in terra, cum Christo regnare; & æterna felicitate in Cælo frui. *Trident.*

Idem definiuit Benedictus XII. vel potius XII. in extrauag. *Benedictus Deus.* quam refert Castro supra. *Benedictus XII.*

Idem ante illum definiuit Innocentius III. Cap. *Apostolicam*, de Presb. non baptizato & Cap. *Cum Marthæ.* de celebrat. Missarum. *Innocentius III.*

Probatur ex Script. 2. ad Cor. 5. *Scimus quoniã si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam æternam in Cælis.* id est, non conturbet nos, quòd per varias afflictiones istud corpus nostrum, veluti terrestris quædam animæ domus, dissoluatur; quia aliam domum iam paratam habemus in Cælis, vbi per *domum æternam* intelligit ipsam cælestem mansionem, vel gloriam illam & claritatem, in quam velut in domum quandam lucidissimam ingrediemur. Paulò antè, hanc domum vocauerat *æternum gloriæ pondus.* Vult ergo Apostolus statim à morte animam recipi in Cælum. Vbi notandum verbum *habemus*: quo significatur statim dissoluto corpore haberi. Nec esse amplius expectandum, vt in veteri testamento. Et infra v. 6. *Scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino; per fidem enim ambulamus non per speciem: audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.* id est, quia scimus nos quamdiu sumus in hoc mortali corpore, esse peregrinos à Domino; ideò desideramus potiùs esse peregrini à corpore, & præsentes esse ad Dominum. Vbi apertè significat animam statim ac corpus deseruit, esse Domino præsentem, & non amplius eum per fidem cognoscere: sed eius speciem coram intueri. Vide Melchiorem Canum lib. 12. de locis. c. 7. 12 *Ex Scripturis.*

Idem patet Luc. 23. vbi Dominus ait latroni: *Hodie mecum eris in paradiso.* id est, in gloria & fruitione diuinitatis; vt exponit D. Augustinus epist. 57. & Cyrillus Hierosol. catech. 13. Chrysost. hom. 1. de cruce & latrone. Denique Ambrosius, Theophylactus, Beda & alij in hunc locum. *Paradisus Latroni promissus, est essentialis beatitudo.*

Quod confirmatur; Nam *Paradisi* nomen non potest ibi locum aliquem corporalem designare: Primò, quia Christus mox descendit ad inferos, non autem ad locum aliquem corporalem amœnum. Secundò, Quia ex loco corporali & amœnissimo parum solatij accessisset animæ latronis. Tertiò, Quia Latro petebat vt Dominus ipsius recordaretur, quando veniret in suum regnum: atqui Dominus hoc ipsum & amplius præstitit, vt inquit Ambros. in illum locum; quia non solùm meminit in futurum, sed eodem die regnum promittit. Vtitur autem *Paradisi* nomine potiùs quàm regni, vt significet per mortem suam nobis restitui, quod Adam amiserat. Quartò, Quia Dominus promittit Latroni perpetuam secum mansionem; parum enim fuisset vnum aut alterum diem esse cum Christo: ergo ex eo tempore semper cum Christo fuit, ac proinde etiam cum illo cœlum adscendit. Atqui cœlum est locus beatorum: Ad Philipp. primo, *Cupio dissolui & esse cum Christo*; vbi indicat mox à dissolu- *Ad Philipp. 1.*

tione

tione corporis, animam cum Christo esse. Ad Ephes. 2. *Adscendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem*: id est, duxit secum in Cælum animas Sanctorum, quas è limbo liberauerat; vt Patres exponunt. Actor. 7. ait Stephanus, *Ecce video Cælos apertos. &c.* insinuans cælum sibi patere; Vnde addit, *Domine* IESV *accipe Spiritum meũ.* *Actor. 7.*

Confirmatur, quia per Christi mortem apertum est nobis regnum Cælorum antea clausum; vt patet ex cap. 9. ad Hæbr. vbi significatur *viam in Sancta Sanctorum*, id est, in Cælum, *nondum fuisse propalatam*, id est, patefactam, *donec Christus per proprium sanguinem in sancta introiuit*, id est, donec Christus moreretur, & in Cælum adscenderet: quod significatum fuit veli scissione ante Sancta Sanctorum pendentis; vt passim docent Interpretes in illum locum. Denique ad Hæbr. 12. v. 23. *Accessistis, inquit, ad Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in Cælis; & Spiritus iustorum perfectorum, & multorum millium Angelorum.* Vbi apertè significat congregationem *primitiuorum*, id est, Patriarcharum & Prophetarum, & *spiritus iustorum perfectorum* esse in cælis cum frequentia multorum millium Angelorum. *Hebr. 9.* *Hebr. 12.*

Secundò Probari potest ex Concilijs & Pontificibus initiò allatis.

Est cõmunis sensus Ecclesiæ.

Tertiò, Ex communi sensu Ecclesiæ & omnium fidelium. Nam Ecclesia orat sanctos tamquam charissimos Dei amicos, qui & nostras preces intelligant, & nos iuuare possint. Supponit ergo eos esse in cælo. Præterea veneratur tanquam beatos, & colit eorum festa; qui cultus est signum gloriæ.

Quartò, Quia hæc est sententia ferè omnium Patrum, tam Græcorum quàm Latinorum: quos vide apud Bellarminum & Gregorium à Valentia.

22 *Probatur ratione.*

Quintò, Probatur ratione. 1. Anima corpore exuta capax est perfectæ beatitudinis; hæc enim consistit in operationibus omninò spiritualibus, ad quas nihil iuuat corpus: & Deus non differt mercedem laborum sanctorum suorum sine causa, iuxta illud Leuitici. 19. *Non morabitur apud te opus mercenarij tui vsque mane.* atqui nulla post Christi mortem est causa differendę mercedis animæ: ergo &c. *Leuit. 19.*

Secundò, Angeli statim expletis meritis beatitudinem acceperunt: atqui hominum merita complentur in morte: ergo statim post mortem, si nihil restet expiandum, beatitudinem accipiunt.

Tertiò, Animæ impiorum statim recipiunt præmium demeritorum; vt patet lucæ 16. *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno.* Ergo animæ piorum statim accipiunt præmium meritorum. Patet conseq. Quia Deus est pronior ad beneficentiam, quam ad vindictam.

23 *Obiectiones è Scripturis soluuntur.*

Obijcitur Primò, lib. 4. Esdrę c. 4. dicitur animas Iustorum interrogasse in promptuarijs suis dicentes, *Vsquequo spero sic?* Et responsum est eis, *quando impletus fuerit numerus & mensura Sanctorũ.* Quod etiam indicatur Apoc. 6. vbi Ioannes vidit illas sub altari.

Respondeo Primò, Illum librum Esdræ non esse canonicum. Secundò, locus ille intelligitur de patribus veteris testamenti, qui eo tempore quo liber ille scribebatur, vsque ad Christi mortem, fuerunt in certis promptuarijs.

Ad locum Apocalypsis: Respondeo, ibi confirmari nostram sententiam. Nam dicitur singulis esse datas stolas singulas, quæ significant gloriam animæ: alteram stolam, resurrectionem. Ita ferè intelligunt omnes Interpretes. Quod cõfirmatur ex cap. 7. vbi dicitur *Qui amicti sunt stolis albis, sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius.* Atqui esse ante thronum Dei & in templo Dei, est esse in cælo & videre Deum. Altare autem sub quo dicuntur visæ, non est extra cælum sed in cœlo; vt ibidem patet. Est autem ipse Christus, pro quo, & super quo immolati sunt, & sub quo iam requiescunt; iuxta D. Anselmum. Alludit autem S. Ioannes ad altaria Christiana sub quibus Martyrum corpora ab initio Ecclesię poni consueta, iuxta Hieronymum contra Vigilantium, & iuxta August. serm. 11. de Sanctis. Nec mirum, Christum appellari *Altare*, cùm etiam appelletur Templum. Apoc. 21. *Per Stolã, intellige gloriam Animæ, & per Altare, Christum.* *Apoc. 7.*

Obijcitur Secundò Matth. 20. Omnes mercenarij accipiunt mercedem, idque ad vesperam tantùm; id est, in fine sæculi. Quod Confirmatur, quia Scriptura passim indicat coronam iustorum conseruari in diem iudicij. 2. Ad Timoth. 3. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus illa die iustus iudex.* & alibi. *Merces quando soluitur.*

Respondeo, Ibi significari in fine sæculi vltimam mercedem conferendam, idque publicè coram toto mundo cum summa solennitate; vt solent coronæ distribui ijs qui in certaminibus fuerunt Victores. Vide Chrysost. hom. 28. in Ep. ad hebr.

Obijcitur Tertiò, Ad Hebr. 11. dicitur *Sanctos non accepisse repromissiones, vt non sine nobis consummarentur.* Respondeo, id intelligendum de Sanctis veteris testamenti, qui ante tempus noui testamenti non acceperunt gloriam animæ; & ante diem iudicij nõ accipient gloriam corporis: (exceptis ijs qui cum Domino resurrexerunt) & sic non consummantur sine nobis. vide Chrysost. in hunc locum. *Hebr. 11.*

24 *1. Ioan. 3. Quando & quomodo similes Deo erimus.*

Obijcitur Quartò, 1. Ioan. 3. *Cùm apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.* Ergo antequam appareat, non videbimus eum.

Respondeo, Sensus est, cùm illa gloria quam habituri sumus, quæque modò cum Christo abscondita est in Deo, apparuerit, id est, foras producta fuerit, nobisque collata: tunc erimus similes Deo, quia videbimus eum sicuti est. hoc autem fiet in morte cuiusque, vel paulò pòst animâ expiatâ. Hic videtur esse legitimus sensus. Alij intelligunt de similitudine corporis glorioſi, & referunt ad diem iudicij; vt sensus sit: Cùm coram toto mundo proferendũ erit præmium, quod habituri sumus, tunc similes erimus Christo secundùm externam gloriam; quod nobis præstabitur propter visionem diuinæ essentiæ. Et sic quoque argumentum nihil probat. Sed magis placet prior expositio, quia non dicimur propriè similes Deo ratione gloriæ corporis: *Deus* enim hîc significat *diuinitatem*, vt est communis tribus personis; sic enim accipitur cùm dixit ante *Iam filij Dei sumus*, ergo & quando subiungit, *similes ei erimus.*

25 *Obiectiones è Patribus soluuntur. Chrysost.*

Obijcitur Quintò, S. Chrysostomus hom. 39. in 1. Ep. ad Cor. dicit: *Quamuis decies millies anima sit immortalis, tamen sine carne ipsa admirandis illis bonis non fruetur.* Respondeo, non negat Chrysostomus

sostomus quin anima fruetur illis bonis; vel punietur in inferno, vsque ad diem Iudicij sine carne; sed negat solam puniendam vel beandam in æternum: quia cùm vtraque pars laborauerit, debet vtraque vel neutra mercedem accipere; vt patet ex sequentibus verbis Chrysostomi. Vide Chrysostomum hom. 3. in Epist. ad Philip. vbi dicit iustos videre Deum, non per fidem, sed facie ad faciem. Idem docet hom. 4. & alibi.

Hilarius. Obijcitur Sextò, Hilarius in Psal. 138. ait. *Hæc humana lex est necessitatis, vt sepultis corporibus, anima ad inferos descendant.*

Respondeo, Loquitur de tempore veteris testamenti. Vide illum in Psal. 60. vbi dicit sanctos perpetuò cum Deo habitare in mansionibus cælestibus.

Augustinus. Obijcitur Septimò, D. Augustinus l. 9. conf. c. 3. dicit. *Vixit Nebridius in sinu Abrahæ, quidquid illud est, quod illo significatur sinu.* Et in Enchirid c. 108. *Tempus quod inter hominis mortem & vltimam resurrectionem est interpositum, animas in abditis receptaculis continet, sicut quæque digna est vel requie vel ærumnâ.* Idem habet lib. 12. de Ciuit. c. 9.

Respondeo, D. Augustinus numquam dubitauit quin animæ sint beatæ & Deum videant ante resurrectionem, sed aliquando dubitauit de loco; vt notat Ludouicus viues in c. 6. l. 2. de Ciuitate. Quod de beatitudine non dubitet, patet ex cap. 3. lib. 9. Confess. & lib. Medit. c. 22. & alibi. Postea tamen re meliùs examinatâ, expresè docuit esse in cœlo; & *sinum Abrahæ* esse secretum Patris, quò post passionem Christus resurgens assumptus est. Vide illum lib. 2. qq. Euangel. c. 38. Quamdiu fuit incertus de loco, dixit esse in abditis receptaculis, vsus nomine generali, quod & cœlo conuenire posset.

Quid sinus Abrahæ Augustino.

Obijcitur Octauò, D. Augustinus lib. 12. de Gen. c. 35. dicit *minimè dubitandum mentem hominis post Mortem carne depositâ non sic videre posse incommutabilem substantiam, vt Sancti Angeli vident; & ideo debere resumere corpus, vt sic videat.*

Respondeo, Augustinum putasse non posse tam perfectè videre ob desiderium corporis; videre tamen, & esse beatos. De qua sententia statim dicemus.

Obijcitur Nonò, D. Bernardus serm. 3. de omnibus Sanctis, dicit. *In illam beatissimam Dei domum nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis.*

Respondeo, Per beatissimam domum intelligit claram & omninò perfectam diuinitatis contemplationem. Putat enim D. Bernardus animas Sanctorum ante resurrectionem videre quidem Deum, sed non perfectè; impediri enim desiderio corporum & quasi corrugari, ne omnino se in diuinitatis contemplationem explicent. Itaque vult illas esse in *atrys*, donec corpora resumant: id est, in contemplatione non omnino perfectâ; secutus D. Augustinum.

Quid atria animarum. Bernardo.

Dices, idem serm. 4. de omnibus sanctis dicit *animas quiescere sub altari*, id est, in contemplatione humanitatis Christi, *donec veniat tempus quando super altare exaltentur*; id est, quando ostendetur eis manifestè diuinitas.

Respondeo, solùm vult dicere diuinitatem non omnino clarè videri ante resurrectionem, sicut dictum est: quòd tamen diuinitatem videant, alibi apertè docet; vt serm. de obitu vmberti. & serm. de Sancto Malachia, & epist. 266.

Obijcitur Decimò, Ioannem XXII. definiuisse contrarium, & mandasse Parisiensibus vt ita docerent. *Ioannes XXII.*

Respondeo, id falsum esse patet ex Bulla Benedicti XII. qui fuit successor Ioannis. Dicit enim apertè prædecessorem suum mandasse omnibus, vt quando rogarentur, liberè dicerent sententiam; & cùm se ad definitionem pararet; morte præuentum. Vbi notanda est singularis Dei prouidentia quæ sustulit Pontificem ante definitionem: si tamen verum est Ioannem habuisse in animo definire eam partem, quam falsam ostendimus.

DVBIVM II.

Vtrùm animæ Sanctorum post Resurrectionem Corporum, non sint visuræ clariùs Deum quam ante?

QVidam putant tunc clariùs visuras. Ita docet D. Augustinus. l. 12. de Gen. c. 29. & insinuat l. 1. Retract. c. 14. D. Bernardus serm. 3. de omnibus Sanctis. Magister in 4. d. 49. D. Thomas ibidem q. 1. a. 4. D. Bonauent ibidem 2. p. a. 1. q. 1. Richardus eadem distinctione circaseundum princ. q. 7. Ratio horum est duplex: Prior est, quam habet D. Bernardus ex D. Augustino, ait enim serm. 3. de omnibus sanctis *adeo vigere in animabus desiderium naturale ad Corpus, vt tota earum affectio non pergat libere in Deum, sed quodammodo contrahatur, & veluti corrugetur.* 26 *Affirmat Augustinus Bernardus. Magister. D. Thomas. Bonauentura. Richard.*

Altera est, quam habet D. Thomas; quia anima in corpore habet perfectius esse quàm extra corpus: ergo & perfectiorem operationem. Patet Conseq. quia operatio sequitur esse.

Sed longè probabilius & verius est, Beatos nec clariùs visuros, nec perfectiùs amaturos Deum post resurrectionem corporum, quàm ante. Ita D. Thomas hic cum Caietano. Durandus in 4. q. 7. d. 49. Paludanus ibidem q. 6. Ioannes Maior ibidem q. 12. & alij. *Verius negatur à D. Thoma. Caiet. Duran. Palud. Ioan. Mai.*

Probatur Primò, Quia hæc sententia est valdè consentanea definitioni Benedicti XII. in Extraua. *Benedictus Deus.* Vbi dicit visionem Dei, quam accipiunt animæ statim post mortem, continuari vsque ad finale iudicium, & inde in æternum. Vbi insinuat eam non crescere, sed solùm continuari.

Probatur Secundò, quia anima ex vnione cum corpore, non fit perfectior neque secundùm substantiam neque secundum potentiam intellectiuam; sed solùm accipit modum quemdam existendi in copore, quem naturaliter postulat. Atqui modus existendi in alio, nihil confert ad hoc vt operatio sit perfectior: vt patet in speciebus Eucharistiæ, quæ tantam vim agendi habent dum separatæ, quantum dum coniunctæ. Multò minùs vnitum esse corpori conferet ad actionem quæ omnino est spiritalis: quin imò, potius videbitur esse impedimento, si res humano iudicio æstimetur: ita enim senserunt Platonici. *Anima ex vnione cum corpore non fit perfectior.*

Ptobatur Tertiò, Modus existendi humanitatis Christi in verbo, etsi summam humanitati dignitatem tribueret, nihil tamen per se conferebat ad perfectiorem humanæ naturæ operationem. Vnde illa natura opus habebat donis superadditis, sicut

tis, sicut in alijs hominibus. Ergo multò minùs modus existendi in corpore aliquid conferet.

27 *Appetitus vnionis nō impedit animæ beatitudinem,*

Probatur Quartò, Sed neque appetitus vnionis impedit: vel enim per hunc appetitum, intelligimus naturalem aptitudinem quam habet ad corpus; & hæc non impedit operationes animæ, quia non est aliquis actus distrahens mentem, sed nuda aptitudo essentiæ: sicut inclinatio quam habet accidens ad subiectum, non impedit operationem accidentis in Eucharistia. Vel intelligimus desiderium elicitum quo desiderant animæ Beatæ resumere corpora; vt D. Augustinus & Bernardus intelligunt. Et hoc desiderium non est tam vehemens vt possit intellectum à visione distrahere; tum quia subditum est potestati liberi arbitrij quoad exercitium: vnde beati ratione illud moderãtur & subijciunt diuino beneplacito. Tum quia visio Dei est actio omninò necessariò procedens ab intellectu, vnde per nullum actum liberum impediri potest.

Denique anima Christi in triduo mortis non distrahebatur appetitu corporis: vnde non minùs tunc perfectè videbat Deum, quàm ante mortem, vel post resurrectionem. Ergo similiter animæ Sanctorum. Ex his patet responsio ad contrarias rationes.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm ad beatitudinem requiratur aliqua Corporis perfectio?

28 *Requiritur ad beatitudinem omninò cõpletam.*

COnclusio, Ad beatitudinem omninò completam requiri perfectionem corporis & antecedenter & consequenter. *Antecedenter* quidem, tamquam bonam corporis dispositionem, ne mens ab illa visione auertatur, si corporis molestias sustineat. *Consequenter* verò, tamquam effectum, qui necessariò ex beatitudine animæ, in corpus dimanet.

Vbi duo Notanda. Primò, rationem illam priorem non sic esse intelligendam quasi corporis molestia possit visionem beatificam impedire aut retardare. Contrarium enim patuit in Christo, quem etiam maxima tormenta non potuerunt impedire quin semper æquè clarè Deum videret: quia per passionem suam non debebat pati detrimentum in beatitudine essentiali. Tantùm ergo vult dicere perfectionem corporis requiri tamquam dispositionem, vt homo congruentissimè ad illam visionem sit comparatus. Nam corporis molestia ex se apta est impedire intellectus functiones. Quòd autem illam visionem non impediat, id prouenit ex summa efficacia & intrinseca necessitate, qua illa visio ab intellectu & lumine gloriæ dimanat.

Molestia corporis nō potest visioni diuinæ essentiæ officere.

Secundò Notandum, Posterius illud de emanatione, non sic accipiendum quasi dotes corporis glorioſi à beatitudine animę dimanent per veram efficientiam, seu physicam emanationem, sicut splendor à Sole, calor à luce; vt quidam imaginati sunt. Patet, quia neque à lumine gloriæ manare possunt: hoc enim lumen est habitus quidam supernaturalis intellectus, qui non est productiuus nisi sui actus ad quem ordinatur. Neque ab ipsa visione possunt manare; quia hæc est actus intellectus immanens, nihil foris producens extra potentiam in qua recipitur; vt patet in alijs actibus intellectus.

Dotes Corporis glorioſi non manãt morephysico à beatitudine Animæ.

Confirmatur; quia & lumen gloriæ & visio beatifica sunt affectiones intellectus omnino spirituales, nullam habentes habitudinem ad corpus, vel ad qualitates corporales; vt patet in Angelis, in quibus nihil corporale producunt. Dicuntur itaque istæ dotes emanare ex gloria animæ, modo quodam morali. Quia nimirum anima beata postulat tale corpus, & beatitudo animæ est causa cur Deus has dotes animæ conferat; vt scilicet gloria corporis, gloriæ animæ sit commensa. Simili modo dici solet perfectiones animæ Christi dimanasse ex vnione hypostatica; quia propter vnionem hypostaticam illi à Deo sunt collatæ.

DVBIVM I.

De his fusiùs vide l. 3. de Summo Bono.

Quæ, & quot sint illæ Corporis perfectiones futuræ in statu Beatitudinis?

REspondeo & Dico Primò, In corporibus beatorum futuræ sunt quatuor illustres perfectiones, quas Theologi vocant corporis *dotes*, nempe *Impassibilitatem, Claritatem, Agilitatem*, & *subtilitatem*. Est communis sententia DD. in 4. d. 49. Et colligitur ex Apostolo 1. ad Cor. 15. vbi ait: *Seminatur corpus nostrum in corruptione, resurget in incorruptibilitate.* Vbi insinuat primam dotem, scilicet *Impassibilitatem*, quę multis alijs Scripturæ locis indicatur. Isai. 49. v. 10. *Non esurient, neque sitient, & non percutiet eos æstus.* 2. ad Cor. 15. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem &c.* Apoc. 7. vbi ad verbum ponitur locus Isaiæ. Et c. 21. *Absterget Deus omnem lacrymam &c. Et mors vltrà non erit, neque clamor neque dolor &c.*

29 *Quatuor dotes Corporis glorioſi.*

Impassibilitas. *Isai. 49.* *1. Cor. 15.*

Secundò, inquit Apostolus: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria*: vbi insinuat dotem *Claritatis*, quæ multis alijs Scripturæ locis clarè describitur. Dan. 12. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad iustitiam erudiunt multos, tamquam stellæ in perpetuas æternitates.* Mat. 13. *Tunc fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum.* Ad Philip. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Vide D. Aug. l. 22. de Ciuitate c. 19. & Anselmum lib. de similitudinibus c. 50. *Beati*, inquit Anselmus, *futuri sunt pulchriores & splendidiores sole.*

Claritas. *Dan. 12.* *Matth. 13.* *Philip. 3.*

Tertiò, Apostolus ait: *seminatur in infirmitate, surget in virtute.* vbi insinuat dotem *Agilitatis*, quę confirmatur Sap. 3. *Tamquã scintillæ in arundineto discurrent.* Isaiæ 40. *Assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Et D. Aug. l. 13. de Ciuit. c. 18. *Si Angeli possunt sine labore rapere corpora animalium, & constituere vbi voluerint; cur Sanctorum Spiritus sine vllâ difficultate posse ferre quo voluerint & sistere corpora sua, non credamus?* Et l. 22. c. vlt. *Certè*, inquit, *vbi volet spiritus, ibi protinus erit & corpus.* Et Anselmus supra c. 51. *Ipsis Angelis Dei æque celeres erimus, qui dicto citiùs de cœlo ad terras, & è conuerso delabuntur.* Vide totum illud caput.

Agilitas. *Sap. 3.* *Isai. 40.* *August.* *Ansel.*

Quartò ait Apostolus. *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*: vbi per *corpus animale*, Græcè ψυχικὸν intelligitur corpus crassum, graue, corruptibile, egens cibo, potu, somno, quiete. Per *Corpus Spiritale* intelligitur corpus conueniens

Subtilitas.

conueniens spiritui, nempe his imperfectionibus carens. Vt autem spiritui sit conueniens, requiritur inter cetera vt spiritui in motu & celeritate non obsistat. Vnde requirit quandam facultatem penetrandi alia corpora vnà cum spiritu, absque vlla læsione, vel figuræ mutatione; quæ facultas significatur à Doctoribus per dotem *Subtilitatis*. Itaque hæc dos inter cetera hîc insinuatur ab Apostolo.

Durandus negat subtilitatem.

Confirmatur Primò, Nam omnes Doctores, præter Durandum, admittunt corpus beatum habiturum hanc penetrandi facultatem: cùm illam habuerit corpus Christi glorioſum, cui corpora beatorum erunt similia; iuxta illud ad Philip. 3. v. 21. *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Atqui ob hanc facultatem meritò corpus dicitur spiritale: quia proprium spirituum est posse omnia peruadere.

Ambros.

Confirmatur Secundò, Quia idem expressè docet D. Ambros. l. 10. in Lucam. *Per resurrectionis*, inquit, *corporeæ qualitatem, imperuia vsu clausa penetrauit &c.* ad quod declarandum adfert verba

Damasc.

Apostoli, *Seminatur corpus animale &c.* Damascenus lib. 4. de fide cap. vlt. explicat illud *spiritale*, vt idem sit quod impassibile & subtile. *Hoc enim*, inquit, *designat spiritale; quale Domini corpus post resurrectionem clausis portis ingrediens.* Omitto alios.

30

Dotes hæ sufficiunt ad plenam perfectionem corporis beati.

Dico Secundò, Hæ quatuor dotes sufficiunt ad plenam corporis perfectionem supernaturalem, qualem status ille requirit. Dico, *Supernaturalem*, quia naturalis perfectio non pertinet ad dotes, sed illis supponitur, sicut natura gratiæ; vt perfecta sanitas, membrorum optima conformatio, partium organicarum integritas. Cùm enim virtute diuinâ corpora in resurrectione sint formanda, formabuntur perfectissima intra naturæ limites, maximè corpora beatorum. Sed his perfectionibus accedent dotes supernaturales. *Impassibilitas*, vt conseruentur in æternum in optima dispositione, sic vt à nulla creatura lædi possint. *Claritas*, ad pulchritudinem. *Agilitas & Subtilitas*, vt perfectè spiritui ad omnes motus obediant, non secus ac si spiritus essent. His dotibus instructo corpore, homo par erit angelicis spiritibus, æternitate, impassibilitate seu inuiolabilitate, celeritate, & penetrabilitate.

DVBIVM II.

Per quid corpora Beatorum futura sint impatibilia?

31

Richar.

QVidam putant fore impatibilia per quasdam qualitates supernaturales corporibus illis infundendas. Ita Richardus d. 49. circa 4. princip. qu. 2.

Qualitas supernaturalis requiritur.

Sed hæc sententia vix mente concipi potest. Nam quæ qualitas potest impedire ne corpus possit gladio incidi vel contundi, nisi fortè durities plusquam adamantina, quæ ibi non erit? Secundò, Illa qualitas in corde, admittit v. g. quatuor gradus caloris quos temperamentum cordis postulat, cur non admittat quatuor etiam in pulmone? Si dicas totidem admittere: Ergo pulmo poterit à corde alterari. Idem dicam de cæteris membris quæ poterunt ab extrinseco alterari.

Dices, Illam ideò in pulmonibus non posse consistere cum quatuor gradibus caloris, quia illa qualitas ibi est intensior, ita vt solùm admittat duos gradus quos requirit temperamentum pulmonis. Idem dicendum de ceteris partibus.

Sed contrà. Primò; Omnes ferè partes habent aliquo modo diuersum temperamentum; ergo illa qualitas debebit in singulis esse secundùm diuersos gradus intensionis. *Prima ratio.*

Secundò, Illa qualitas est supernaturalis: ergo non habet formalem repugnantiam cum gradibus qualitatum naturalium: quare si cum vno possit consistere, etiam poterit cum decem. *Secunda.*

Dices, illa qualitas repugnat virtualiter seu effectiuè pluribus gradibus.

Sed contrà, illa qualitas dicitur effectiuè alteri repugnare, quæ producit qualitatem formaliter illi repugnantem: atqui illa supernaturalis qualitas non producit in pulmone aliquam qualitatem formaliter repugnantem tertio vel quarto gradui caloris. Nulla enim qualitas sic repugnat, nisi frigus ita intensum, vt non possit cum illis gradibus caloris consistere: quod frigus in pulmone non potest produci à qualitate illa supernaturali; hoc enim pertinet ad naturale temperamentum pulmonis, quod non prouenit ab aliqua qualitate supernaturali; sed à solo Deo formante corpus in resurrectione; qui illud etiam postea conseruat concurrente anima suo modo.

Si quis fingat Deum statim post primum instans desinere illud intimè per se conseruare, & incipere conseruare per dotem impassibilitatis.

Respondeo, hoc non esse consentaneum rationi. Hæc enim conseruatio fit per intimum influxum, quo temperamentum producitur in rerum natura: eodem enim influxu res omnis producitur à Deo, & conseruatur. Cùm ergo solus Deus per se intimè faciat totum temperamentum in resurrectione, cur illud postea conseruet mediante aliqua qualitate supernaturali? præsertim cùm fermè omnia quæ producuntur (exceptis actibus vitalibus & speciebus intentionalibus) à solo Deo conseruentur. Deinde quid opus est illa qualitate conseruante, cùm intimus influxus Dei sufficiat?

Tertiò, Illa qualitas non solùm debet excludere omnes gradus caloris & frigoris qui possent accedere ad singulas partes, sed etiam debet conseruare eos, qui iam insunt & pertinent ad naturale temperamentum: alioqui illa qualitas non faciet corpus intrinsecè impassibile. Atqui non potest intelligi quomodo eadem qualitas vtrumque possit præstare; neque id vllo exemplo potest explicari. *Tertio.*

Quartò, Oportebit similem qualitatem ponere contra frigus, & alias corporis alterationes. *Quartò.*

Hæ & similes rationes reddunt hanc sententiam valdè difficilem. Et quamuis non negem Deum per potentiam absolutam posse illa corpora talibus qualitatibus afficere, quæ naturâ suâ illa reddant impatibilia; tamen quia suppetit alia ratio facilior, & magis consentanea naturis rerum, non puto ad illud obscurum esse confugiendum.

Vnde alij dicunt illa corpora fore impatibilia tantummodò per extrinsecam Dei conseruationem, quâ non solùm omne noxium amo- 32

Extrinseca Dei conseruatio, iuxta Scotum.

lictur, sed etiam concursum subtrahet, ne possit nocere; adeo vt etiamsi in igne constituantur, non possint alterari: sicuti nec tres pueri in fornace Babylonica. Ita Scotus in 4. d. 49. qu. 13. Ioannes Maior ibidem q. 17. Durandus q. 44. q. 4. & quidam alij.

Hæc sententia est facilis & satis probabilis. Nam secundùm æstimationem moralem, huiusmodi impatibilitas non est minoris facienda, quàm ea, quæ est per dona intrinseca. Hîc enim nihil aliud quæritur, quàm vt nulla passio vel alteratio possit inferri. Vnde perinde videtur esse siue id fiat per intrinsecam dispositionem, siue per extrinsecam custodiam.

Dices, Adam hoc modo erat impassibilis in statu innocentiæ; atqui beatis aliquid debetur ampliùs: ergo &c.

Qualis impassibilitas Adami.

Respondeo Negando Maiorem. Primò, Quia in eo statu nõ erat immortalis. Etsi enim poterat non mori, tamen etiam poterat mori. Atqui beati ita conseruantur, vt nullo modo possint mori. Secundò, Quia in eo statu calor naturalis absumebat humidum; & ita naturaliter illud corpus fuisset absumptum, nisi cibo ei fuisset succursum. Tertiò, Non semper erat in eadem temperie caloris, frigoris, humoris, siccitatis. Quartò, Extrinseca agentia potuissent eum lædere, nisi ea cauisset: non enim erant priuata concursu diuino ne læderent vel alterarent: sed sic erant disposita vt homo posset ea vitare.

33

Impatibilitas sit per aliquid intrinsecum, non tamen per qualitatem supernaturalem.

Verius tamen existimo hanc impassibilitatem fieri per aliquid intrinsecum corporibus beatorum, non tamen per aliquam qualitatem supernaturalem. Pro quo

Notandum; Corpus nostrum dupliciter pati posse. Primo modo, Per incisionem vel contusionem factam aliquo instrumento corporeo; vt gladio, malleo. Hoc modo corpus beatorum pati non poterit propter conditionem spiritalem seu subtilitatem: nam instar spiritus omnia penetrabit. Sicuti si gladio vitreo verberes radium solis, non illum diuides, sed sine eius læsione penetrabis. Hæc est sententia Damasceni lib. 4. cap. vlt. vbi *impassibilitatem* refert *ad conditionem spiritualem*. Addo, non esse improbabile id etiam fieri posse per vim animæ, quâ potest partes corporis ita continere & seruare coniunctas, vt nulla vi externâ possint vel separari vel loco moueri.

Damasc.

Secundo modo potest corpus nostrum aliquid pati per actionem caloris, frigoris & similium qualitatum. Et hoc modo corpora beatorum pati non possunt: Vel ratione subtracti concursus, iuxta sententiam supradictam: (qui concursus non tantùm causis extrinsecis alteratiuis subtrahetur, sed etiam partibus corpori intrinsecis, vt cordi ne valeat alias partes ampliùs calefacere, quàm postulet eorum optima constitutio:) Vel ratione potentissimi influxus quo conseruabitur ipsorum temperamentum in eodem gradu & statu; manente enim temperamento in eodem statu, impossibile est corpus alterari: nam si aliquis gradus caloris vel frigoris accederet, mutaretur status temperamenti, qui consistit in indiuisibili. Hic autem influxus conseruatiuus prouenit à Deo, & fortasse aliquo modo ab anima; Deo tamen singulari modo cooperante. Omnis enim anima viuentis vim habet conseruandi temperamenti sui corporis, sicut aqua vim habet conseruandi sui frigoris: cuius signũ est, quòd animâ recedente, statim pereat temperamentũ. Verùm hæc vis animæ est insufficiens vt tueatur illud à causis extrinsecis & intrinsecis; vnde diuinitus debet iuuari per concursum: qui concursus nõ videtur alius, quàm influxus ille, quo Deus temperamentum ipsum produxit & conseruat: hoc ipso enim quo Deus vult suum influxum, quo intimè res aliqua conseruatur, continuare, non potest illa aboleri, etiamsi à contrario impugnetur. Vnde si gutta aquæ frigidæ poneretur in fornace ardente, non posset caleheri ab igne, Deo volente continuare influxum suum quo frigus illud intimè conseruat; quia omnipotens est. Sed de hoc plura Tractatu de Eucharistia. Quia verò hæc continuatio influxus est debita statui beatitudinis, ideò D. August. epist. 56. ad Dioscorum ait: *Tam potenti naturâ Deus fecit animam, vt ex eius plenissima beatitudine, redundet etiam in inferiorem naturã quod est corpus, plenitudo sanitatis; id est, incorruptionis vigor.* Ob eandem causam non poterunt sol & astra ampliùs alterare elementa, Deo conseruante illorum naturalem constitutionem.

Fit per influxum cõseruatiuũ Dei, & animæ.

Quid sit concursus conseruantis Dei.

Debetur Beatis.

August.

Et elementis post resurrectionem.

DVBIVM III.

Quidnam sit illa claritas corporum Beatorum?

34

Scotus.

SCotus in 4. d. 49. quæst. 15. videtur dubitare an reuera illa corpora sint futura lucida; an verò dicantur clara, quòd clarè se possint manifestare.

Durandus.

Durandus d. 44. quæst. 8. dubitat an dicantur clara, quòd sint tersa & polita, ita vt luce solis irradiata fulgeant; vt gladius politus vel speculum chalybeum: an quia lucem habent intrinsecam.

Sunt clara per intrinsecam lucem.

Respondeo & Dico Primò, Certum est claritatem illã non esse solùm polituram corporum cum luce extrinseca, aut vim se manifestandi; sed lucem corpoream corporibus illis intrinsecam. Ita passim Theologi in 4. d. 49.

Cur dum apparent, non semper videantur lucida.

Probatur, Quia alioqui illa corpora non essent verè lucida intrinsecè; neque vi sua fulgorem emitterent; sed solùm quando radij solis inciderent. Quod videtur repugnare Scripturis quæ comparant illa corpora soli & stellis, quæ per se & intrinsecè lucida sunt. Idem patet ex Domini Transfiguratione, cuius facies resplenduit sicut sol. Eadem est sententia Patrum & Interpretum in illum locum.

Dices, si sint intrinsecè lucida, quomodo dum apparent, non cernitur semper illa lux?

Respondeo, Quia in potestate illorum est illam lucem cohibere ne se foras effundat. Simili modo possunt cohibere natiuum colorem ne species diffundat, sicque se reddere inuisibiles. Non quòd in illorum voluntate, vel animâ, sit vis aliqua realis & physica quâ id impediant; sed quia ipsis volentibus Deus præbet concursum, vel eum suspendit; sine quo concursu, neque lux potest diffundere lumen, neque color species; vt rectè docet Scotus d. 49. q. 15. Et hoc modo intelligendum est quod D. Thomas & alij Doctores dicunt; *Omnia quæ beatis supposito sunt coniuncta, subiecta esse quo ad operationẽ imperio voluntatis ipsorum.*

Dico

Erunt intimè clara. Dico Secundò, Hæc claritas non solùm erit in extima superficie, sed ipsa corpora intimè penetrabit. Patet in sole, stellis, & alijs lucidis corporibus. Imò impossibile est vt color aut lux in sola sint superficie: quia cùm superficies sit solùm modus quidam corporis (si tamen est aliquid positiuum à corpore distinctum) non potest esse subiectum qualitatis habentis solidam entitatem, sicut est lux & color.

Et diaphana. Accedit, quòd quidam Patres docent, corpora beatorum fore pellucida seu diaphana, vt totum internum artificium, quod non minùs est admirabile quàm partium mundi dispositio, possit oculis cerni. Ex qua sententia sequitur omnia interiora

August. fore lucida. Ita D. Aug. lib. 22. de ciuit. c. 30. *Omnes*, inquit, *illi de quibus iam locutus sum, qui nunc latent harmoniæ corporalis numeri, non latebunt extrinsecus & intrinsecus per corporis cuncta dispositi; & cum ceteris rebus quæ ibi magnæ & mirabiles videbuntur, rationales mentes in tanti artificis laudem, rationabilis pulchritudinis delectatione succëdent.* Et Greg. lib. 18.

Gregor. moral. cap. 27. explicans illa verba Iob cap. 28. *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum*, ait, *Patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia, & sic quisque erit conspicabilis alteri, sicut nunc non potest esse conspicabilis sibi.* Idem passim docent Recentiores, estque valdè rationi consentaneum.

Aduerte tamen, hanc sententiam Augustini & Gregorij non esse omnino certam, quia neque ex Scripturis, neque aliunde satis potest conuinci. Vnde Bonauentura, Scotus & Durandus contrarium tenent: fatentur tamen interiora fore conspicua, sed per poros corporis: quod sanè parum est probabile; tùm quia pori sunt angustissimi, tùm quia non sunt directi, sed innumeris modis implicati propter musculos rectos, obliquos, & transuersos; vt norunt Anatomici.

Non tamen per poros corporis.

35 *Erunt colorata.* Dico Tertiò, Hæc lux simul consistet cum colore natiuo singularum partium interiorum & exteriorum. Patet ex corpore Domini in quo mansit natiuus color, quem Apostoli post resurrectionem viderunt, claritate occultata. Ratio est; quia donum supernaturale claritatis non destruet perfectionem naturalem. Atqui coloris suauitas est magna perfectio corporis humani nullam habens repugnantiam cum luce; vt patet in nitedulis, in lapidibus pretiosis, in chrystallo colorata & sole illustrata. Quòd si parua lux potest naturaliter cum colore consistere, cur magna non possit supernaturaliter? Itaque credibile est corpus humanum cum omnibus venis, neruis, arterijs, ceteriscque interioribus, fore instar purissimæ chrystalli, singulis partibus, suis coloribus & figuris distinctis, & summa luce impletis.

36 *Lux illa erit perfectior luce solis.* Dico Quartò, Probabile est lucem illam fore perfectioris naturæ, quàm sit lux solis. Ita Richardus in 4. d. 49. circa 4. principale q. 6. & Suares 3. p. tom. 2. q. 54. a. 4. Cuius signum est Primò, Quòd hæc lux non calefaciat sicut lux solis. Secundò, Quòd maior sit luce solis saltem in Christi Domini, Beatæ Virginis, & maximorum Sanctorum corporibus. Tertiò, Quòd pertineat non ad ordinem naturæ, sed ad statum gloriæ. Quartò, Quòd facilè consistat cum colore & perspicuitate, quod luci solis non videtur naturale. Denique, Deo non est difficilè, talem lucem supernaturalem, quæ tamen sit visibilis oculis corporeis, creare.

Aduerte tamen, hanc sententiam non esse certam. Nam ceteri Doctores ferè tenent hanc lucem fore eiusdem speciei, cuius est lux solis; quorum sententia nõ videtur minùs probabilis, præsertim cùm Scriptura dicat faciem Domini in resurrectione instar solis resplenduisse, & talẽ sese oculis Apostolorum exhibuisse. Quòd si oculus non distinguit inter eam & lucem solis, non videtur inter illas esse specifica distinctio. *Contrarium est probabile.*

DVBIVM IV.

Qua & qualis futura sit agilitas corporis glorioſi?

37 DVrandus d. 49. q. 7. putat hanc agilitatem nihil esse aliud quàm habilitatem quandam corporis ad facilè se mouendũ motu progressiuo. Ad hanc habilitatem requirit solùm duo, Primò, vt grauitas à corpore tollatur, vel certè impediatur eius impetus quo deorsum tendit. Secundò, vt spiritus & organa non possint dissolui. *Durandus ait esse habilitatem ad motum progressiuum.*

Sed absurda est hæc sententia, qua parte ponit beatos solùm ad motum progressiuum fore agiles. Quomodo enim hoc motu adscendent & descendent per aërem & per orbes cælestes? quomodo pares erũt Angelis velocitate, & breuissimo tempore à terra in cælum sese quasi iaculabuntur? cùm enim passus hominis sint breues, opus erit innumerabili passuum alternatione breuissimo tempore: opus erit etiam auxilio corporis, quo singula vestigia nitantur. Adde, non esse consentaneum Scripturis suprà citatis. Omitto Durandum niti falso fundamento de motu & loco spirituum. *Refellitur.*

Scotus verò d. 49. q. 14. rectiùs sentit. Cum ceteris enim omnibus Doctoribus ponit in beatis motum simplicem, quo totum corpus simul vno impetu, instar sagittæ feratur: putat autem ad eum sufficere vim naturalem animæ, & ponderis detractionem à corpore. Ratio ipsius est, quia anima separata potest seipsam in omnem partem mouere, sicut Angeli; ergo vnita corpori poterit mouere suum corpus, si illud non resistat; non resistet autem detracta grauitate. *Scotus detractionem ponderis à corpore.*

Contra tamen hanc sententiam facit Primò, Quòd ex ea sequatur, beatos non posse sursum mouere aliquod pondus, quod æquet grauitatem proprij corporis. Patet, nam anima naturaliter non potest pondus sui corporis sursum attollere. Secundò, Non possent beati se firmiter collocare aliquo loco, quin facilè vi humana queant inde auelli. Tertiò, Non haberent parem Angelis celeritatem, neque cum illis pariter ambulare possent. *Refellitur.*

Dicendum igitur Primò, Agilitatem hanc esse vim quandam supernaturalem collatam beatis, per quam possint repentè mouere corpora sua simplici impetu in quamuis mundi partem incõprehensibili celeritate. Ita ceteri Doctores. Debent enim esse pares Angelis, vt probat Anselmus lib. de similitudinibus c. 51. qui in ictu oculi à cælis in terram descendunt. Neque grauitas corporis impediet; quia hæc, vel auferetur, vt videtur sentire D. Augustinus l. 13. de ciuit. c. 18. sub finem, vbi insinuat quòd Deus detrahet ponderis tarditatem: vel impetus eius quo resistit mouenti, impedietur, Deo concursum non præbente: vel certè tanta vis erit vt sine difficultate illud pondus vincat. 38 *Est qualitas supernaturalis ad celeritatem mentum.*

Non inhærens corpori.

Dico Secundò, Hæc vis motiua non erit aliqua qualitas corporis, sed animæ beatæ, cuius est mouere corpus.

Prior pars probatur à Scoto & Durando. Primò, Quia qualitas corporalis solùm in vnam partem impellet corpus; vt sursum vel deorsum. Secundò, Semper impellet etiã dum quiescet; vt patet in elementis, quæ actiuè se continent in suis locis. Tertiò, Quia motus illorum erit actus vitalis; ergo debet esse effectiuè ab anima. Quartò, Si hæc qualitas esset in corpore, non operaretur naturaliter ad imperium animæ: nam ex imperio animæ solùm sequitur naturaliter operatio earum virium quæ in eadem essentia fundatæ sunt, vel eidem identificantur: hæ enim solæ habent hanc sympathiam cum voluntate; vt infra patebit.

Sed anima.

Hinc patet altera pars, scilicet, hanc vim fore in anima. Probatur autem Primò ex D. Augustin. l. 19. de Ciuit. c. 18. vbi ait, *Deum præstare posse animis beatis vt corpora sua possint ponere vbi volunt, & agere quò volunt, situ motuque facillimo.* Et infra. *An si hoc Angeli faciunt vt quæuis terrestria animalia rapiant vnde libet, & constituant vbi libet &c. Cur ergo Sanctorum perfectos atque beatos diuino munere spiritus, sine vlla difficultate posse ferre quò voluerint & sistere vbi voluerint sua corpora, non credamus?* Vnde patet Augustinum sentire hanc vim esse in anima, sicut est in natura Angelica. Secundò, quia anima primò mouet seipsam præsertim simplici raptu, & simul rapit corpus suum, ei parem impetum imprimens; alioqui solùm moueretur per accidens ad motum corporis, impetu impresso in corpus trahente animam. Tertiò, Omnis vis motiua corporis etiam per motum progressiuum est in anima; hæc enim primò imprimit spiritibus impetum, & per spiritus musculis: hinc sequitur motus vnius partis, quâ statim pòst firmatâ in vestigio immobili, imprimitur impetus spiritibus alterius partis: hinc motus alterius partis, & sic vicissim alternante impetu fit progressio. Imò omnes motus locales viuentium veniunt à virtute motiua animæ; vt motus cordis & arteriarum, attractio alimenti, & expulsio redundantium; sunt enim vitales.

August.

Est tamen Dos corporis.

Dices, quomodo ergo hæc agilitas est dos corporis? Respondeo, Quia eius effectus ad corpus pertinet, & in eo perficitur & cernitur.

39 *Non se mouent in instanti.*

Dico Tertiò, per hanc dotem non possunt beati se mouere ab extremo in extremum per medium in instanti. Ratio est, quia iste motus postulat vt mobile sit in medio, & in termino ad quem. Atqui beati non habent vim vt simul existant in pluribus locis. ergo.

Neque de extremo in extremum sine medio.

Neque etiam possunt se mouere de extremo in extremum sine medio. Ratio est, quia hoc fieri non potest nisi subtractione conseruationis in vno extremo, & restitutione illius in altero extremo per substantialem quandam reproductionem, seu per collationem eiusdem esse, (nullus enim alius modus videtur intelligibilis, vt in tractatu de Eucharistia dicendum est) quomodo solus creator suâ omnipotentiâ creaturam mouere potest.

DVBIVM V.

In quo consistat subtilitas corporum beatorum.

40 *Durandus eam statuit in acumine sensuum, & in subiectione appetitus inferioris.*

DVrandus in 4. d. 44. q. 5. dotem subtilitatis ponit in duobus. Primò, in acumine sensuũ proueniente ex organorum perfecta dispositione & spirituum claritate & tenuitate. Secundò, In subiectione appetitus inferioris sub imperio voluntatis. Hoc enim corpus rectè dici spirituale & subtile, quod spiritui perfectè obedit.

Refellitur.

Sed contra hanc sententiã facit Primò, Quòd sensuum acumen pertineat ad perfectionem cognitionis, ac proinde potiùs ad animæ quàm corporis ornamentum. Credibile autem est, acumen hoc non tantùm fore ex spirituum claritate & organorum dispositione (hæc enim naturalia sunt:) sed etiã ex maiore Dei concursu, vt possint videre & minora & remotiora & perfectiùs, quàm per solas naturæ vires.

Secundò, Subiectio appetitus & membrorum non fiet per aliquam dotem corporis, sed proueniet ex vi visionis & amoris; quibus anima sic vegetabitur, vt omnes motus appetitus inferioris & spirituum animalium sit habitura in sua potestate, vt ad nihil possint moueri nisi voluntatis imperio; sicut neque ipsa voluntas poterit motibus indeliberatis ab obiectis moueri.

Tertiò, In Adamo erat acumen sensuum, quod Durandus ponit, & subiectio virium inferiorum sub imperio voluntatis, qualẽ Durandus requirit, (scilicet partim per habitus internos appetitus inferioris, partim per rationis vigilantiam, partim per diuinam assistentiam) & tamen corpus ipsius, in statu innocentiæ non erat spiritale secundùm Apostolum, sed animale; vt patet 1. Cor. 15. Ergo spiritalitas quæ est dos corporis glorioſi, non consistit in illis.

Omittò hanc sententiam à Durando fuisse excogitatam, quòd putaret implicare contradictionem, vt vnum corpus aliud penetraret. quod fundamentum omnino falsum est & erroneum: nam non potest consistere cum multis fidei nostrę mysterijs: vt, quòd Dominus natus sit clauso vtero, quòd resurrexerit clauso sepulcro, quòd ingressus sit ad discipulos clausis ianuis: ad quæ absurdè respondet Durand. sed de hoc alibi.

41 *D. Thomas in perfecta corporis informatione. Sotus.*

Secunda sententia est D. Thom. in suppl. q. 33. art. 1. hanc dotem subtilitatis consistere in perfecta corporis informatione. Quod explicat Sotus sic; per subtilitatem corpus esse idoneum vt obtemperet animæ in susciendis facilè potentijs, organis, viribus, ac debitis complexionibus corporis, quæ proximè fluunt ex essentia hominis.

Refellitur.

Sed contra Primò, Quia perfecta informatio naturaliter conuenit animæ & corpori, vnde etiam erant in statu innocentiæ: anima enim naturaliter informat, & corpus ritè dispositum perfectissimo modo informatur: non enim hæc informatio suscipit magis & minùs. Fieri quidem potest vt naturali vnioni animæ cum corpore accedat vnio seu vinculum quoddam supernaturale: sed neque hoc est necessarium, neque D. Thomas de tali vinculo loquitur. Et si esset, potiùs pertineret ad immortalitatem corporis, quàm ad subtilitatem.

Secundò,

Secundò, Corpus per suas dispositiones naturales est maximè idoneum vt obtemperet animæ in susciendis eius potentijs, & alijs quæ anima secum adfert, quæcumque illa sint (quod addo, quia verũ non est debitam complexionem & dispositionem organicam fluere ab essentia hominis, cùm illi supponatur:) ergo ad hoc non est opus aliqua dote propria beatitudini.

Tertiò, Corpus non est susceptiuum potentiarum animæ, nisi quatenus est susceptiuum animę; nam potentiæ ipsæ immediatè sunt in anima; vt alibi ostensum est. Ergo non potest ob hanc aptitudinem dici spirituale.

Quartò, Hæc omnia parum iuuant vt corpus possit dici subtile & spiritale. His igitur omissis & alijs quæ satis nota.

42 *Consistit in vi penetrandi alia corpora.* Respondeo & Dico Primò, Dotem subtilitatis consistere in vi penetrandi alia corpora, ita vt duo corpora sint simul; vt patet ex dictis dub. 2.

Corpora non vertentur in spiritum. Dico Secundò, Hanc vim penetrandi non consistere in eo quòd corpora beatorum sint vertenda in spiritum, sicut olim docuerunt quidam hæretici contra quos D. Augustinus lib. 13. de Ciuit. cap. 23. vel quod vertentur in aëream tenuitatem; sicut docuit Eutychius Episcopus Constantinopolitanus, vt refert Gregorius l. 13. morali. c. 31. vbi hunc errorem refutat ex c. 19. Iob.

Neque in aëream tenuitatem.

Dico Tertiò, Hanc vim penetrandi non consistere in aliqua qualitate naturali vel supernaturali illis corporibus infusa.

Non est qualitas superaddita. Probatur, Quia nulla qualitas corporea potest tollere intrinsecam repugnantiam quæ est inter duo corpora respectu eiusdem spatij; vt probat D. Thomas in additionibus quæst. 83. art. 2. Ratio est, quia illa qualitas esset corpori coëxtensa, solumque suum effectum formalem illi adderet, nihil ei detrahendo. Hinc Patres, quòd Christus clauso vtero sit natus, & clauso sepulcro resurrexerit, & clausis ianuis intrarit, virtuti diuinæ assignant, non alicui qualitati creatæ. De quo vide D. Hieronymum lib. 1. contra Iouinianum. Augustinum epist. 3. ad Volusian. Iustinum quæst. 117. ad Orthodoxos. Et Gregor. hom. 26. in Euang.

43 *Sed ablatio modi alicuius.* Dico Quartò, Hanc vim penetrandi videri consistere in eo, quòd modus quidam naturalis quantitati vel materiæ intrinsecus, vnde hæc repugnantia simul existendi prouenit, diuinitus auferatur vel impediatur; idque vel permanenter, vel saltem quando corpus actu penetrare debet.

Cur quantitas vnius rei cum altera esse nequeat. Pro quo, Notandum est Primò, Non esse de ratione quanti siue extenti, vt non possit simul penetratiuè existere cum alio, seu vt sit extra aliud; nam qualitates corporales vt lumen, color, calor, frigus, & similes, secundùm se extensæ sunt & diffusæ per sua subiecta, & possunt in sua propria extensione à Deo conseruari subiecto repente annihilato; & tamen penetrant totam substantiæ molem & quantitatem. Itaque quòd vnius rei quantitas non possit simul esse cum quantitate alterius, prouenit ex aliquo modo intrinseco, qui naturaliter rem comitatur, ratione cuius sit, vt res ita repleat spatium, vel subiecti capacitatem, vt aliam in eodem spatio vel subiecto secum non admittat; aliam, inquam, quæ non ordinetur ad eiusdem rei perfectionem. Nam quæ ad vnam rem perficiendam ordinantur, etsi distinctas quantitates habeant, simul esse possunt; vt patet in substantijs, vbi simul existunt extensio materiæ, extensio formæ, & extensio singulorum accidentium. Hinc fit vt duæ materiæ non possint esse naturaliter in eodem spatio, neque duæ formæ substantiales non subordinatæ in eâdem materiâ, neque duo accidentia eiusdem muneris in eodem subiecto; quia hæc non ordinantur ad perfectionem vnius, sed diuersorum: vnde à natura habent quemdam modum intrinsecum qui impedit quò minùs possint in vnum confluere. Verùm cum hic modus non sit de essentia rerum, potest diuina virtute tolli, tota quantitate, figura, & qualitatibus omnibus manentibus integris: & tunc illud corpus poterit se per alia corpora transfundere sine vlla sua, vel alterius læsione. Sicut lumen sese per vitrum fundit, sine vlla sui vel vitri læsione: quod exemplum esset omnino simile, si sententia Platonicorum, lumen esse corpus, vera esset.

Hinc sequitur, dupliciter hanc dotem concipi posse. Primò, vt iste modus repugnantiæ auferatur tunc tantummodo per diuinam virtutem assistentem, quando iam actu corpus debet aliud peruadere, & postea statim redeat. Secundò, vt perpetuò maneat hæc imperfectio sublata à corporibus beatorum; quod fortasse est probabilius: tum quia est perfectius, sic enim sine nouâ Dei operatione corpora illa manebunt intrinsecè idonea vt instar spirituum omnia penetrent: tum quia alioqui singulis momentis, quibus beati vellent aliud corpus peruadere, deberet hæc diuina operatio repeti. *Quando hæc dos cõferatur.*

Hinc etiam intelligi potest, quî fieri possit vt tanta celeritate se ad quamuis distantiam moueant: nam per omnia instar luminis se traijciunt sine diuisione aut distractione illorum corporum per quæ transibunt. Hinc Hieronym. lib. contra Vigilantium ait *Sanctos esse vbique*: quia nimirum in ictu oculi sunt vbicumque voluerint. *Vnde celeritas in corporibus beatis.*

DVBIVM VI.

Vtrùm sensus sint habituri suas functiones in beatis, & quas?

44 REspondeo, Omnes sensus habituros perfectissimas operationes, & oblectationes sibi congruentes.

Probatur Primò, Quia omnes erunt perfectissimè dispositi suis organis & spiritibus; neque deerunt obiecta: ergo &c.

Secundò, Singuli sensus capaces sunt summæ cuiusdam perfectionis sui ordinis, quæ singulorum est beatitudo seu vita beata, quam facilè & sine incommodo & indecoro possunt in patria habere. Cur ergo non habeant? *Sensus sunt beatam vitam habituri.*

Tertiò, Sancti in sensibus habuerunt multas afflictiones & mortificationes: ergo par est vt in ijsdem recipiant cõsolationes; vt qui socij fuerunt afflictionis, sint etiam consolationis.

Confirmatur, Quia damnati in omnibus sensibus recipient maxima tormenta: ergo beati in ijsdem maxima solatia: non enim Deus seuerior est in puniendo, quàm benignior in remunerando.

Quartò, Anima non solùm est rationalis, sed etiam sensitiua: ergò non solùm debet beari in parte rationali, quod fiet per visionem & fruitionem Dei, sed etiam in parte sentiente; quod fiet perceptione & delectatione obiectorum sensibilium.

Visus. Hinc infertur Primò, Visum habiturum suam beatitudinem in aspectu pulchritudinis corporum beatorum, maximè Christi Domini & Beatæ Virginis. Hæc enim pulchritudo maxima est quæ sub illam potentiam cadere potest. Aspectus quoque ipse erit perfectissimus; non enim splendor corporum turbabit spiritus oculorum, sicut hic splendor solis; sed potiùs suauissimè corroborabit.

Dices, Beati erunt cum Christo super cœlum empyreum, ita vt pedibus insistant superficiei ipsius conuexæ, totoque corpore sint extra mundum: ergo non poterunt se mutuo videre. Antecedens probatur ex D. Thom. 3. p. q. 57. a. 4. vbi id docet de Christo; & probat ex illo loco Apostoli ad Ephes. 4. *Qui descendit, ipse est & qui adscendit super omnes cœlos.* Et ratio eius idem conuincit de omnibus Sanctis. Consequentia probatur; quia non poterunt ibi diffundi species.

Beatos fore in cælo non supra. Respondeo; Antecedens non videri valdè credibile. Primò, Quia sic locus beatorum non esset in cœlo, sed extra cœlum in vacuo immenso, vbi nihil est: quod perinde est, ac si dicas Principem cum aulicis non esse in palatio, sed super palatium in tecto.

Secundò, Ibi non est locus consentaneus corporum beatorum: nam ibi nihil est. Atqui natura corporea abhorret à nihilo, sicut & à vacuo.

Tertiò, Non est consentaneum modo loquendi Scripturæ & Patrum qui semper dicunt Sanctos esse in cœlo, non supra: neque communi conceptui; omnes enim concipiunt cœlum tamquam amplissimum domicilium, intra quod beati versentur: ita vt cœlum non præbeat illis tantummodò solum cui insistant; sed habitaculum intra quod habitent.

Explicatur locus ad Ephes. 4. Neque locus iste ad Ephes. 4. debet tam rigidè accipi, sed more Scripturæ; vt dicatur Christus adscendisse super omnes cœlos, scilicet nobis notos; vel absolutè super omnes, etiam super supremum, sed secundùm partem. Sicut aquæ dicuntur esse super cœlos: non quòd sint suprà totum aliquod cœlum; sed quia suprà inferiorem aëris regionem. Si tamen Sancti ibi aliquando esse velint, puto id ipsis non fore impossibile: & tunc si opus est speciebus ad videndum, vel fiet traiectio specierum ab obiecto in oculum sine medio (quod diuina virtute fieri potest:) vel certè Deus suo concursu supplebit vices specierum.

45 *Auditus.* Infertur Secundò, Auditum habiturum suam beatitudinem in perceptione suauissimi cantus, quo Beati Deum laudabunt; iuxta illud Psal. 149. *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, exaltationes Dei in gutture eorum.* Idem colligitur ex Apocalypsis varijs locis. Hic Cantus incomparabiliter omnem vocum humanarum, & instrumentorum musicorum suauitatem superabit: sicut cœlestia præstantiora sunt rebus mortalibus. Ratio est, quia cùm anima & corpore constent beati, opus est vt non solùm animo, sed etiam corpore Deo seruiant. Seruitus autem Dei ibi consistit in laude & gratiarum actione. Neque est vlla ratio cur id negari queat, præsertim cùm in eiusmodi cantu sit honestissima voluptas, eaque tanta, vt mortalis natura etiam in terris vix eam ferat.

Dices, Quomodo poterit ibi esse cantus, siue beati sint in cœlo siue supra, cùm ibi non sit aër, qui ad formandam vocem est necessarius? Nam supra cœlum nihil est: ipsum verò cœlum est solidum instar marmoris aut æris. Iob 37. *Cœli solidissimi quasi ære fusi sunt.*

Respondet quidam, Beatos habituros pulmones, stomachum, ceteraque cauitates corporis aëre plenas, quem hinc in cœlum deferent: hunc, dum loqui volent aut canere, sursum attracturos, & allisuros palato & dentibus, sicque vocem formaturos; ita tamen vt nihil eius foras emittant, sed per corporis poros, vel dimensionum penetrationem ad priores cauitates redire faciant, idque assidua quadam veluti in orbem conuersione. *Beati non deferent è terra aërē, quo in cælo vtantur.*

Sed non est necesse cogi in has angustias. Non enim credibile videtur totum cœlum Empyreū esse corpus solidum instar montis ærei in quo nulla sit cauitas, nulla natura liquida. Sic enim non esset vllo modo idoneum habitationi humanæ; nec haberet illam amænitatem & commoditatem, quam communis conceptus fidelium, & Sanctorum Patrum descriptio ei tribuit. Et quāuis per dotem subtilitatis possint existere in tali corpore, tamen hoc omnino est supra naturam; & concessum potiùs ob motum ne ab aliquo occurrente possint impediri, quàm quòd esset necessarium ad existendum in cœlo. Itaque longè verius existimo fore ibi corpus aliquod spirabile instar aëris, seu quandam cælestem auram, in qua sint commoraturi, quam possint attrahere & expirare si velint. Credibile enim est cœlum Empyreum constare tribus partibus, quarum infima sit solida, & præbeat beatis veluti solum cui possint insistere; sicut terræ superficies mortalibus: media sit spirabilis, circumquaque diffusa; sicut aër circum terram: suprema rursum solida includens & coërcens naturam spirabilem totumque mundum interiorem; sicut cœlum Lunæ vndique coërcet aërem. Videtur quoque hoc consentaneum Scripturis, quæ passim loquuntur de cœlo, tamquam de Ciuitate quadam amæniſſima & commodissima ad vitam & habitationem. Vide Apoc. c. 21. toto & c. 22. *In cælo esse auram spirabilem.*

Infertur Tertiò, Odoratum habiturum suam beatitudinem in suauitate odoris, quem corpora beatorum, & fortasse locus ipse diffundent. Si enim in inferno futurus est odor teterrimus, & corpora damnatorum fætidissima, cur non contrarium futurum sit in cœlo? Neque ad hoc necesse est vt corpora assiduè vapores emittant: potest enim odor sine huiusmodi vapore diffundi. 64 *Odoratus.*

Infertur Quartò, Etiam gustum & tactum habituros suam beatitudinem, etsi quidam dubitent. Sed rationes supradictæ id satis probant. Si enim damnati in his sensibus acerrimè punientur, vt patet Luc. 16. in ciuite Epulone: cur beati in ijsdem non oblectentur? Gustus quidem non in perceptione cibi & potûs, sed humoris suauissimi, qui linguam, palatum & interiora imbuet; qui prouenet partim ex optimo temperamento (si enim homo boni temperamenti suauiter afficitur linguâ etiam ieiunus, quantò suauius ibi afficietur, 47 *Gustus & Tactus.*

ficietur ; vbi temperamentum erit præstantissimum ?) partim ex aliquo fortè liquore cœlesti diuinitus infuso , quem credibile est etiam per stomachum cæteraque interiora diffundendum: Nam hæc membra postulant aliquem humorem externum , quo lubrica & humida conseruentur. Tactus autem suam beatitudinem habebit tum ex aura cœlesti & cœlestis corporis attactu, tum ex intimo sensu optimi temperamenti. Nam homo perfectè sanus ipsam corporis bonam constitutionem in se suauiter sentit.

Vis imaginatrix & appetitus inferior suum habebunt beatitudinem.

Infertur Quintò, Vim imaginatricem & appetitum sensitiuum suam quoque beatitudinem habituros , idque dupliciter. Primò , secundùm se, quatenus mouentur obiectis sibi commensis. Sic beatitudo imaginatricis consistet in imaginatione præstantissimorum obiectorum, quæ sensibus externis percipientur. Appetitus verò sensitiuus in delectatione hinc consequente : delectatio enim in appetitu sensitiuo sequitur ex operatione sensuum, & rebus sensibilibus , tamquam ex integro obiecto ; nempe tamquam ex re & possessione rei; vt suprà diximus in simili : ex imaginatione verò horum , tamquam ex conditione seu applicatione obiecti. Sicut enim gaudium in voluntate sequitur ex bono præsente tamquam ex obiecto de quo gaudet ; ex intellectione verò tamquam ex conditione applicante & proponente obiectum : ita delectatio in appetitu inferiori sequitur proportionaliter.

1. quatenus mouentur ab obiectis.

2 quatenus mouentur per sympathiam ab intellectu & voluntate.

Secundò, Quatenus mouentur per quandam sympathiã ab intellectu & voluntate. Sicut enim naturaliter nihil possumus intellectu percipere, nisi idipsum per vim imaginatricem corporali specie in nobis depingamus; ita vicissim id quod per intellectum purè & spiritaliter intelligitur (quamuis supernaturaliter intelligatur) potest imaginatrix suo modo in se formare, sicque appetitum inferiorem mouere. Hinc fiet vt ex vi visionis Dei imaginatrix sit applicanda ad apprehendendum Deum suo modo. v. g. tamquam infinitam lucem & dulcedinem animæ ; & consequẽter appetitus sensitiuus maximam delectationem ex Deo sic apprehenso sit percepturus.

Confirmatur ; quia si in hac vitâ ex contemplatione intellectus, & gaudio voluntatis, interdum tanta suauitas in vires inferiores redundet, vt corporis imbecillitas eam vix ferat (iuxta illud Psalmi 72. *Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis meî & pars mea Deus in æternum.* Et Psalm. 83. *Cor meum & Caro mea exultauerunt in Deum viuum &c.*) quanta ibi redundatura est delectatio in vires inferiores ex clara visione & fruitione Dei ?

Hinc sequitur ; Deum non tantùm fore obiectum beatificum virium superiorum ; sed etiam, modo quodam, inferiorum ; scilicet imaginatricis & appetitus sensitiui.

QVÆSTIO QVINTA.

De consecutione Beatitudinis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm homo possit consequi Beatitudinem ?

1 COnclusio est affirmans. Patet ex Scripturis, quæ docent hominem posse consequi vitam æternam, cœlestia gaudia, regnum cœlorum, visionem Dei, & similia, quibus vera beatitudo significatur. Matth. 25. 23. 6. 8. prioris ad Cor. 12. 1. Ioan. 3.

DVBIVM.

Vtrùm ratione naturali certò cognosci possit hominem posse perfectè beari ?

2 *Scotus affirmans refutatur.* SCotus in 4. d. 49. q. 8. affirmat. Verius tamen credo non posse id vllis rationibus naturalibus omnino certò conuinci. Ita sentiunt plerique Doctores. Cuius signum est quòd nemo Philosophorum hactenus cognouit Deum ab homine clarè posse videri ; in qua clara visione consistit vera beatitudo , & nusquam alibi. Si enim aliquis illorum id putasset fieri posse, haud dubiè statuisset in eo beatitudinem. Itaque mysterium est supernaturale id fieri posse; vt docetur 1. parte. q. 1. & 12.

Rationes quibus probari videtur quòd rationi naturali id cognosci possit , non conuincunt : eæ sunt possimùm duæ.

Prior est, quòd homo per intellectum & voluntatem sit capax boni vniuersalis.

Ad quam responderi potest: verum id esse hoc sensu. Hominem posse aliquo modo omne bonum intellectu apprehendere , & voluntate appetere. hinc tamen non conuincitur posse omne bonum perfectè & intuitiuè cognoscere.

Altera est , qui cognoscit effectum , desiderat videre causam : atqui hoc desiderium naturale non potest esse frustra : ergo potest expleri. Non expletur autem nisi videat causam. ergo &c.

Responderi potest ; hoc argumento , si efficax esset , probatum iri hominem non solùm posse videre Deum, sed etiam reipsa visurum ; alioqui desiderium naturale frustraretur : hoc tamen sola fide credimus : potuisset enim Deus hominem condere in nuda natura , & ad visionem beatificam non destinare.

Adde , non esse euidens id omne fieri posse quòd homo sic naturaliter desiderat : aut huiusmodi desiderium non posse esse frustra. Non enim est efficax , sed velleitas tantùm , & simplex affectio, quæ etiam impossibilium esse potest ; vt docet Aristoteles 3. Ethic. cap. 2. & infrà ostendetur.

Hæ tamen rationes faciunt veritatem illam satis probabilem & rationi consonam , quamuis non conuincant.

ARTICVLVS II.

Vtrùm alius alio possit esse beatior?

3 COncluſio eſt affirmans: quia fieri poteſt vt alius alio clariùs Deum videat, eoque fruatur perfectiùs: atqui beatitudo formalis conſiſtit in viſione & fruitione: ergo poteſt eſſe in alio minor. De hoc ſatis multa in 1. p. q. 12.

ARTICVLVS III.

Vtrùm aliquis in hac vita possit esse beatus?

4 COncluſio eſt, verâ ſeu eſſentiali beatitudine neminem in hac vita beatum eſſe poſſe. Ratio eſt, quia in hac vita nemo Deum clarè videre poteſt: vt multis locis docet Scriptura. Intellige hæc, ſecundùm legem ſtatutam. Nam per abſolutam Dei potentiam fieri poteſt vt quis in vita mortali beatus ſit: exemplum habemus in humanitate Chriſti.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm beatitudo possit amitti?

5 COncluſio eſt, eſſentialem beatitudinẽ amitti non poſſe. Eſt articulus fidei. Credimus enim *vitam æternam*. Idem patet ex plurimis Scripturæ locis, quibus docemur præmia iuſtorum & ſupplicia impiorum fore perpetua; vt Matth. 25. Pſalm. 83. & alibi. Item vbi cæleſtis hæreditas dicitur *incorruptibilis & immarceſsibilis*; vt 1. Petri c. 1.

DVBIVM I.

Vtrùm beatitudo suapte naturâ sit incorruptibilis, An solùm supernaturali Dei conseruatione?

6 REſpondeo, Omiſſis ſententijs, corruptibile & incorruptibile aliquid dici reſpectu cauſæ quæ poſſit corrumpere vel non corrumpere. Cauſa verò iſta eſſe poteſt vel Deus ipſe, vel aliqua creatura.

Nihil incorruptibile reſpectu Dei.

Itaque ſi beatitudo hominis comparetur, ad Deum, ſic haud dubiè eſt coruptibilis; ſicut & omnis creatura. Quomodo Patres ſæpè dicunt nullam creaturam naturâ ſuâ eſſe incorruptibilem, ſed ex voluntate Dei. Ratio eſt, quia aſſiduè pendet ex libero Dei influxu; ſicut pondus quod in aëre ab aliquo ſuſtinetur; vel ſicut imago in ſpeculo ab obiecto relucens. Suppoſitâ tamen diuinâ promiſſione quâ promiſit beatitudinem fore æternam, etiam à Deo nequit interimi vel auferri: quia ſeipſum negare non poteſt.

Beatitudo eſt incorruptibilis comparata ad res creatas.

Si verò beatitudo comparetur ad res creatas, ſic naturâ ſuâ eſt incorruptibilis: talis enim eſt naturæ vt à nulla creatura poſſit impediri vel aboleri.

Probatur, Quia poſito lumine gloriæ, & concurſu Dei huic lumini & intellectui debito, neceſſariò ſequitur viſio. Nam eſſentia diuina eſt intimè præſens menti; vnde mens non poteſt ſe ab ea auertere, neque iudicium viſioni contrarium concipere. Poſitâ autem viſione, neceſſariò ſequuntur cæteri actus; ſcilicet amor & gaudium. Tam igitur eſt incorruptibilis beatitudo tamque ſolida, quàm ſubſtantia vel cœlorum vel Angelorum. Verùm incorruptibilitas gaudij & amoris, pendet ex incorruptibilitate viſionis. Hæc autem pendet ex firmitate luminis quod contrarium non habet, & diuini concurſus: in quibus duobus eſt totum fundamentum æternitatis beatæ vitæ.

DVBIVM II.

Quomodo verum sit quod ait D. Thomas in Corpore *De ratione Beatitudinis esse, vt omne desiderium hominis impleat?*

7 VIdetur enim falſum. Nam Chriſtus verè beatus fuit in hac vita: & tamen non omne eius deſiderium erat impletum; & animæ Sanctorum beatæ ſunt, tamen deſiderant corporum reſurrectionem.

Beatitudo debet esse sufficiens implere omne desiderium.

Reſpondeo, Ad rationem beatitudinis non requiri vt actu impleat omne deſiderium, ſed vt ex ſe ſit ſufficiens implere, ſic vt non reſtet vlla moleſtia in animo ex abſentia rei deſideratę. Qui enim tanto bono fruitur, facilè fert abſentiam aliorum bonorum, quæ eius comparatione quaſi nihil ſunt. Quòd autem in Chriſto Domino non omnis moleſtia excluſa fuerit, miraculo factum eſt, vt poſſet pro nobis pati. Animæ Sanctorum etſi deſiderent ſua corpora, non tamen ex dilatione afficiuntur moleſtiâ. His adde, non eſſe neceſſarium vt eſſentialis beatitudo per ſeipſam formaliter omne deſiderium omninò expleat; ſufficit vt id faciat vel per ſe, vel per ea bona quæ ſecum trahit, quæque ex illa pendent.

DVBIVM III.

Vtrùm ad Beatitudinem requiratur securitas?

8 VIdetur non requiri. Primò, Quia eiuſdem rationis eſt viſio perpetuò durans, & ea quæ ſolùm durat vnum diem: ergo ea quæ diem durat tam benè faciet beatum, ſaltem pro illo die, quàm perpetua faciat beatum in perpetuum.

Argumenta pro parte negatiua.

Secundò, Ad rationem beatitudinis non requiritur excluſio omnis triſtitiæ; vt patet in Chriſto Domino: ergo etiam non requiritur vt omnis timor beatitudinis amittendæ excludatur.

Tertiò, Si ſecuritas requiritur ad beatitudinem: ergo viſio & fruitio non ſufficiunt.

Reſpondeo, Requiri ſecuritatem, ſicut rectè hic docet D. Thomas. Quod vt probetur.

Securitas quid.

Nota. Securitatem veram nihil eſſe aliud quàm abſentiam timoris de bono amittendo, vel malo incurrendo, natam ex certa cognitione rei non euenturæ. Dico *ex certa cognitione*; quia ſi cognitio ſit incerta, erit non vera, ſed fallax ſecuritas.

requiritur ad beatitudinem.

Nunc probatur Reſponſio: Primò, Quia cum timore amittendi tanti boni, non poteſt quies animi conſiſtere; ſed neceſſe eſt ſumma anxietate affici: ergo ad beatitudinem requiritur huius timoris

moris vacuitas:ergo securitas,quæ nihil est aliud, quàm timoris vacuitas.

Antecedens probatur ; Nam qui magnum aliquod bonum obtinet,si metuit hoc amittere,quò plùs amat, hoc maiore anxietate afficitur ex timore amittendi: Atqui beati summè amant visionem & fruitionem Dei: ergo maximâ molestiâ afficientur timore eius amittendi ; cum quâ molestiâ beatitudo quæ omnem molestiam excludere potest, consistere nequit.

Secundò, Id quod summè affligit damnatos,& maximè efficit miseros , est æternitas supplicij, quatenus vident se numquam posse euadere: ergo id quod maximè gaudio afficit beatos , est æternitas præmij, quatenus vident se numquam tantum bonum posse amittere; qua in re sita est illorum securitas. Ergo securitas omnino necessaria est ad beatitudinem.

9 *Soluuntur argumẽta.*

Ad Primam Rationem,Respondeo: Etsi visio vnius diei sit eiusdem naturæ atque visio perpetua ; tamen in infinitum differunt secundùm æstimationem moralem; ac proinde in ordine ad voluntatem , vt sunt bona appetibilia. Itaque visio vnius diei non potest hominem absolutè facere beatum, ne ad vnum quidem diem.

Visio beatifica vnius diei,non beatificaret absolutè.

Dices , quid si ille ignoret visionem fore tam breuem , eritne beatus ?

Respondeo , ille vel simul putabit fore æternam: sicque decipietur in re maxima; & gaudium ipsius præcipuum fundatum erit in falsa opinione: quare ille non erit beatus. Vel nihil in alterutram partẽ cogitabit(quod tamen fieri nequit nisi diuinitus impediatur:)& sic quoq; nõ erit propriè beatus vel ad vnum diem ; quia non apprehendetur æternitas boni, quæ præcipuum gaudium affert. Deinde , visio illa secundùm se non est talis vt possit omnem mærorem excludere si eius conditio cognoscatur.

Ad Secundam Rationem , Nego Consequentiam. Etsi enim ratio beatitudinis non postulet vt actu omnem merorem excludat : tamen postulat vt ex se sit sufficiens excludere omnẽ mœrorẽ,adeo vt reipsa id præstitura sit,nisi diuinitus impediatur. Est enim tantum bonum, vt carentia aliorum bonorum nihili æstimetur , modò ipsa retineatur. Visio verò Dei quæ solùm ad tempus est duratura, vel quam is qui videt, timet amittere ; non est sufficiens vt excludat omnem mœrorem : quia non potest excludere mœrorem qui ex amissione ipsius impendente concipitur : tantum enim malum æstimatur amissio rei, quantum bonum putatur eius possessio. Quare cùm possessionem Dei æstimet summum bonum , eius amissionem censet summum malum ; ac proinde necessariò est anxius & mœstus.

Nec est sufficiens excludere omnem mœrorem.

Ad Tertiam, Nego Consequentiam ; Quia securitas nõ est aliquis actus distinctus à visione & fruitione : sed ex parte subiecti solùm est vacuitas timoris ex certâ notitiâ beatitudinis non amittendæ prouenies , quæ notitia habetur per visionem , estque solùm conditio requisita. Ex parte autem beatitudinis , nihil ponit nisi durationem æternam , quam visio & fruitio naturâ suâ postulant, cùm hæc duratio non distinguatur ab illorum actuum existentiâ nisi ratione.

ARTICVLVS V.

Vtrùm homo per sua naturalia possit acquirere beatitudinem ?

COnclusio est , Imperfectam beatitudinem, qualis est huius vitæ, hominem posse acquirere ; non autem perfectam. 10

Nullam potest in statu naturæ lapsæ.

Nota. Si loquamur de statu naturæ lapsæ, hominem nullam omninò beatiudinem per solas naturæ vires posse comparare,neque perfectam, neque imperfectam. Ratio est ; Quia neque à peccatis quæ naturam rationalem dehonestant,neque ab alijs miserijs innumeris seipsum immunem præstare potest. Cognitio quoque quam de Deo rebusque diuinis potest consequi , est imperfectissima, vtpote obscura , & maxima ex parte ambigua.

Potest imperfectam in statu naturæ nudæ.

Si verò loquamur de statu nudæ naturæ in qua Deus hominem condere potuisset , probabile est potuisse eum in hoc statu per vires naturæ aliquam imperfectam beatitudinem consequi. Nam omninò credibile est in eo statu futurũ fuisse aliquod præminum bonorum operum, & aliquam Dei prouidentiam circa hominem,quâ sic gubernatus fuisset, vt posset hoc præmium mereri & consequi.

Aduerte tamen , illum neque hac imperfecta beatitudine fruiturum fuisse , nisi Deus aliqua supra naturæ conditionem circa ipsum operaretur. Ratio est , quia cùm hæc beatitudo sit vltima in eo statu , requirit æternitatem & vacuitatem miseriarum huius vitæ : quorum neutrum poterat homo cõsequi sine supernaturali Dei operatione. Nam naturali necessitate debebat mori; mortuus autem non poterat resurgere, neque post resurrectionem in æternum viuere absque supernaturali Dei operatione & protectione.

Si dicas, non fore Resurrectionem in eo statu, ac proinde non fore opus supernaturali operatione Dei ad hanc beatitudinem.

Respondeo, hoc parum videri credibile; Nam anima naturaliter postulat & desiderat vniri corpori, neque potest absq; hac vnione habere suum naturalem modum cognoscendi qui est per cooperationem sensuum & phantasię. Atqui sine naturali modo cognoscendi non potest habere beatitudinem naturalem. Adde, illo modo non hominem, sed animam dumtaxat fore beandam.

ARTICVLVS VI.

Vide D. Thomam.

ARTICVLVS VII.

Pertinet ad materiam de gratia.

ARTICVLVS VIII.

Patet ex Dictis 1.p.q.12.

QVÆ-

QVÆSTIO SEXTA.

De Voluntario & Inuoluntario.

POST tractatum de Beatitudine, disputat D. Thomas de actibus humanis in genere, quibus tamquam medijs ad Beatitudinẽ peruenitur. In his autem tria sunt consideranda, ex quibus eorum bonitas & malitia dependet: Obiecta, Circumstantiæ, & modus productionis. 1

De obiecto agitur Quæstione octaua, de circumstantijs q. 7. de modo productionis hac q. 6. idque sub nomine voluntarij & inuoluntarij, de quo disserit Aristoteles 3. Ethic. c. 1. Damascenus l. 2. de fide Orthodoxa c. 24. & Nemesius l. de homine c. 29. 30. 31. 32.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm in humanis actibus inueniatur voluntarium?

RESpondet D. Thomas perfectè voluntarium in humanis actibus reperiri.

DVBIVM I.

Quid sit Voluntarium?

Voluntas dupliciter accipitur. 2

NOtandum est, *Voluntarium* dici propriè, quod pendet à voluntate. *Voluntas* autem accipitur dupliciter. Primò, speciatim & propriè pro appetitu rationali, qui solùm in Deo, Angelis & hominibus reperitur.

Secundò, Generatim, vt comprehendat appetitum etiam sensitiuum. Nam & bruta dicuntur quodammodo velle & habere voluntatem; vt patet ex Augustino l. 5. de Ciuitate Dei c. 9. cum ait: *Corpora magis subiacent voluntatibus; quædam nostris, id est, omnium animantium mortalium, & magis hominum, quàm bestiarum: quædam verò Angelorum; sed omnia maximè Dei voluntati subdita sunt.*

Voluntariũ dupliciter accipitur. Vnde etiam *voluntarium* dupliciter accipitur. Primò, Speciatim, pro eo quod pendet à voluntate rationali: quo modo omnes actiones elicitæ vel imperatæ à voluntate humana vel Angelica, dicuntur voluntariæ; & omnis creatura est opus voluntarium respectu voluntatis diuinæ.

Secundò, Generatim, pro omni eo quod pendet ab appetitu rationali vel sensitiuo, quem vno nomine vitalem appellare solemus: quia nulla est vis appetendi, cuius operatio sit vita, præter appetitum sensitiuum & rationalem.

D. Thomas hoc loco accipit *voluntarium* generatim, vt idem sit, quod Græcis ἑκούσιον, quod *spontaneum* propriè dici potest; de quo agit Aristoteles 3. Ethic. c. 1. Damascenus lib. 2. de fide c. 24. Nemesius lib. de Homine c. 29. & tribus sequentibus.

Dupliciter aliquid fit inuitè. Quid autem sit *spontaneum*, explicandum est ex contrario (vt illi auctores faciunt) quod est *inuitum*; Græci vocant ἀκούσιον. Dupliciter autem dicitur aliquid *inuitè* fieri, Primò, Si vi extrinsecùs illatâ, voluntate repugnante, fiat; vt cùm nocens ducitur ad supplicium. Secundò, Si ex ignorantia fiat; vt cùm quis occidit amicum, putans hostem.

Hinc sequitur, vt aliquid sponte, seu voluntariè fiat, duo requiri. Primò; vt fiat à principio intrinseco ei, in quo est illa operatio. Secundò; Vt fiat ex cognitione singulorum, in quibus versatur actio, vt loquitur Aristoteles; id est, obiecti & circumstantiarum; vt explicat Damascenus.

Definitio voluntarij. Hinc definitur *voluntarium esse id, quod fit à principio intrinseco, cum cognitione obiecti & circumstantiarum.* Dico, *à principio intrinseco*, nempe distincto à cognitione: nam cognitio se habet solùm per modum dirigentis operationem. Vnde hoc principium intrinsecum non potest esse aliud, quàm appetitus, qui in homine & animantibus est principium omnium operationum ipsis propriarum, & solus immediatè dirigitur per cognitionem. Dico, *cum cognitione obiecti, &c.* quia si quis fallatur circa obiectum; vt si comedat carnem die Veneris, putans esse piscem; non voluntariè comedit carnem: vel si fallatur circa circumstantias; qua parte fallitur, non agit voluntariè; vt si sciat quidem se comedere carnem, non aduertat tamen esse diem Veneris, non voluntariè violat legem abstinentiæ. 3

Alia definitio voluntarij. Clariùs sic definiri potest: *Voluntarium est opus vel omissio operis ab appetitu vitali, maximè rationali cum cognitione dependens.* Dico, *præsertim rationali*; quia sicut appetitus sensitiuus non dicitur voluntas nisi impropriè; ita motus ipsius, nisi dependeant à voluntate superiore, non dicuntur voluntarij, nisi impropriè, & generatim accepto nomine. Dico, *vel omissio operis*: Quia non solùm aliquod opus positiuum est voluntarium, sed etiam omissio operis; vt art. 3. ostendemus. Vnde non minùs omissiones sunt peccata, quàm commissiones.

Quid magis & minùs perfectè voluntarium. Ex his sequitur, eos motus esse maximè voluntarios, qui maximè sunt consentanei propensioni voluntatis, fiuntq; cum perfecta cognitione obiecti & circumstantiarum: hi enim longiùs absunt ab inuoluntario. Tales sunt, Primò, amor beatitudinis. Secũdò, omnes actus liberi, quibus prosequimur ea, quæ per se sunt expetenda. Tertiò, actus liberi quibus prosequimur media. Quartò, quibus fugimus mala. Quò autem quisque est minùs consentaneus propensioni voluntatis, aut quò minor est cognitio, vnde procedit, eò minùs censeri voluntarium. Tales actus sunt, quibus aliquid prosequimur coacti metu, aut cum aliqua ignorantia vel inconsideratione. 4

Ordo actuũ voluntariorum.

Dices; Multi motus oriuntur contra voluntatem; vt patet in motu tristitię, & similibus: ergo non omnes qui procedunt ab appetitu vitali, sunt voluntarij.

Respondeo, Distinguendo consequens, si enim voluntarium accipias pro spontaneo; nego consequentiam: omnes enim motus qui oriuntur ab appetitu vitali sunt spontanei, etiamsi contra voluntatem oriantur; vt omnes passiones appetitus inferioris, & omnes motus voluntatis præuenientes il-

tes libertatem, qui oriuntur voluntate repugnante. Si autem voluntarium accipias pro eo quod dependet à voluntate rationali, vel à libertate voluntatis: sic concedo totum; sed nihil contra definitionem positam. Hoc modo dicuntur illi motus inuoluntarij, qui displicent voluntati, & contra eius renisum exoriuntur.

DVBIVM II.

Vtrùm voluntarium dicatur ex eo tantùm, quòd procedat à voluntate vel appetitu vitali, an ex eo quòd sit volitum per modum obiecti?

5 REspondeo, Vtrumque requiri: procedere enim debet à voluntate seu appetitu vitali; quia est effectus vel operatio eius. Debet etiam esse volitum, vt patet à contrario. Nam nihil est inuoluntarium, nisi quatenus est contra voluntatem, tanquam obiectum nolitum à voluntate, quæ vel actu est, vel esset, si ignorantia non impediret.

Dices, Ergo ipsi motus voluntatis, vt amor, odium, lætitia, tristitia, non sunt voluntarij; quia non sunt voliti: alioqui per alium motum voluntarium deberent esse voliti, & ille rursus per alium; sicque esset progressio in infinitum.

Respondeo, Istos motus esse maximè voluntarios; vtpote intrinsecè tales. Nam sunt ipsæ volitiones manantes à voluntate, eamque informantes, à quibus aliæ operationes dicuntur extrinsecè solùm voluntariæ; vt ambulare, loqui, &c. Neque opus est vt alia volitione sint volitæ, sicut illæ quæ extrinsecè dicuntur voluntariæ; quia seipsis implicitè sunt volitæ: qui enim amat, vult amare; qui odit, vult odisse; non alio actu, sed eodem quo amat & odit obiectum.

Actus voluntatis seipsis implicitè sunt voliti.

ARTICVLVS II.

Vtrùm voluntarium reperiatur in brutis; id est, vtrùm motus & operationes brutorum sint voluntariæ seu spontaneæ?

6 COnclusio est, Esse imperfectè voluntarios. Ratio est, quia procedunt ex imperfecta cognitione.

Voluntarij triplex acceptio.

Notandum est, nomen *Voluntarij* accipi dupliciter, vel potiùs tripliciter. Primò, Vt opponitur *Inuito*, sicque idem est quod *Spontaneum*. Ita accipit Aristoteles 3. Ethic. cap. 1. & D. Thomas passim hac quæstione.

Secundò, Pro omni actu vel effectu, qui à voluntate rationali quouis modo dependet; & sic omnes actus & effectus voluntatis, etiam neçessarij, dicuntur voluntarij.

Tertiò, Accipitur pro omni actu & effectu qui procedit à voluntate, non tantùm secundùm substantiam operis, sed etiam secundùm proprium modum operandi voluntatis. Nam dupliciter potest aliquis actus à voluntate procedere. Primò, modo naturali, videlicet, tanquam effectus à causa determinata; qui modus est proprius eorum, quæ naturaliter fiunt: sic procedunt actus necessarij. Secundò, modo voluntati proprio; videlicet liberè, tamquam effectus à causa indeterminata. Sicut enim proprius modus operandi naturæ, est operari necessariò, seu ex potestate determinata ad effectum; ita proprius modus operandi voluntatis, est operari liberè, seu ex potestate indeterminata ad effectum. Et quia hic modus operandi est proprius voluntati, & inuenitur in omnibus actibus voluntatis, quos cum plena rationis aduertentia habet in hac vita; ideò volùtarium à PP. & DD. sæpè ita accipitur, vt idem sit quod *liberum*, vt opponatur *naturali*. Quo modo Augustinus lib. de Vera religione cap. 14. ait: *Vsque adeò peccatum est voluntarium malum, vt nisi voluntarium sit, non sit peccatum.*

Dupliciter aliquid procedit à voluntate.

Nunc, si Primo modo accipiatur voluntarium, non video cur motus & operationes brutorum non debeant censeri absolutè voluntarij, id est, spontanei; cùm non minore propensione intrinsecâ fiant, neque minùs distent ab inuito, quàm actiones humanæ. Vnde Aristoteles 3. Ethic. c. 2. & Damascenus l. 2. c. 24. absolutè tribuunt brutis & pueris spontaneum. Neque refert, quòd cognitio ex qua illi motus procedunt, sit imperfecta; quia sufficit vt obiecta sensibilia per eam proponantur appetitui absque errore. Si tamen ipsum nomen *Voluntarij* vrgeamus, vt hîc videtur facere D. Thomas, sic imperfectè & impropriè voluntarij sunt; quia appetitus est imperfecta & impropriè dicta voluntas; quod insinuat D. Augustinus lib. 5. de Ciuitate, cap. 9. cùm ait: *Iam verò causæ voluntariæ, aut Dei sunt, aut Angelorum, aut hominum, aut quorumcumque animalium: si tamen appellandæ sunt voluntates animalium rationis expertium motus illi, quibus aliquid boni appetunt, vel mali euitant.* *Voluntarie primo modo.*

Si verò accipiatur secundo modo, sic motus brutorum non sunt voluntarij, quia non pendent vllo modo à voluntate. Amor tamen beatificus, gaudium beatificum, amor quo Deus se diligit, & Spiritum sanctum spirat, & ipsa Spiritus sancti spiratio, hoc modo voluntarij sunt: quia à voluntate cum plena cognitione. Similiter omnes actus nostri boni & mali, iuxtà Caluinum lib. 2. Institut. cap. 2. voluntarij sunt; quamuis secundùm ipsum, non sint liberi. Denique motus primi voluntatis sic voluntarij sunt, etsi imperfectè ob cognitionem imperfectam. *2. Modo.*

Quòd si tertio modo, scilicet omnino propriè nomen *Voluntarij* accipiamus, sic soli actus liberi dicuntur voluntarij; & quod liberè fit, voluntariè dicitur fieri. Quo modo Iacobi 1. dicitur: *Voluntariè enim genuit nos Verbo veritatis.* Et ad Heb. 10. *Voluntariè peccantibus nobis iam relinquitur hostia pro peccato*, &c. Iuxtà hunc modum amor beatificus non erit voluntarius, quamuis ex inclinatione voluntatis, & perfectissima cognitione procedat; quia non procedit à voluntate secundùm modum operandi, qui proprius est voluntati; nempe tamquam à causa indeterminata, sed per modum naturæ. Idem dicendum de amore quo Deus se diligit, & quo Spiritum sanctum producit: Etsi enim hic amor quadam ratione perfectissimè sit voluntarius, vt dictum est; tamè secundùm aliam rationē voluntarij aliquid ei deest, scilicet, modus ille proprius actibus voluntatis, qui cōsistit in processu à causa indeterminata. Voluntas enim diuina est determinata ad illū amorem, sicut çausæ naturales ad suos effectus. *3. Modo.*

Dices,

Dices, Ergo aliquid perfectionis deest illi amori; esse enim perfectè volûtarium, est magna perfectio.

Esse perfectè voluntarium circa summũ bonum, non est perfectio simplex.

Respondeo, Esse sic perfectè voluntarium respectu summi boni, non est perfectio, sed imperfectio. Magna enim imperfectio est, si voluntas non sit determinata ad amorem summi boni, quod est Deus; vt patet in viatoribus: & magna perfectio est, esse determinatum ad hunc amorem; vt patet in Beatis. Ad alia bona esse indeterminatum, eaque non necessariò amare, est perfectio, vel potiùs est perfectionis signum; nam est signum capacitatis boni infiniti, quod, ne in tota quidem creaturarum collectione, inuenitur.

DVBIVM I.

Quis actus propriè dicatur liber?

7 NOtandum est Primò, In actibus humanis, vt censeantur moraliter boni vel mali, laudabiles vel vituperabiles, meritorij vel demeritorij, non solùm considerandum esse, sintne generatim voluntarij seu spontanei; sed multò magis sintnæ propriè & strictè voluntarij; id est, sintne liberi an necessarij.

Explicandum igitur quis actus dicatur liber.

Notandum secundò, Non solùm actum dici liberum; sed etiam ipsam potentiam, & quidem magis propriè & primò. Dicitur autem potentia libera, quæ in operando soluta est ab omni necessitate, ita vt, dum operatur, habeat in sua potestate non operari. Actus dicitur liber, qui ab huiusmodi potentia procedit.

Notandum Tertiò, Etsi omnis determinatio, quâ voluntas priùs naturâ quàm operetur, determinatur ad actum, repugnare videatur libertati: tamen quadruplex à quibusdam ponitur determinatio in ipsa voluntate, quam putant libertati actus non repugnare, ita vt cum huiusmodi determinatione possit esse meritorius vel demeritorius.

Quadruplex determinatio voluntatis à quibusdam ponitur.

Prima est, Per influxum Dei, vt est causa prima: putant enim primam & summam causam omnes causas creatas, & consequẽter voluntatem humanam & Angelicam debere mouere, applicare & determinare ad suos actus. Sed hæc sententia refutata est 1. p. q. 19. art. 8.

Secunda est, Per gratiam efficacem, quâ putant voluntatem humanam in statu naturæ lapsæ debere determinari ad opera pietatis. De hac dicendum infrà tractatu de Gratia.

Tertia est, Per iudicium rationis practicum, aut per imperium intellectûs, quo putant voluntatem ita determinari, vt illo stante in intellectu, ipsa non possit non consentire; sicut stante visione beatificâ, voluntas in Beatis non potest non amare. De hoc infrà q. 9. a. 1. dub. 6.

Quarta est, Per procliuitatem voluntatis ad ista bona sensibilia, quando non habet gratiam efficacem; quam procliuitatem putant prouenisse ex peccato originali. De hac infrà, in Tract. de Gratia.

8 Nunc tantùm in genere ostendendum est, omnem veram determinationem, quæ præuenit libertatem voluntatis, seu quæ non sit in potestate volûtatis, repugnare libertati, & efficere vt actus non sit liber. Dico, *Quæ non sit in potestate voluntatis*; quia si sit in potestate voluntatis eam habere, vel non habere, iam voluntas ad illam determinationem non est determinata, ac proinde est libera. Vnde, talis determinatio non repugnat libertati; vt infrà, de Electione dicemus.

Omnis determinatio quæ non est in potestate voluntatis, repugnat libertati.

Probari potest hæc sententia; Primò, ex Scripturis, Iosue 24. *Optio vobis datur, eligite quod vobis placet.* Similia sæpè locis alijs. Atqui absurdè daretur optio ei, cuius voluntas sit ad alteram partem determinata, vel determinanda per aliam motionem præuenientem, quæ non sit in eius potestate. *Scriptura.*

Ecclesiastici 15. *Deus reliquit hominem in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta; si volueris mandata seruare, seruabunt te*, &c. At, quomodo est in manu consilij sui, qui necessariò sequitur determinationem aliunde immissam? Item quomodo dicitur, *Si volueris*, cùm non potest velle, nisi aliunde determinetur?

Ecclesiastici 31. Laudatur, *qui potuit transgredi, & non transgressus est*: erat ergo iste indeterminatus ad vtrumlibet, & poterat vtrumlibet. Omitto alia loca quibus hæc indifferentia significatur.

Secundò, Probari potest ex Conc. Trid. Sessione 6. c. 5. & Canone 4. Vbi Concilium apertè requirit ad liberum consensum, vt voluntas, posità gratiâ præueniente, quâ potest consentire, possit etiam dissentire; ac proindè, vt immediatè sit sufficiens ad consensum & dissensum. Quare, ad neutrum determinatur. De quo loco infrà Tractatu de Gratia. *Tridentu.*

Tertiò, Ex Patribus, qui multis modis hanc indeterminationem indicant. Primò, cùm dicunt hominem esse liberi arbitrij, eò quòd solutam ab omni necessitate, & in sua potestate sitam à Conditore vitam acceperit. Secundò, Cùm dicunt hominem per voluntatem esse dominum suarum actionum. Hoc enim, *Esse dominum*, significat illum nulli suarum actionum esse adstrictum, & vnamquamque dum elicit, sic elicere, vt possit non elicere. Tertiò, Cùm dicunt in potestate voluntatis esse eligere & non eligere, & flectere se semper in vtramuis partem. Vbi etiam apertè indicatur indifferentia cum potestate ad vtrumlibet. Quartò, Cùm dicunt cuique suæ voluntatis habenas commissas. Testimonia Patrum fusè recitantur ab ijs qui contra hæreticos scribunt; vt à Bellarmino, & alijs. *Patres.*

Quartò, Probari potest ex ipsis nominibus, quibus Patres hanc vim explicant. Latini enim vocant *Liberum arbitrium, liberam potestatem*: *Liberum*, scil. ab omni necessitate, ab omni determinatione & vinculo ad alteram partem contradictionis constringente, scil. ad velle, aut ad nolle; ad agere, vel non agere. Quòd si in eo poneretur aliqua determinatio ad alteram partem, iam non esset liberum, sed seruum arbitrium: quo modo hæretici, ponentes huiusmodi determinationem, illud vocant. *Arbitrium* dicitur, quia est potestas faciendi id quod velis; nam & hoc quoque arbitrium significat: vnde Latini dicunt, *Res ista non est mei arbitrij.* Idem patet Numer. 30. *In arbitrio viri erit vt faciat, vel non faciat.* *Ex vi nominis. Apud Latinos.*

Græci Patres vocant hanc vim, τὸ αὐτεξούσιον; de quo vide Damascenum lib. 2. c. 25. & Nemesium c. 39. de Homine. Caluinus lib. 2. Institutionum. c. 2. dicit id esse nomen nimis arrogans. Sed quid aliud significauit Apostolus 1. Cor. 7. cùm ait, ἐξουσίαν ἔχει τοῦ ἰδίου θελήματος, potestatem *Apud Græcos.*

ſtatem habens propriè voluntatis. Nã ſignificatur hoc nomine, quòd volũtas ſit ſui potens, (dicitur enim αὐτεξούσιον quaſi ἑαυτῷ ἔχων ἐξουσίαν) nempe vt ſe moueat ad ſuos actus, vel vt ſe cohibeat tãquam indifferens ad illos, & tamen ſufficiens. Ideõ ſignificatur cùm dicitur habere dominium actuũ.

9 *Scholaſtici. Henricus.* Quintò, Probari poteſt ex DD. Scholaſticis, qui communiter ita docent: Henricus Quodlib. 9. qu. 5. *Cùm voluntas ſit libera, & domina ſuorum actuum*, inquit, *impoßibile eſt vt ab alio procedat ad actum volendi; hoc enim repugnat voluntati: nam non minùs ageretur voluntas, quam appetitus ſenſitiuus. Vnde, ſi Deo agente (nimirum priùs naturâ) fieret de non volente volens, non eſſet ille actus liber, nec laudabilis: nam actio libera debet eſſe in poteſtate ipſius agentis; ita vt ab alio non moueatur, licet aliquo aßiſtente & cooperante, vt Spiritu ſancto, vel per ſe & immediatè, vel per aliqua dona ſua, vel vtroque modo.* Hæc ille. Nihil poteſt dici clariùs contra illam determinationem.

Scotus. Scotus in. 1. d. 39. hoc euidenter docet, inter cætera ſic ſcribens: *Actus primus* (id eſt, liberum arbitrium habens ſe per modum actus primi, ſeu principij ſuffienter præparati ad eliciendum actũ ſecundum) *conſideratus in illo inſtanti, in quo eſt prior naturaliter actu ſecundo, id eſt, volitione, ita ponit illum in eſſe, tamquam effectum ſuum contingentem, vt prior naturâ poßit æquè ponere aliud oppoſitum in eſſe.* Idem in 3. d. 18. loquens de actu meritorio: *Voluntas*, inquit, *in primo inſtanti, vt prior naturâ ſuo actu, ita contingenter elicit actum, ac ſi per diem præceßiſſet actum.* Atqui nulla cauſa priùs determinata, contingenter agit: nam cauſa determinata ſemper agit quamdiu eſt determinata. Perſpicuũ eſt ergo Scotum velle voluntatem, vt liberè agat, debere eſſe priùs naturâ indeterminatam, & nullam præcedere in ipſa determinationem. Idem docet in 2. d. 39. q. 2. & in 4. d. 1. q. 1. ad vltimum.

Marſilius. Marſilius in 2. q. 16. a. 4. *De natura agentis liberi eſt, vt omnibus eodem modo habentibus, poßit in oppoſita.* Item, *Vt poßit ſe determinare ad acceptationem & refutationem.* Et infrà: *Cauſa determinans voluntatem ad volitionem liberam, non eſt aliud quàm ipſa voluntas per ſuam libertatem.* Vide eundẽ toto illo articulo.

Occam. Guil. Occam, Quòdlib. 1. q. 16. *Libertas, eſt poteſtas quâ poſſum eumdẽ effectum cauſare & nõ cauſare, nullâ diuerſitate circa ipſam potentiam factâ.* Et infrà: *Omnibus requiſitis ad actũ volendi poſitis, poteſt voluntas actum volendi elicere, & non elicere, ſine omni actione intrinſeca, ſolum propter ſuam libertatem.* Idẽ docet in 1. Sent. d. 38. q. vnica & Gab. d. ead. q. vn. Not. 6.

Vbi aduerte, Hos DD. non ſentire voluntatem non eſſe liberam reſpectu actus quem elicit, aut in eo inſtãti in quo agit (vt quidam eis tribuunt:) ſed tantùm docent, libertatem voluntatis non conſiſtere in eo, quòd voluntas eodem inſtanti quo elicit actum, poſſit non elicere, ita vt ſimul ſtent, elicere & non elicere; aut in eo, quòd habeat potentiam ad oppoſita ſimul habenda: ſed in eo quòd poſſit agere & non agere ſucceſſiuè, ſic vt eo inſtanti quo agit, habeat potentiam, vt immediatè poſt hoc inſtans ceſſet ab agendo, poſſitque non agere: & dum non agit, poſſit immediatè poſt hoc inſtans incipere agere, nulla facta variatione circa aliquid eorum quæ ſunt prærequiſita ad agendum vel non agendum. Quæ ſententia veriſſima eſt, loquendo de libertate creaturæ, de qua ipſi agunt: nec repugnat ſententiæ aliorum DD. & benè explicat naturam potentiæ liberæ.

Idem Occam in 2. q. 5. *Deus non attingit effectum priùs quàm cauſa ſecunda; niſi quia perfectiùs & illimitatiùs & independentiùs.* Quod etiam docet Scotus expreſsè in 2. d. 37. & Gabriel ibidem, & Caiet. 1. p. q. 14. a. 13. & q. 19. a. 8.

D. Thomas D. Thomas paſſim docet, voluntatem ideo eſſe liberam, *quia eſt domina ſuorum actuum; & quia habet poteſtatem ad actus oppoſitos.* Quod non poteſt eſſe verum, ſi determinetur ad alteram partem, & illa determinatio non ſit in eius poteſtate. Neque enim erit domina, aut habebit poteſtatem ſui actus ante determinationem; quia ſine determinatione non poteſt agere: neque quando iam erit determinata, quia tunc non poterit non agere. Vide D. Thomã ſuprà q. 1. a. 1. & infrà q. 10. a. 4. vbi expreſsè dicit, *Voluntatem non determinari ad vnũ, ita vt neceſſariò ad illud moueatur, ſed ita vt motus eius ſemper ſit contingens.* Vide eumdem infrà q. 112. a. 2. q. 113. a. 3. & 5. & in 2. Sentent. d. 24. q. 1. a. 1. ad 1. De Veritate q. 22. a. 6. in Corp. Luculentè mentem ſuam exprimit *de malo q. 6. in Corp.* vbi ſic ait: *Quidam poſuerunt, quòd voluntas hominis ex neceßitate mouetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur, non enim omne neceſſarium eſt violentum: ſed ſolùm id, cuius principium eſt extra; violenti autem principium eſt extra.* Deinde poſt pauca: *Hæc autem opinio eſt hæretica; tollit enim rationem meriti, & demeriti, in humanis actibus; nõ enim videtur eſſe meritorium, vel demeritorium, quod aliquis ſic ex neceßitate agit, quod vitare non poßit. Eſt etiã annumeranda inter extraneas Philoſophiæ opiniones; quia non ſolùm contrariatur fidei, ſed ſubuertit omnia principia Philoſophiæ moralis: ſi enim non ſit liberum aliquid in nobis, ſed ex neceßitate mouemur ad volendũ; tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium, circa, quæ moralis Philoſophia conſiſtit.* Hactenus S. Thomas.

Obſerua Lector *Sub hoc ipſum tempus, quo hæc typis mandantur, venit Bulla ab* Vrbano VIII. *Pontifice Maximo contra Librum, cui titulus* Auguſtinus, Cornelij Ianſenij Iprenſium Epiſcopi, *cuius primarius ſcopus erat, oſtendere Chriſti redemptoris gratiam voluntatem neceſſitare ad conſenſum; in quo reuocare, ac reſtituere conatus fuit inter alias* Michaëlis Bay *damnatas Propoſitiones, hanc*: Quod voluntarie ſit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit. Cui malo, *inquit Pontifex*, in ſcandalum totius Reip. Chriſtianæ, & Fidei Catholicæ perniciem vertenti, opportunum remedium adhibere volentes, hãc perpetuò valiturâ Conſtitutione, Pij, & Gregorij Prædeceſſorum Conſtitutiones perpetuò confirmamus, & approbamus. *Itaq; cõformiter ad doctrinã Angelici Doct. & Auctoris noſtri, iam à tribus Pontificibus damnata eſt Propoſitio*: Cum neceſſitate operandi libertatem conſiſtere. *Menſe Iulio An. 1643.*

Bonauent. Idem docet D. Bonauentura in 2. d. 25. q. 2. vbi etiam oſtendit actum liberum debere eſſe deliberatum. At ſi voluntas aliunde debeat determinari, fruſtrà eſſet deliberatio. Et d. 37. q. 1. ad vltimum, docet Deum non præuenire voluntatẽ per ſuam operationem, niſi excitando per gratiam præuenientem: præter hanc excitationem, nullam eſſe præuentionem, ſed ſolùm cooperationem, quæ non præueniat.

Durandus. Durandus in 2. d. 24. q. 1. n. 4. *Liberum arbitrium non inclinat determinatè ad bene vel malè operandum, ſed indifferenter ad vtrumque. Nam libertas nominat illam proprietatem voluntatis, quam habet reſpectu eorum, ad quæ non neceſsitatur.* Et quæſt. 2. num. 12. *Libertas arbitrij eſt, quâ quis poteſt in aliquem actum vel eius oppoſitum contrarie, vel contradictoriè; & ſic libertas excludit omnem neceſſariam habitudinem.*

Arimines. Gregorius Arim. in 2. d. 35. quæſt. 1. art. 3.

Deus sequitur determinationem voluntatis, non quòd determinatio voluntatis sit aliqua entitas distincta à voluntate & actu eius, quæ primò fiat à voluntate (ficut imaginari videtur argumentum.) Nec etiam intelligendum, quòd priùs naturâ voluntas agat actum illum, quàm Deus, propriè loquendo de priori naturâ; quoniam sequeretur quòd posset illud agere Deo non cooperante: sed ad hunc sensum dico Deum sequi determinationem voluntatis, quoniam ideò Deus agit actum illum, quia eum voluntas agit; & non ideò quia Deus agit, voluntas agit. Et ideò magis propriè dicitur coagere voluntati, quàm voluntas dicatur coagere Deo. Omitto alios plurimos recentiores.

10 *Probatur ratione.* Sextò, Probatur ratione vnica. Si voluntas ad actum liberum esset determinata, idem actus esset liber & necessarius; quod implicat: estque damnatum à duobus Pontificibus in hac propositione: *Id quod voluntariè fit, liberè fit, etiamsi necessariò fiat.* Illud autem sequi probatur. Nam non est in potestate voluntatis, vt illam determinationem habeat vel non habeat, vti supponimus (nam actum liberum præuenit:) illa verò determinatione posita, non est in potestate voluntatis actum impedire, hoc autem est actum esse necessarium. Omitto quę dicta sunt 1.p.q.19.a.8.

Ex his colligi potest, duo quædam propria esse causæ liberæ; nempe indifferentiam seu indeterminationem ad suum actum, & potestatem immediatam ad vtramlibet partem contradictionis.

Vnde actus liber duobus modis definiri potest. *Definitio actus liberi.* Primò, sic: *Actus liber est, qui procedit à potentia, quæ in omni instanti priori & temporis & naturæ sit ad ipsum indeterminata.* Hanc habet Scotus in 1. d. 39. & in 3. d. 18.

Secundò, sic: *Actus liber est, quem potentia sic producit, vt positis omnibus ad illum prærequisitis, possit illum non producere.* Hanc passim ponunt DD.

Quæ definitiones faciliùs intelligentur, si explicetur differentia quæ est inter actus liberos & necessarios. Dicuntur autem actus necessarij, seu necessariò ab aliqua potentia procedentes, *ad quos ipsa potentia priùs naturâ est determinata, quàm operetur:* vt ignis necessariò calefacit aquam admotam, quia per calorem est determinatus ad illam actionem, patiente applicato. *Differentia inter actus liberos & necessarios.* Oculus necessariò videt rem obiectam positis omnibus necessarijs ad visionem, scilicet, lumine, specie & obiecto. Nam tunc per speciē, lumen & obiectum, est determinatus ad illam visionem. Appetitus sensitiuus apprehenso obiecto delectabili per imaginationem, necessariò delectatur, nisi voluntas impediat; quia per apprehensionem determinatur ad illam delectationem, ita vt nō possit se cohibere. Denique idē cernitur in intellectu, vt infrà dicemus. Et hæc determinatio, saltem ordine naturæ prior est, quàm ipsa operatio.

Idem dicendū de omnibus alijs potentijs operatiuis quæ sunt in mundo, excepta voluntate, vt rectè docet Scotus in 2.d.39.q.2. in fine. Voluntas enim etiamsi apprehendat obiectum (vt, bonum esse agere pœnitentiam, dare eleëmosynam) imò, etsi Deus immittat illi bonam inspirationē, & piam affectionem, quā ad hoc afficiatur, manet tamen indeterminata ad consensum, quo id absolutè velit; ita vt positis omnibus necessarijs ad consensum, possit non consentire. Itaque sola voluntas, vt est prior naturâ suo actu, manet ad illū indeterminata, estque potens ex sua indifferenti potestate illum elicere & non elicere; cùm omnis alia potentia operatiua, siue creata siue increata sit determinata priùs naturâ quàm operetur; ita vt suam operationem cohibere nequeat.

Sed contrà. Obijcitur Primò, Si talis indeterminatio est de ratione libertatis, ergo Deus non est liber. Patet consequentia; quia eius voluntas non est priùs tempore, vel naturâ indeterminata ad suum velle quàm velit: nam ab æterno voluit quidquid voluit: æterno enim nihil est priùs. Rursus; ergo Adam & Angeli in primo instanti suę creationis nō potuerunt habere actus liberos; quòd expresè est contra D. Augustinū de Genesi ad litterā varijs locis: & contra communem DD. sententiam. Hoc sequi, Patet; quia voluntas eorum non fuit priùs tempore indeterminata: nam ante primum instans suæ creationis non extabat in rerum naturâ, vt posset esse indeterminata. 11 *Obiectiones contra indeterminationem voluntatis soluuntur.*

Respondeo, Non dicimus esse de ratione actus liberi, vt voluntas priùs tempore & naturâ sit indeterminata, quàm operetur; sed vt in omni instāti priori & temporis, & naturæ, quàm actū eliciat, sit indeterminata. Quæ quantum differant, nemo non videt. Non enim dicimus debere aliquod instans temporis præcedere actum; sed si detur instans priùs, siue temporis, siue naturæ, in quo voluntas existat, in eo instanti voluntatem debere esse indeterminatam ad suum actū. Secùs res habet in omnibus alijs potētijs operatiuis, quę semper priùs naturâ quàm agant, sunt determinatæ.

Quod ad voluntatem diuinam attinet, ea non est actus aliquis realiter à voluntate diuina elicitus, de quali actu nobis hîc est sermo; sed est ipsa Dei essentia: vnde non est necessarium in diuina voluntate assignare aliquam naturæ prioritatem, quâ voluntas sit prior suo velle. Potest tamen assignari aliquod instans rationis, habens fundamentum in re ipsa. Nam priùs ratione voluntas diuina est indeterminata, vt velit creaturas esse, quàm ipsas velit; adeò vt in illo priori, sicuti potest eas velle, ita possit nolle. *Quo modo in Deo sit libertas.*

Obijcitur Secundò, Dum voluntas vult, est determinata ad velle: sed hæc determinatio non impedit quò minùs actus sit liber: ergo libertati non repugnat determinatio. 12

Respondeo Primò, Dum voluntas vult, est quidem determinata ad velle: sed hæc determinatio est in plenissima ipsius potestate, ita vt possit eam habere, vel non habere, prout voluerit. Quò fit, vt voluntas secundùm se sit indeterminata ad hanc determinationem: quod sic patet. Nam hęc determinatio, quâ voluntas determinatur ad velle, nihil aliud est, quàm liber influxus voluntatis in ipsum velle, ad quem influxū voluntas secundùm se est indeterminata; nam potest illum cohibere. Secùs est de determinatione præueniente, quæ non est in potestate voluntatis. *Quomodo voluntas etiam tunc cum vult, sit secundum se indeterminata.*

Respondeo Secundò, Etiamsi voluntas dum vult, sit determinata ad velle, scilicet per suum liberum influxum; tamen secundùm se, seu quatenus est naturâ prior suo velle, semper manet ad illud velle indeterminata, etiam in eodem instanti, in quo iam vult. Nam potest ex sua indifferenti potestate etiam tunc suspendere suum velle, & elicere nolle. Secùs est, si voluntas determinaretur priùs naturâ, quàm velit, sic vt positâ illâ determinatione non possit se flectere ad nolle. Talis enim determinatio repugnat libertati.

Obijcitur

13 Obijcitur Tertiò, Talis erat ratio liberi arbitrij in ſtatu innocentiæ, vt ei præueniens determinatio repugnaret. Nunc verò quando voluntas adeò eſt debilitata per peccatum originale, vt nihil poſsit boni ad pietatem pertinens facere, niſi ad hoc efficaciter determinetur, alia eſt quærenda definitio actus liberi. Confirmatur ex D. Auguſtino l. de Corrept. & gratia c. 12.

Reſpondeo, Liberum arbitrium eſſe quidem debilitatum; non tamen extinctum. Extinctum autem eſſet, ſi id, quod ad eius eſſentiam olim pertinebat, iam non pertineret. Nam ratio rei ſemper debet eſſe eadem. Quare, cum debilitatum ſit, rectè ſequitur, debere corroborari per vires gratiæ illi ſuperadditas; ſic tamen vt poſt omnem illam corroborationem maneat indeterminatum, habeatque in ſua poteſtate ſeſe flectere in vtramuis partem, non minùs quàm in ſtatu innocentiæ.

Neque contrarium ſentit D. Auguſtinus lib. de correptione & gratia c. 12. vbi ait, *Subuentum eſſe humanæ voluntatis infirmitati poſt peccatum Adami, vt indeclinabiliter & inſeparabiliter à diuina gratia ageretur.* Senſus enim eſt, vt ita ageretur, non, vt non poſsit declinare à recto, ſed vt reipſa non declinet; vt patet ex verbis quæ ibidem ſubijcit; addit enim; *Et ideò, quamuis infirma, non deficiat.* Verùm de hoc loco, & ſimilibus in Tractatu de gratia.

14 Obijcitur Quartò, Deus eſt infinitæ ſapientiæ & potentiæ: ergo non deeſt illi modus, quo voluntatem determinet; & tamen ita ſuauiter inclinet, vt ipſa liberè operetur. Confirmatur; Quia eius determinatio non tollit naturalem facultatẽ ad contrarium; neque illam aliqua qualitate inficit, ob quam non poſsit in contrarium ferri.

Reſpondeo Primò; Hîc non quæri quid Deus per abſolutam potentiam poſſit; ſed quidnam rerum naturis ſit conſentaneum. Et affirmamus non eſſe conſentaneum naturæ liberi arbitrij, vt ad ſuos actus determinetur.

Implicat eſſe determinatũ & tamen liberè operari.

Reſpondeo Secundò, Per nullam potentiam fieri poſſe, vt voluntas determinetur ad actũ determinatione præueniente, quę non ſit in eius poteſtate (de quali hîc agimus) & tamẽ liberè operetur: hoc enim implicat. Eſſe enim liberum, eſt eſſe indifferens & indeterminatũ; ita vt ſicut ſe poteſt flectere ad hoc, ita poſsit ad oppoſitum. Atqui repugnat, eſſe indeterminatum, & eſſe determinatum: ſicut etiam repugnat, vt vnus idemque actus ſit liber, & neceſſarius.

Ad Confirmationem, Etſi naturalis facultas tendendi in contrarium maneat; tamen poteſtas vtendi illâ in contrarium, non manet; poſitâ enim determinatione ad vnum, voluntas non poteſt vti ſua facultate, vt tendat in contrarium. Sicut, ſi Deus de induſtria voluntatem meam ad amorem Chriſti neceſsitaret; maneret quidem facultas naturalis non amandi, & etiam odio habendi; ſed non poſſem tunc eâ vti, propter illam determinationem: vnde tunc non eſſet libera in illo actu. Neque tunc inficeretur aliqua qualitate, quæ naturalem facultatem ad vnum conſtringat.

Adde, Si, vt voluntas maneat libera, ſatis eſt eam retinere naturalem facultatẽ tendendi in contrarium; nulla eſt nobis controuerſia cum hæreticis in reipſa de libertate, ſed ſolùm in verbis: nam ipſi facilè hæc omnia admittent. Nulla quoque difficultas in intelligendo, quo modo voluntas per gratiam liberè agat: facillimè enim quiuis intelliget per illam determinationem non tolli naturalem facultatem. Alię obiectiones, quę huc reduci poſſent, expeditæ ſunt, partim 1. p. q. 19. partim expediendæ infrà ſuis locis.

DVBIVM II.

Vtrùm intellectui conueniat formaliter eſſe liberum?

DVrandus in 2. d. 24. q. 3. n. 15. docet non ſolùm voluntatem, ſed etiam intellectum eſſe potentiam formaliter liberam reſpectu oppoſitorum; idque priùs & principaliùs, quàm voluntatem: quod probat duabus rationibus. 15 *Durandus affirmat.*

Prior eſt, Illi potentiæ priùs & principaliùs conuenit libertas, per cuius actum, priùs & principaliùs habemus dominium cæterorum actuum: ſed cæterorum actuum dominium habemus priùs & principaliùs per actum intellectûs, quàm per actum voluntatis: ergo intellectui priùs & principaliùs conuenit eſſe liberum, quàm voluntati. Maior per ſe patet, inquit Durandus. Minorem probat: quia, cùm per duos actus habeamus dominium cęterorum; ſcilicet per notitiam mediorum, & per electionem eorundẽ; notitia eſt principalior: nam per notitiam habemus in poteſtatẽ ipſam electionem, & conſequenter omnes actus qui electionem ſequuntur.

Altera eſt, Primi actus, qui ſunt in noſtra poteſtate, ſunt, iudicium concluſiuum rei eligendæ, & electio: atqui iudicium eſt priùs electione: nam electio ſequitur iudicium: ergo priùs libertas conuenit iudicio quàm electioni.

Sed contrarium omnino tenendum. Vnde

Dico Primò, Intellectum non eſſe potentiam formaliter liberam; ſed id ſoli voluntati conuenire. Eſt communis ſententia aliorum DD. in 2. d. 24. & 25. & D. Tho. 1. p. q. 83. a. 4. & alibi. 16 *Refutatur.*

Probatur Primò, Quia intellectus priùs naturâ quàm intelligat, ſeu iudicet, eſt ita determinatus ad intelligendum; vt non poſsit ſuum actum cohibere: ergo nõ eſt formaliter liber. Conſequentia patet ex definitione libertatis. Antecedens probatur, quia intellectus priùs naturâ quàm intelligat, debet eſſe inſtructus ſpecie intelligibili, & applicatus ad conſiderationem obiecti, quâ applicatione poſitâ, neceſſariò elicit actũ intelligendi.

Probatur Secundò, Intellectus nõ ſemper eſt in actu intelligendi: ergo debet ab aliquo applicari. Applicatur autẽ tripliciter, ſcilicet: vel à voluntate; vel inſtinctu naturali, poſita apprehenſione obiecti in vi imaginatiua; vel à Deo per aliquam inſpirationem naturalem, aut ſupernaturalem: atqui nulla ex his applicationibus eſt in poteſtate intellectus: ergo neque actus qui neceſſariò ſequitur poſitâ huiuſmodi applicatione. *Intellectus tripliciter applicatur ad actum.*

Probatur Tertiò, Si intellectus eſſet liber, eſſet liber ad aſſentire & non aſſentire eidem veritati; item ad aſſentire & diſſentire eidem veritati: ſicut voluntas eſt libera ad velle & non velle idem bonum; item ad velle & nolle idem bonum. Atqui non eſt in poteſtate intellectus eidem veritati aſſentire & diſſentire. Nam illa veritas, vel eſt euidens, & ſic non poteſt diſſentire; vel eſt obſcura, & ſic poteſt quidem diſſentire, ſed hoc habet à voluntate; vt patet in rebus fidei, vbi aſſenſus & diſſenſus intellectûs pendet à voluntate: quò fit, vt alterum ſit meritorium, alterum demeritoriũ,

quod est signum libertatis in voluntate, non in intellectu. Similiter non est in potestate intellectus assentire & non assentire, seu assensum cohibere: quia proposito obiecto euidente, necessariò assentitur; proposito obscuro, non assentitur, nisi à voluntate moueatur.

Probatur Quartò, Libertas est perfectio simpliciter potentiæ liberæ; vnde etiam reperitur in Deo: atqui indeterminatio intellectus non est perfectio, sed magna imperfectio; vnde in Deo non reperitur, cuius intellectus ad omne verum est naturaliter determinatus: ergo indeterminatio intellectus non est libertas, sed defectus; ac proinde intellectus non est formaliter liber.

17 Dico Secundò, Potest tamen intellectus dici liber fundamentaliter; quia in ipso est fundamentum libertatis; idque ratione amplitudinis ipsius. Hoc solùm probant rationes Durandi. Docet hoc D. Thomas infrà, q. 13. art. 6. & alij passim Doctores.

Intellectus potest dici liber fundamentaliter, non formaliter.

Probatur, Quia ideò voluntas positis omnibus necessarijs ad volendum, potest idè velle & nolle, quia intellectus in eadem re potest considerare aliquam rationem cur illa res possit appeti, & aliã cur possit reijci; idque non successiuè tantùm, sed simul. Pari modo, ideò voluntas potest idem velle & non velle, seu actum suum suspendere; quia intellectus potest simul considerare in obiecto, vel saltem in illo actu volendi, aliquam rationem boni, & aliquem defectum; verbi gratiâ, illum actum esse laboriosum vel importunum; vel, hîc & nunc non necessarium. Amplitudo itaque intellectus, quâ simul potest eamdem rem, vel eumdem actum sub diuersa ratione proponere voluntati, est radix libertatis, quæ est in voluntate; sicque mediante hac amplitudine habemus omnes actus voluntatis in nostra potestate. Hæc tamen amplitudo intellectus non est libertas formaliter: quia cum hac amplitudine, intellectus potest esse determinatus ab intrinseco ad omnia sua obiecta (vt patet in intellectu diuino) quæ determinatio repugnat libertati. Item hæc amplitudo talis est, vt iudicia vel apprehensiones diuersæ, ratione quarum est libertas in voluntate ad velle & nolle, non insint ei successiuè, sed simul; cùm tamen velle & nolle non possint simul inesse voluntati.

Aliter intellectus, aliter voluntas est indeterminata.

Nec obstat, quòd interdum auctores dicant, voluntatem esse potentiam indeterminatam; quia intellectus est potentia indeterminata: aliter enim intellectus, aliter voluntas dicitur indeterminata. Intellectus dicitur indeterminatus, non quòd respectu eiusdem veritatis sit indifferens ad assensum & dissensum; sed quia non est astrictus ad vnum solum obiectũ, verùm plurima simul possit considerare. Voluntas verò dicitur indeterminata, non propter amplitudinem, qua potest plura simul velle; sed quia respectu eiusdem obiecti est indifferens ad velle & nolle, aut ad velle & non velle.

18 *Responsio ad argumenta Durandi.*

Ex his patet, Primò, solutio rationũ Durandi, quatenus contra nostram sententiã intenduntur. Per actum enim intellectus non habemus alios in nostra potestate formaliter, sed radicaliter; scilicet tamquam per fundamentum libertatis, nõ autem tamquam per actum formaliter liberum. Vnde solùm sequitur, libertatem priùs conuenire intellectui, tamquam causæ & radici, quàm voluntati tamquam subiecto formaliter libero. Simili modo dici posset libertas priùs conuenire essentiæ, quàm potentijs: quia essentiæ conditio est causa cur potentia sit libera.

Notandum est, Durandum in hac sententia supponere tria, quæ falsa sunt. Primum, Voluntatem non esse liberam in appetendo vltimo fine, cùm tamen sit libera quoad exercitium actus. Secundum est, Iudicium conclusiuum consilij esse actum per se liberum, ante omnem actum liberum voluntatis: quod iam refutatum est. Tertium est, Primum actum liberum voluntatis esse electionem medij non necessarij ad finem. Ex his infert quartum, Libertatem priùs conuenire intellectui, quàm voluntati.

19 *Quo sensu liberum arbitrium dicatur facultas Rationis & voluntatis.*

Patet Secundò, Quo modo intelligendum sit quod multi DD. dicunt, liberum arbitrium esse facultatem rationis & voluntatis, & vtramque potentiam complecti. Hoc enim non ita accipiendum est, quasi libertas sit in vtraque potentia: sed quia vtriusque potentiæ facultas requiritur; scilicet, amplitudo intellectûs, vt fundamentum; indifferentia voluntatis, vt formalis & propriè dicta libertas.

DVBIVM III.

Quid sit libertas tum in ipsa potentia, tum in ipsis actibus liberis.

20 *Libertas fundamentalis, quid.*

REspondeo & dico Primò, Libertas fundamentalis nihil aliud est, quàm ipsa amplitudo intellectûs, seu vis intelligendi comparata ad omnia obiecta (siue illa sint res, siue actus) in quibus potest aliquam rationem boni, & aliquam defectûs considerare. Vnde non differt ab ipso intellectu, nisi ratione: est enim ipsa vis intelligendi inadæquatè considerata.

Libertas formalis, quid.

Dico Secundò, Libertas formalis nihil aliud est, quàm vis voluntatis, considerata, vt est indeterminata, & tamen proximè sufficiens ad velle & nolle; ad velle & non velle eiusdem rei. Itaque non differt, nisi ratione, ab ipsa voluntate, sed est ipsa voluntas inadæquatè considerata; scilicet respectu obiectorum, & actuum, in quibus consideratur aliqua ratio boni, & aliquis defectus.

Actus elicitus & imperatus.

Quòd autem ad actus liberos attinet; notandum est, alios vocari elicitos, alios imperatos. *Elicati* dicũtur, qui à voluntate eliciuntur, & in ipsa existunt. *Imperati*, qui ab alijs potentijs eliciuntur voluntatis imperio. Quamquam & in ipsa voluntate esse possint, dum per vnum actum, alium imperat. Nunc

Libertas in actibus elicitis, quid.

Dico Tertiò, Libertas in actibus elicitis voluntatis, præter entitatem actus, nihil est aliud, quàm habitudo ad causam indeterminatam, à qua immediatè procedit. Probatur, Quia præter substantiam actus, & illam dependentiam à causa indeterminata, nihil est necessarium, vt actus voluntatis dicatur liberè fieri.

Si quæras, quid sit illa habitudo? Respondeo, Esse dependentiam à causa efficiente indeterminata; dependentia autem, præter rem quæ dicitur dependens, nihil dicit, nisi denominationem extrinsecam à tali causa; vt alibi ostensum est. Quò fit, vt libertas in actibus voluntatis, præter entitatem actus nihil addat, nisi denominationem extrinsecam à causa libera.

Dico

Libertas in actibus imperatis, quid.

Dico Quartò, Actus aliarum potentiarum vocantur liberi denominatione planè extrinseca ab actu libero voluntatis, vnde aliquo modo dependent. Itaq; libertas in his actibus nihil est nisi denominatio extrinseca ab actu libero voluntatis.

Confirmatur; Quia omnes actus aliarum potentiarum respectu principiorum, à quibus immediatè procedunt, sunt necessarij: ergo non possunt dici liberi, nisi respectu voluntatis, à qua mediatè pendent. Atqui non pendent à voluntate nisi mediante aliquo actu formali, vel interpretatiuo: ergo ratione huius actus dicuntur liberi.

Ex his patet, actum elicitum voluntatis & imperatum eàdem omninò libertate liberum esse. Actus enim elicitus est liber seipso; quia ipse per se & immediatè pendet à causa libera: vnde etiam dicitur liber intrinsecè; quia per suam entitatem sic dependentem est liber. Actus autem imperatus est liber formaliter per actum elicitum voluntatis: quò fit, vt non addat nouum meritum actui interno; vt suo loco dicemus.

ARTICVLVS III.

Vtrùm voluntarium possit esse absque omni actu?

22 Conclusio est, Id quod directè est voluntarium, non potest esse sine omni actu voluntatis: sed voluntarium indirectè, sine omni actu esse potest.

Aduerte, Non esse difficultatem de voluntario directo. Esse enim directè voluntarium, est esse directè volitum, vel esse actum, quo aliquid directè volitum est. Nihil autem potest esse directè volitum, nisi per aliquem actum positiuum voluntatis.

Indirectè voluntarium quid.

Sed difficultas est de volùtario indirectè, quod etiam dicitur voluntarium interpretatiuè. Voluntariũ indirectè dicitur, quod non est in seipso volitũ, sed in alio, ex quo aliquo modo, tamquam ex causa, sequitur: quod dupliciter fieri potest.

Fit id dupliciter.

Primò, Si ex actione directè voluntaria sequatur aliquis euentus præter expressam intentionem; ratione tamen aliquo modo aduertente: vt si non satis circumspectè emittens sagittam, aliquem interficias; occisio erit indirectè voluntaria; quia sequitur ex actione directè voluntaria, cum aliqua rationis aduertentia: (aduertebas enim actionem tuam esse periculosam.) Sic qui peccat, indirectè seu interpretatiuè vult Dei inimicitiã, vitæ æternæ priuationem, & similia. Secundò, Si ex omissione voluntaria alicuius actionis sequatur aliquis euentus, ratione aliquo modo aduertente; vt si omittas succurrere proximo in necessitate, & ille moriatur; mors eius censebitur tibi voluntaria.

Aduerte tamen, non omne illud quod sequitur ex actione positiua, vel omissione alicuius actionis, censeri voluntarium: sed illud tantùm quod tenebaris impedire; vt statim ostendemus.

Prior modus voluntarij indirecti, non poterit esse sine omni actu voluntatis; quia sequitur ex eo quod directè voluntarium est, in quo, tamquã in sua causa, est volitum. De secundo, est difficultas. Et quamuis D. Thomas potissimùm loquatur de euentu, qui sequitur ex omissione; tamen explicandum est generatim de ipsa omissione, & de euentu ex omissione, quando sint voluntarij.

DVBIVM I.

Quando omissio sit voluntaria.

23 Respondeo, Omissio est voluntaria; Primò, Quando est directè volita; vt si nolis audire Sacrum. Secundò, Quando aliquid voluntariè facimus, quod nobis est causa omissionis; vt si velis ambulare, & idcircò Sacrum omittas. Tertiò, Potest omissio actus exterioris vel interioris esse voluntaria, sine omni actu interno vel externo, qui sit causa illius omissionis. Colligitur hoc ex D. Thom. in corpore, & ad 3.

Omissio triplicitèr voluntaria.

Datur omissio pura libera.

Probatur, Quia potes omittere Sacrum absque hoc quod nolis audire Sacrum; aut velis aliquid vnde necessariò sequatur omissio Sacri, tamquam effectus; seu, quod sit tibi causa, cur Sacrũ omittas: pari modo potes omittere internos actus; vt actũ amoris Dei, odij peccati, absque alio actu interno, qui tibi sit causa omittendi. Datur ergo omissio exterior, & interior voluntaria sine omni actu.

Ratio à priori est; quia, sicuti voluntas liberè potest velle, scilicet audire Sacrum, & nolle: ita etiam potest suum actũ suspendere, vt neq; velit, neque nolit. Et hæc suspensio, (quæ nihil aliud est, quàm omissio actus interni) est omninò libera; ac proinde voluntaria, & consequenter etiam omissio exterior eam consequens, erit voluntaria. Vide infrà q. 7. a. 6.

Vt hæc omissio sit voluntaria, tria requiruntur.

Aduerte tamẽ, tria requiri vt omissio hoc tertio modo sit voluntaria. Primò, vt id quod omittis, possis facere. Si enim quod omittis, non est in tua potestate præstare, omisio non erit tibi voluntaria, etiãsi esset expressè volita: vt si ob morbum non possis audire Sacrum, vel recitare officium; omissio ista, etiamsi fortè à te sit volita, non tamen tibi censetur voluntaria; quia non pendet à tua voluntate, sicut effectus à causa: sed pendet à morbo: vnde etiamsi esset lata excommunicatio in omittentem, non incurreres illam, quamuis ex malitia illam omissionem velles. Sic, qui omittit soluere cùm non possit, omissio illa non est ei voluntaria, neque contra iustitiam, etiamsi ipse ex malitia nollet soluere.

Secundò, Vt aduertat se posse facere, idque vel distinctè, vel saltem in confuso: si enim nullo modo aduertat, omissio non erit voluntaria. Ratio est, quia quidquid actu est voluntariũ, debet esse aliquo modo cognitum; alioquin quidquid homo quouis momento non agit, censeretur voluntariè omittere: vnde singulis propè momentis haberet innumeras omissiones volũtarias; quod absurdũ.

Tertiò, Requiritur vt non agat. Hoc enim per se primò est necessarium ad substantiã omissionis.

24 Quidam addunt quartũ, scilicet, vt opus quod omittitur, sit præceptum. Verùm, etsi præceptum operis sit necessarium, vt omissio sit culpabilis; non tamen vt sit voluntaria. Probatur, quia omissio rei nõ præceptæ, potest esse directè voluntaria; vt non ducere vxorem, non ingredi Religionem. Ergo etiam indirectè, nempe tunc quando voluntas ita se gerit, ac si directè vellet omittere; vt cùm quis absque hoc quod velit aut nolit, Sacrũ non præceptum negligit. Confirmatur; quia sicut voluntas volendo est causa operis: ita non volendo seu suspendendo suum velle, est per se causa omisionis actus externi. Causa enim effectûs per se priuatiui, debet esse priuatiua: ergo vt omissio sit voluntaria absque vllo actu, non requiritur vt sit contra præceptum.

Non requiritur vt opus quod omittitur, sit præceptum.

Dices, Fieri nequit, vt quis sciens omittat aliquid, nisi voluntariè aliquid faciat, cui omissio illa necessariò sit coniuncta: qui enim omittit Sacrum, simul vult aliquid, cum quo simul stare nequit Sacri auditio; vt ambulare, studere, & similia: ergo omissio numquam est sine aliquo actu.

Respondeo, Non negamus quin omissioni semper aliquis actus voluntarius coniunctus sit: sed dicimus, omissionem non habere ab illo actu quòd sit voluntaria; quia actus ille non est causa omissionis, neque ab illo pendet omissio; sed tantùm per accidens ei coniungitur; vt patet, cùm quis omittens Sacrum, vadit ambulatum; non tamen ideò omittit vt ambulet.

DVBIVM II.

Quando euentus, qui ex omissione sequitur, censeatur voluntarius?

25 Respondeo, Præter tria suprà dicta, scilicet vt possit euentum impedire, vt aduertat se posse, & vt omittat impedire, requiritur vlteriùs quartum, nempe præceptū, vt teneatur impedire.

Vt euentus censeatur tibi voluntarius ex omissione, requiritur vt tenearis illum impedire.

Colligitur ex D. Thoma hoc loco, cùm ait: *Id quod sequitur ad defectum actionis, non semper reducitur sicut in causam, in agens, eò quòd non agat.* Probatur exemplis: nam ex eo quòd Deus non impediat hominum malitiam, eueniunt multa peccata; non tamen peccata sunt Deo voluntaria, sed inuoluntaria; vtpote contra expressam ipsius voluntatem, etsi non efficacem. Cuius non est alia ratio, nisi quòd non teneatur illa impedire: omissio tamen non impediendi, est illi omninò voluntaria; quia directè vult non impedire. Pari modo, si ex eo, quòd omittam pugnantes separare, sese interficiunt, mors eorum non est mihi voluntaria, quando absque periculo non poteram; quia non tenebar eam impedire cum periculo vitæ meæ; omissio tamen separandi, voluntaria est. Denique est hoc adeò verum, vt non solùm euentus secutus ex libera omissione censeatur non voluntarius, si non tenearis illum impedire; sed neque etiam is, qui sequitur per accidens ex aliqua positiua actione, quando illam actionem non tenebaris propter illum euentum euitare. v. g. si ex eo, quòd pulchra mulier prodit in publicum, sequatur aliquos eius formâ prouocari; euentus ille non censetur illi mulieri voluntarius, qui præter eius intentionem secutus est; quia non tenebatur abstinere à publico, vel ornatu conueniente, ad illum euentum euitandum.

26 Petes, Quare euentus secutus per accidens ex aliquo opere, vel operis omissione, censetur potiùs esse voluntarius, quando tenemur illum impedire, quàm quando non tenemur; cùm tamen omissio censeatur voluntaria, etiamsi non teneamur eam vitare?

Cur euentus, quem non teneris impedire, censeatur minùs voluntarius, quàm omissio censeatur voluntaria quā non teneris vitare.

Respondeo; Omissio est voluntaria, quia per se & directè pendet à voluntate, vel directè volente omittere, vel suspendente actum suum: vnde ad hoc non requiritur vt sit contra præceptum. Euentus autem qui præter intentionem sequitur ex opere, vel operis omissione, non pendet per se à voluntate: quia neque directè volitus est, neque sequitur directè ex volitione, vel omissione voluntatis: vnde voluntas non potest esse causa physica huius effectus, præsertim quando sequitur ex omissione; omittendo enim non potest effectum positiuum realiter causare. Censetur tamen hic euentus voluntarius, quando tenemur impedire, & non impedimus: quia secundùm æstimationem moralem censemur tunc illum voluisse. Ratio est, quia quando est obligatio impediendi euentum, quamdiu ea viget & vrget, nulla potest esse iusta ratio non impediendi. Vnde si non impediat, præsumitur euentum voluisse; sicque imputatur, ac si voluisset directè: quamuis non æquali gradu.

Confirmatur à simili; Si enim voluntas non impediat euentum quem tenetur impedire, perinde censetur facere, ac si columna fulciendæ domui constituta, seipsam subtraheret; ex qua subtractione sequeretur domus ruina. Vnde sicut illa subtractio esset causa ruinæ, ita omissio voluntatis obligatæ ad aliquem effectum impediendum, censetur causa illius effectus. Si verò non teneamur euentum impedire, non possumus præsumi illum voluisse, ex eo quòd non impediamus; quia iustam causam habemus non impediendi. Vt si non succurras laboranti extrema fame, eò quòd tu vel parens tuus in simile periculum incideret; non censeris voluisse eius mortem. *à simili.*

ARTICVLVS IV.

Vtrùm voluntati possit inferri violentia?

Conclusio est, Voluntati posse vim inferri, quòd attinet ad actus imperatos; non tamen secundùm actus elicitos. 17

Notandum est, Etsi Coactum & Violentum sæpè pro eodem accipiantur, quia vtrumque est contra propriam inclinationem; est tamen inter hæc nonnulla distinctio. Itaque vtriusq; ratio est explicanda. *Violentum* dicitur, *cuius principium est extrà, nihil conferente eo, quod patitur.* Colligitur ex Aristot. 3. Ethic. cap. 1. Sensus est, Violentum dicitur, quod non oritur ab interna inclinatione, sed à causa extrinseca irrogatur, nihil conferente passo; id est, passo renitente in contrarium; vt rectè explicat Almainus Tractat. 1. moralium, cap. 2. & Alij. Nisi enim hæc particula sic explicetur, oportebit fateri omne subiectum vim pati, dum perficitur; & materiam violentè informari formâ, animam gratiâ, aërem lumine (quod tamen absurdissimè diceretur, cùm hęc secundùm naturalem inclinationem recipiantur) quia hæc inferuntur à causa extrinseca, subiecto nihil conferente, seu coadiuuante. Debet ergo illa particula exponi contrariè; vt idem sit quod *renitente subiecto.* *Quid violentum.*

Clariùs sic, *Violentum est, quod irrogatur à causa extrinseca, contra internum rei appetitum, siue naturalem, siue elicitum.* verbi gratia, Motus lapidis sursum, violentus est; quia infertur à causa extrinseca contra internum lapidis nutum, quo deorsum inclinat: calefactio aquæ violenta est respectu aquæ; quia ab extrinseco infertur contra internam eius propensionem: materiæ primæ (si tamen est aliqua, præter elementa) nihil est violentum; tum quia nihil est contra eius inclinationem; tum quia non habet vllam inclinationem nisi passiuam, id est, ad recipiendum. Violentum autem debet esse contra inclinationem actiuam, & veluti renisum ipsius rei; vel

vel certè contra formalem, qualis est inter formas, quæ se vicissim expellunt: vt si diuina virtute cum calore in aqua cõseruaretur frigus; tunc enim vtraque forma alteri esset violenta, seu violentè illi coëxisteret. Quidquid igitur in tota creatura fit à causa extrinseca, siue creata, siue increata, contra inclinationem rei, est violentum.

28 *Quid Coactum.* *Coactum* autem dicitur, *quod a causa extrinseca infertur contra appetitum elicitum.* Vnde solùm locum habet in brutis, hominibus, & Angelis; ac proinde minùs latè patet quàm violentum. Omne enim coactum, est violentum; non contrà; vt patet ex definitione. Nec obstat, quòd dicamur aliquid facere coacti, quod tamen à principio intrinseco, scilicet voluntate & potentiâ motiuâ facimus: quia talis est imperfecta coactio; quatenus nimirum est à causa extrinseca cõtra quandam voluntatem imperfectam & inefficacem; vt est id, quod cũ metu facimus: vellemus enim non facere, si commodè possemus; omnibus tamen consideratis absolutè volumus. His positis.

DVBIVM I.

Vtrùm voluntati aliquo modo possit vis inferri circa actus internos ipsi inexistentes, vel circa huiusmodi actuum carentiam?

29 *Nominales.* OMissâ quorumdam Nominalium sententiâ, qui putant actus voluntatis extrinsecus infundi posse.

Dico Primò, Fieri nullo modo posse, vt voluntas vim patiatur circa suos actus internos, quibus, v. g. vult, amat, odit, gaudet; siue, vt isti actus sint violenti.

Probatur, Quia fieri nequit, vt isti actus voluntatis, sint à principio extrinseco, voluntate, nihil ad eos cooperante: ergo fieri nequit, vt sint violenti. Consequentia patet à definitione. Antecedens probatur, Quia omnis actus quo voluntas vult, est actus vitalis, & vita quædam, de cuius ratione est procedere à principio intrinseco; vt supra ostensum est. Hinc infero idem dicendum de actibus intellectus, sensuum interiorum & exteriorum, & appetitus sensitiui, comparatis ad potentiam, à qua eliciuntur: nullus enim huiusmodi actus potest esse violentus respectu suæ potentiæ, cuius est actus vitalis; vt etiam rectè docuit Durandus in 2. d. 25. q. 3. Aduerte tamen, Etsi nullus actus voluntatis possit esse violentus, vel coactus; potest tamen aliquis esse inuoluntarius, vt patet in primis motibus rationem præuenientibus; sunt enim contra voluntatem elicitam: non tamen sunt à principio extrinseco, vt postulat violentum.

Nullus actus potest esse violentus respectu suæ potentiæ.

Dico Secundò, Etiamsi huiusmodi actus secundùm suam substantiam produceretur à solo Deo in voluntate, non possent tamen esse violenti respectu naturalis inclinationis voluntatis: possent tamen esse violenti & coacti respectu appetitus eliciti.

Prior pars est Durandi suprà, & probatur; Quia inclinatio voluntatis est ad omnem actum quem potest recipere, neque renititur in recipiendo: sicut & in cæteris potentijs est inclinatio ad omnem actum, cuius potentiæ sunt capaces, quæ non renititur; in intellectu ad omnem intellectionem recipiendam; in visu ad omnem visionem; sicut in materia est potentia ad omnem formam. Itaque voluntas respectu naturalis potentiæ non potest vim pati.

Nullus actus, etsi extrinsecè infusus, potest esse violentus potentiæ naturalis.

Altera pars probatur; Quia voluntas per actũ elicitum potest reniti infusioni talis actus, sicut & infusioni habitus, & gratiæ, expressè nolendo, vt talis actus vel habitus infundatur: & sic talis infusio erit violenta & coacta; vtpote renitente voluntate per actum elicitum.

Hinc inferunt; Gregorius in 2. d. 25. & alij 30
Nominales, fieri posse per potentiam Dei absolutam, vt simul in voluntate existant volitiones contrariæ; v.g. Vt quis simul Deum odio habeat per actum à se elicitum, & amet per actum à Deo infusum, qui odio sit contrarius.

Amorẽ & odium nullo modo posse esse in eodem respectu eiusdem.

Sed reuerà neque id sequitur iuxta nostram sententiam; neque vllo modo videtur verum.

Primò, Quia per istum amorem violentè infusum, voluntas non amabit Deum; amare enim est vitaliter in se amorem elicere. Secundò, Quia iste amor infusus naturaliter excludet odium; Deus enim non potest illud supernaturaliter conseruare, quia esset auctor peccati. Tertiò, Etiamsi cætera omnia concederentur; isti tamen actus non possunt esse simul; quia alter alterius obiectum vicissim interimit: amor enim statuit bonum, & tollit malum; odium statuit malum, & tollit bonum. Vnde, sicut implicat vt quis simul effectum det bonum, & tollat; ita etiam implicat vt simul affectu det & tollat, quod fit per amorem & odium. Pari ratione non potest quispiam eidem veritati simul assentire & dissentire; quia assentiendo, statuit esse verum, & non falsum; dissentiendo, statuit esse falsum, non verum.

Quidam aliam rationem afferunt, nempe requiri, vt versentur circa idem obiectum eodem modo apprehensum, & sub eadem ratione. Vnde si versentur circa diuersa obiecta, vel circa idem diuerso modo consideratum, non fore contraria. Sed hæc ratio non videtur vera: sicut enim vt duo assensus sint contrarij, non est necesse, vt ob eamdem causam dissentias, ob quam alius assentit: sed sufficit, vt absolutè dissentias, negans esse verum, quod alius affirmat esse verum, etiamsi diuersis rationibus moueamini: ita, vt amor, & odium sint contraria, non requiritur vt eadem sit causa amoris & odij. Confirmatur, Quia alioquin non esset possibile odium, quod sit contrarium amori diuino. Nam fieri nequit vt Deus odio habeatur propter excellentiam suæ bonitatis, ob quam amatur, sed ob aliam causam habetur odio; nempe quia pœnam infert. Itaque solùm requiritur vt vnum idemque obiectum absolutè ametur volendo ipsi bonum, & non malum; & absolutè odio habeatur volendo illi malum, & nullum bonum, etiamsi ob diuersas rationes id fiat. Fateor tamen maiorem esse contrarietatem actuum, quando est eadem ratio & causa.

Dico Tertiò, Etsi voluntas non possit vllo 31
modo vim pati in actionibus suis eliciendis, siue in actibus positiuis; potest tamen aliquo modo vim pati in non eliciendis, seu in actuum carentia. Vbi

Voluntas dupliciter potest ab actu suo impediri.

Notandum est, dupliciter, voluntatem impediri posse ne amet, aut odio habeat, aut delectetur.

Primò, Si Deus intellectum distrahat, voluntate renitente, ne de re amanda cogitet, ne delectetur.

ctetur affectus. Hîc propriè & immediatè voluntas nõ patitur vim circa carentiam sui actus, quasi violenta sit illi hæc amoris vel delectationis carentia; quia hæc carentia prouenit voluntati ab intrinseco (intellectu enim non valente comprehendere obiectum amabile, secundùm inclinationem naturalem voluntatis est, vt careat affectu amoris illius obiecti) sed immediatè vim patitur circa carentiam actus intellectus; quia intellectus à causa extrinseca impeditur à consideratione obiecti contra renisum voluntatis. Vnde ipsa etiam voluntas remotè seu mediatè vim patitur circa carentiam sui actus, qui debebat sequi ex consideratione intellectus.

Secundò, Potest voluntas impediri subtractione concursus diuini, immediatè ad ipsius actum necessarij; idque apprehenso iam obiecto per intellectum, & voluntate ad illud vel habitu vel motu præueniente affecta: quo modo quidam Doctores putant confirmatos in gratia non posse mortiferè peccare. Etsi enim apprehendant bonum delectabile, & voluntas ad illud motu aliquo primo sollicitetur; tamen si Deus nolit præbere suum concursum ad eliciendum consensum, non poterunt consentire. In hoc & simili casu Almainus Tract. primo moralium c. 2. & Palud. in 4. quem ibidem citat, putant voluntatem violentè impediri, & carentiam consensus esse violentam ipsi: & ratio est; quia prouenit à principio extrinseco, scilicet à Deo suspendente suum concursum; & est contra voluntatis inclinationem, quam habet ad illum consensum ratione primi motus, seu affectus præuenientis.

Almainus. Palud.

Quæ sententia, quod ad rẽ attinet, mihi placet, eamque tradit Gabr. in 2. d. 25. q. vnica, a. 3. propositione tertia. Nam sicut potest fieri vis alicui rei, inferendo aliquid positiui contra naturalem inclinationem vel appetitum elicitum; ita potest fieri vis subtrahendo aliquid positiui contra rei inclinationẽ, quod fit per potentiam causæ superioris suspendentis suum influxũ, quem causa inferior postulabat. Quo modo dici potest, ignem Babylonicum per vim prohibitum diuinitus ab vrendo; nam positis omnibus antecedenter necessarijs ad vrendum, & vi ipsius naturali ad hoc determinata, impeditus fuit contra naturalem inclinationem. Sic si quis videns Deum, non amaret, aut non gauderet, ob defectum concursus diuini; per vim censeretur impediri: quia quòd non amaret, aut non gauderet, esset contra naturalem inclinationem actiuam. Si tamen modum loquendi vulgarem spectemus, propriè non dicetur voluntas hîc vim pati aut βιάζεσθαι; Nam hoc nomen designat aliquam positiuam impressionem fieri à causa extrinseca, quâ impediatur à suo natiuo motu: hîc autem nihil positiui infertur. Verùm hoc ad modum loquendi pertinet.

Gabriel.

DVBIVM II.

Vtrùm voluntas possit vim pati in actibus imperatis, & eorum cessatione?

32 REspondetur Posse, vt rectè hîc D. Thomas. Hoc tamen sic intellige, non quòd actus aliquis possit imperari à voluntate, seu ab eius pendere imperio, & simul esse violentus voluntati, hoc enim implicat (si enim pendet à voluntatis imperio, iam non est à vi extrinseca voluntati, sed ab intrinseca, ac proinde non est violentus) sed quòd illi actus, qui aliàs solent imperio voluntatis excitari in ceteris animæ potentijs, possint ab extrinseca causa excitari contra renisum voluntatis. Explico id in singulis potentijs subditis voluntati.

Voluntas potest vim pati circa actum intellectus dupliciter.

Primò, In intellectu, qui dupliciter potest habere aliquem actum seu cogitationem contra renisum voluntatis: Primò, Si Deus immediatè illum applicet ad cogitandum; & tunc violentia proximè erit in actu intellectus: sic damnati perpetuò coguntur omnes suas miserias cogitare, vt quidam docent. Secundò, Si proponatur intellectui obiectum mediante phantasia, voluntate renitente: sic hominibus bonis & malis multæ incidunt cogitationes contra voluntatem. Hîc tamen vis ipsa non est immediatè in actu intellectûs; neque etiam in actu phantasiæ (quia nulla causa creata extrinseca potest immediatè in actũ intellectus vel phantasiæ, vel sensus exterioris influere) sed in motione spirituum, vel sanguinis, vel in alio actu, quo obiectum interiùs offertur; quo proposito naturaliter sequitur actus phantasiæ vel intellectus.

Similiter circa actũ phantasiæ & sensuum externorum.

Ijdem modi duo locum habent in phantasia & sensibus exterioribus: possunt enim hæ vires immediatè applicari à Deo ad operandum contra voluntatis renisum (potest enim Deus facere, vt videas etiam clausis oculis, & obturatis auribus audias) & tunc vis immediatè est in ipsa sensuũ operatione: at causæ creatæ non possunt id immediatè, sed solùm mediante alio; quatenus offerunt obiectum, vel impediunt ne quid interueniat inter obiectum & sensum; nam etiam tunc sensus necessariò operantur, etsi voluntas renitatur; quia ipsorum operatio non subest arbitrio voluntatis, nisi indirectè & remotè, quatenus in potestate voluntatis est mouere membra, ea applicando, auertendo, vel aliquid interponendo.

33 *Potest vim pati in cessatione actuum imperatorum, dupliciter.*

Dico Secundò, Voluntas potest vim pati in cessatione actuum imperatorum, seu aliarum potentiarum. Patet ex D. Thoma. Potest autem id fieri dupliciter: Primò, Si membrum aliquod vi detineatur ne possit moueri, vel spiritus ad motum necessarij subtrahantur, voluntate ad motum conante. Secundò, Si omnibus necessarijs positis, & voluntate conante ad motum, Deus nõ præbeat concursum.

Dico Tertiò, Violentia quæ infertur voluntati circa actus imperatos, non est violentia respectu ipsarum potentiarum, à quibus isti actus procedunt; sed solùm respectu voluntatis. Patet ex dictis suprà. Nam oriuntur isti actus ab intrinseca vi illarum potentiarum, & sunt iuxta illarum inclinationem. Idem dicendum de cessatione actuum, præter eam quæ fit subtractione concursus diuini. Omnis enim cessatio actus earum potentiarum, quæ imperio voluntatis subsunt, est naturalis ipsis potentijs, præter illam quæ fit per nudam concursus diuini subtractionem; vt patet ex supradictis.

Quæ cessatio ipsis potentijs sit violenta.

ARTI-

ARTICVLVS V.

Vtrùm violentia cauſet inuoluntarium.

34 SEnſus eſt; Vtrùm effectus, qui per vim ſeu violentè in nobis cauſatur, ſit inuoluntarius.

Concluſio eſt, omninò eſſe inuoluntarium.

Probatur Primò, Quia ratio violenti hoc includit, vt ſit contra propriam inclinationem eius, cui violentum dicitur: atqui propria inclinatio hominis vt homo, eſt per voluntatem elicitam: ergo quidquid eſt homini violentum, eſt contra ipſius voluntatem; & conſequenter inuoluntarium.

Vbi aduerte, D. Thomam hîc loqui de violentia, quæ infertur homini, quâ homo eſt, vt patet in reſponſione *ad tertium*. Nam quæ alijs rebus infertur, non pertinet ad negotium morale.

Secundò Probatur; Sicut violentum in alijs rebus opponitur ei, quod eſt ſecundùm naturam, ita in homine opponitur ei, quod eſt ſecundùm voluntatem, ſeu voluntarium: ſed voluntario opponitur ſolum inuoluntarium: ergo violentum homini eſt inuoluntarium. Quare, cum violentia cauſet effectum violentum, cauſat inuoluntarium.

Tria cauſant inuoluntarium. Notandum eſt, tria eſſe quæ cauſant inuoluntarium (de quibus D. Thomas hoc art. & ſequentibus) vt docet Almainus cap. 2. tract. 1. de moralibus. Et colligitur ex Ariſtotele 3. Ethic. c. 1. nempe, Vim, Metum, & Ignorantiam. Vis & Ignorantia faciunt vt opus ſit omninò inuoluntarium. Metus verò ſolùm facit, vt ſecundùm quid cenſeatur inuoluntarium; abſolutè tamen voluntarium.

Hinc ſequitur, vt, quidquid agimus vel patimur ab externa aliqua cauſa, voluntate repugnante quantum poteſt, & debet; non imputetur nobis ad culpam; quia eſt violentum, ac proinde omninò inuoluntarium. Quod etiam colligitur ex Apoſt. Roman. 7. & principio capitis 8. & capitulo Presbyteros diſt. 50. & cauſa. 22. q. 1.

35 *Obiectiones ſoluuntur.* Dices Primò, Si quis te neque volentem, neque nolentem, ſed permittentem trahat, motus iſte erit violentus; tamen non erit inuoluntarius: ergo vis non ſemper cauſat inuoluntarium.

Reſpondeo, Iſtum motum non eſſe propriè violentum ſeu coactum homini, vt homo eſt; quia non ſit renitente voluntate, quantum poteſt; ſed ſolùm eſt violentus corpori, vt graue eſt: vnde non eſt mirum ſi non ſit propriè inuoluntarius. Si tamen tenebaris iſtum motum impedire, & non impedias cum poſsis, cenſebitur tibi abſolutè voluntarius; vt patet ex dictis art. 3. Nam ſequitur ex omiſſione voluntaria, cùm tamen deberes impedire. Quòd ſi non tenebaris impedire, nec erit tibi voluntarius, nec inuoluntarius; ſed ſolùm non voluntarius, ſeu permiſſus.

Nō eſt violentum homini quod ipſe patiatur, niſi reſiſtat, quātum debet.

Hinc fit, vt ſi puella quæ defloratur, non reſiſtat quantum debet, non cenſeatur vi, neque abſolutè inuoluntariè id pati, ſed voluntariè; quia ſequitur ex omiſſione voluntaria, & tenebatur impedire. Quòd ſi metu mortis non reſiſtat, etſi omiſſio illa reſiſtēdi ſit abſolutè voluntaria, (eſt enim ex metu tantummodò illa omiſſio, qui ſolùm facit inuoluntarium ſecundùm quid) tamen euentus ſecutus, ſcilicet defloratio, eſt omninò inuoluntarius, imò & violentus; quia infertur ab extrinſeco, voluntate reſiſtēte quantum poteſt & debet.

Dices Secundò, Paſſiones Chriſti & Martyrum non erant coactæ, nec inuoluntariæ; non enim contra voluntatem patiebantur; erant tamen violentæ, quia per vim extrinſecus illatam contra naturalem inclinationem, quæ appetit ſuppoſiti conſeruationem: ergo violentia non ſemper cauſat inuoluntarium. 36

Reſpondeo, Etſi erant violentæ reſpectu naturalis inclinationis voluntatis; tamen non erant violentæ reſpectu voluntatis deliberatæ: nam volebant illas excipere, & voluntas ad eas cooperabatur, quatenus ſe voluntariè offerebant, & nolebant ſubtrahere: vel ſaltem quatenus malebant illas pati, quàm veritatem negare. Vide D. Thomam in reſpon. *ad ſecundum*. *Quomodo paſſiones Martyrum non erant violenta.*

Vbi tamen aduerte, Paſſiones iſtas non dici propriè voluntarias, quatenus Martyres ſe habebant merè paſſiuè: quia voluntarium eſt quod pendet à voluntate aliquo modo, vt effectus à cauſa. Nec ſufficit quòd illis placuerint per modum obiecti; alioquin paſsiones Martyrum eſſent etiam nobis voluntariæ, quia placent noſtræ voluntati. Sed dicuntur voluntariæ, quia Martyres ad illas voluntariè cooperabantur; ſicut dictum eſt.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm metus cauſet inuoluntarium ſimpliciter.

SEnſus eſt, Vtrùm id quod metu facimus, aliàs non facturi, cenſeatur abſolutè inuoluntarium. 37

Concluſio, Id quod metu fit, eſſe mixtum ex voluntario, & inuoluntario; ſic tamen vt ſit voluntarium ſimpliciter, inuoluntarium ſecundùm quid.

Ratio eſt, Quia id quod metu fit, acceptum cum circumſtantijs quibus fit, eſt abſolutè volitum. Cuius ſignum eſt, quòd ex vi illius voluntatis homo ſe applicet ad externam operationem: vt patet, cùm quis metu naufragij in tempeſtate procijcit merces: hæc proiecto tali tempore & loco eſt abſolutè volita; tamen ſecundùm quid eſt inuoluntaria; quia conſiderata nudè extra tale periculum, planè diſplicet voluntati.

Vbi Notandum Primò, metum differre à violentia; quòd violentia non inclinet voluntatem; ſed illa omninò repugnante, ſuum effectum ponat: metus verò inclinet voluntatem, vt ipſamet aliquid velit & faciat quod per ſe conſideratum illi diſplicet, idque ad vitandum maius malum.

Notandum Secundò, cùm aliquid metu fit, interuenire quatuor actus. Primus eſt, Timor maioris mali; vt naufragij. Secundus eſt, volitio alicuius operationis; v. g. iectionis mercium, vt illud maius malum auertatur. Tertius eſt, diſplicentia illius operationis ſecundùm ſe conſideratæ, eò quòd ſit incommoda, & damnoſa. Quartus, *Dum aliquid fit metu, quatuor actus concurrunt.*

Ipſa

Ipsa externa operatio, scilicet eiectio. Inter hos, primus non est inuoluntarius; timere enim malum impendens, est secundùm inclinationem voluntatis, sicut desiderare bonum. Neque etiam secundus, quia voluntas eijciendi merces, ad vitandum maius malum non displicet voluntati, sed est illi consentanea. Neque Tertius, quia displicentia illa non displicet: non enim voluntas habet aliquem actum, quo nollet se habere illam displicentiam, siue, quo nollet sibi displicere illam eiectionẽ. Solus quartus actus est inuoluntarius, scilicet, externa eiectio; quia hic solus displicet: non tamen absolutè displicet; quia placet cum circumstantijs quibus fit: sed seorsim sine talibus circumstantijs consideratus, displicet. Vndè dicitur inuoluntarius secundùm quid; id est, vt nudè & secundùm se consideratur.

38 *Id quod metu fit, non censetur inuoluntarium, nisi coniunctam habeat displicentiam.*

Hinc sequitur Primò, Non omne quod metu fit, esse inuoluntarium; sed requiri vt simul in voluntate sit quædam displicentia, qua, id quod fit, secundùm se consideratum displiceat. Si enim hoc modo non displiceat, non est vllo modo inuoluntarium. Neque sufficit qualiscumque displicentia; nam primi motus non sufficiunt vt dicamur aliquid inuoluntariè facere: sed requiritur vt sit deliberata nolitio, qua quis nollet hoc facere, nisi esset necessarium ad aliud malum vitandum. Vnde, qui metu inferni pœnitentiâ ducitur, & seruat diuina mandata, non censetur id inuoluntariè facere; sicut qui metu naufragij proijcit merces; nisi coniuncta sit talis nolitio, quâ nollet pœnitere, & mandata seruare, nisi id esset necessarium ad vitandum infernum: Sicut ille qui proijcit merces, habet nolitionẽ qua nollet proijcere, nisi id esset necessarium ad vitandum naufragium. Ab hac nolitione, quando timori coniungitur, timor dicitur seruilis, vt suo loco dicetur.

Contractus metu factus non est irritus defectu voluntarij.

Secundò sequitur, contractum metu initum non esse irritum defectu voluntarij, vt multi docent; quia est absolutè voluntarius: absoluta autem voluntas sufficit ad efficiendum validum contractum, modò debita materia interueniat. Itaque secluso iure positiuo, verius existimo, matrimonium metu graui contractum, esse validum, modò interueniat vltrò citroq; idonea materia, in qua contractus versetur, nempe personarum habilitas. Idem dico de emptione, venditione, permutatione, locatione, & similibus contractibus. Possunt tamen huiusmodi contractus sic initi, excepto matrimonio, facilè irritari, voluntate eius, qui iniuriam passus est: nam potest petere restitutionẽ in integrum, & agere de damno illato. Excipio matrimonium, quia semel initum, naturâ suâ est insolubile: vnde iure positiuo ab initio debuit irritum decerni. Fateor tamen contrariam sententiam probabilem esse; scilicet, contractus omnes per iniuriam extortos, iure naturæ esse irritos. Sed de hoc latiùs Tractatu de Matrimonio.

39 *An metus excusei à culpa.*

Dices, Si id quod metu fit, est absolutè voluntarium: ergo metus numquam excusat à culpa, si quis ratione metus contra legem agat.

Respondeo, Numquam ratione metus licere transgredi legẽ, vel agere contra legẽ formaliter cõsideratam; nam hoc est facere contra legis obligationem: sed sæpè fit, vt obligatio legis, ratione periculi quod metuitur, cesset: & tunc licet omittere id, quod lex præcipit, & agere contra legem materaliter consideratam. Quod non solùm in legibus humanis locum habet, quarum omnium obligatio cessat in graui periculo vitæ, aut fortunarum (nisi interdum magnitudo rei præceptæ aliud postulet) sed etiam in legibus diuinis affirmantibus; quia etiam hæ non obligant cum periculo vitæ. Sic præceptum Confessionis, Communionis, etiam & Baptismi, non obligat cum periculo vitæ. Idem vsu venit in quibusdam præceptis legis naturalis, vt correptionis proximi, & eleëmosynæ in necessitate. De quibus suo loco.

ARTICVLVS. VII.

Vtrùm concupiscentia causet inuoluntarium?

40 Concluso est, Concupiscentiam non causare, sed potiùs facere aliquid voluntarium. Duo hic insinuantur dubia.

DVBIVM I.

Vtrùm id quod ex Concupiscentia facimus, sit censendum inuoluntarium, sicut id quod ex metu facimus?

NOta Primò, Concupiscentiam hîc vocari passionem, quâ afficimur ad aliquod bonũ, præsertim delectabile.

Nota Secundò, Hanc Concupiscentiam esse duplicem; scilicet, Antecedentem & Consequentem, vt docet D. Th. q. 77. a. 6. Cùm enim sit duplex appetitus, sensitiuus, & rationalis; ijsque in eadẽ simplici essentia animæ iungantur; fit vt se mutuo moueant, etsi dispari modo. Appetitus enim rationalis, seu voluntas, mouet appetitũ sensitiuũ efficaciter per modum imperantis: appetitus autem sensitiuus non ita potest mouere voluntatem; sed mouet per modum suadentis, faciendo vt obiectum videatur intellectui expetendum. Quòd si intellectus non attentè consideret, facilè seducitur, iudicans ita esse sicuti proponitur, & sic voluntas ad illud mouetur. Quando igitur voluntas mouet appetitum inferiorem ad concupiscendum, est Concupiscentia Consequens: quando verò appetitus inferior mouet voluntatem, est Antecedens: vt cùm quis ex tentatione trahitur ad consensum. De consequenti nulla est dubitatio; quia cùm ipsa sequatur voluntatem, effectus quoq; eius pendet à voluntate, tamquam à causa sua primaria; vnde est omninò voluntarius: non tamen concupiscentia censetur esse causa huius voluntarij: quia concupiscentia non induxit voluntatem, sed voluntas concupiscentiam. Vnde hæc concupiscentia propriè non facit voluntarium, sed est signum intensæ voluntatis. Confert tamen, vt homo in eadem voluntate faciliùs perseueret, sæpeque contingit vt concupiscentia à voluntate excitata, ipsam vicissim magis excitet & augeat. Sed hac ex parte non tam est Consequens, quàm Antecedens. De Antecedente igitur est tota quæstio.

Concupiscentia Consequens & Antecedẽs.

Respondeo

41 *Concupiscentia Antecedens nõ facit inuoluntarium.*

Respondendum est, Id quod per Concupiscentiam Antecedentem fit, non est vllo modo inuoluntarium. Ita D. Thomas hoc loco; & colligitur ex Aristot. 3. Ethic. c. 1. vbi ait, *Ea quæ ex ira vel cupiditate fiunt, non dici ab inuitis fieri.* Et ratio est; quia quando aliquid ex concupiscentia fit, non fit repugnante voluntate, sicut quando ex metu mortis proijciuntur merces.

Contrà objicitur Primò, Metus ideò causat inuoluntarium, quia trahit voluntatem ad id volendum, quod ei secundùm se consideratum displicet: atqui hoc etiam efficit concupiscentia: trahit enim voluntatem ad id, quod illi extra concupiscentiam consideratum displicet; scilicet ad turpia; vt patet ad Rom. 7. v. 15. *Non quod volo, hoc ago; sed quod odi, illud facio.* & infra: v. 23. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ:* ergo etiam concupiscentia facit inuoluntarium.

Discrimen inter metum & concupiscentiam respectu effectus.

Respondeo, esse disparem rationem. Metus enim facit inuoluntarium; quia id quod proximè ex metu eligitur, est inuoluntarium. etiam postquam voluntas in illud consensit. Nam manet tanta displicentia, vt etiam cum mœrore exequatur, ac proinde inuoluntariè; vt patet in eo, qui metu naufragij proijcit merces. Id autem quod proximè ex concupiscentia eligitur, etsi initio aliquantulùm displiceat voluntati; tamen postquam consensit, non exequitur illud cum displicentia saltem notabili, quæ tristitiam pariat; vt patet in eo, qui tentatione victus, fornicatur; vel hostem vlciscitur: Oblectatio enim quæ est in illo actu, tollit displicentiam, quæ antè erat in voluntate. Quod verò secundariò eligitur ex concupiscentia, scilicet tamquam medium, interdum videtur habere aliquid inuoluntarij; vt sunt labor & sumptus qui fiunt, vt opus illicitum, in quo delectatio, perpetretur: tamen non censetur etiam inuoluntariè fieri, sicut id quod metu fit: tum quia imaginatio obiecti delectabilis tollit illam displicentiam, ita vt absque mœrore, & etiam cum gaudio pericula subeat, sumptusque faciat: tum etiam, quia qui metu aliquid agit, ei incumbit necessitas, & quidem ab extrinseco, quod non est in ipsius potestate. Qui autem ira vel cupiditate, nulla necessitate impellitur; non enim est ei necessaria illa voluptas; neque ab extrinseco vrgetur, sed à causa intrinseca quæ est in ipsius potestate; & ita totum est voluntarium, & nihil est inuoluntarium.

42 *Quatuor actus cùm ex concupiscentia aliquid fit.*

Vt hæc melius intelligantur, Notandum est, cùm quis aliquid ex concupiscentia facit, interuenire quatuor actus.

Primus est, Passio concupiscentiæ. Hæc sæpè est inuoluntaria; quia repugnante voluntate excitatur. Tamen, cùm sit in potestate voluntatis eam compescere, si id omiserit, censetur ipsa voluntaria, & omne id quod ex ipsa mali sequitur. Secundus actus est, consensus voluntatis in opus, in quod fertur concupiscentia. Hoc consensu posito, concupiscentia non est ampliùs inuoluntaria, neque ipsum opus; quia neutrum ampliùs voluntati displicet. Tertius actus est, consensus in aliquid quod est medium necessarium ad obtinendum illud, in quo est delectatio. Quartus est, Executio medij & ipsius operis. Hi duo actus etiam non sunt inuoluntarij: nam etsi hoc medium per se displiceat; tamen, quia nulla necessitas vrget illud amplecti, censetur homo prorsus voluntariè illud amplecti; & multò magis ipsum opus, ob quod suscipit illud medium. Confirmatur; Quia nemo dixerit eos, qui opes, vel voluptates per magnos labores & pericula sectantur, inuoluntariè illa suscipere; eò quòd nulla necessitas eos ad hoc cogat, sed totum ab eorum libertate primitùs oriatur. Secùs est de eo, qui metu naufragij proijcit merces; quia non est in ipsius potestate aliter mortem euadere.

Hinc sequitur, eum qui metu furatur, vel alio genere peccati peccat, minùs peccare, quàm qui incensus cupiditate id facit.

Objicitur Secundò, Ipse metus oritur ex concupiscentia; vt docet D. Thomas infra q. 43. a. 5. & D. Augustinus lib. 83. quæstionum, q. 33. Nam ex amore vitæ nascitur inuoluntaria proiectio mercium: ergo cum metus faciat inuoluntarium, etiam concupiscentia faciet, quæ est causa metus.

Respondeo; Hinc tantùm sequi concupiscentiam mediante metu efficere inuoluntarium: nos autem loquimur de concupiscentia per se, & sine metu: hæc enim non facit inuoluntarium.

DVBIVM II.

Vtrùm concupiscentia augeat voluntarium?

43 *Voluntarium potest tripliciter accipi.*

Respondeo cum distinctione. Voluntarium enim variè accipitur. Si igitur accipiatur pro eo quod fit à voluntate secundùm proprium modum voluntatis, vt idem sit quod liberum, vt suprà diximus, sic concupiscentia non auget voluntarium, sed minuit. Ratio est; Tum quia inclinat voluntatem in vnam partem; tum quia impedit considerationem intellectus, vt non possit rem suis momentis examinare. Hoc modo videtur accipere D. Thomas voluntarium præsenti articulo. Nam ad 3. dicit In amentibus non esse voluntarium; nempe quia in illis non est libertas, quamuis in illis sint actus voluntatis & spontanei. Item dicit, voluntariũ esse, quod est in potestate voluntatis: atqui hoc est liberum. Simili modo accepit voluntarium infrà, q. 77. a. 6. cùm ait, Passionem minuere voluntarium; & alibi.

Si verò accipiatur pro eo quod est spontaneũ voluntati, sic etiam passio non auget voluntariũ; quia non auget spontaneum voluntati. Ratio est, quia eò magis voluntati aliquid est spontaneum, quò magis ipsa ex se illud vult; non autem aliundè. Hinc fit vt magis sponte peccet, qui à nemine persuasus, aut incitatus peccat, quàm qui alterius persuasione vel hortatu. Atqui passio est extrinseca voluntati, habens se per modum importuni suasoris: ergo, cùm moueatur à passione, minùs sponte sua censetur velle, quàm quando sine passione. Vide D. Thomam infrà q. 77. a. 6. vbi hanc rationem insinuat.

Nec obstat quòd D. Thomas, hoc loco in *corpore*, dicat: *Concupiscentia non causat inuoluntarium; sed magis facit aliquid voluntarium*; Non enim sensus est, concupiscentiam facere opus magis voluntarium, quàm esset sine concupiscentia: sed sensus est, concupiscentiam facere potiùs, vt opus sit voluntarium, quàm inuoluntarium; vt rectè notauit Conradus exponens hæc verba D. Thomæ. Cum hoc tamen stat, vt minuat illam formalitatem & conditionem, quæ est esse ex principio

cipio intrinseco, vt ibidem ait. Denique, si voluntarium accipiatur pro eo quod pendet ex conatu voluntatis, abstrahendo à libero & necessario, à spontaneo & inuito; sic concupiscentia auget voluntarium; quia auget voluntatis conatum & perfectionem intensiuam actus; facit enim vt voluntas magno conatu feratur in opus; vt patet in ijs qui ex concupiscentiâ peccant.

DVBIVM III.

Vtrùm habitus siue bonus siue malus, & auxilium præueniens augeat voluntarium?

44 REspondeo, & Dico Primò; Augent voluntarium iuxta tertium modum: quia faciunt vt voluntas maiore conatu operetur, & vt actus sit intensior: afferunt enim facultatem operandi, & quemdam veluti impetum.

Dico Secundò, Non tamen augent rationem spontanei; nisi quatenus impediunt passiones, quæ minuunt spontaneum in voluntate.

Prior pars patet; Quia voluntas his imbuta, & incitata, censetur minùs ex se operari, quàm si illa abessent.

Altera pars patet; Quia habitus virtutum, & auxilium diuinum impediunt passiones, quæ rationem perturbant, & opus minùs spontaneum efficiunt.

Habitus & auxilium præueniens quomodo minuãt libertatem.

Dico Tertiò, Hæc tamen physicè loquendo, minuunt libertatem; non tamen eam minuunt secundùm æstimationem moralem.

Prior pars probatur; Quia habitus & auxilium præueniens inclinant voluntatem in vnam partem per modum naturæ; quia sunt principia ad vnam partem naturaliter determinata. Similiter determinant quodammodo iudicium rationis ad vnam partem approbandã. Habitus enim prauus excęcat rationem, occultans malum quod in opere latet, & rem delectabilem faciens magis apparere delectabilem, quàm reuerà sit. Habitus autem bonus, facit vt honestas operis appareat illustriùs.

Altera pars, nempe quòd secundùm æstimationem moralem non minuant libertatem, ac proinde neque meritum vel demeritum. Probatur: quia cùm habitus sit procreatus ex actibus liberis, tota inclinatio habitus voluntati est libera & voluntaria. Similiter inclinatio auxilij præuenientis; eò quòd hoc auxilium à voluntate desideretur; vel certè quia in potestate hominis est ei non consentire. Hinc sequitur, omninò liberam censeri actionem, quæ ex habitu & auxilio præueniente sequitur.

Si hominẽ pœniteat, propensio ex habitu fit inuoluntaria.

Aduerte tamen, Si contracta praua consuetudine seu habitu, hominem pœniteat illius, ea propensio censebitur in posterum inuoluntaria. Vnde motus ex ea interdum suborientes, non censebuntur voluntarij aut liberi: quare nec imputabuntur ad culpam; sicut neque motus primi. Quòd si non intercesserit pœnitentia, inclinatio illa habitus praui manebit voluntaria, & consequenter motus ex ea suborti.

ARTI-

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm ignorantia causet inuoluntarium?

45 PRima Conclusio. Ignorantia Antecedens causat inuoluntarium simpliciter.

Secunda Conclusio. Ignorantia Consequens causat voluntarium simpliciter; inuoluntarium secundùm quid.

Tertia Conclusio. Ignorantia Concomitans neque voluntarium neq; inuoluntarii causat; sed solùm non voluntarium.

Circa diuisionem Ignorantiæ in Antecedentem, Comitantem & Consequentem: Notandum Primò, Omnem Ignorantiam, Comitantem esse, vel Antecedentem, vel Consequentem. Si enim sit omninò inculpabilis, est Antecedens; si autem sit culpabilis, est Consequens. Vnde non ponitur tamquam tertium membrum; sed tamquam distinctus quidam modus, quo ignorantia se habet respectu operis. Nam potest ignorantia se habere ad opus externum, vel tamquam causa, siue sit antecedens siue consequens; & potest se habere concomitanter, siue sit antecedens siue consequens.

Ignorantia respectu voluntatis, alia est antecedens, alia consequens voluntatem.

Itaque insinuantur hîc duę diuisiones ignorãtiæ: altera, respectu voluntatis; & sic ignorantia alia est antecedens, alia consequens. Antecedens dicitur quæ voluntatem omnem, quę circa ipsam sit, antecedit: vnde non est voluntaria. Consequens dicitur, quæ aliquo modo à voluntate pendet: vnde est voluntaria.

Respectu operis, alia est causa, alia comes operis.

Altera respectu operis: sic ignorantia, alia est causa operis, siue sit antecedens siue consequens: alia non est causa, sed comitanter se habet ad opus; siue sit antecedens siue consequens. Nulla autem est ignorantia quæ consequens sit respectu operis; quia opere facto non restat aliqua ignorantia, quæ sit operis effectus, præter eam quæ est consequens respectu voluntatis.

Clariùs locutus fuisset D. Thomas, si ignorantiam Antecedentem, vocasset non voluntariam; Consequentem, voluntariam.

Ignorantia consequens est triplex.

Not. Secundò, Ignorantiã Consequentem seu Voluntariam, esse triplicem: Alia enim est directè voluntaria; vt, cùm quis vult expresè nescire, vt liberiùs peccet. Hæc dicitur *affectata*. Talis est eorum, de quibus Iob 21. *Qui dixerunt Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Et Psalm. 35. *Noluit intelligere, vt benè ageret.* Alia est voluntaria indirectè; nempe quæ non est in se volita: sed censetur volita in negligentia & omissione discendi: quæ negligentia si magna sit, ignorantia dicetur *crassa*: qualis plerumque est eorum, qui ignorant articulos fidei, & peccata contra Decalogum. Si verò negligentia sit parua, tamen culpabilis, erit ignorantia *leuis*, quæ etiam *vincibilis* propriè vocari solet. Talis est, cũ res est cognitu difficilis, & adhibita est aliqua diligentia ad eam cognoscendam; sed non tanta, quantam oportebat. Atq; hæc omnia intelligenda sunt de ignorantia earum rerum, quas scire tenemur: aliarum enim rerum ignorantia, non pertinet ad hanc materiam. His positis est

Affectata.

Crassa.

Leuis seu Vincibilis.

DVBI-

DVBIVM I.

Vtrùm Ignorantia Antecedens, quando est causa operis, faciat opus inuoluntarium?

46 REspondeo & Dico Primò, Ignorantia Antecedens, id est, ea quæ prorsus est inuoluntaria, quando est causa operis, facit absolutè inuoluntariũ. Ita D. Thomas hoc loco & Damascenus lib. 2. de Fide, cap. 24. cùm ait: *Hic quod per ignorantiam fit, est inspontaneum, si ignorantiæ causam non dedimus.* Et Nemesius lib. de homine, cap. 31. ijsdem verbis..

Ratio est, Quia id quod ex ignorantia inuoluntaria fit, nihil habet voluntarij, & præterea voluntati repugnat: ergo &c. Quod nihil voluntarij habeat, probatur; neque enim est in seipso volitum, cùm non sit cognitum: neque est etiam volitum in sua causa, nempe in ipsa ignorantia; quia hæc est omninò inuoluntaria. Quare opus illud neque directè, neque indirectè est voluntarium. Quòd etiam repugnet voluntati, saltem implicitè, patet: nam voluntas sic est disposita, vt si sciret, nollet; vnde posteà cùm sciuerit, dolet; quod est signum inuoluntarij, vt docet Aristoteles lib. 3. Ethic. cap. 1. Talia sunt omnia, quæ homines per ignorantiam inculpatam faciunt, siue sit ignorantia *iuris*, siue *facti*.

Hîc tamen aduerte, Id quod per ignorantiam antecedentem fit, esse inuoluntarium secundùm eam rationem, easque circumstantias, secundùm quas ex ignorantia procedit, non autem secundùm alias; vt docent Damascenus & Nemesius suprà. Sic Iudas inuoluntariè cognouit Thamar suam nurum, quatenus erat nurus; vnde non commisit incæstum coram Deo: tamen commisit fornicationem; quia sciebat esse non suam; & ita voluntariè cognouit, vt non suam: inuoluntariè vt nurum. Ignorantia enim non facit, vt actus secundùm omnem rationem & circumstantiam consideratus, sit inuoluntarius; sed solùm secundùm eam rationem & circumstantiam, secundùm quam ab ea procedit. Vide Almainum c. 4. Tract. 1. Moralium. Et Alfonsum à Castro lib. 4. de potestate legis pœnalis cap. 14.

Iudas vt accessit ad Thamar.

47 Petes, Quomodo ignorantia dicitur causare inuoluntarium? Respondeo, Occultando obiectum vel alias circumstantias; & consequenter efficiendo vt homo solùm videat id, quod voluntati placet, non videat quod displicet; & sic iudicet esse amplectendum, quod aliàs non iudicaret. Itaque est causa operis, quatenus facit intellectum errare in iudicio practico, & interdum etiam in speculatiuo: vt cum Iacob putaret Liam esse Rachelem, eò quòd ignoraret esse Liam: tunc enim habebat iudicium speculatiuum falsum, nempe, Hæc est vxor mea.

Quo modo Ignorantia sit causa Inuoluntarij.

Iacob vt accessit ad Liam.

Dices, Inuoluntarium est quod voluntati repugnat & displicet: atqui ignorantia non est causa, vt opus voluntati displiceat: ergo ipsa non facit inuoluntarium.

Respondeo Negando Consequentiam; Ignorantia enim dicitur facere inuoluntarium, quia est causa operis, quod voluntati displicet; quamuis non sit causa displicentiæ. Itaque facit inuoluntarium materialiter. Id autem quod est causa cur opus voluntati displiceat, facit inuoluntarium formaliter; hoc autem est vel conditio operis naturâ sua repugnans voluntati, vel libertas voluntatis pro arbitrio aliquid nolens.

Aduerte tamen, Ab ignorantia prouenire vt opus formaliter sit non voluntarium: quia etsi ignorantia non sit causa, cur opus displiceat voluntati, est tamen directè causa, cur actu non placeat, siue cur actu non sit volitum; ac proinde cur sit non voluntarium; vt colligitur ex ijs quæ circa art. 1. dicta sunt.

Dico Secundò, Ignorantia antecedens non minuit voluntarium, sed omninò tollit. Patet, quia facit, vt opus absolutè sit non voluntarium.

DVBIVM II.

Vtrùm Ignorantia Consequens non affectata, quando est causa operis, faciat Inuoluntarium?

48 REspondeo & Dico Primò, Ignorantia consequens non affectata facit actum, cuius ipsa est causa, absolutè voluntarium; secundùm quid inuoluntarium. Patet ex Auctoribus suprà citatis.

Ignorantia non affectata absolutè facit voluntariũ, secundùm quid inuoluntariũ.

Prior pars probatur, Quia etsi ille actus non sit directè, & in se voluntarius; tamen est voluntarius indirectè, scilicet in causa sua, quæ est ignorantia voluntaria. Quod enim ex causa voluntaria fit, absolutè voluntarium censetur. Vnde hæc ignorantia non excusat à tota culpa.

Altera pars probatur, Quia qui ex tali ignorantia operatur, ita est animo affectus, vt si sciret, nollet facere: ergo saltem ex parte inuoluntariè facit; cuius signum est, quod statim ac sciuerit, quid fecerit, doleat.

Dices Primò, Hæc ignorantia facit opus voluntarium: ergo non facit inuoluntarium. Consequentia patet, quia hæc non possunt ab eadem causa proficisci, cùm sint contraria.

Respondeo Negando Consequentiam, Quia sub diuersa ratione facit vtrumque. Facit enim voluntarium non per seipsam, sed ratione suæ causæ, per quam & ipsa ignorantia est voluntaria: non enim opus est voluntariũ quia ex ignorantia, sed quia ex voluntaria ignorantia. Inuoluntariũ autem facit secundùm seipsam quidem, sed solùm per accidens & materialiter; quatenus est causa operis quod voluntati displicet. Simili modo metus facit, vt opus sit absolutè voluntarium; & tamen facit etiam ex parte inuoluntarium. Ad confirmationem, voluntarium absolutè, & inuoluntarium ex parte, non sunt contraria: vnde possunt in eundem actum conuenire, & ab eadem causa. Nam voluntas ipsa directè est causa vtriusque, etsi per diuersos actus, à quibus hæc denominatio alicui vni actui conuenit: aliunde enim habet actus quod dicatur voluntarius, aliunde quod inuoluntarius; vt patet ex dictis.

Dices Secundò, Ad voluntarium requiritur, vt fiat cum cognitione; vt patet ex dictis art. 1. Atqui cùm aliquid fit ex ignorantia, deest cognitio eius quod fit: ergo non censetur voluntarium.

Respondeo, Quando aliquid est voluntarium non in se, sed in causa tantùm, sufficit in causa esse illud cognitum & confusè. Itaque cum hîc

ignorantia sit causa operis, sufficit vt homo ignorantiam suam cognoscat, & ex illa posse in genere aliquid mali, vel omittendo, vel committendo, sequi. Cognoscit autem suam ignorantiam, quando aduertit in particulari vel in genere debere se aliqua discere, quæ nescit.

49 Dico Secundò, Hæc ignorantia consequens, etiamsi crassa sit, minuit tamen rationem voluntarij.

Ignorantia crassa minuit rationem voluntarij.

Probatur Primò, Quia facit vt opus non sit volitum in seipso, sed solùm in causa sua: minùs autem est volitum, quod in seipso non est volitum, quàm id, quod in seipso est volitum: ergo minuit rationem voluntarij. Secundò, Qui ex ignorantia crassa operatur, facit id quod nollet, si sciret: ergo minùs voluntariè operatur, quàm si sciens faceret. Hinc Apostolus 1. Corinth. 15. dicit se misericordiam consecutum, quòd ignorans persecutus esset Ecclesiam Dei: & tamen ipsius ignorantia crassa erat.

Aduerte, Ignorantiam per se & directè esse causam imminutionis voluntarij: ideò enim minùs voluntariè censetur facere, quia ignorat conditionem rei. Non ita est causa operis; aut voluntarij in opere, aut inuoluntarij, vt patet ex dictis.

DVBIVM III.

Vtrùm Ignorantia consequens affectata minuat voluntarium, aut faciat ex parte inuoluntarium?

50 D. Bonauentura in 2. d. 22. a. 2. q. 3. Almainus Tract. 1. Moralium c. 5. docent etiam hanc minuere voluntarium. D. Thomas hoc loco, & q. 76. a. 4. docet hanc ignorantiam potiùs augere, quàm minuere voluntarium.

Bonauent. Almain. D. Thom.

Tribus modis potest quis directè velle ignorare.

Sed notandum est, Tribus modis fieri posse, vt quis directè velit ignorare; Primò, Propter molestiam discendi vel inquirendi. Secundò, Ob cupiditatem aliquid agendi coniunctam cum voluntate non faciendi id, quod constet esse peccatum: vt si dubites de firmitate matrimonij; nolis tamen vlteriùs inquirere, ne tenearis abstinere: si enim apertè scires esse inualidum, omninò velles abstinere. Tertiò, Vt liberiùs peccet; seu ne per scrupulos, quos scientia ingenerat, vel alia ratione, à peccando auertatur.

His positis, Dico Primò, Ignorantia affectata primo & secundo modo, facit vt opus ex parte sit minùs voluntarium, quàm esset si cum scientia fieret; & etiam facit aliquo modo inuoluntarium.

Ignorantia affectata quo modo minuat voluntarium.

Probatur prior pars; quia efficit hæc ignorantia, vt opus, dum sic fit, non sit directè volitum; nam occultat operis conditionem. Cùm enim voluntarium includat cognitionē; id quod priuat cognitione, priuat ratione voluntarij; vt rectè D. Bonauentura loco citato.

Altera pars etiam patet, Quia ignorantia est causa cur faciat id quod voluntati displicet: ergo facit quodammodo inuoluntarium.

Dices, Ignorantia affectata est omninò voluntaria; nam est directè volita: ergo non potest minuere voluntarium, aut facere aliquo modo inuoluntarium.

Respondeo Negando Consequentiam; Sicut enim mortis metus in tempestate est omninò voluntarius; tamen causat quodammodo inuoluntarium: ita ignorantia affectata, licet ipsa directè sit volita, potest tamen esse causa, cur aliquid minùs voluntariè, & etiam ex parte inuoluntariè faciamus: facit enim, vt nō videamus illud, quod, si videremus, nollemus facere. Hinc sequitur, Hanc ignorantiam multum minuere de culpa, quia minuit de ratione voluntarij, & de ratione contemptûs: minùs enim censetur contemnere diuinam legem, qui ex huiusmodi ignorantia peccat, quàm qui ex industria.

Dico Secundò, Ignorantia affectata tertio modo, etsi physicè minuat voluntarium, tamē moraliter non censetur minuere. De hac ignorantia loquitur D. Thom. & hoc modo exponendus est. 51

Probatur, Quia etsi illud opus, quod fit ex hac ignorantia, non sit ita expressè volitum, ac si esset in seipso volitum; eò quòd ignorantia occultet operis conditionem dum fit: tamen coram Deo censetur æquè volitum. Ratio est; quia illud opus anteà fuit directè volitum in genere, quando, vt liberiùs peccaret, voluit ignorare; & ita ardenter volitum, vt propter illud, ne impediretur, voluerit habere dispendium scientiæ: ergo non minùs, sed magis censetur voluntarium, quàm si simplici modo cum scientia fecisset. Multi enim peccant cum scientia, qui tamen non tā afficiuntur operi, vt velint propter illud ignorare; & à se amouere omnia impedimenta peccati in posterum. Confirmatur, Quia id quod sequitur ex vi maioris voluntatis, censetur magis voluntarium: atqui id quod fit cum tali ignorantia, sequitur ex vi maioris voluntatis: ergo &c. Secùs accidit in primo & secundo modo ignorantiæ affectatæ. Nō enim illi volebant ignorare, vt liberiùs peccarent; sed alter ob laborem, alter ne grauiter peccaret.

Quando nō minuat, sed augeat potiùs.

Dices, D. Bonauentura dicit generaliter verum esse, omnem ignorantiam, in quantum huiusmodi, excusare peccare: ergo etiam hæc excusabit, ac proinde minuet voluntarium.

Respondeo, Excusat qua parte est ignorantia, quia occultat conditionem operis: sed accusat & auget ratione causæ suæ; nempè ratione voluntatis liberiùs peccandi; quæ est causa ignorantiæ, & operis secuti.

DVBIVM IV.

Vtrùm Ignorantia, quæ non est causa actus, sed duntaxat comitatur actum, faciat actum inuoluntarium?

52 Respondeo & Dico Primò, Ignorantia comitans numquam facit actum inuoluntariū, siue ipsa sit voluntaria, siue inuoluntaria.

Probatur; Quia tunc dicitur quis operari cum ignorantia Comitante, quando nescit quid faciat; si tamen sciret, nihilominùs vellet facere. Hinc fit, vt cùm sciuerit quid fecerit, non displiceat, neque tristetur. Quod signum est nullo modo fuisse inuoluntarium. Vnde cùm quis putans esse feram, interficit inimicū sagittā emissâ, quem alioqui voluisset interficere, si sciuisset esse inimicum, non inuoluntarie illum interficit, quia non displicet voluntati. Itaque aliud est facere aliquid ex ignorantia, seu per ignorantiam; aliud cum ignorantia; vt Aristoteles 3. Ethic. cap. 1. docet. Quod enim ex ignorantia fit, displicet voluntati,

Ignorantia comitans non facit vnquam inuoluntarium.

voluntati, cùm sciuerit: si enim abfuisset ignorantia, non fuisset factum. Quod verò solùm cum ignorantia fit, non displicet; eius enim causa non est ignorantia: nam etiamsi ignorantia abfuisset, æquè benè factum fuisset.

53 *Facit tamen voluntarium, si sit inculpata.*

Dico Secundò, Si hæc ignorantia sit antecedens, id est, omninò inuoluntaria, opus quod cum eâ fit, censetur non quidem inuoluntarium, sed omninò non voluntarium; ac proinde carens omni culpa: vt si quis in emissione sagittæ, adhibitâ debitâ diligentiâ ne noceret; nihilominùs occidit inimicum, hæc occisio est omninò non voluntaria.

Probatur, Quia hæc occisio non est in se voluntaria, cùm sit ignorata: neque etiam est voluntaria in sua causa: quia neque in ignorantiâ, cùm hæc non sit voluntaria, & etiam non sit causa actus: neque in emissione sagittæ; nam hæc prudenter fit, & cum debitis circumstantijs; nihil enim circa illam omittitur, quod ad euitationem illius euentûs debeat adesse. Hinc sequitur, occisionem illam ratione ignorantiæ comitantis excusari à culpa: nam, vt opus non sit peccatum, non est necesse, vt sit inuoluntarium, sed sufficit esse non voluntarium. Hoc autem facit hæc ignorantia comitans.

Ignoranter occidens inimicum, tripliciter se habere potest.

Dices Primò, Si ille sciret esse inimicum, vellet occidere; ergo illa occisio saltem est indirectè voluntaria, scilicet in illo prauo affectu.

Respondeo, Eum qui cum praua affectione occidendi, aliquid ignoranter facit, tripliciter se posse habere; Primò, Si illa affectio seu dispositio solùm sit habitualis, v. g. habituale propositum occidendi inimici; nihil tamen actu de eo cogitet; tunc illa dispositio nihil facit ad opus præsens, nec vllo modo illud peccato contaminat. Quare ille nec interiùs, nec exteriùs peccat peccato homicidij. Nec refert quòd ille sit in proposito habituali occidendi; quia ex hoc proposito nõ operatur. Illa autem conditionalis; *Si sciret, vellet occidere*, non ponit illud *velle* in re, sicut nec illud *scire*; ac proinde illud *velle* non influit in opus.

Secundò, Si ille non solùm habitu, sed etiam actu optet occisionem inimici, dicens in corde suo, Vtinam hac sagitta inimicum interficerem! tunc licet hæc voluntas sit praua, & habeat culpam interiorem homicidij; tamen effectus secutus non censetur adhuc voluntarius, si necessariam diligentiam adhibuit. Ratio est, quia affectus ille interior, licet comitetur emissionem sagittæ, & occisionem inimici; neutrius tamen est causa. Nam emissio sagittæ procedit non ab illa voluntate, qua optat occidere inimicum; sed à voluntate occidendi feram. Quod confirmatur: quia non habet absolutam voluntatem, Volo nunc occidere inimicum, sed desiderium inefficax, Vtinam occiderem! Atqui actus exterior non procedit à voluntate inefficaci, sed absoluta.

Dices, Effectus secutus est volitus ab isto homine: ergo censebitur illi esse voluntarius.

Respondeo, Esse volitum inefficaci quâdam voluntate per modum obiecti optabilis, sed non esse secutum ex hac volitione seu desiderio; quia mere per accidens illi coniungitur: perinde ac si alio emittente sagittam ad interficiendam feram, tum optares interfici inimicum. Sequitur enim emissio sagittæ ex voluntate interficiendi feram; cui voluntati per accidens coniungitur illud desiderium interfectionis inimici.

Tertiò, Fieri potest, vt quis in genere habens hanc voluntatem, Volo emittere si fortè occidã, reuera occidat inimicũ: sed moraliter fieri vix potest, vt quis hoc faciat cũ ignorãtia inuoluntaria. Nam hęc voluntas non potest esse cum sufficienti diligentia & circumspectione ne occidat. Tamen etsi contingeret adhiberi debitam diligentiam; videretur nihilominùs actus ille esse voluntarius; quia reuera oriretur à voluntate occidendi inimici. Neque ignorantia præsentiæ inimici eum excusaret; quia ex voluntate occidendi emittit sagittam, existimamus fortasis accidere posse, vt hoc modo inimicum occidat.

54 Dico Tertiò, Quando hæc ignorantia est cõsequens, id est, voluntaria directè vel indirectè; non facit vt opus quod cũ ea fit, sit non voluntarium, sed vt censeatur voluntarium. Vnde neque omninò à culpa excusat. Patet exemplo: Si quis incautè emittens sagittam, occidat hostem; voluntariè censebitur occidere, saltem indirectè: tenebatur enim adhibere diligentiam sufficientem ne quem læderet, & non fecit: ergo censebitur occidere voluisse. Confirmatur, Si occidisset hoc modo amicum, censeretur homicida; quem tamen videretur minùs occidere voluisse quàm inimicum: ergo similiter, si hoc modo occiderit inimicum.

Ignorantia comitans si sit culpabilis, facit voluntarium.

Dices Primò, Illa inimici occisio neque est voluntaria in seipsa; quia ignorabat esse inimicum: neque est in causa sua, scilicet in ignorantia; quia ignorantia illa, etsi sit voluntaria, non tamen est causa occisionis: ergo nullo modo est voluntaria.

Respondeo, esse voluntariam in sua causa; non quidem in ignorantia, sed in illa emissione sagittæ sic facta. Qui enim sic inconsideratè tali tempore & loco vult emittere sagittam, censetur implicitè hominem velle occidere. Nam sicut id quod sequitur ex omissione voluntaria, si tenebar impedire, & non impediam, erit voluntarium in causa: ita id quod sequitur ex actione voluntaria, si tenebar impedire, & non impediam, erit voluntarium in illa actione, ex qua præter intentionem sequitur.

Dices Secundò, D. Thomas infrà q. 75. a. 4. docet, *Ignorantiam comitantem, neque accusare, neque excusare.* Ergo numquam facit voluntarium, aut non voluntarium.

Respondeo, Omissis ijs quæ ibi docet Caietanus. D. Thomam nihil aliud velle, quàm ignorantiam comitantem per se, quâ comitans est, neque accusare, neque excusare; quod verum est. Cum hoc tamen consistit, quod possit excusare vt est antecedens, seu non voluntaria: & accusare vt est consequens seu voluntaria; vt ostensum est. Reliqua quæ de ignorantia dici possent, pertinent ad quæst. 76.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Circumstantijs actuum humanorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Circumstantia sit accidens humanorum actuum?

1 REspondetur affirmatiuè. Ratio est, quia omnis conditio rem attingens, quæ tamè est extra eius naturam, rectè dicitur accidens: atqui circumstantia est conditio operis, ipsum aliquo modo attingens, & tamen extra eius substantiam: ergo &c.

Notandum Primò, Non omne adiunctũ, quod quouis modo attingit, vel afficit actum, vocari hoc loco circumstantiam: sed illud quod ita afficit, vt aliquid conferat ad bonitatem vel malitiã eius moralem. Vnde conditio personæ, vel materiæ, vel temporis, vel loci, vel instrumenti, si nihil conferant ad bonitatem vel malitiam actus, erunt quidem circumstantiæ ipsius naturales; non tamen morales; de quibus hîc loquimur.

Quid circumstantia theologica.

Notandum Secundò, Circumstantias vocari accidentia actuum humanorũ; non quod physicè ipsis inhæreant (exceptâ vnâ, scilicet *Quomodo*) sed quòd actus humani ordinem quemdam accidentarium ad illas habeant; ratione cuius moraliter ab eis affici censentur, accipientes aliquod esse morale, tamquã à veris accidentibus. Exempli causâ, Si Religiosus furtum committat, conditio personæ censetur accidens istius operis, quã furtum est; quia non est de ratione furti, vt auctor eius sit religiosus: tamen furtum ex ordine ad illam conditionem, accipit aliquod esse morale; scilicet nouam repugnantiam respectu dictaminis rectæ rationis: efficitur enim sacrilegium.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Circumstantiæ humanorũ actuũ sint cõsiderandæ Theologo?

2 REspondetur affirmatiuè. Ratio est, quia bonitas & malitia humanorũ actuum, magnam partem ex circumstantijs pendet. Vnde Concil. Trid. sess. 14. c. 5. ait; *Peccata sine circumstantijs neque integrè explicari, neque cognosci posse.*

ARTICVLVS III.

Vtrùm cõuenienter enumerentur Circumstantia 3. Ethic. c. 1?

3 COnclusio est rectè enumerari.

Aduerte tamen, Aristotelẽ ibi duas omittere, *Vbi*, & *Quando*. Sunt igitur in vniuersum octo circumstantiæ hoc versiculo comprehensæ: *Quis, Quid; Vbi, Quibus auxilijs, Cur, Quomodo, Quando*, &, *Circa quid*. Quæ vltima, secundùm D. Thomam, intelligitur sub *Quid*. Has omnes enumerat Nemesius lib. de Homine c. 31. & Damascenus lib. 2. de fide c. 24. non plures, aut pauciores.

Explicantur singulæ Circumstãtia.

Notandum Primò, Circumstantias non significare cõditiones necessariò actibus humanis adiacentes, sicuti dictum est; sed eas quæ per accidens cõiunguntur, vel actui immediatè, vel causis eius, vel effectui: vt circumstantia *Quis*, non designat personam operantem (hæc enim non est circumstantia, sed causa essentialiter necessaria, vt actus fiat) sed designat conditionem personæ per accidens ei coniunctam, quæ tamen aliquid ad bonitatem vel malitiam operis conferat; vt esse personam publicam, Sacerdotem, Religiosum, matrimonio iunctum, &c. *Quis.*

Circumstantia *Quid*, vt distinguitur à circumstantia *Circa quid*, significat duo; Primò, Magnum & paruum in obiecto, v. g. in re per furtũ ablatâ: quamuis alij hoc referant ad circumstantiam *Circa quid*. Secundò, Designat effectum aliquem, qui per accidens ex opere secutus est: vt si ex homicidio secuta sit paupertas liberorum occisi, praua institutio, & similia. *Quid.*

Circa quid, significat conditionem personæ, vel obiecti contra quod peccatur: vt si sit Sacerdos, si parens, si res sit sacra. *Circa quid*

Circumstantia *Quomodo*, significat modũ actionis: vt, si feruenter, an tepidè; si sponte, an coactè; sciens, an ignorans; ex passione, an ex malitia. *Quomodo*

Cur, significat finem extrinsecum operis; vt, si det eleëmosynam ob vanam gloriam. *Cur.*

Vbi, significat conditionem loci; vt, si in loco sacro, an Prophano. *Vbi.*

Quando, significat conditionem temporis; vt, si die Festo, an alio. *Quando.*

DVBIVM I.

Vtrùm non sint plures circumstantiæ quam istæ octo?

4 RAtio dubitandi est, quia D. Bonauentura in 4. d. 16. explicans textum Magistri num. 9. ponit 14. circumstantias his versibus:

Aggrauat Ordo, Locus, Persona, Scientia, Tempus,
Ætas, conditio, numerus, mora, copia, causſa,
Est modus in culpa, status altus, lucta pusilla.

Ioannes Maior in 4. d. 17. q. 4. ponit, *quoties* inter circumstantias.

Respondeo, Omnes circumstantias contineri octo iam enumeratis: neque Aristoteles, neque Nemesius vel Damascenus plures enumerant. Idque probari potest hac ratione D. Thomæ. Circumstantia enim est aliquid extrinsecũ actui, certo tamen modo illum attingens in ordine ad dictamen rationis. Tripliciter autem potest actum attingere. Primò, Attingendo ipsum actum in seipso. Secundò, Attingendo causam eius. Tertiò, Attingendo ipsius effectum. *Tantum octo sunt circumstantiæ.*

Si actum in se attingat; id fiet vel per modum mensuræ; vt *tempus*, & *locus*: vel per modum qualitatis actus; vt circumstantia, *Quomodo*.

Si attingat actum ratione effectus, erit circumstantia *Quid*.

Denique si ratione causæ attingat; id erit vel ratione causæ finalis; vt, *Cur*: vel ratione causæ materialis; vt circumstantia *Circa quid*: vel efficientis principalis, vt *Quis*: vel efficientis instrumentalis, vt *quibus auxilijs*.

Vnde

Vnde patet esse octo circumstantias, non plures. Nec obstat quod D. Bonauentura enumeret 14. nam reducit sex ad circumstantiam *Quis*; scilicet, *scientiam, ætatem, ordinem, conditionem, personam, & statum*; quia sunt conditiones personæ operantis. Supersunt octo, è quibus *Numerus*, seu *Quoties*, non est circumstantia actus; sed est actuum multitudo, quorum vnus non est circumstantia alterius; vt rectè notat hîc Caietanus. *Mora* pertinet ad circumstantiam, *Quando*: sub *Quando* enim intelligitur *Quamdiu*. *Modus* agendi, ad *Quomodo*. *Copia* pertinet ad numerum peccantium; & sic non est propriè circumstantia actus: vel potest reduci ad circumstantiam *Quis*; est enim conditio quædam personæ, quòd multorum exemplis prouocata fuerit. *Causa*, est idem quod *Cur*. *Lucta pusilla* pertinet ad *Quando*. *Locus* & *Tempus*, ad *Vbi* & *Quando*.

DVBIVM II.

Vtrùm istæ Circumstantiæ afficiant omnes actus humanos, etiam internos?

5 REspondeo & Dico Primò, Non omnes circumstantiæ afficiunt singulos actus in particulari; sed ordinariè quædam tantùm. Sæpissimè enim Locus, Tempus, Conditio Personæ, nihil ad rem faciunt. Potest tamen dari casus vbi omnes circumstantiæ adsint: Vt si Religiosus furetur rem sacram, in loco sacro, cum scandalo, tempore Sacrificij, vi illata, instrumento prohibito, vt absumat in illicita: hîc omnes circumstantiæ adsunt.

Dico Secundò, Circumstantiæ istæ afficiunt actus humanos accidentario modo consideratos, non solùm secundùm esse naturale, sed etiam secundùm esse morale.

Probatur, Quia manente eadem specie morali possunt esse variæ circumstantiæ. *Magnum* enim & *paruum* sunt circumstantiæ furtorum eiusdem speciei moralis. Similiter *diuturnum* & *breue*, *intensum* & *remissum*, sunt circumstantiæ fornicationis, homicidij, furti, & similium peccatorum, manente eadem specie morali. Quomodo autem esse morale, & naturale in actibus distinguantur, explicandum infrà, q. 18.

Dico Tertiò, Istæ circumstantiæ etiam afficiunt actus internos voluntatis tamquam circumstantiæ. Odium enim longum & breue, intensum & remissum sunt eiusdem speciei moralis. Similiter voluntas furandi centum, & furandi mille.

Dices, Actus exterior cum suis circumstantijs habet se instar obiecti; respectu actus interioris voluntatis; est enim volitus cum suis circumstantijs actu interiore: ergo saltem circumstantiæ actus exterioris non possunt esse circumstantiæ actus interioris. Patet consequentia; quia cùm sint volitæ, tribuent actui interno speciem tamquam partes obiecti.

Respondeo Negando Consequentiam, Quia etiamsi omnes circumstantiæ actus exterioris censeantur volitæ actu interiore, saltem interpretatiuè; non tamen idcircò semper sunt partes obiecti. Ratio est, quia non semper sunt volitæ tamquam necessariæ ad obiecti honestatem, vel turpitudinem; sed sæpè tantùm, vt eam augent, vel vt adiungunt nouam speciem manente priore.

6 *Quando circumstantia transeant in rationem obiecti, quando non.*

Quod vt intelligatur, Notandum est, tunc circumstantias desinere esse circumstantias, & transire in obiectum, quando necessariæ sunt vt obiectum induat certam speciem honesti, vel turpis. Quando autem ad hoc non sunt necessariæ; vt cùm obiectum sine illis iam habet certam speciem honesti vel turpis, tunc circumstantiæ superadditæ habent rationem circumstantiarum, siue nouam speciem addant, siue non. Vtrumque explicatur exemplis. Comedere, secundùm se nō est moraliter bonum vel malum, sed indifferens: vt autem fiat moraliter bonum, requirit certas circumstantias; scilicet, materiæ, temporis, modi, & finis. Itaque istæ quatuor circumstantiæ non sunt comestionis, vt est actus temperantiæ; sed sunt veluti partes necessariæ ad illā speciem moralem. Similiter non sunt circumstantiæ respectu actus interioris temperantiæ; sed sunt partes obiecti tribuentis actui interno speciem: velle enim comedere cum istis circumstantijs, scilicet tali tempore, tali modo, tali fine, & tali quantitate, est actus temperantiæ. Quòd si quis hunc actum externum referat ad aliquem finem extrinsecum, v. g. vt proximo det bonum exemplum, iam iste finis extrinsecus habet rationem circumstantiæ; quia superuenit actui temperantiæ, & ad eum non est necessarius. Similiter esse alienum, est quidem aliqua circumstantia rei quæ accipitur, & acceptionis; sed non est circumstantia istius acceptionis, vt induit rationem furti: verùm transit in rationem obiecti. Quòd autem hęc res aliena, etiam sit sacra, est quidem circumstantia furti, sed non sacrilegij. Fœminam esse iunctam matrimonio, est quidem circumstantia actus, quatenus est actus libidinis, sed non quatenus adulterij.

Quando verò actus est per se bonus vel malus, tum circumstantiæ quæ accedunt, retinent rationem circumstantiarum. v. g. dare eleemosynam, est per se bonum; vnde circumstantiæ accedentes, quæ aliquid ad bonitatem conferunt, retinent rationem circumstantiarū, & non transeunt in rationem obiecti. Mentiri, est per se malum; vnde si qua circumstantia accedat, retinet rationem circumstantiæ. Idem intellige de omni actu bono & malo secundùm propriam suam speciem consideratо. De quo plura infrà.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm principales Circumstantiæ sint, quid, & propter quid?

7 REspondetur, Inter circumstantias principalem locum obtinere *propter quid*. Ratio est, quia finis est obiectum voluntatis; vnde ex fine potissimùm iudicatur actus esse bonus vel malus. Quod intelligē de actu exteriore.

Secundum locum, Circumstantia *quid*, seu effectum ex opere secutum. Ratio est, quia post finem maximè iudicamus de actu ex effectu secuto;

QVÆSTIO OCTAVA.

De Obiecto Voluntatis.

1 NOtandum est, Ab hac quæstione vsque ad decimam octauam, D. Thomam explicare naturam actuum voluntatis, quibus homo à prima intentione finis, vsque ad vltimam eius consecutionem, progreditur.

Versantur autem hi actus partim circa finem, partim circa media. Circa finem versantur, *Amor, Intentio, Fruitio.* Circa media, *Consilium, Consensus* seu *Electio, Imperium* & *Vsus.*

Vt autem explicet naturam actuum voluntatis. Primò agit de obiecto voluntatis. Secundò, de causa mouente. Tertiò, de modo motionis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm voluntas sit tantùm boni?

Respondetur affirmatiuè.

DVBIVM I.

Vtrùm voluntas nihil possit velle seu appetere prosequendo, nisi sub ratione boni?

2 QVidam Doctores videntur existimare, voluntatem posse appetere malũ quà malum, & odisse bonum quà bonum; sic vt malum placeat quia malum, & bonum displiceat quia bonum est. Quæ sententia tribui solet Occamo & Maiori, & alijs quibusdam.

Occam. Maior.

Verùm contraria sententia, scilicet malum sub ratione mali appeti non posse ab vlla voluntate, est communis Doctorum; neque puto, si rectè explicetur, à quoquam negari posse: & meo iudicio Occamus & Maior in re ipsa non dissentiunt ab hac sententia. Occam enim in 3. q. 13. dub. 3. vbi de hac re agit, solùm docet malum quod verè est & cognoscitur esse malum, posse acceptari; vt cultum idolorum: non tamen excludit omnem speciem boni; v. g. commodi, honoris, &c. Maior verò clarè requirit aliquam speciem boni; vt videre est in 4. d. 49. q. 6.

Malũ sub ratione mali, appeti non potest.

Ex Patribus. Dionysius.

Probatur Primò, Auctoritate Dionysij lib. de Diuinis nominibus cap. 4. parte 4. versus finem: *Boni gratiâ omnia sunt, & quæ bona, & quæ bonis contraria; nam & hæc boni appetitu aggredimur. Nemo enim in malum intuens agit quæ operatur: idcircò neque hypostasin habet malum, sed παρυπόστασιν* (id est, adiacet hypostasi) *dum boni gratiâ, & non sui ipsius geritur.* Et infrà: *Itaque malum, est præter viam, præter intentionem, præter naturam, præter causam, præter principium, præter finem, præter terminum, præter voluntatem, præter hypostasin.*

Augustinus.

Augustinus lib. 2. Confess. cap. 4. docet, *Omne peccatum committi ex appetitione alicuius boni, quamuis infimi.* Et cap. 5. dicit, *Omne peccatum tendere ad aliquid habens speciem boni, quod tamen in Deo est verum bonum.* Sentit igitur Augustinus, ne in peccatis quidem, malum sub ratione mali appeti posse.

Anselmus.

Anselmus de Concordia gratiæ & liberi arbitrij versus finem: *Instrumentum volendi* (id est, ipsa potentia voluntatis) *duas habet aptitudines, quas voco affectiones, quarum vna est ad volendum commoditatem, altera ad volendum rectitudinem; nempe nihil vult voluntas, quæ est instrumentum, nisi aut commoditatem, aut rectitudinem: quidquid enim aliud vult, aut propter commoditatem aut rectitudinem vult; & ad has, etiamsi fallitur, putat se referre quod vult.* Vbi per *rectitudinem*, intelligit bonum honestum, quod ibidem sæpè vocat iustitiam. Per *commoditatem*, intelligit quidquid vllo modo delectabile, vel naturæ commodum. Per *id quod appetitur propter hæc*, intelligit bonum vtile. Itaque apertè indicat Anselmus, nihil posse appeti nisi ob bonum honestum, vel aliquo modo commodum.

Adde Aristotelem.

His adde testimonium Aristotelis 1. Ethic. cap. 1. *Omnis ars & methodus, omnis actio & electio bonum aliquod appetere videtur; vnde rectè pronuntiarunt* (Veteres) *Bonum esse quod omnia appetunt.*

3 Secundò probatur ratione. Prima ratio, Id quod in ceteris rebus est inclinatio naturalis, seu motus sequens naturalem inclinationem, id in rebus cognitione præditis est inclinatio appetitus sensitiui, vel rationalis: atqui illa non potest tendere, nisi in id quod est rei secundùm naturam conueniens: ergo neque hæc potest tendere nisi in id quod est rei conueniens secundùm apprehensionem. Sicut enim illa inclinatio sequitur naturam rei, ita hæc sequitur apprehensionem.

Ex ratione.

Secunda ratio, Intellectus non potest assentiri falso quia falsum; sed solùm quia verum, vel speciem veri habet: ergo similiter voluntas non potest appetere malum quia malum; sed solùm quia bonum, vel speciem boni habet. Patet consequentia, quia non minùs voluntas abhorret à malo, quàm intellectus à falso.

Tertia, Nihil ob eandem rationem potest esse appetendum & fugiendum: atqui malum, quà malum, est fugiendum: ergo non potest esse expetendum.

Quarta, Malum non potest esse expetendum, cùm nihil habeat quo aliciat voluntatem: ergo si expetatur, id solùm erit propter aliquod bonum ei coniunctum. Quod Confirmatur. Experientiâ: Quia nemo vmquam peccauit appetendo, quin spectauerit aliquid boni, vel speciem boni habens; vt honorem, laudem, diuitias, voluptates, vindictam, & similia.

4 Obijcitur Primò, Quidam appetunt non esse, & verti in nihilum; vt colligitur Iob. 3. & 10. & constat experientiâ: atqui non esse, non solum est malum, sed etiam summum malum; est enim priuatio omnis boni: ergo. &c.

Soluuntur obiectiones.

Respondeo, *non esse*, dupliciter spectari posse; Primò, Secundùm se nudè: sic nemo potest illud appetere. Secundò, vt includit liberationem à miseria: sic potest appeti; quia habet rationem cuiusdam boni. Sicut enim tristitia & dolor est quoddam malum positiuum homini, ita carere miseriâ, est quoddam bonum negatiuum. Neque

Quomodo Non esse possit appeti.

verum

verum est id quòd subsumitur, nempe quod non esse, sit summum malum; quia malum requirit subiectum; est enim priuatio boni, non pura negatio. Vnde Dionysius loco citato ait, *malum non habere hypostasin, sed παρυπόστασιν*, quia videlicet adiacet bono. Potest tamen largè vocari malum, quatenus est negatio boni, quod fuit. Adde, quòd damnatio sit malum positiuum, quod longè pluris æstimatur, & deterius est damnatis, quàm negatiuum, quale *est non esse*: vnde malunt hoc malum negatiuum, quàm afflictionem damnationis. Imò quod cupiant *Non esse*, est ex amore sui esse: vt enim suum ipsorum esse liberum sit tanto malo, optant non esse; idque secundùm rectam rationem; quia est illis meliùs non esse, quàm sic esse; vt apertè colligitur Matth. 26.

Obijcitur Secundò, Dæmones appetunt peccatum, quia est offensio Dei: Atqui hoc modo peccatum habet rationem puri mali: ergo &c.

Respondeo, Appetunt quidem peccatum, quà est offensio Dei; sed non ibi sistunt; verùm id referunt ad aliquid, quod speciem boni habet. Appetunt enim id, vt se quodammodo de Deo vlciscantur, quod ipsi apprehendunt tamquam sibi commodum. Sicut qui aliquid appetit in contumeliam sui inimici.

Obijcitur Tertiò, Qui odit inimicum, vult ei malum; idque tantùm vt ei malè sit: vt docet D. Thomas 2. 2. q. 34. a. 6. Hoc enim differt odium ab ira; quòd odium velit malum, quia malum; ira autem velit malum sub ratione iustæ vindictæ.

Potest quis velle malum quà malum alteri, non sibi.

Respondeo, Qui odit inimicum, vult illi quidem malum, vt malè sit illi; sed ratio cur hoc totum velit, est, vt sibi benè sit: nam inimico malum esse, apprehendit sub ratione sui boni.

Obijcitur Quartò, Potest quis nolle beatitudinem, & velle eâ carere: atqui in hoc nullum est bonum: ergo potest velle purum malum. Maior probatur Primò, Quia multi optant non esse, & numquam fuisse; & consequenter non esse beati; qui enim vult antecedens, vult consequens, quod necessariò inde sequi videt. Secundò, Quia Deus, suppositâ præuisione, quâ præuidet Petrum in peccatis moriturum, potest ei damnationem suam futuram reuelare, & se nolle vt sit beatus: atqui Petrus potest se huic diuinę voluntati conformare: ergo potest velle non esse beatus.

Respondent quidam, Hominem posse nolle beatitudinem in particulari, quæ consistit in visione Dei: non tamen beatitudinẽ in genere, quæ est plenitudo boni, & carentia mali. Sed si quis benè aduertat, videbit vtriusque eandem rationem, suppositâ certa cognitione in homine, qua sciat plenitudinem boni, & carentiam mali non posse haberi nisi in visione Dei; vt rectè Scotus in 4. d. 49. q. 10.

Quomodo possit homo nolle beatitudinem.

Vnde Respondeo, Etsi beatitudo siue in genere siue in particulari considerata, non possit respui secundùm se; & solitariè accepta, cùm nihil habeat in se, cur possit displicere: tamen si spectetur vt habet coniunctum laborem in acquirendo, vel vt acquisitio impedit aliud bonum; vel denique vt carentia ipsius apprehenditur tamquam mediũ ad aliud bonum, sic potest quis nolle beatitudinem, & nolle ad illam conari. Sic enim multi ad vitandum laborem præsentis vitæ, & ne careant voluptate præsenti, nolunt beatiudinem futuram, modicis bonis contenti. Simili modo Moses, & Apostolus Paulus optabant carere æterna beatitudine, vt Israël saluus fieret, iuxta Chrysost. Homil. 16. ad Rom. de qua sententia dicendum est 2. 2. q. 26. a. 4. His tamen casibus non reijcitur beatitudo quatenus bona est, sed quatenus habet aliquod malum cõiunctum. Neque appetitur priuatio eius, quà malum est; sed quatenus videtur necessaria ad aliquod aliud bonum.

Ad Primam confirmationem; Qui appetit non esse, appetit consequenter, saltem interpretatiuè, carere beatitudine, non ob ipsam beatitudinem; sed vt careat incommodis, quæ ante beatitudinem obtentam deberent subiri. Sicut dictum est de eo qui expressè non cupit beatitudinem futuram, vt vitet laborem & incommoda huius vitę.

Qui appetit antecedens non necessariò appetit cõsequens expressè (cum possit illud formaliter nolle) sed appetit illud interpretatiuè, & secundùm æstimationem meretricis.

Hinc patet ad confirmationem, Nam si quis eo casu nollet esse beatus; id non nollet, quatenus beatitudo est bona; sed quatenus est iniusta; & vellet ea carere, quia id iustum & conforme diuinæ voluntati.

Obijcitur Quintò, Propositis duobus æqualiter bonis, potest voluntas alterum respuere electo altero, hac sola ratione; quia sic placet: ergò poterit aliquid velle, vbi nihil est boni: nam ipsius beneplacitum erit sufficiens ratio.

Respondeo Negando Consequentiam. Beneplacitum enim voluntatis est sufficiens ratio acceptandi alterum præ altero, quando vtrumque est bonum; non tamen quando in obiecto nihil boni apprehenditur.

Obijcitur Sextò, Si voluntas non potest appetere malum, & odisse bonum, non poterit mereri in appetitione beatitudinis, & detestatione æternæ miseriæ. Probatur, Quia necessariò illam appetet, & hanc fugiet.

Respondeo; Voluntas non appetit beatitudinem necessariò secundùm exercitium actus (sic enim numquam posset ab illo actu cessare) sed liberrimè; vnde in illa appetitione mereri potest: nam libertas exercitij sufficit ad meritum. Secundùm specificationem actus necessariò quidem illam appetit; sed hoc non obstat merito: nihil enim hoc aliud est, quàm, illam secundùm se non posse odio haberi.

DVBIVM II.

Vtrùm voluntas semper absolutè feratur in bonum, & quidem in tale, quod etiam absolutè sit bonum; an aliquando sub conditione, & in bonum sub conditione?

Quorundam sententia.

QVidam docent Primò, Voluntatem affectu præsenti numquam ferri sub conditione in aliquod obiectum; sed semper absolutè: vnde omnem actum voluntatis esse absolutum, nullum conditionatum. Itaque non dari vllum affectum voluntatis præsentem, qui explicetur per *Vellem*; sed omnem explicari per *Volo*. Confirmatur à simili, in sensu & intellectu: nullus enim est actus sensus vel intellectus qui feratur sub conditione in suum obiectum; sed omnis fertur absolutè. Vnde nullus est actus præsens qui explicetur per, *Viderem, Intelligerem*; sed omnis præsens explicatur per, *Video, Intelligo*.

Secundò, Docent voluntatem affectu præsenti numquam fieri in obiectum sub conditione consideratum,

sideratum. v. g. Si esset bonum, Si esset licitum; sed absolutè, Quia est bonum, vel Licitum. Sicut patet à simili in sensu & intellectu: non enim intelligimus, si esset verum, sed quia verum est.

Pro solutione. Notandum est, actum voluntatis dupliciter posse spectari; Primò, vt est simplex affectus erga aliquod obiectum. Secundò, vt est efficax, vel inefficax; id est, vt habet vim mouendi ad executionem, vel non habet.

Dico Primò, Si actus voluntatis spectetur vt est simplex affectus, non fertur in obiectum sub conditione, sed absolutè. Ratio est, Quia non habet esse sub conditione; sed absolutè est, vel absolutè non est. Si est, debet actu ferri in obiectū; nam tendere in obiectum est actui essentiale. Itaq; quod iam existens tendat vel non tendat in obiectum, non pendet ab aliqua conditione. Rursus, si tendit in obiectum, iam obiectum debet absolutè habere aliquam rationem boni; nam tribuit actui speciem. Confirmatur; Quia sicuti actus habet aliquam speciem absolutè; ita obiectum debet habere aliquam rationem boni absolutè. Hinc patet verū esse quod secundo loco docent.

6 *Quomodo detur actus voluntatis conditionatus.*

Dico Secundò, Si actus voluntatis spectetur vt est efficax, vel inefficax, sic fertur in obiectū sub conditione. Quod patet experientiâ: positâ enim conditione, actus ille mouet ad executionem; non positâ, non mouet. Itaque efficacia non conuenit tali actui, nisi sub conditione. Explico duobus exemplis, Primo, In verbo *Vellem*; vt cùm dico, Vellem tibi dare Canonicatum, si esses doctus; significo me nunc habere absolutum affectum ad dandum tibi canonicatum, sed non absolutè efficacem, qui tamen habet vim causandi affectum efficacem, posita conditione: Tunc enim ex *Vellem*, fieret *Volo efficaciter*. Secundo, In verbo *Volo*; vt, Volo fis canonicus si es doctus: vbi, *Volo*, significat affectum simplicem quem habeo ad hoc vt sis canonicus; sed inefficacem, nisi subsit conditio; efficacē, si subsit. Est tamen nonnulla differentia inter *Vellem*, & *Volo*; quod *Vellem*, posita conditione immediatè causet in creaturis aliū affectum, scilicet, *Volo*, qui mouet ad executionem. *Volo* autem, positâ conditione, non causat alium affectum, sed immediatè mouet ad executionem, vel ponit ipsum effectum. Idem facit, *Vellem*, in Deo; non enim causat aliū affectum; sed positâ conditione, ipsum *Vellem* fit *Volo*, & parit immediatè effectum: Vt cùm dico, Deus vellet omnes saluos, si ipsi gratię ipsius cooperarētur: significo Deum habere affectum verum & sincerum erga salutem omnium; hunc tamen affectum non fore efficacem salutis & vitæ æternæ, nisi positâ conditione. Et hoc modo ponitur in Deo propriè voluntas conditionata.

Differentia inter Vellem & volo sub conditione.

7 *Responsio ad obiectionem.*

Ex his patet Primò, Quo modo verum sit, affectum voluntatis præsentem ferri in obiectum absolutè, & quo modo sub conditione: vt simplex enim affectus, fertur absolutè; vt efficax, vel inefficax, fertur sub conditione.

Ratio huius diuersitatis est; Quia tendere in obiectum per modum affectus, est conditio realis actui intrinseca, nam tribuit ei speciem; vnde debet illi absolutè inesse, si actus sit; neque potest pendere à conditione extrinseca, id est, vt positâ conditione conueniat actui; non positâ non conueniat. Tendere autem in obiectum tamquam in effectum, seu mouere ad executionem, non est aliqua conditio intrinseca, sed denominatio extrinseca actus voluntatis; sicut calefacere respectu ignis: vnde potest conuenire actui voluntatis, positâ aliquâ conditione, absque vlla mutatione illius actus.

Patet Secundò, Verum non esse, nullum dari affectum præsentem, qui explicetur per *Vellem*: *Vellem* enim est verbum optandi: qui optat, iam habet aliquem affectum ad id, quod optat. Hic tamen affectus ante conditionem positam est inefficax: positâ autem conditione fit efficax sine vlla sui mutatione.

Nec obstat quòd in sensu vel intellectu fortasse non detur actus præsens, qui explicetur simili modo, aut qui tendat sub conditione in obiectū; quia proprium voluntatis est mouere efficaciter ad executionem ex vi præsentis affectus. Inuenitur tamen in intellectu aliquid proportionale; vt cum dico; Iudicarem hoc esse honestum vel licitum, nisi Scriptura obstaret: significo enim me habere aliquod præsens iudicium, quo hoc ita videtur simile honesto, vt si Scriptura non obstaret, iudicarem esse absolutè honestum.

ARTICVLVS II.

Vtrùm voluntas sit tantùm finis, an etiam mediorum.

PRima Conclusio, Si voluntas accipiatur pro ipsa potentia, fertur in finem, & in media. 8

Secunda Conclusio, si accipiatur pro actu voluntatis, propriè tantummodò voluntas est finis. Probat; quia nomen potentiæ accommodatum actui, denotat simplicem actum illius potentiæ, scilicet, eum qui tendit in id quod per se est obiectum illius potentiæ. Sic intellectus dum accipitur pro actu, significat cognitionem principij per se veri: ergo similiter voluntas accepta pro actu, significat volitionem eius quod per se bonum est: hoc autem est finis: ergo voluntas est tantùm finis. Vide reliqua apud D. Thomam.

DVBIVM.

Vtrùm omnis actus voluntatis versetur circa finem, vel circa medium?

CAietanus hîc putat Scotum sensisse dari aliquem actum voluntatis neutrum, id est, qui neque sit appetitio finis, neque medij. Sed si quis bene aduertat, longè est alia mens Scoti, vt patet ex 1. sentent. d. 1. q. 3. Solùm enim docet, dari medium inter fruitionem & vsum: per *fruitionem* enim, intelligit amorem vltimi finis; per *vsum*, intelligit volitionem mediorum relatorum in vltimum finem. Inter quæ duo reuerà datur actus medius, scilicet volitio finis non vltimi, propter suam intrinsecam bonitatem: vt si quis velit reddere depositum, quia id iustum est. 9 *Scotus non ponit volitionem, quæ neque sit medij neq; finis.*

Respondeo itaque, Si loquamur generatim de fine, non datur vllus actus voluntatis neuter, id est, qui neque versetur circa finem, neque circa aliquod medium, ita Caietanus hoc, & alibi. *Non datur actus neuter.*

Probatur Primò, Quia velle aliquid vt finem, est velle illud propter seipsū, seu nō referendo ad aliud: velle autem mediū, est velle propter aliud, non

non propter se. Atqui propter se, & propter aliud opponuntur contradictorie respectu obiecti voliti: nam, propter aliud, includit negationem eius quod propter se, & contrà: ergo fieri nequit, vt aliquid sit volitum neutrum; id est, neque per modum finis, neque per modum medij.

Probatur Secundò, Voluntas nihil potest velle nisi sub ratione boni; vt *art.* 1. Atqui omne bonum vel est per se bonum, vel dicitur bonum propter aliud: ergo quidquid voluntas vult, vult vel vt per se bonum; & sic vult illud tamquam finem; vel vult illud vt bonum propter aliud; & sic vult tamquam medium: ergo non datur actus neuter.

10 *Solutio obiectionis.* Dices Primò, Sæpè volumus aliquid simplici affectu complacentiæ absque consideratione mediorum ad hoc vtilium; vt quando quis optat impossibilia; vt esse Rex, esse Angelus, esse Deus. Atqui tunc non volumus aliquid tamquam medium, vt per se constat; neque etiam tamquam finem, quia nihil est volitum instar finis, nisi id moueat voluntatem ad appetitionem mediorum: ergo talis volitio est neutra.

Respondeo, talem volitionem esse appetitionem finis; quia est affectus ad bonum per se amabile: bonum autem per se amabile, habet rationem finis in actu primo; quamuis non exerceat vim & causalitatem finis in actu secundo, vt suprà q. 1. dictum est.

Dices Secundò; Voluntas potest alicui rei affici absolutè, quatenus bona est, non considerando an per se bona sit, an solùm propter aliud: ergo potest aliquid velle, quod tamen non velit vt finem vel medium. Consequentiâ patet. Antecedens probatur; Nam ratio boni abstrahit à bono per se, & propter aliud.

Respondeo, Fieri non posse vt voluntas sic alicui rei afficiatur: dum enim aliquid iudicatur esse bonum, semper ita iudicatur, vel quia illud in se bonum videtur, vel quia videtur vtile ad aliud, quod in seipso bonum putatur. Idque patet, siue quis appetat bonum in genere, v.g. benè esse, (hoc enim apprehendit tamquam per se bonum) siue appetat aliquod bonum particulare, vt honores, diuitias, voluptates. Et ratio est; quia affectus erga rem aliquam oritur vel ex consideratione bonitatis, quæ illi rei inesse videtur, & sic est appetitio finis: vel oritur ex consideratione bonitatis, quæ alteri inesse videtur; ad quam illa putatur vtilis; & sic est appetitio medij.

Ratio boni non potest abstrahi à bono per se & propter aliud: quia ab eadem numero bonitate pendet. Ad probationem antecedentis, Respondeo, rationem boni non posse abstrahi à bono per se, & à bono propter aliud; quia eadem numero bonitas est ob quam diligitur finis, & ob quam diligitur medium: bonitas enim finis non solùm est causa, cur finis diligatur, cui illa bonitas inest; sed etiam cur diligantur media, quibus ipsa inest, vt patet exemplis: bonitas enim sanitatis, est causa cur ipsa sanitas ametur, & medicina ametur. Bonitas vitæ, est causa cur & ipsa ametur, & labores huius vitæ, & pœnitentia.

ARTICVLVS III.

Vtrùm voluntas eodem actu moueatur in finem, & in id quod est ad finem?

REspondet D. Thomas duabus Conclusionibus. 11

Prima est, Voluntas potest ferri in finem absolutè, ita vt non feratur in media. Ratio est; quia appetitio finis prior est electione mediorum.

Secunda, Voluntas non potest ferri in media, nisi feratur in ipsum finem. Ratio est: quia media, vt talia sunt, non appetuntur nisi propter finem; & consequenter in eis appetitur finis, tamquam ratio volendi illa. Hinc infertur, Voluntatem eodem motu ferri in finem, vt est ratio volendi media, & in ipsa media; diuerso autem, in finem absolutè, & in media.

Vbi Notandum, Voluntatem hîc accipi pro ipsa potentia voluntatis, non pro actu, vt vult Caietanus. Quæritur enim, an ipsa potentia vno eodemque actu feratur in finem, & in media.

DVBIVM I.

Quomodo voluntas eodem actu feratur in finem & in media, directè an indirectè?

SVppono, Voluntatem dupliciter posse ferri in finem; Primò, Directè & expresse tamquam in obiectum quod appetitur; vt quando quis appetit sanitatem, scientiam &c. propter intrinsecam illorum bonitatem. Secundò, Indirectè & implicitè tamquam in rationem appetendi extrinsecam; vt quando quis appetit medicamentum ob sanitatem. Medium quoque dupliciter appeti potest: Primò, directè & formaliter. Secundò, Indirectè & virtute. 12 *Quid sit ferri in finem directè.* *quid Indirectè.*

His positis, Dico Primò, Voluntas non eodem actu quo fertur directè in finem, fertur etiam directè in media. Similiter non eodem actu quo fertur in media, fertur etiam directè in finem, vt in *obiectum quod*. Docet hoc Gregor. in 1. d. 1. q. 1. a. 2. Neque D. Thomas id negat. *Voluntas non eodem actu fertur directè in finem & directè in media.*

Probatur Primò, Volitio finis est causa volitionis mediorum: atqui idem non est causa sui ipsius: ergo volitio finis non est volitio mediorum. Maior probatur; quia velle medicinam propter sanitatem, est velle illam ob sanitatem volitam; quod nihil est aliud, quàm affectum sanitatis esse causam cur velis medicinam. Quò fit, vt volitio finis semper præcedat appetitionem mediorum, vel tempore, vel saltem ordine naturæ.

Secundò probatur, Quia ita se habet volitio finis & mediorum in voluntate, sicut cognitio conclusionum & principiorum se habent in intellectu: sed hæ cognitiones sunt distinctæ: ergo & illæ appetitiones sunt distinctæ.

Tertiò, probatur allata ratione à priori; Istæ appetitiones habent diuersa obiecta, alterius enim obiectum est finis, alterius medium: atqui diuersa obiecta faciunt, vt actus non solum numero, sed etiam sint specie diuersi.

Dices,

Dices, Est idem obiectum formale vtriusque actus, scilicet bonitas finis: nam finis amatur propter bonitatem suam, medium verò propter eandem bonitatem: ergo non sunt actus diuersi.

Bonitas finis non eodem modo conuenit fini & medio.

Respondeo Primò, Negando esse propriè idem obiectū formale appetitionis medij & finis. Nam etsi sit eadem bonitas ob quam appetitur finis & medium; tamen illa bonitas non eodem modo vtrique conuenit: fini enim conuenit intrinsecè, medio autem non conuenit, nisi ratione alicuius extrinseci respectus; quatenus in medio est ordo quidam ad illam bonitatem, tamquam ad effectū extrinsecum; vt patet in medicamento respectu sanitatis. Ad obiectum autem formale actus voluntatis, non solùm pertinet bonitas rei nudè considerata, sed etiam modus quo ipsa applicatur & conuenit rei volitæ. Hinc fit, vt longè aliter æstimetur finis, aliter medium; aliter Deus, aliter creatura; quamuis ob eamdem bonitatē amentur.

Qua sit immediata ratio, cur medium ametur.

Respondeo Secundò, Dici potest, Proximam & immediatam rationem cur medium ametur, non esse bonitatem finis, sed aptitudinem seu vim effectiuam, quæ est in medio ad finem obtinendum: hæc enim aptitudo est aliqua bonitas, quæ vocatur vtilitas, ob quam medium immediatè est appetendum. Quia tamen hæc aptitudo non est appetibilis per se, sed solùm propter finem; ideò bonitas finis in materia morali censetur immediata ratio appetendi medij; quamuis metaphysicè aptitudo ad finem sit ratio immediata illius.

13 Dico Secundò, Voluntas tamen eodem actu, quo fertur directè in medium, fertur absolutè in finem, sed indirectè & implicitè tamquam in rationem volendi. Hoc intendit D. Thomas.

Quo modo voluntas eodem actu quo fertur in media, feratur in finem.

Probatur Primò, Quia finis continetur in medijs tamquam in causa; vt sanitas, in medicinâ; commoda vitæ, in pecunia. Vnde qui vult media, vult finem in causa; & sic virtute & implicitè vult finem.

Probatur Secundò, Quia appetitio mediorum intrinsecè oritur ex affectu finis, sicut assensus conclusionis ex assensu principiorum: ergo affectus finis continetur in appetitione mediorum, tamquam in proprio effectu habente intrinsecam dependentiam. Quare secundùm æstimationem moralem, amor finis censetur includi in appetitu mediorum.

Verùm hę duę rationes solùm probant, eodem actu, quo amatur medium, aliquo modo amari finem: sed non explicant proprium modum. Vnde

Probatur Tertiò, Quia finis est quasi ratio formalis obiectiua, cur medium appetatur. Atqui potentia fertur eodem actu in obiectum materiale, & in rationem formalem: eodem enim actu videtur lumen & color, vt rectè D. Thomas in Respons. *ad secundum.*

Dices, Hoc exemplū non videri accommodatum. Nā lumē est proxima ratio cur color videatur: est enim veluti forma obiecti visibilis: vnde eodem actu quo videtur color, directè & propriè videtur lumen, non solùm tamquam *obiectum quo*, seu ratio videndi; sed etiam *vt obiectum quod.* Finis autem non est proxima ratio cur ametur medium; sed ipsa vtilitas quę in medio est ad finem, est proxima ratio cur medium ametur.

Respondeo, Exemplum quidem non esse omninò simile; tamen esse sufficiens ad propositum. Omnis enim obiecti ratio formalis debet attingi eodem actu cognitionis vel affectûs, quo ipsum obiectum materiale; iuxta illud Aristotelis, *Propter quod vnumquodque, & illud magis.* Et quidem, si sit ratio formalis intrinseca, attingitur vt *obiectum quo*, & *obiectum quod.* Si extrinseca, saltem vt *obiectum quo.* Et hoc modo attingitur finis dum appetitur medium: etsi enim non sit proxima ratio cur medium appetatur, loquendo metaphysicè; moraliter tamen censetur proxima, vt dictum est. Simili modo eodem actu quo assentimur conclusioni propter principia, assentimur etiam principijs; non directè, sed implicitè, tanquam rationi assensus.

Dico Tertiò, Voluntas quoque eodem actu 14
quo fertur efficaciter in finem, fertur etiam aliquo modo in media; scilicet virtute & implicitè. *Volitio finis est causaliter volitio medij necessarij.*
Dico, *Efficaciter*; quia affectus inefficax circa finem non fertur hoc modo in media: sæpè enim fit vt optemus aliquod bonum, & tamen vel omnino à medijs abhorreamus, vel saltem illis nullo modo ex vi illius desiderij afficiamur.

Probatur Primò, Quia qui intendit aliquem finem consequi, v.g. salutem animæ, hoc ipso implicitè vult adhibere media ad hoc necessaria: ergo intentio finis implicitè est volitio mediorum.

Probatur Secundò, Volitio mediorum expressa oritur ex intentione finis; sicut assensus conclusionis ex assensu principiorum: ergo continetur in illa tamquam in causa: ergo intentio finis est saltem causaliter appetitio mediorum, sicut assensus principiorum est causaliter assensus conclusionum; quod sufficit vt per intentionem finis media dicantur implicitè volita.

Aduerte tamen, hoc solùm esse verum de medijs necessarijs, sine quibus finis haberi non potest: ac proinde de medijs in genere, & de illo in particulari, quod in particulari est necessarium; sicut Baptismus est necessarius ad salutem. Volitio enim mediorum non necessariorum, continetur in intentione tamquam in causa indeterminata; sicut actus liber in potentia voluntatis. Quare antequam actu talis volitio eliciatur, non magis ipsa continetur in intentione, quàm eius negatio; ac proinde tale medium non censetur volitum in particulari per intentionem.

DVBIVM II.

Vtrùm voluntas feratur etiam eodem actu in obiectum quod *appetitur, & personam, seu* rem cui *appetitur?*

REspondeo & Dico Primò, Eodem actu in 15
vtrumque ferri. Et *Affirmatur.*

Ratio est, Quia sicut se habet assensus & dissensus in intellectu, ita se habet volitio & nolitio in voluntate: ergo sicut obiectum assensus & dissensus non est aliquid simplex, sed complexum; ita & obiectum volitionis & nolitionis non est aliquid simplex, sed coniunctum. Quod etiam experientiâ patet; nemo enim potest aliquid velle, quin illud sibi vel alteri velit; quod nihil est aliud, quàm velle illud sibi vel alteri esse coniunctum. Sic non potest quisquā nolle aliquid, quin nolit hoc sibi vel alteri coniunctum. Itaque intrinsecè & essentialiter omnis volitio & nolitio

respicit

respicit *obiectum quod*, & *obiectum cui*: hæc enim iuncta, non faciunt nisi vnum obiectum integrum: sicut attributum & subiectum coniuncta, non faciunt nisi vnum obiectum assensus.

Notandum tamen est, Hanc volitionem, quatenus respicit *obiectum quod*, vocari à Doctoribus amorem concupiscentiæ; quatenus autem respicit *obiectum cui*, amorem beneuolentiæ, seu amicitiæ; Non quòd hîc concurrant duo distincti actus, sed quia in eodem simplici actu concurrunt duo respectus ad duo obiecta partialia, ratione quorum, actus subit diuersas rationes, partiales tamen; & diuersa nomina. Itaque in omni huiusmodi actu includitur amor amicitiæ, & concupiscentiæ, generatim loquendo.

16 *Duo requisita ad amorē beneuolentiæ.*

Vt autem propriè sit amor beneuolentiæ erga aliquem, duo requiruntur.

Primum, vt *obiectum cui*, sit aliqua natura rationalis; nam ad hanc solam propriè habetur beneuolentia, seu amicitia. Quòd si interdum brutis velimus aliquod bonum, id fit propter eorum possessorem: vnde est beneuolentia erga hunc, non erga ipsa. Si tamen quispiam illis benè velit, duntaxat vt illis benè sit, non habito respectu ad dominum, est affectus similis amicitiæ, & generatim dici potest amicitiæ vel beneuolentiæ amor; vt colligitur ex Gabr. in 2. d. 6. q. vnica, a. 3. dub. 2. vbi ait: *Sicut potest voluntas amare quodlibet ens amore amicitiæ, ita etiam potest quodlibet ens concupiscere amatum.* *Gabriel.*

Secundum est, vt *obiectum quod*, id est bonum, sit volitum illi naturæ rationali, duntaxat vt illi benè sit, non referendo hoc ad vlteriorem finem. Explicatur exemplis: Si enim seruo tuo velis bonum vt tibi benè sit, non erit beneuolentia erga illum, sed erga te ipsum: & hoc totum, seruum tuum benè habere, tantùm est obiectum amoris, vt est concupiscentia. Sic si velis proximo tuo salutem propter Deum, seu vt Deus honoretur in illo; non est amor beneuolentiæ erga proximum; sed erga Deum: Proximus autem ibi amatur amore concupiscentiæ. Simili modo, dum omnem creaturam volumus esse, permanere, perfici ad gloriam Dei, est beneuolentia erga Deum, non erga creaturam.

17 Dico Secundò, Etiamsi voluntas eodem actu quo fertur in *obiectum quod*; feratur etiam in *obiectum cui*, seu in personam, cui res illa appetitur; tamen non eodem modo fertur in illam personā, quando in eius bono immediatè sistit, & quando illud ad alterius bonum refert. Patet. Quando enim sistit in illius bono, tunc expresè & formaliter fertur in illam personam, tamquam in finem per modum intentionis, estque formaliter actus beneuolentiæ erga illam; vt cum seruo vis sanitatem duntaxat vt ipsi benè sit, absque consideratione tui commodi: dum verò id ei vis in tuum commodum, tunc illo actu non ferris in ipsius personam, vt in finem, sed tamquam in medium: ferris verò in tuam personam, vt in finem, sed solùm implicitè, vt in rationem volendi: Sicut qui vult media, implicitè vult finem: tunc enim tuum commodum est volitum in ipsius commodo, sicut finis in mediis. Vnde & necessè est, vt præcesserit aliqua volitio, quâ immediatè tuum commodum appetisti, ex cuius virtute profecta est illa volitio, quâ seruo sanitatem optas. Quare secundùm æstimationem moralē hoc actu censeris magis amare teipsum, quàm seruum tuum; quia ratio cur illi velis bonum, non est bonum ipsius, sed bonum tuum. Similiter illo actu quo desideras proximo salutem, vt Deus honoretur, magis amas Deum quàm proximum, etiamsi tunc de Deo non cogites. Itaque in ratione virtutis, potiùs est dilectio Dei quàm proximi: Nam bonum proximi se habet vt obiectum materiale, vel vt medium; Dei autem, vt obiectū formale illius actus, vel vt finis. Simili modo iudicandum est de actu odij, quo quis odit peccatum propter Deum, de quo hîc Caietanus ait, Hoc odium, esse simul velle & nollę esse actum charitatis erga Deum, & refutationis respectu peccati. Quod non sic intelligendum est, quasi vtrumque ei formaliter conueniat; sed quòd alterum ei formaliter, alterum virtute conueniat. Hic enim actus non fertur expresè in Deum; sed solùm implicitè & virtute: vnde non est formaliter amor Dei, sed virtute tantùm, quatenus prima ratio huius odij est Deus; oritur enim ex amore Dei; sicut electio medij ex amore finis. Est tamen alio sensu actus charitatis; quia elicitus ab habitu charitatis. *Caietan.*

QVÆSTIO NONA.

De Motiuo Voluntatis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm voluntas moueatur ab intellectu?

1 REspondetur duabus Conclusionibus.

Prior est, Voluntas mouet omnes alias animæ potentias ad exercitium actus. Hinc sequitur, quòd etiam moueat intellectum ad exercitium; & consequenter quòd intellectus non moueat voluntatem ad exercitium, sed voluntas seipsam. Loquitur D. Thomas tantùm de illis animæ potentijs quæ interdum agunt, interdum non agunt; quæ enim semper agunt, à natura sunt applicatæ ad agendum.

Altera Conclusio. Intellectus mouet voluntatem secundùm specificationem actus.

DVBIVM I.

Quid sit mouere ad exercitium actus, vel ad specificationem.

2 REspondeo, *Mouere ad exercitium*, est per intrinsecam applicationem potentiæ ex parte subiecti esse causam, cur hîc & nunc agat potiùs, quàm aliàs. Dico, *Per intrinsecam applicationem*; quia extrinseca applicatio, vt cùm quis ignem aplicat lignis, non sufficit vt quis dicatur propriè causam agentem mouere ad exercitium. Dico, *Ex parte subiecti*; quia qui proponendo obiectum *Mouere ad exercitiū.*

est caus-

est causa cur potentia hîc & nunc agat, non mouet ad exercitium. *Mouere ad specificationem actus,* est esse causam præcisè cur actus ille, qui ex parte potentiæ est indifferens ad varias species, sit potiùs huius speciei, quàm alterius; vt quòd hæc intellectio, hæc volitio, hæc visio sit potiùs huius speciei, quàm alterius, referendum est in illud quod mouet ad speciem actus.

Mouere ad specificationem.

Hinc sequitur, Primò, Eas potentias quæ ex natura sua ad certe speciei operationem sunt determinatæ, non egere motore ad exercitiũ actus, vel ad specificationem: vt sunt, vis alendi, concoquendi, attrahendi, vis pulsatrix cordis & arteriarum. Nec refert quòd hæ vires egeant materiâ vt exeant in actum; quia ex parte sua sunt determinatæ ad certam operationem.

3 *Potentia ex se ad certa speciei operationem determinata, non egent motore.*

Dices, D. Thomas ait, Id quod est in potentia ad agere & non agere, eget motore, quo ad exercitium actûs moueatur: atqui illæ vires sunt in potentia ad agere & non agere; quia non semper agunt.

Respondeo, Has vires neque ex parte sua præcisè, neque ex parte subiecti vtentis, esse in potentia ad agere & non agere, sed solùm defectu materiæ. D. Thomas loquitur de eo quod ex parte sua, vt est voluntas; vel, vt est in tali subiecto, est indeterminatum & indifferens ad agere & non agere; vt intellectus, phantasia, appetitus sensitiuus, &c.

Neque sensus exteriores.

Sequitur Secundò, Sensus exteriores non egere motore, quo directè moueantur ad exercitium; quia naturâ suâ sunt determinati ad exercitium actus, præsente obiecto; sed tantùm egent motore indirectè, quatenus per motum localem debent applicari obiecto, vel impedimentum interpositum tolli; vt patet in oculis, obductis vel reductis palpebris.

DVBIVM II.

Vtrùm voluntas moueat alias animæ potentias ad exercitium actus, & quo modo?

Dico Primò; Certum est, voluntatem in hominibus, & appetitum sensitiuum in brutis mouere alias animæ potentias, quæ ex parte subiecti non sunt determinatæ vt semper agant, ad exercitium actus: Patet experientiâ: proxima enim ratio cur homo vel brutum hoc vel illud agat, est quia vult.

4 *Voluntas mouet potentias, quæ non sunt ex parte subiecti determinata, vt semper agant.*

Ratio à priori est, quam hîc insinuat D. Thomas; quia voluntas in homine, & appetitus sensitiuus in brutis, est inclinatio, seu pondus, quo fertur in totum bonum suppositi. In alijs autem viribus, est solùm inclinatio in aliquod bonum particulare suppositi; in intellectu ad intellectionem, in sensu interiore ad imaginationem: atqui inclinatio in bonum totius, debet mouere & incitare inclinationes particulares; quia bona particularia debent referri ad bonum totius: sicut causa quæ respicit finem vniuersalem, mouet causas quæ respiciunt fines particulares, vt optimè explicat D. Thomas exemplo ducis exercitus.

Secundò, Voluntas est inclinatio in bonum totius: atqui hoc bonum non potest ipsa per se consequi, sed solùm mediantibus alijs potentijs: ergo necesse est vt possit alias potentias ad hoc bonum prosequendum mouere.

Dico Secundò, Quod ad modum huius motionis attinet, voluntas non mouet alias potentias effectiuè, per realem aliquem in eas influxum; sed tantùm ratione naturalis connexionis, quam illæ cum voluntate in eadem essentia habent.

5 *Non mouet eas per realem influxũ in eas.*

Prior pars est ferè communis DD. & Probatur; Quia vires inferiores sunt per se, suasque perfectiones intrinsecas, satis idoneæ ad producendos suos actus secundùm substantiam, & omnes modos intrinsecos illorum: ergo frustrà poneretur influxus voluntatis in illas. Antecedens patet; Intellectus enim instructus habitu connaturali, seu specie intelligibili, est sufficiens ad omnem intellectionem; nec vlla est ratio formalis, vel modus intrinsecus in actu intellectionis, ad quem opus sit influxu voluntatis. Vt enim est intellectio, est à potentia intellectiua; vt est supernaturalis, est ab habitu vel auxilio supernaturali, tamquam à proprio principio: vt autem est huius vel illius speciei, est ab obiecto mediante specie intelligibili.

Dices, Illa intellectio est etiam voluntaria & libera: atqui hoc non habet nisi à voluntate: ergo influxus voluntatis ad hoc erit necessarius.

Respondeo, Esse voluntarium & liberum non superaddit actui aliquid intrinsecum, sed solùm extrinsecam denominationem ab actu voluntatis. Idem dicendum est de actu imaginationis, appetitus sensitiui, sensuum exteriorum & potentiæ motiuæ, siue hæc ponantur immediatè in anima, siue in instrumento corporeo.

Vtrùm autem voluntas possit causare immediatè motum localem in corpore, vt Medina hoc loco putat cum quibusdam alijs Doctoribus, dubitari potest. Sed omninò verius est, voluntatem non esse causam immediatam motus localis, & dari potentiam motricem, à qua effectiuè & & immediatè procedat motus; quam potentiam voluntas duntaxat applicet: de qua plura in 1. parte, q. 25.

Non causat immediatè motum localem.

Altera pars probatur; quia non superest alius modus mouẽdi illas vires; & hic sufficit. Vel enim vires animæ non distinguuntur ab anima, sed sunt ipsamet animæ essentia, quatenus idonea ad varias operationes; vt intellectus nihil aliud sit, quàm ipsa essentia animæ, vt est idoneum principium intellectionis; & voluntas: sit eadem essentia, vt est idoneum principium volitionis, & sic de ceteris (quæ sententia est satis probabilis, eamque optimè explicat & defendit Gabr. in 2. d.16.q. vnica.) Et hoc modo facilè est intelligere, quo modo aliarum virium operatio possit à voluntate dependere, cùm iuxta hanc sententiam omnes vires non sint nisi vna simplex anima, quæ cùm vult, essentia tota in rem volitã trahitur; & cõsequenter ex illa essentia sequũtur operationes consentaneæ ad illam rem obtinendam. Vel vires animæ distinguuntur realiter ab essentia animæ, sic tamen vt ab eadem manent, & in eadem existant; & dum operantur ipsæ, essentia quoque influxum in opus habeat. Et hoc etiam modo facilè intelligi potest connexio potentiarũ in operando: dum enim voluntas vult alicuius potentiæ operationem, v.g. intelligere, imaginari, ambulare, tota essentia trahitur per voluntatem in illam operationem; & consequenter etiam potentia propria, qua illa operatio elicitur.

6 *Voluntas mouet alias potentias ratione naturalis vnitatis vel connexionis in eâdem essentiâ.*

Idem confirmatur à simili. Sicut enim operatio intellectus dependet ab operatione sensus interioris;

A simili.

terioris ; ita vt naturaliter non possimus quidquam intelligere, nisi id ipsum imaginemur ; & operatio sensuum exteriorum, vt perfecta sit, requirit attentionem sensus interioris : ita mirum non est, si operatio quarumdam potentiarum pendeat à voluntate, quæ est appetitus inclinans in totum bonum hominis.

Aduerte tamen, aliter sensus externos ; aliter intellectum & imaginatricem ad exercitium moueri. Intellectus enim & imaginatrix applicantur interiùs ex vi consensionis immediatæ cum voluntate ; sensus autem externi non habent talem cum voluntate immediatum consensum. Quare solùm mediante potentia motiua applicantur ad operandum. Quò fit, vt voluntas non possit sensuum operationes excitare vel impedire, intensiores aut remissiores facere, nisi mediante motu locali, quo vel ipsi sensus fiunt obiectis viciniores, vel spiritus ad sensuum organa plures excitantur. Proposito enim obiecto & ablato impedimento, sensus naturaliter suam perfectissimam operationem eliciunt, siue voluntas velit, siue non velit. Secùs est de intellectu & imaginatrice.

7 Ex dictis patet, cur operatio vnius potentiæ circa suum obiectum, impediat perfectam operationem alterius potentiæ circa suum : vt attenta speculatio intellectus, operationes sensuum, & operatio vnius sensus, attentionem alterius. Ratio enim est ; quia tota animæ essentia trahitur in illud obiectum, circa quod quispiam attentè operatur ; & sic non potest perfectè alteri operationi applicari (nisi diuinitus supra modum naturalem iuuetur, sicut fiet in cælo ; vbi operatio vnius potentiæ non impediet perfectionem operationis alterius potentiæ :) necesse enim est vt in omnem operationem vitalem essentia influxum habeat.

Cur vnius potentiæ operatio impediat operationem alterius non subordinatæ.

DVBIVM III.

Quo modo voluntas moueatur ab intellectu, & ab obiecto.

8 OMissis sententijs. Dico Primò, Obiectum cognitum non est causa effectiua actus voluntatis ; vt rectè docet Scotus in 2. d. 25. q. vnica. Et Durandus in 2. d. 24. q. 1.

Obiectum cognitum non est causa effectiua actus voluntatis.

Probatur Primò ; Quia obiectum sæpè non existit in rerum natura, dum appetitur ; vt cùm quis appetit sanitatem, doctrinam, salutem. Id autem quod non existit, non potest habere realem efficientiam. Quòd si aliquando contingat tunc temporis existere, id nihil refert ; quia etiam tunc non aliter agit, quàm dum non existit.

Probatur Secundò, Si obiectum effectiuè causaret ipsam volitionem ; vel efficeret se solo, vel vnà cum voluntate. Si se solo ; scilicet vt integra causa, sequeretur voluntatem se habere merè passiuè in omni volitione, & consequenter nullam volitionem esse liberam, meritoriam, vel demeritoriam ; imò nullam esse voluntariam seu spontaneam ; quæ omnia sunt contra fidem, & rationem naturalem. Si vnà cum voluntate efficeret, scilicet vt causa partialis, saltem debet existere, & esse realiter præsens ; cùm tamen sæpè vel non sit, vel longissimè absit.

Dico Secundò, Cognitio obiecti non est causa efficiens volitionis, siue volitio sit necessaria, siue libera. Est contra quosdam, inter quos Marsilius in 2. quæst. 16. artic. 3. qui docent, motus primos voluntatis esse effectiuè à sola cognitione, non tamen liberos. Sed 9

Neque etiã cognitio obiecti.

Probatur ; Si sola cognitio obiecti efficeret in voluntate volitionem, hæc volitio non esset actus vitalis ; quia non procederet à principio intrinseco (sicut habitus non est quid vitale, quia fit immediatè à solo actu, non à potentia vitali :) vnde neque esset libera, quia non procederet à principio indeterminato : cognitio enim illam produceret vt agens naturale. Imò neque esset spontanea ; quia non procederet effectiuè à voluntate. Hæ rationes vim habent, etiamsi ponamus intellectum non distingui à voluntate, nisi ratione : vt patet à simili de habitu orto ex actu cognitionis.

Nec obstat, Quòd aliqui motus voluntatis sint necessarij, sic vt non possint à voluntate impediri : non enim id ex eo prouenit, quod à sola cognitione fiant ; sed quia obiectum proponitur tamquam bonum necessarium carens omni malo, vt in beatis ; vel quia ita proponitur sub ratione boni, vt eo momento non consideretur vlla ratio non appetendi, vt fit in motibus primis.

Sed difficultas est, Vtrùm cognitio obiecti concurrat saltem vt causa partialis ad actum voluntatis, sicut species intelligibilis cum intellectu. Multi enim putant, sic concurrere, vt Caietanus 1. p. quæst. 80. artic. 2. & hîc quæst. 22. art. 2. Idem tenent Gregorius in 2. d. 25. Heruæus & Adam teste Caietano ; & Gabriel in 2. d. 25. quæst. vnica, art. 3. Sed contrarium verius videtur. Vnde

Dico Tertiò, Cognitionem obiecti non concurrere effectiuè cum voluntate, sed solam voluntatem esse causam effectiuam sui actus. Indicat D. Thomas 1. parte quæst. 82. art. 4. vbi clarè insinuat bonum apprehensum mouere voluntatem solùm per modum finis, non autem per modum agentis. Idem docet de veritate quæst. 22. artic. 12. Scotus in 2. dist. 25. quæst. vnica, vbi benè id probat ; & Capreolus, teste Caietano. 10

Cognitio obiecti non concurrit effectiuè ad volitionem.

Probatur Primò ; Quia voluntas est perfectè libera ; vnde eodẽ obiecto proposito, habet in sua potestate velle & nolle. Ergo velle & nolle debet ab ipsa sola procedere. Fateor tamẽ hoc argumẽtum non esse validum ; quia est alia cognitio, ex qua sequitur velle ; alia, ex qua nolle, etsi obiectum materiale sit idem. Vnde

Probatur Secundò, Voluntas est quoddam pondus animæ in bonum ; ergo fertur in illud, sicut alia rerum pondera feruntur in suos terminos, seruata proportione. At modus tendendi alicuius ponderis in suum terminum, est vt seipsum inclinet & impellat, nec opus habeat causa extrinsecùs adiuuante.

Tertiò, Numquam actus vnius potentiæ est principium effectiuum actus alterius potentiæ ; quia omnes potentiæ sunt in seipsis perfectæ & completæ, vel certè possunt compleri perfectionibus intrinsecis, vt sint integra suarum functionum prin-

num principia: ergo neque actus intellectus erit principium effectiuum actus voluntatis. Hæc ratio potissimùm vim habet in sententia eorum qui ponunt intellectum & voluntatem reipsa distingui.

11 *Cognitio nõ mouet, nisi ratione obiecti.* Dico Quartò, Cognitio solùm mouet voluntatem mediante obiecto, quatenus proponit illi, & veluti applicat obiectum, quod immediatè voluntatem mouet. Mouet autem obiectum voluntatem non propriè instar efficientis, sed metaphoricè instar finis; quatenus voluntas seipsam mouet in obiectum propter obiectũ ipsum; sic vt ex ordine ad obiectum, actus suam habeat speciem.

Prior pars patet; Quia cognitio non est causa efficiens realiter volitionis, vt ostensum est; neque est obiectum eius: sed proponit obiectum, & sic mouet. Vnde sequitur, cognitionem mouere instar suadentis: suasio enim fit proponendo rei bonitatem & præstantiam. Cumque suasio sit causa efficiens moralis, sicut mandatum; cognitio quoque censebitur causa efficiens moraliter; quæuis non sit efficiens physicè.

Obiectum mouet metaphoricè. Altera pars, quòd obiectum solùm metaphoricè moueat; Probatur: non enim mouet propriè efficiendo motum voluntatis, vt ostensum est. Dicitur tamen mouere voluntatem, eamque ad se trahere & allicere; quod non aliter intelligi potest, quàm quòd voluntas in seipsa excitet motum tendentem in obiectum; idque propter obiecti bonitatem. Ex vi illius motus mouet alias potentias.

Eadem est motio qua voluntas se mouet, & qua obiectum mouet voluntatem. Hinc sequitur Primò, Eamdem esse motionem, qua voluntas seipsam mouet, & qua obiectum mouet voluntatem. Vt enim motio illa manat effectiuè à voluntate, sic per eam voluntas mouet seipsam: vt autem dependet ab obiecto, sic per eam obiectum mouet voluntatem. Et quia dependet ab obiecto per se primò secundùm speciem actus, ideò obiectum dicitur mouere voluntatem ad speciem actus.

Sequitur Secundò, Etsi actus voluntatis totus, & secundùm speciem, & secundùm exercitium in indiuiduo pendeat à voluntate tamquam à causa efficiente, & ab obiecto tamquam à causa finali: tamen propriè voluntas mouet se ad exercitium, non autem obiectum: & obiectum mouet illam ad speciem actus, non autem ipsa seipsam. Patet, quia propria ratio cur actus iste hic & nunc fiat, est, quia voluntas sic vult; non autem quia tale est obiectum. Propria autem ratio cur actus sit huius vel illius speciei, est, quia tale habet obiectum; non autem quia sic placet voluntati.

Sequitur Tertiò, Intellectum non mouere voluntatem ad speciem actus, nisi proponendo obiectum, à quo actus speciem sumat.

12 *Obiectiones soluuntur.* Obijcitur Primò, Verbum diuinum est principium productiuum amoris, scilicet, Spiritus sancti, qui est amor: Ergo similiter verbum creatum, quod nihil est aliud, quàm cognitio obiecti, erit productiuum amoris. Consequentia probatur; quia solùm differunt hæc verba, quod illud sit per se subsistens, hoc non. Atqui non esse per se subsistens, nõ tollit vim efficiendi; sed solùm facit vt id quod erat principium *quod*, sit principium *quo*. Ita Caietanus.

Respondeo, Verbum diuinum non producit amorem præcisè quà Verbum, seu intellectio, vt quidam putant (alioqui non esset vnum principium cum Patre; non enim eâdem vi produceret Spiritum sanctum quâ Pater, cùm Pater producat Spiritum sanctum voluntate, non intellectione) sed quatenus præditum voluntate fœcunda. Filius enim Dei, dum generatione accipit à Patre intellectionem, etiam accipit essentiam, & consequenter voluntatem; vnde per illam vnà cum Patre producit Spiritum sanctum. *Verbum non producit amorem intellectione.*

Obijcitur Secundò, Idem non potest esse principium actiuum & passiuum respectu eiusdem: ergo cùm voluntas in se recipiat suum actum, non potest ipsum sola effiecre. Antecedens probatur; quia idem non potest simul esse actu & potentiâ, respectu eiusdem. 13

Idem secundùm eamdem formam potest esse principium efficiens, & recipiens eiusdem. Respondeo Negando Antecedens; Hoc enim falsum esse patet in Angelis, qui seipsos effectiuè loco mouent, & motum recipiunt. In intellectu, qui est principium effectiuum intellectionis vt intellectio est, & receptiuum eiusdem. Et in sensibus. Denique in ipsis elementis: aqua enim seipsam ad frigus reducit. Simili modo voluntas potest habere totam vim effectiuam sui actus, & eumdem actum in se recipere. Ad confirmationem, Concedo quod assumitur; sed illud non est esse simul in actu & potentia, respectu eiusdem; sed est esse in actu, respectu virtutis effectiuæ; & in potentia, respectu formæ efficiendæ. Vide Scotum in 2. distinct. 25. §. *Ad Primam rationem.* Et Marsilium in 2. quæst. 16. artic. 3. vbi id fusè ostendit ex Aristotele & Auerroë. *Scotus. Marsil.*

Obijcitur Tertiò, Quòd intellectio sit intellectio, habet ab intellectu: quòd verò sit huius vel illius speciei, non habet ab intellectu tamquam à proprio principio effectiuo; sed ab obiecto concurrente per speciem intelligibilem. Ergo similiter quòd volitio sit huius vel illius speciei, non habet effectiuè à voluntate; sed ab obiecto concurrente per cognitionem sui. Hoc argumentum Caietanus dicit se non potuisse vmquam soluere. 14

Respondeo Primò, Non constat speciem intelligibilem aut obiectum concurrere effectiuè ad intellectionem.

Etsi species intelligibilis concurreret effectiuè ad intellectionẽ, non tamen cognitio obiecti concurreret effectiuè ad volitionem. Secundò, Etiamsi id concederemus, non tamen ideò necessariò concedendum, cognitionem obiecti concurrere effectiuè ad volitionem; tùm quia voluntas operatur per modum inclinationis; intellectus per modum assimilationis: tùm quia species est intrinseca intellectui; cognitio autem non est voluntati intrinseca: tùm denique, quia species actûs potest esse effectiuè ab aliqua causa efficiente integra, in qua tamen causa non reperitur propria ratio illius speciei, quasi formaliter, sed solùm virtute vel eminenter; ita tamen vt illa causa determinetur ad hanc vel illam speciem producendam à subiecto vel obiecto extrinseco. Sicut si sol illuminet vitrum triangulum, rubrum; lumen productum erit talis figuræ & speciei, effectiuè à sole; sed propter dispositionem subiecti. Eodem modo, ratio cur actus voluntatis sit huius speciei, peti potest ab obiecto, etiamsi obiectum nihil efficiat: quia tota species actûs continetur virtute in potentia voluntatis.

Obijcitur

15 *Auerroës.* Obijcitur Quartò, Auerroës 12. Metaphys. comm. 76. affirmat appetibile dupliciter mouere appetitum: Primò, vt est apprehensum; & sic mouere effectiuè. Secundò, vt est in rerum natura; & sic mouere per modum finis. Ita Caietanus.

Confirmatur, Quia Aristoteles multis locis docet appetibile, id est, bonum quod appetitur, esse mouens immotum; appetitum verò esse mouens motum.

Respondeo, Bonum vt apprehensum posse dici mouere effectiuè voluntatem per illam cognitionem, non efficientiâ physicâ, sed morali; sicut consulens & mandans dicitur causa efficiens: & tunc illa cognitio est ratio agendi, per quam obiectum agit. Quòd si aliud velit Auerroës, ipse præstet: neque enim tantus est, vt eius auctoritas nos moueat. Dicitur *mouere per modum finis* vt est extra animam; quia ipsum vt actu vel potestate est in rerum naturâ, est causa & ratio, cur appetitus seipsum & alias potentias moueat in illud: quod est esse finem. Cognitio autem est solùm conditio sine qua non, in hoc modo appetendi; sicut applicatio causæ est conditio necessaria ad causandum; vnde etiam dici potest causa. Sicut enim qui applicat ignem, censetur causa eius, quod ignis facit: ita qui proponit obiectum, censetur causa eius, cuius obiectum est causa.

Quomodo appetitus sit mouens motum. Ad Confirmationem. Appetibile mouet non effectiuè, sed vt finis; nempe quia est ratio cur appetitus se moueat in illud: In hoc enim consistit causatio finis. Vt autem dicatur appetitus esse mouens motum, non est necesse vt priusquam appetitus se mouet, præcesserit in eo motio illata ab appetibili: non enim vt seipsum mouet, dicitur mouens motum, sed vt mouet alias potentias; vt enim alias potentias moueat, necesse est iam ipsum esse motum, non effectiuè ab obiecto, sed à seipso effectiuè, ab obiecto per modum finis.

DVBIVM IV.

Vtrùm ad motum voluntatis necessariò requiratur cognitio intellectus; an verò aliquando voluntas possit sine intellectu moueri?

16 *Quidam affirmant dari amorem ecstaticum exclusa cognitione.* QVidam Doctores docent in viris perfectis, diuini amoris feruore succensis, apicem affectus posse vi amoris ferri in Deum, sine præuia cognitione. Ita D. Bonauentura Tractatu de Mystica Theologia, quæst. vltima. Et Gerson Alphabeto seu Tractatu 66. Consideratione quarta. Et Hugo de Balma lib. de triplici via; quem sæpè hoc opusculo citat Gerson.

Alij putant, Motum voluntatis non posse quidem inchoari sine cognitione, semel tamen inchoatum posse continuari, etiamsi intellectus desinat considerare. Insinuat Gerson Alphabeto 69. sub finem. Vtramque sententiam fusè refutat Dionysius Carthus. lib. 3. de Contemplatione art. 15.

Refutat eos Dion. Carthus.

Dico Primò, Voluntas non potest vllum suum motum inchoare sine præuia cognitione obiecti.

Colligitur ex D. Thoma hîc, cùm ait, voluntatem moueri ab intellectu ad speciem actus. Hinc enim sequitur; sicut nullus potest esse actus voluntatis, qui non sit certæ speciei; ita etiam nullum actum voluntatis posse esse sine intellectione, à qua trahit speciem. Idem docet Durandus in 1. dist. 3. 2. parte distinctionis. q. 4. num. 14. vbi dicit, Deum non posse causare actum in voluntate, nisi præcedat actus intellectus. Quod sic intellige, non posse ita causare actum in voluntate, vt voluntas per illum vitaliter operetur & velit, sicut per proprium actum elicitum: alioqui dictum Durandi non est verum: potest enim Deus efficere quemuis actum in voluntate, ipsâ voluntate non concurrente, vt suprà ostensum est; & ad hunc non requiretur cognitio; quia non procedet vitaliter à voluntate; sed tantùm in ea modo mortuo recipietur. Denique est communis sententia Theologorum & Philosophorum, voluntatem non posse ferri in incognitum. Quam sententiam fusè docet D. Augustinus lib. 10. de Trinitate cap. 1. 2. & 3. Cap. 1. ait: *Ac primùm, quia rem prorsus ignotam amare nullus omninò potest, diligenter intuendum est, cuiusmodi sit amor studentium, id est, non iam scientium, sed adhuc scire cupientium.* Deinde fusè ostendit eum qui cupit aliquid scire, iam illud scire aliquo modo & in genere; sed cupere scire perfectè. Eadem prosequitur cap. 2. & c. 3. docet quomodo mens seipsam amet incognitam sibi. Idem docet Aristoteles lib. 3. de Anima cap. 10. cum ait, *Appetibile mouet manens immotum, eò quòd intellectu vel imaginatione perceptum sit.*

Motus voluntatis non potest inchoari sine præuia cognitione obiecti. *Durandus.* *Augustin.* *Aristot.*

Probatur ratione; Primò, Sicut appetitus insitus, seu inclinatio naturalis cuiusque rei supponit formam naturalem, eamque suo modo sequitur, vt patet in elementis, & in omnibus facultatibus effectiuis; ita appetitus elicitus supponere & sequi debet formam apprehensam, id est, obiectum cognitione apprehensum; ac proinde non potest esse sine cognitione obiecti. Sicut nulla inclinatio naturalis ad actionem, vel motum aliquem esse potest sine forma naturali in qua fundatur.

Secundò, Si non requireretur cognitio intellectus, non posset reddi ratio, cur non possimus amare Deum, & mereri dum dormimus, vel dum mens est sopita: neque cur voluntas ad hoc obiectum se moueat potiùs, quàm ad illud.

Tertiò, Amor patriæ qui tamen est perfectissimus, sequitur cognitionem. Ergo etiam amor viæ, quantumuis perfectus. Patet consequentia; quia ratio, cur illi excludunt cognitionem ab amore ecstatico, est perfectio amoris; quasi talis amor non possit cognitioni inniti.

Dico Secundò, Vt motus voluntatis perseueret, requiritur vt etiam perseueret considera- 17
tio intellectus. Probatur; quia eiusdem rationis est actus in primo instanti, dum elicitur, & reliquo tempore quo continuatur. Ergo si non potest incipere absque cognitione, neque poterit continuari. Secundò, Actus voluntatis ita dependet ab obiecto apprehenso in genere causæ quasi formalis, sicut dependet in genere causæ efficientis; vt docet hoc loco ex D. Thoma Caietanus. Atqui ne momento quidem temporis existere potest absque influxu voluntatis: ergo neque sine obiecti apprehensione.

Motus voluntatis nullo modo continuari potest absque actuali considerazione intellectus.

Ex dictis sequitur implicare contradictionem, vt voluntas aliquid velit sine actuali illius cognitione; quia à cognitione obiecti speciem trahit.

18 *Soluuntur Obiectiones.*

Obijcitur Primò, Dionysius Areop. cap. 1. de Mystica Theologia, & alibi docet, Supremam vnionem cum Deo, esse interdum per ignorationem & ablationem omnium operationum sensus & intellectus.

Respondeo, Per ignorationem, intelligit cognitionem Dei, quæ habetur per negationem omnium conceptuum obiectiuorum, qui à nobis concipi possunt; non autem absentiam omnis cognitionis; vt argumentum supponit.

Cognitio Dei per negationes est sublimior eâ, quæ est per affirmationes apud Dionysium.

Vbi Notandum est, Ad intelligentiam multorum locorũ Dionysij, dupliciter Deum à nobis cognosci posse; Primò, Per affirmationes, id est, conceptus positiuos diuinarum perfectionum; vt cùm concipimus Deum esse potentissimum, sapientissimum, optimum, iustissimum, esse vitam, lucem, potentiam, sapientiam, bonitatem, &c. Hanc cognitionem vult esse minùs sublimem, eamque vult relinqui, vt supremo modo Deo vniamur. Secundò, Per negationes, id est, per negationem omnium perfectionum, quæ à nobis concipi possunt; vt quando concipimus Deum non esse substantiam, non esse vitam, non sapientiam, non potentiam, non bonitatem, non veritatem, non Deitatem (nempe eo modo quo hæc à nobis concipi possunt) sed esse quiddam omnibus his eminentius. Hanc cognitionem vocat ignorationem, eamque dicit multò illâ priore sublimiorem, & maximè idoneam ad supremam cum Deo vnionem. Vide illum c. 2. 3. 4. & 5. de Mystica Theologia.

Vide l. 1. de Perfect. diuin, c. 3.

Obijcitur Secundò, Voluntas potest intellectum ad quidlibet cogitandum applicare: atqui hoc fieri non potest nisi ipsa in rem illam, ante omnem illius cognitionem, possit ferri: ergo, &c.

Quomodo voluntas applicet intellectum ad rem determinatam.

Respondeo Negando Minorem: Non enim potest applicare intellectum ad alicuius rei cogitationem, nisi intellectus iam anteà rem illam aliquo modo, saltem confusè cognoscat: vt rectè docet D. Augustinus lib. 10. de Trinitate cap. 1. Et quia intellectus potest confusè plurima considerare, vel etiam omnia; ideò voluntas potest illum applicare, vt quiduis ex tota illa multitudine distinctè consideret.

Obijcitur Tertiò, Voluntas potest velle, vt intellectus nihil cogitet; & si sit efficax, ita fiet. Ergo tunc voluntas habebit velle, intellectu nihil cogitante.

Respondeo, Voluntas quâ quis vult nihil cogitare, non potest habere effectum in illo instanti in quo ipsa est; sed solùm immediatè post illud, & tunc simul etiam ipsa cessabit. Quòd si velit eodem instanti quo ipsa est, intellectum nihil cogitare, est sibi ipsi contraria & inefficax.

Obijcitur Quartò, Postquam per contemplationem excitati sumus ad amorem Dei, experimur interdum amorem perseuerare, veluti quemdam calorem impressum, cessante contemplatione; sicuti calor perseuerat luce semota. Et confirmatur; quia intellectus non aduertit se quidquam amplius de Deo cogitare; ergo, &c.

Respondeo, Negando illam experientiam: fieri enim nequit, vt intellectu nihil cogitante, voluntas amorem continuet. Fit tamen persæpè vt intellectus non aduertat se de Deo cogitare; nam ita rapitur in Deum actu directo (accedente præsertim amore Dei) vt non reflectat se super seipsum, aut super ea quæ circa se fiunt; vnde non aduertit se contemplari: hæc enim animaduersio non fit nisi per actum reflexum. Quin imò hoc signum est, eum tunc attentissimè contemplari.

Obijcitur Quintò, Cognitio obiecti est solùm conditio quædam necessaria ad actum voluntatis: habet enim se tamquam applicatio obiecti: ergo non est essentialiter necessaria; ac proinde saltem diuina virtute eius defectus suppleri poterit.

Quædam conditiones necessariæ sunt essentialiter.

Respondeo, Cognitionem esse quidem conditionem obiecti; non tamen se habere instar conditionis accidentariæ, sicut applicatio localis obiecti (hæc enim cùm accidentaria sit, supleri potest; fieri enim potest diuina virtute vt etiam remotissima oculis videamus:) sed est essentialiter necessaria ad actum voluntatis. Sicut, vt materia & forma constituant vnum compositum, requiritur mutua & intima præsentia, & mutua vnio tamquam conditio: quæ tamen conditio est essentialiter necessaria, nec vllo modo eius defectus potest per aliud suppleri. Simili modo vt obiectum moueat voluntatem, requiritur eius cognitio; ita vt nullo modo eius defectus possit suppleri. Cuius signum est, quod etiam in Deo actus voluntatis supponat cognitionem; adeò vt Deus nec se, nec aliud amare possit, nisi cognoscat.

DVBIVM V.

Vtrùm ad mouendam voluntatem necessaria sit cognitio iudicatiua intellectus; an verò sufficiat apprehensiua?

19 *Cognitio phantasiæ non sufficit ad mouendam voluntatem.*

Svppono Primò, Non sufficere cognitionem phantasiæ ad mouendam voluntatem. Ratio est; quia voluntas est suprema inclinatio in homine tendens in bonum: ergo non potest sequi nisi supremam cognitionem, quæ est intellectus: debet enim habere regulam sibi proportionatam. Hinc Aristoteles voluntatem passim vocat appetitum intellectiuum; quòd propria eius regula sit intellectus.

Duo actus intellectus.

Suppono Secundò, In intellectu esse duos actus, Apprehensionem, & Iudicium. Per Apprehensionem concipimus vel aliquid simplex, vt Deum, Angelum, &c. vel aliquid complexum, vt nos esse in cœlo, esse Reges, &c. non quidem existimando sic esse; sed solùm imaginando, & ita menti obijciendo ac si verè sic esset. In hoc actu propriè non est veritas, aut falsitas. Iudicium autem est actus, quo aliquid putatur sic esse vel non esse: in hoc semper est veritas vel falsitas.

Medina requirit iudicium.

His positis, Medina hoc loco, & quidem alij existimant, semper requiri aliquod iudicium ad actum voluntatis; quia non ideò appetimus aliquid, quòd apprehendamus esse bonum, sed quòd verè putemus esse bonum.

Marsilius negat.

Contrarium tenet & fusè probat Marsilius in 2. q. 16. a. 1. Idem tenet Scotus in 2. d. 6. q. 1. ad argumenta: & Gabriel eadem distinctione. Pro quo,

Dico

20 Dico Primò, Verius videri, non requiri ad quemuis motum voluntatis aliquod formale iudicium; sed sæpè sufficere simplicem apprehensionem obiecti, per modum boni vel mali.

Probatur Primò, Quia apprehensio simplex potest mouere appetitum sensitiuum: ergo similis apprehensio in intellectu poterit mouere appetitum intellectiuum. Consequentia probatur, quia similis est proportio. Antecedens patet, nõ solùm in animalibus imperfectis, de quibus id probat Marsilius, sed etiam in perfectis. Quis enim apprehenso lupo fugit; & tamen non habet nisi simplicem apprehensionem lupi, sub ratione mali.

Simplex apprehensio potest vo. luntatem mouere.

Dices, Quis iudicat lupum inimicum.

Respondeo, Id valdè impropriè dici; cùm non sit capax vllius iudicij, nisi quod in nuda apprehensione potest includi; vt statim patebit.

Probatur Secundò, Experientia docet homines delectari rebus imaginatis, & apprehensis, quas tamen non iudicant sibi esse absolutè conuenientes; vt cùm imaginantur se esse Reges, se vincere, triumphare, volare, &c.

Probatur Tertiò, Experientia docet nos posse amare, & velle quidquid apprehenditur sub ratione boni; & nolle quidquid proponitur sub ratione mali, etiamsi de eo nullum sit formale iudicium. Hoc modo Scotus, Gabriel, & alij quidam, Luciferum optasse æqualitatem Dei absque vllo iudicio propriè dicto, putant.

Sic Lucifer optauit æqualitatem Dei.

Probatur Quartò, Quia primi motus plerumque in nobis absque aliquo formali iudicio excitantur per nudam apprehensionem rei conuenientis vel disconuenientis: mouemur enim istis motibus antequam iudicemus, sit ne res absolutè conueniens, an disconueniens.

Ratio horum omnium est, Quia cognitio non mouet appetitum per se immediatè, sed solùm quatenus proponit obiectum; ostendendo eius pulchritudinem & bonitatem, vel delectationem, vt suprà dictum est; tunc enim immediatè ipsum obiectum mouet: sed hæc possunt ostendi per simplicem apprehensionem, vt experientia docet. Potest enim pulchritudo & voluptas apprehendi & proponi absque formali iudicio, quo iudices rem illam esse pulchram vel delectabilem: ergo obiectum sic propositum poterit allicere appetitum. Et sanè nulla potest dari ratio, cur apprehensâ pulchritudine, vel obiecto delectabili, voluntas non possit allici & affici; nisi accedat formale iudicium, Hoc est pulchrum, hoc est delectabile. Ad multos igitur motus sufficit apprehensio.

Periculosum est imaginari delectabilia tactu.

Hinc infert Marsilius, Periculosum esse imaginari delectabilia tactus; quia sola apprehensio illorum potest prauos motus excitare.

21 Dico Secundò; In omni tamen huiusmodi apprehensione continetur implicitum quoddam, seu virtuale iudicium, quo implicitè iudicatur res esse bona vel mala.

Probatur, Quia qui apprehendit, v.g. esse Regem, esse Angelum, sub ratione boni; implicitè iudicat rationem boni illi conuenire: sicut qui apprehendit Ioannem sub ratione hominis, implicitè iudicat rationem hominis conuenire rei apprehensæ. Ratio est, quia res simplices non possunt apprehendi nisi secundùm rationes proprias, vel communes, actu vel potestate ipsis inhærentes: alioqui non ipsæ, sed aliæ apprehenderentur. Itaque hoc ipso, quo aliquid apprehenditur sub aliqua ratione, implicitè iudicatur illa ratio illi conuenire. Vnde non est verum, quod hîc ait Medina, Beatitudinem secundùm se posse apprehendi, vt malam. Si enim apprehenderetur vt mala, non ipsa, sed aliud apprehenderetur; cùm in ipsius apprehensione carentia omnis mali apprehendatur. Atqui fieri nequit, vt aliquid apprehendatur sub rationibus contradictorijs.

In omni apprehensione complexi, aliquod iudicium implicitum continetur.

Medina refellitur quod beatitudo secundùm se possit apprehendi vt mala.

Dices, Possunt apprehendi monstra quæ constent geminâ naturâ; vt Tragelaphus, quod significat animal constans naturâ cerui & hirci: quale tamen esse, implicat contradictionem: ergo &c.

Respondeo, Huiusmodi monstra non posse apprehendi nisi secundùm formam externam; quo modo non implicant contradictionem. Non enim natura cerui & hirci possunt apprehendi, vt partes constituentes vnam integram naturam; cùm in illarum ratione contineatur, quòd sint naturæ integræ & completæ.

Qualiter monstra apprehendimus.

Dico Tertiò, Ad quosdam tamen actus voluntatis requiritur expressum & formale iudicium intellectûs.

Patet de *intentione* & *electione*; vt enim aliquid intendas consequi, necesse est vt præcedat iudicium hoc esse possibile siue per te siue per alium. Vnde etiam *spes* iudicium requirit; quia est intentio consequendi saltem per alium. Similiter non potes aliquod medium eligere, nisi ante iudices esse idoneum ad finem. Illi quoque motus qui apprehensione excitari possunt, vt *complacentia* & *displicentia*, *delectatio* & *optatio*, possunt etiam expresso iudicio excitari: quod enim potest iudicium implicitum, potest etiam explicitum.

22 *Iudicium ad quosdam actus voluntatis est necessarium.*

DVBIVM VI.

Vtrùm ad mouendam voluntatem necessarius sit aliquis actus intellectus, quo voluntas omninò determinetur. Et si non; vtrùm necessarium sit practicum iudicium?

23 MEdina in hunc articulum, docet duos actus intellectus esse necessarios, vt voluntas moueatur: Alterum quo speciosè obiectum proponatur, sicut orator artificiosè proponit, quod vult persuadere; & hunc actum non determinare voluntatem efficaciter. Alterum, quo intellectus imperet voluntati efficaciter vt acceptet obiectum propositum. Hunc actum dicit efficaciter rapere voluntatem; & illo stante in intellectu, nullam restare libertatem in voluntate ad contradicendum. Fundamentum est; quia ad actum voluntatis requiritur imperium efficax, quod imperium est actus intellectus, quo intellectus iubet voluntati, vt velit aut nolit rem propositam. Atqui imperium non est efficax, si voluntas posset resistere: ergo &c.

Medina requirit ad hoc duos actus intellectus.

Alij quidam requirunt quoddam iudicium particulare practicum, quo intellectus iudicet istud omnibus consideratis hîc & nunc esse appetendum. Quo posito, dicunt non esse in potestate voluntatis non acceptare: sicut posita visione beatifica non est in potestate voluntatis non amare.

Quoddam iudicium practicum particulare.

mare. Fundamentum illorum est; quia voluntas sequitur vltimum iudicium practicum, quod est, istud omnibus consideratis est acceptandum. Atqui posito hoc vltimo iudicio, non potest voluntas aliud velle, aut istud non velle; quia si hoc posset, daretur volitio explicita vel implicita sine iudicio intellectus, & actio sine obiecto. Quod patet; quia vltimum iudicium non patitur secum aliud vltimum iudicium: repugnant enim hæc duo iudicia; Hoc omnibus consideratis est acceptandum, &, Hoc omnibus consideratis non est acceptandum.

24 Dico Primò, Ad motionem voluntatis non requiri vllum actum intellectûs, cuius vi voluntas determinetur ad consensum; ita vt illo stante voluntas non possit dissentire. Est communis ferè sententia Doctorum, quos citauimus suprà, qu. 6. art. 2.

Actus intellectus, quo voluntas determinetur, ita vt non possit dissentire, repugnat libertati.

Probatur Primò, Quia talis actus intellectus omninò videtur euertere intrinsecam libertatem actuum voluntatis. Si enim posito iudicio vel imperio intellectus, voluntas necessariò vult; illa volitio non est in seipsa libera; sed vt summum tantummodò in sua causa; quatenus videlicet hoc iudicium vel imperium, quod est causa ipsius, est liberum; (si tamen verè est liberum.) Quod illa volitio non sit in seipsa libera, patet; tum quia voluntas posito illo actu determinante, est ad illam volitionem determinata, idque priùs naturâ quàm eam eliciat: sicut amor beatificus non est in seipso liber; quia posita visione voluntas est determinata ad illum amorem: tum quia voluntas, positis omnibus antecedenter requisitis ad illam volitionem, non habet in potestate sua illam non elicere: hoc enim iudicium est vnum ex requisitis. Itaque actus ille volitionis non procedit à sua causa immediata, tamquam à causa indeterminata, sed tamquam à causa necessariò operante: quare non est in se liber. Vnde vlteriùs sequetur actus voluntatis non esse per se meritorios; sed solùm ratione suæ causæ; id est, ratione illius iudicij.

Probatur Secundò, Quia etiã videtur euertere omnem omninò libertatem. Probatur; nam iudicium intellectûs non est in seipso liberum vt procedit ab intellectu (non enim libertas est formaliter in intellectu, sed in voluntate:) ergo si est liberum, est tantummodò liberum, quatenus pendet ab aliquo actu voluntatis libero. Atqui hic actus voluntatis supponit aliud iudicium vel imperium determinans; & sic quoque iste actus voluntatis secundus non erit liber, sed necessarius.

Si dicas, Istum secundum actum voluntatis esse similiter liberum in alio iudicio vel imperio, à quo immediatè pendet. Rursus quæretur de illo iudicio: sicque vel erit progressio in infinitum; quod per se absurdum est: vel sistetur in aliquo iudicio vel imperio non libero; quod tandem Medina concedit. Sed hinc sequitur, omnes volitiones esse absolutè necessarias non liberas; quia omnes necessariò sequentur ex aliquo actu intellectûs non libero.

Responsiones Medinæ soluuntur.

Dices Primò, Istud imperium vel iudicium esse liberum, quia potest à voluntate tolli.

Contrà, Si voluntas potest illud tollere, potest habere aliquem actum circa istud imperium, quo illud tollat; vt patet in simili, quando voluntas vult tollere aliquas cogitationes. Atqui iste actus requiret etiam iudicium vel imperium determinans, & sic eadem redibit difficultas.

Dices Secundò, Iudicium hoc vel imperium esse liberũ, quia ita nascitur in intellectu, vt tamen voluntas possit illud impedire: & quia non impedit, cùm possit, ideò illi imputatur, censeturque liberum.

Contrà, Si voluntas potest illud impedire, sicut malas cogitationes; ergo per aliquem actum: atqui hic actus voluntatis rursum requiret iudicium vel imperium determinans: de quo erit eadem difficultas.

Tertiò probatur allata ratione. Actus intellectûs non mouet voluntatem, nisi proponendo obiectum; vt suprà ostensum est dubio 3. solùm enim se habet vt applicatio obiecti immediatè mouentis; vnde non potest magis mouere vel determinare voluntatem quàm obiectum: sicut qui applicat ignem, non magis potest calefacere quàm ignis. Atqui nullum obiectum vi sua potest voluntatem determinare, quantumuis perfectè proponatur, præter illud obiectum, in quo tota boni plenitudo continetur: vt suprà q. 4. a. 4. dub. vnico. ostensum est; ergo neque vllus actus intellectûs potest voluntatem determinare; sic nempe vt voluntas non possit illud nolle, aut saltem non velle.

Ad fundamentum Medinæ, Respondeo non requiri talem actum imperij; vt infrà dicetur: & si requireretur, non inde sequeretur, illum vi sua determinare voluntatem, sed solùm vi voluntatis; nam tale imperium sequitur volitionem liberam, quâ quis vult sibi imperare. Itaque imperium determinare voluntatẽ, nihil est aliud, quàm voluntatem determinare seipsam; sicut quando quis expressè vult amare. 25 *Euertitur fundamentum Medinæ.*

Ad alterum fundamentum, Respondeo, Verba illa, *Istud omnibus consideratis est acceptandum*, dupliciter possunt intelligi. Primò, Vt sensus sit, *Omnibus consideratis* necessarium est hoc velle; & sic est omnino falsum: numquam enim est necessarium velle, id quod est peccatum. Quare tale iudicium non requiritur ad actus voluntatis. Secundò, Vt sensus sit, *istud omnibus consideratis* est bonum velle; bonum, inquam, vel honestum, vel delectabile, vel vtile. Et tale iudicium sæpè quidem requiritur: sed nullo modo determinat voluntatem; nam cum hoc iudicio stare potest aliud iudicium, scilicet, *hoc non est necessarium*; quod iudicium sufficit vt non acceptes.

Dico Secundò, Ad actum amoris, odij, delectationis, & tristitiæ non requiritur in intellectu iudicium practicum propriè dictum, sed sufficit speculatiuum. 26

Iudicium speculatiuũ potest mouere voluntatem.

Probatur; Quia amor Dei, & gaudium in Beatis, & odium peccatorum oritur in illis ex actu intellectûs speculatiuo: vt enim Deũ ament, non est necesse, vt cogitent bonum esse vt ament, quod est iudicij practici; sed sufficit vt speculẽtur Dei pulchritudinem: illa enim contemplata sufficiens est ad amorem excitandum. Simile est in odio peccati. Idem fieri potest in viatoribus, & passim fit.

Dices, Quando cognoscendi causâ diuina contemplamur, non excitamur ad amorem: cuius non videtur alia ratio, quàm quòd hæc cognitio sit speculatiua; ergo speculatiua non sufficit.

Respondeo

Respondeo, Non illam esse causam, quòd illa consideratio sit speculatiua: nam etiam est speculatiua, dum ordinatur ad amorem (nisi quis generatim vocet practicam, ob extrinsecam illam relationem ad praxim, quod tamen non propriè diceretur) nam obiectum est merè speculabile, non operabile. Ratio ergo, cur non moueamur tali speculatione, est, vel quia affectus non mouetur, nisi quando res modo sensibili veluti ob oculos ponitur, vel quia amor est liber; tunc autem non volumus amare, sed intelligere penitiùs penetrando. Quòd si velimus amare, statim, posità illâ speculatione, id possumus. Itaque speculatiuum iudicium sufficit.

Dico Tertiò, Ad actum intentionis & electionis requiritur iudicium practicum.

27 *Intentio & electio requirunt iudicium practicum.*

Probatur, quia iudicium practicum est, quo mens dictat quid nobis, vel alijs sit agendum: ideò enim dicitur practicum, quòd versetur circa nostras operationes, tamquam circa proprium obiectum. Atqui intentio requirit tale iudicium; intendere enim aliquid, est velle illud consequi: ergo debet antecedere iudicium, bonum esse id cõsequi. Pari ratione electio requirit iudicium, quo iudices vtile esse hoc facere.

ARTICVLVS II.

Vtrùm voluntas moueatur ab appetitu sensitiuo?

28 REspondetur, Voluntatem interdum moueri ab appetitu sensitiuo, nempe ex parte obiecti, & mediante iudicio rationis. Ratio est, quia motus appetitus sensitiui est causa cur aliquid ab intellectu apprehendatur, vt conueniens vel disconueniens subiecto: sicut enim instinctus naturales in animalibus faciunt, vt quædam obiecta ab illis apprehendantur vt conuenientia vel disconuenientia: ita affectiones appetitûs, *amor, odium, ira, timor*, sunt causa cur interdum intellectus apprehendat tamquam conueniens vel repugnans, quod aliàs non apprehenderet.

Appetitus inferior potest mouere superiorem absque errore intellectûs.

Dices, ergo quando appetitus inferior mouet voluntatem, necesse est intellectum induci in errorem.

Respondeo, Non est necesse, vt inducat in aliquem errorem speculatiuum; sufficit enim vt intellectus iudicet hoc opus, v. g. occidere inimicum, esse hîc & nunc conueniens; quod iudicium est verum; nam ratione iræ verè est conueniens, non quidem vt res honesta, sed vt delectabilis; quod sine ira non fuisset sic conueniens. Sicut potus est conueniens & delectabilis ei qui sitit, qui tamen absque siti non esset conueniens. Interdum tamen passio est tam vehemens, vel intellectus tam cæcus, vt id quod ratione passionis est conueniens, iudicetur esse honestum vel licitum; & tunc intellectus decipitur. Verùm hæc deceptio non est necessaria, vt appetitus inferior moueat voluntatem.

DVBIVM

Vtrùm appetitus inferior, seu passio, moueat aliquando voluntatem per se immediatè absque interuentu rationis?

MEdina hoc loco affirmat. Docet enim voluntatem tribus modis mouere appetitum inferiorem. Primò, Mediante imaginatione. Secundò, Mediante solo imperio intellectûs, quo imperet passionem. Tertiò, Ex sola redundantia affectus ex voluntate in appetitum inferiorẽ, sine imaginatione & imperio. 29 *Medina asserit.*

Pari modo docet, voluntatem tribus modis moueri ab inferiore appetitu; qui tamen tres modi, reuerà non nisi duo sunt. Primò, Ex parte obiecti, dum passio efficit, vt obiectum, ad quod ipsa incitat, intellectui videatur bonum. Secundò, Ex parte subiecti; dum ipsa passio per se trahit voluntatẽ ratione colligationis virium animæ; talis enim est connexio appetitûs superioris cum inferiore, vt vis motûs alterius redundet in alterum.

Respondeo, Numquam posse voluntatem immediatè moueri ab appetitu inferiori, sed tantùm mediante iudicio, vel apprehensione rationis. Vnde secundus ille modus est fictitius. *Negatur.*

Probatur Primò, Quia ratio est propria regula & mensura voluntatis, per quã ipsa, cùm ex se sit cæca, est dirigenda: ergo sine hac moueri nequit.

Secundò, Quia alioquin ferretur in incognitum; apprehensio enim imaginatricis non est illi vllo modo proportionata: vnde perinde se habet ad illam, ac si non esset.

Tertiò, Quia inter actum intellectûs & voluntatis, est essentialis ordo & quasi dependentia: vt patet in Deo, & in Angelis.

Hinc patet, Voluntatem quoque vna duntaxat ratione mouere appetitum inferiorem, nempe mediante imaginatione, quæ est propria illius appetitûs regula.

Obijcitur Primò, Experientia docet, dum irâ vel alia passione vehementi affecti sumus, nos difficillimè cohibere consensum voluntatis: atqui hæc difficultas in voluntate non potest prouenire ex sola propositione obiecti, quod apprehenditur vt conueniens; quia aliàs, etiamsi apprehenderetur vt conuenientissimum, tamen non adferret tantam difficultatem voluntati. Ergo passio per se ipsam trahit potentiam voluntatis in consensum. 30 *Soluuntur Argumenta.*

Respondeo, Illam difficultatem in voluntate prouenire non immediatè ex vi & tractu passionis, sed ex affectu quodam orto in voluntate, mediante apprehensione intellectûs: simul atque enim passio exoritur, intellectus apprehendit obiectum vt conueniens, & eodem momento oritur vehemens complacentia vel displicentia in voluntate, quæ omnem difficultatem parit, quia intrinsecè voluntatem inclinat.

Obijcitur Secundò, Interdum fit vt voluntas repentè moueatur vi passionis, priusquam ratio aduertat: ergo non semper mouet voluntatem mediante ratione.

Respondeo, Numquam moueri voluntatem à passione, nisi priùs naturâ intellectus apprehendat obiectum vt conueniens.

Nec obstat, quòd ratio non aduertat se apprehendere; nam ad hoc opus est actu reflexo, qui non est necessarius vt intellectus voluntatem moueat. Imò in nobis naturaliter ex passione sequitur apprehensio intellectûs, idque repentè, & priusquam possimus perfectè attendere; quia non habemus vires nostras perfectè in nostra potestate, sicut in statu innocentiæ.

Obijcitur Tertiò, Motus voluntatis interdum perseuerat iudicio rationis repugnante, & contrarium dictante; vt fit cùm quis ex inopinato videt inimicum; tunc enim subitò exoritur affectio vlciscendi in voluntate, quæ perdurat, etiam si intellectus dictet non esse vlciscendũ. Idem experimur in alijs tentationibus, ergo &c.

Respondeo, Mirum non esse motionem voluntatis perseuerare contra dictamen intellectûs; quia etiam perseuerat imperfecta quædam apprehensio intellectûs, quâ continuè apprehenditur obiectum vt conueniens; quę apprehensio facilè potest consistere cum iudicio, quo iudicatur non esse honestum vel licitum.

ARTICVLVS III.

Vtrùm voluntas moueat seipsam?

31 REspondet D. Thomas, Voluntatem mouere seipsam, quatenus ex vi intentionis finis mouet se ad electionem mediorum: vt cùm quis ex amore sanitatis eligit medicinam.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm voluntas moueatur ab aliquo exteriori principio?

32 REspondetur tribus Conclusionibus.

Prima est, Voluntas ad speciem sui actus mouetur ab aliquo exteriori principio, quod est ipsum obiectum. Patet ex art. 1.

Secunda est, Voluntas ad exercitium actus in electione mediorum, mouetur à seipsa. Patet ex art. 3.

Tertia, Voluntas in quouis primo motu suo, non mouet seipsam ad exercitium actus, sed mouetur ab aliquo exteriori principio; quod est Deus: vt patet *art. 6.* Quòd seipsam hîc non moueat, probat; quia vt seipsam moueat, debet mediante consilio, & ex affectu alicuius finis præcedente mouere: atqui primũ motum nõ præcedit consilium aut affectus prior, ex cuius vi sequatur: ergo non mouet seipsam ad primum motum. Vnde relinquitur moueri à causâ extrinsecâ, scilicet à Deo.

Quid hîc intelligatur nomine primi motus.

Vbi Notandum, Primum motum voluntatis hîc vocari, non eum solum qui primus est totius vitæ: sed etiam qui in quouis negotio primus est, seu, qui non est ortus ex vi prioris voluntatis; vt patet ex *corpore huius Articuli*, vbi ponit exemplum in amore sanitatis. Talis est amor cuiusuis finis; vt cùm quis appetit sanitatem, honores, voluptatem, & similia, propter seipsa, non referendo illa ad alia bona.

DVBIVM.

Vtrùm voluntas in primis actibus seipsam moueat ad exercitium; an verò tantùm moueatur ab exteriori principio?

33 QVidam Thomistæ, inter quos Capreolus in 2. d. 24. ad octauum contra 5. Concluſ. & d. 25. ad argumenta contra 1. & 2. Concluſ. putant voluntatem neque physicè, neque moraliter se mouere ad primos actus; sed eos à Deo veluti infundi. *Quidam Thomistæ negant.*

Alij concedunt voluntatem se physicè mouere, non tamen moraliter; ob rationem D. Thomæ, quam diximus.

Respondeo, Voluntatem verè & propriè seipsam mouere in primis actibus, seu in amore & intentione cuiusuis finis, non solùm physicè, sed etiam moraliter. Est communior sententia Doctorum. Vide Scotum in 2. d. 5. q. 2. & d. 25. q. vnica. & Marsil. in 2. q. 16. a. 4.

Quòd physicè seipsam moueat, probatur; quia amor finis est actus vitalis: ergo effectiuè procedit à voluntate, tamquam à principio intrinseco; hoc enim est de ratione vitæ, vt suprà ostensum. Secundò, Quia est actus voluntarius & spontaneus: ergo à principio intrinseco; hoc enim est de ratione spontanei. Tertiò, Voluntas applicat alias potentias ad exercitium actus, hoc ipso quòd vult illarum operationes: ergo & seipsam applicat ad amorem finis dum vult amare: ergo hoc ipso quòd amat, applicat se ad amandum. Quartò, Quia intellectus & omnes sensus seipsos physicè mouent; in seipsis enim motus suos vitales producunt. Cur non etiam voluntas seipsam moueat? *Voluntas seipsam mouet physicè & moraliter ad actum intentionis.*

Quòd verò etiam moraliter seipsam moueat, id est, non vt causa naturalis, sed vt libera, & domina sui actus (hoc enim voco hîc moraliter mouere; motus enim humani habent esse morale à libertate) probatur Primò; Quia voluntas nulla necessitate amat aliquod bonum in hac vita; sed ita cuiuis amori dominatur, vt dum illum elicit, in plena sua potestate habeat non elicere: ergo seipsam liberè mouet ad exercitiũ cuiusuis amoris. Secundò, Voluntas seipsam determinat ad exercitium amoris cuiuslibet finis; vt patet ex dictis suprà, q. 6. a. 2. Atqui hoc est liberè seipsam mouere: ergo, &c. Tertiò, Amor finis imputatur voluntati ad meritum, si sit bonus; & ad demeritum, si sit malus: ergo ipsa in his se moraliter mouet. Is enim moraliter mouet & agit, cui opus imputatur ad laudem vel vituperium. Denique amor finis sæpè est prauus; vt cùm quis amat illicitas voluptates, & indebitos honores: atqui talis amor non potest referri ad Deum, tamquam in causam, quæ voluntatem ad illum moueat: ergo in solam voluntatem.

34 Ex his patet responsio ad rationem Thomistarum suprà positam. Vt enim voluntas seipsam moueat, non est necesse vt præcedat aliqua consultatio, vel intentio finis, ex cuius vi se moueat; sed sufficit vt præcedat cognitio finis: tunc enim voluntas ex sua indifferenti potestate potest seipsam ad amorem illius mouere, siue bonus ille sit, siue malus. *Soluitur ratio Thomistarum.*

Dices, Quid ergo sibi vult D. Thomas hisce duobus

duobus articulis, dum docet voluntatem se tantùm mouere ad electionem; ad intentionem verò moueri ab exteriori principio?

Explicatur D. Thomas.

Respondeo, D. Thomas existimabat non propriè aliquid à seipso moueri, nisi illum motum mediante aliquâ virtute distinctâ in se produceret; ne videlicet cogeretur admittere idem esse actu & potestate, agens & patiens respectu eiusdem, & secundùm idem. Vnde maluit dicere, voluntatem moueri ab aliquo externo principio, scilicet à Deo, ad primos suos actus, quàm à seipsa: nam non causat illos in se mediante aliquâ aliâ virtute, seu inclinatione in ipsa existente. Fatetur autem illam moueri à seipsa ad actiones secundas, id est, ad electionem mediorum; quia producit illas mediante alia virtute, scilicet ex vi intentionis in ipsa existentis. Itaque potiùs est hîc quæstio cum D. Thoma de modo loquendi, quàm de re ipsa. Sed quòd ad modum loquendi attinet, vt propriè dicatur aliquid se mouere, non est necessarium vim mouendi esse distinctam, ab eo, quod mouet & mouetur. Nam Angeli propriè seipsos mouere dicuntur, dum locum mutant; tamen id faciunt per vim sibi naturalem. Vide suprà art. 1. dub. 3. huius quæstionis. Verum tamen est magis apparere quo modo res seipsam moueat, quando est aliqua distinctio inter mouens & virtutem mouendi. Reliqua quę hîc dici possent, pertinent ad art. 6.

ARTICVLVS V.

Vtrùm voluntas moueatur à corporibus cælestibus?

35

Non directè.

PRima Conclusio, Voluntas non potest directè moueri à corporibus cælestibus, quasi ipsa possint aliquid immediatè voluntati imprimere. Ratio est; quia ipsa est spiritualis, corpus autem non potest vi sua in spiritum agere. Confirmatur, quia ipsa non est capax nisi motionis spiritalis: atqui corpus non potest efficere impressionem spiritalem. Vide D. Thomam 1. p. q. 115. & 116. & lib. 3. contra Gentes c. 84. & 85. & D. Augustinum lib. 2. de Genesi ad literam, c. 16. 17. & de doctrina Christiana c. 21. vsque ad 29.

Sed indirectè,

Secunda Conclusio. Potest tamen voluntas indirectè aliquo modo moueri à corporibus cælestibus; scilicet ex parte obiecti, quatenus illa corpora variè afficiendo corpus humanum, possunt efficere, vt aliquid apprehendatur tamquam conueniens vel disconueniens.

Quomodo corpora cælestia moueant hominum voluntates.

Notandum est, corpora cælestia non habere vllam vim mouendi voluntatem humanam, nisi mediante motu appetitus sensitiui: vnde non possunt ampliùs mouere voluntatem, quàm appetitus sensitiuus. Itaque non possunt illi inferre necessitatem, vt volebant Astrologi, contra quos agit Picus Mirandula. Ratio est; quia corpora cælestia non possunt agere directè, nisi in corpus humanum, in humores, & spiritus; v. g. inducendo temperamentum melancholicum, phlegmaticum, sanguineum, cholericum (quæ quatuor temperamenta rursum infinitis modis inter se variari & misceri possunt) ratione quorum fit, vt idem obiectum à diuersis variè per imaginationem apprehendatur; ac proinde varij affectus in appetitu inferiori excitentur; qui affectus sunt causa, cur ratio variè apprehendat, & consequenter voluntas variè afficiatur.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm voluntas moueatur à Deo, sicut ab exteriori principio?

REspondetur vnicâ Conclusione, voluntatem moueri à solo Deo, tamquam à principio externo motus. 36

Probatur, quia omnis motus voluntatis debet procedere ab ipsa voluntate, tamquam à principio intrinseco; sicut omnis motus naturalis à naturâ, vt à principio intrinseco: ergo nihil extrinsecum voluntati potest esse causa efficiens motus voluntatis, nisi quod est causa ipsius voluntatis: sicut nihil extrinsecũ potest esse causa motus naturalis, nisi quod est causa naturæ: atqui solus Deus est causa voluntatis: (tum quia solus creat animam rationalem, cuius vis est voluntas; tum quia voluntas inclinat in bonum vniuersale; inclinatio autem in bonum vniuersale, non potest imprimi nisi à causa vniuersali:) ergo solus Deus mouet voluntatem ad exercitium actus, tamquam principium extrinsecum.

Notandum, D. Thomam hîc loqui de motione voluntatis ad primos actus, scilicet ad amorem & intentionem finis, vt colligitur ex art. 4. Nam ad electionem mediorum ipsa seipsam mouet, vt ostendit artic. 3.

DVBIVM I.

Quot, & quibus modis Voluntas moueatur à Deo?

REspondeo, Generatim quinque modis Deus voluntatem mouet. 37

Quinque modis Deus voluntatem mouet.

Primò, Mouet voluntatem quatenus est auctor voluntatis, qui naturam eius ad tales actus instituit, & assiduè suo influxu conseruat: qui enim dat inclinationem ad actum, est causa actus, iuxta Philosophos. Sic qui imprimit sagittæ impetum, est causa motus. Sic sol vapores trahit sursum; quia leuitatem imprimit, vnde sequitur motus sursum.

1. Quatenus talem naturam formauit.

Secundò, Quatenus concurrit ad actum voluntatis, siue vt influit in illum: (nulla enim creatura potest operari, nisi Deo intimè cooperante:) sicut enim assiduè à Deo pendet secundùm suũ esse, ita etiam pendet secundùm operationem. Itaque cùm Deus per suam cooperationem sit causa vniuersalis omnis motus voluntatis; voluntas in omni motu quodammodo à Deo mouetur, tamquam à causa ad motum cooperante.

2. Quatenus in actu influit.

Per hunc influxum non mouetur voluntas ad exercitium actus.

Aduerte tamen, hoc non esse propriè mouere voluntatem ad exercitium actus; tum quia concursus Dei non tendit immediatè in ipsam potentiam voluntatis, quasi in ipsa debeat aliquid præuium fieri, v. g. aliqua determinatio vt actum suum producat; sed immediatè tendit in ipsum actum: tum quia concursus Dei est vniuersalis, & secundùm se indeterminatus ad hanc vel illam

speciem

ſpeciem actus: vnde non eſt cauſa cur voluntas potiùs hac ſpecie motus, quàm alia moueatur. Tum deniq; quia non eſt ratio, cur iſte actus hîc & nunc fiat; ſed influxus voluntatis eſt huius ratio: ideò enim hîc & nunc voluntas mouetur, quia hîc & nunc præbet influxum; non autem quia Deus præbet influxũ. Itaq; hac ratione voluntas potiùs mouet ſeipſam, quàm Deus; nam motus eius ſecundùm ſuam ſpeciem & exercitiũ actus, reducitur potiùs in voluntatem, quàm in Deum.

3. Quatenus ad actum determinat. Tertiò, Mouet ipſam determinando ad actũ; vt cùm immittit pias affectiones ad fidem, ſpem, charitatem, pœnitentiam, &c. quæ affectiones ſunt motus voluntatis producti à Deo ſingulari influxu, voluntate neceſſariò concurrente. Vnde potiùs tribuuntur Deo tamquam auctori, quàm voluntati.

4. Quatenus pias affectiones in anima relinquit. Quartò, Mouet voluntatem Deus mediantibus his pijs affectionibus, tamquam virtute à ſe impreſſa, & veluti ſemine quodam diuino, ad eliciendum actum liberum, v. g. fidem, ſpem, charitatem, pœnitentiam &c. Simili ferè modo dicitur mouere per habitum infuſum: eſt enim hic ſemen quoddam Dei, teſte Ioanne epiſtola 1. c. 3. Diſcrimen tamen eſt, quod habitus ſupernaturalis non ita ſenſibiliter inclinet voluntatẽ.

5. Propoſitione obiecti. Quintus modus eſt, quo mouet voluntatem interiùs vel exteriùs proponendo obiectum ex inopinato, & efficiendo vt abſque præcedente conſilio aliquid menti incidat, quo voluntas alliciatur vel auertatur. Sic Deus mouet per bonas cogitationes, quas ſuâ prouidentiâ immittit.

DVBIVM II.

De quo ex his modis loquatur D. Thomas hoc articulo.

38 REſpondeo, D. Thomam videri potiſsimum loqui de primo modo, quamquam reliquos non excludat. Quòd primariò de primo loquatur, probatur; quia ratio ipſius directè ſolùm probat Deum mouere voluntatem, quatenus eſt auctor noſtræ voluntatis, qui inclinationem in bonum vniuerſale ei impreſsit.

Quòd reliquos non excludat, probatur Primo, quia reliqui modi ſequuntur ex primo. Ideò enim neceſſariò Deus cooperatur ad omnes voluntatis motus, quia natura voluntatis aſsiduè ab ipſo ſolo dependet: ideò etiam poteſt ſolus voluntati præuios inſtinctus immittere, & per eos ipſam ad varias operationes inclinare; quia ſolus eſt voluntatis auctor. Denique hæc eadem cauſa eſt, cur ad ipſius prouidentiâ pertineat, vt omnis propoſitio obiectorum, vel ipſius directione, vel ſingulari permiſſu fiat.

Secundò probatur quia ſolus ille primus modus non eſt ſufficiens, vt Deus cenſeatur propria cauſa primorum motuum voluntatis. Nam diuerſo tẽpore, & diuerſis hominibus diuerſi motus incidunt, cùm tamen omnium hominum voluntates eodẽ ſemper modo à Deo dependeant: Ergo hæc dependentia non eſt propria cauſa cur huic incidat talis motus, alteri verò talis: ſed hoc referendum eſt in diuerſos inſtinctus, quos Deus diuerſis temporibus immittit; vel certè in diuerſa obiecta, quæ per ipſius prouidentiam diuerſis hominibus occurrunt. Nihil enim vmquam occurrit homini interiùs vel exteriùs, quod non ſingulari Dei prouidentiâ vel ſit ad hoc directũ, vel permiſſum. Vide Proſperum ſententiâ 58. vbi explicat, quomodo Deus ſit ſumma cauſa omnium motionum corporalium & ſpiritalium.

Dices primò, ſi idcircò Deus dicitur mouere 39
voluntatem, quia inſeruit inclinationem, ex qua motus ille ſequitur: ergo Deus etiam erit auctor malorum motuum, ſiue præuenientium, ſiue liberorum; quod eſt contra fidem: vt Prima parte oſtenſum eſt.

Reſpondeo Primo, Deũ eſſe auctorem horum *Deus non eſt auctor malorum motuum.* motuum, & mouere voluntatem ad hos motus non abſolutè, ſed quatenus generatim tendunt in bonum. Quòd enim omnis motus voluntatis tendat in aliquam boni rationem, habet à Deo, qui voluntati impreſsit inclinationem ad bonum in genere præciſum à ratione honeſti & inhoneſti. Colligitur ex D. Thoma *ad tertium.*

Secundò, Reſponderi poteſt, nõ omnes primos motus qui ſequuntur ex inclinatione voluntatis, referendos eſſe in Deum auctorem; ſed eos tantùm, propter quos Deus inclinationem dedit: dedit autem inclinationem naturalem voluntati, non vt praui motus ex ea ſequerentur, ſed honeſti. Quare etſi praui motus ſequantur ex inclinatione voluntatis; tamen non ſunt in Deum referendi; quia non ſequuntur ex hac inclinatione, vt ſubeſt intentioni & directioni Dei, ſed vt ab ea declinat. Sicut cùm quis vtitur gladio, non ad ſui defenſionem, ad quam factus eſt ab artifice; ſed ad latrocinium; artifex non cenſetur cauſa latrocinij.

Dices Secundò, Hac ratione Deus etiam dicẽtur mouere ad electionem: nam electio ſequitur inclinationem voluntatis à Deo inſitam. Atqui hoc eſt contra D. Thomam: ergo, &c.

Reſpondeo, Poſſe id aliquo modo dici; tamen *Neque ita proprie auctor electionis, ſicut intentionis.* non ita propriè, ſicut de intentione. Et hoc eſt quod vult. D. Thomas. Ratio eſt; quia naturalis inclinatio voluntatis, primò & per ſe tendit in amorem finis, ſeu boni per ſe amabilis; in media verò non tendit, niſi ex vi amoris finis, ac proinde non niſi mediante alia volitione. Quare cùm electio oriatur immediatè à volitione finis, non autem ex propenſione voluntatis inſitâ à Deo; magis propriè refertur in voluntatem, quàm in Deum auctorem naturæ. Simile eſt in intellectu, qui quatenus mouetur ad aſſenſum primorum principiorum, cenſetur moueri ab auctore naturæ, qui iſtud lumen intellectui impreſsit: quatenus verò ex vi aſſenſus principiorum mouetur ad aſſenſum concluſionis, cenſetur mouere ſeipſum.

DVBIVM III.

Vtrùm aliqua cauſa creata, vt Angelus vel Dæmon, poſsit voluntatem directè mouere ad exercitium actus?

RESpondeo, Non poſſe eam mouere directè, 40
ſed ſolùm indirectè, ſcilicet proponendo obiectum.

Non directè. Primò, Quia Scriptura ſoli Deo *Directè nõ poteſt.* tribuit cordis motionem, Prouerb. 21. *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, vertet illud.* Eidem ſoli tribuit ſecretorum cognitionem 3. Reg. 8.

Tu ſolus

Tu solus nosti corda filiorum hominũ. Et alibi. Quòd si cordis secreta subsunt illius solius cognitioni, multò magis solius subsunt motioni. Secundò, Quia nullo quatuor modorum supradictorum potest Angelus esse causa motus voluntatis; vt patet discurrenti per singulos: sed solo quinto, qui fit propositione obiecti. Tertiò, Probatur ex D. Augustino l. 3. de Trinitate cap. 8. & 9. & lib. 9. de Genesi ad literam, cap. 13. & D. Thoma 1. p. q. 110. a. 2. qui docent, Angelum non posse quidquam efficere circa naturam corpoream, nisi motum localem. Ergo multò minùs poterit in voluntate efficere actus vitales. Hinc sequitur neque reliquas creaturas posse quidquam directè efficere in voluntate, præsertim cum reliquæ creaturæ sint corporales, voluntas autem sit spiritalis.

Augustin. D. Thom.

Altera pars, scilicet posse indirectè mouere voluntatem. Probatur: Primò, Quia potest exteriùs vel interiùs proponere obiectum, & efficere vt phantasia illud assiduè apprehendat: quæ apprehensio tandem trahet voluntatem in consensum. Secundò, Quia potest variè immutare corpus, humores, & spiritus, ex qua immutatione sequitur etiam varia phantasiæ apprehensio sub ratione conuenientis vel disconuenientis; & proinde varij quoque motus in appetitu sensitiuo; ratione quorum fit, vt intellectus varie obiectum apprehendat, & voluntatem alliciat. Hi duo modi mouendi voluntatem pertinent ad suasionem, seu propositionem obiecti: quæ est indirecta motio voluntatis.

Potest indirectè proponendo obiectum, & immutando humores.

QVÆSTIO DECIMA.

De modo quo Voluntas mouetur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Voluntas ad aliquid naturaliter moueatur?

RESpondetur Vnica Conclusione. Voluntas mouetur naturaliter in bonum in cõmuni, in beatitudinem, & in omnia quæ conueniunt homini secundùm naturam.

Vbi Notandum, *naturaliter ferri in aliquid* hoc loco nihil est aliud, quàm ferri instar inclinationis naturalis, quæ ita est ad vnam partem determinata, vt non possit in oppositam. Itaque distinguitur contra *liberam*, vt notat Caiet. & patet ex *respons. ad primum* vbi D. Thomas distinguit *naturale* à *voluntario*, id est, *libero*.

In qua bona voluntas moueatur naturaliter.

Probatur primapars: nempe quod in bonum in communi moueatur naturaliter; quia omnis potentia naturaliter est determinata ad suum obiectum formale; ita vt non possit in oppositum: atqui obiectum formale voluntatis est bonum in communi: (quidquid enim voluntas vult, vult sub ratione boni:) ergo voluntas est naturaliter determinata ad bonum, ac proinde naturaliter fertur in bonum.

Secunda pars, scilicet quòd in beatitudinem moueatur naturaliter. Probatur, quia finis vltimus ita se habet inter bona expetenda, sicut prima principia inter veritates cognoscendas: sed prima principia sunt naturaliter cognita (nam ex vi apprehensionis terminorum ita illis assentimur, vt non possimus assentiri contrario:) ergo vltimus finis est naturaliter volitus, id est, eo modo, vt non possimus velle contrarium.

Tertia pars, quòd in omnia quæ homini secundùm naturam conueniunt, naturaliter moueatur, Probatur, Quia voluntas data est homini loco inclinationis naturalis, vt in totum hominis bonum illum inclinet (id enim quod est inclinatio naturalis in rebus naturalibus, in homine & Angelo est voluntas:) ergo sicut res aliæ feruntur naturaliter in bonum suæ naturæ conueniens, ita voluntas fertur naturaliter in id quod per se humanæ naturæ est conueniens: vt esse, viuere, intelligere, esse integrum, sanum, pulchrum, &c. quæ secundùm se nihil habent mali. Denique omne id quod apprehenditur sub ratione boni, quâ parte sic apprehenditur, naturaliter appetitur; quia sub ea ratione non potest respui.

Notandum est primò, sicuti voluntas duplici ratione potest aliquid amare liberè; scilicet secundùm exercitium actus, & secundùm speciem: ita duplici ratione potest aliquid amare naturaliter; secundùm exercitium actus, & secundùm speciem actus. 2.

Secundùm exercitium, nihil amat naturaliter; nec vllus motus in hac vita est ei naturalis (loquor de motu qui est ex perfecta rationis consideratione.) Ratio est, quia ad omnem amorem eliciendum voluntas est libera & indeterminata. Vnde ad exercitiũ actus non habet se, vt inclinatio naturalis.

Voluntas nihil amat naturaliter secundùm exercitium.

Secundùm verò speciem actus, naturaliter amat omnia bona supradicta per se considerata; quia ita est ad illa determinata, vt si velit in illa tendere, non possit nisi motu prosecutionis. Dico *per se considerata*; quia ob aliquod incommodum vel defectum qui illis apprehenditur connexus, possunt respui. Sic multi optant non esse ob miserias huius vel alterius vitæ; multi nolunt sapientiam & virtutem ob laborem & corporis incommoda.

Sed quidem secundùm speciem actus.

Notandum Secundò, Ex his facilè intelligi duplicem illam rationem voluntatis, cuius frequens apud Theologos mentio, secundùm quam dicitur moueri; nempe *vt voluntas*, & *vt natura*. Quæ duæ rationes non distinguuntur tamquam duæ res vel duæ formalitates, sed vt vna eademque res duplici modo inadæquatè concepta.

Voluntas quâ natura, voluntas quæ voluntas, quid significent.

Dicitur enim moueri *vt voluntas*, quatenus in modo operandi habet conditionem propriã voluntati, quæ est liberè ferri in aliquid. Prouenit autem hic modus operandi ex perfecta rationis consideratione, quâ res consideratur cum omnibus suis circumstantijs.

Dicitur autem moueri *vt natura*, quatenus in modo operandi habet conditionem naturæ, quæ est esse

est esse determinatum ad vnum. Et prouenit hic modus ex imperfecta rationis consideratione, vel ex ea quâ bonum solùm consideratur vt conueniens, malum vt disconueniens absque circumstantijs.

Luctus Christi in horto.

Vterque modus patuit in Christo, dum oraret in horto. Nam voluntas eius, vt natura, amabat vitam, & horrebat mortem: vt voluntas verò, acceptabat mortem, & contemnebat vitam.

Vna Anima æquialet toti vniuerso corporeo.

Notanda est Tertiò *Resp̃sio. D. Thomę ad Tertium*: ex qua rectè colligit Caietanus vnam animam æquialere toti vniuerso corporeo: quia totius illius perfectionis, sublimiori modo, nempe secundùm esse intelligibile consideratæ, est capax; & voluntas ad totam illam inclinatur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm voluntas moueatur necessariò à suo obiecto.

3 NOtandum est, Non hîc quæri vtrùm obiectum habeat aliquam efficientiam in voluntatem, vt Caiet. exponit. Hoc enim satis patet ex q. 9. a. 1. & 3. Sed vtrùm proposito obiecto, voluntas in illud rapiatur necessariò.

Respondetur duabus Conclusionibus.

Prima, Voluntas à nullo obiecto mouetur necessariò secundùm exercitium actus. Intellige in hac vita. Est communis sententia Doctorũ. Vide Scot. in 4. d. 49. q. 10.

Probatur Primò, Ratione D. Thomæ, Quia possumus à quouis obiecto cogitationem auertere, ac proinde actu non amare. Sed hæc ratio non est sufficiens; quia non probat voluntatem non moueri necessariò ab obiecto, perseuerante apprehensione intellectus; sed solùm eatenus non necessariò moueri, quatenus est in eius potestate apprehensionem intellectus tollere.

Voluntas à nullo obiecto in hac vita necessitatè patitur.

Secundò igitur probatur, Quia experimur dum cogitamus de quouis obiecto, v. g. de beatitudine, voluntatem nostram non necessariò ferri in illius amorem, sed posse cohiberi. Quamuis Durandus in 4. d. 49. q. 8. n. 18. putet voluntatem necessariò moueri ad quamdam imperfectam volitionem beatitudinis, dum illa intellectu apprehenditur. Sed est contra experientiam; facilè enim cohibemus omnem affectum. Et ratio est, quia quantumuis magnum sit bonum, quod in hac vita mente concipimus; semper tamen possumus iudicare non esse nobis vtile, vel commodum, vel opportunum, vel saltem necessarium illud hîc & nunc amare: & consequenter voluntas non necessitatur ad exercitium actus. Sicut enim voluntas non necessitatur ad speciem actus, quando circa obiectum potest considerare aliquã rationem disconuenientiæ, v. g. quod impediat aliud bonum, vel certè quod non sit necessarium ad benè esse: ita etiam non necessitatur ad exercitium actus, quando circa exercitium ipsum potest apprehendere aliquam rationẽ disconuenientiæ, vel non necessarij.

4 *Soluuntur obiectiones.*

Dices Primò, In primis motibus, qui apprehenso obiecto necessariò excitantur, non solùm in appetitu inferiori, sed etiam in voluntate est vera necessitas: ergo voluntas aliquando mouetur necessariò ad exercitium actus ab obiecto.

Respondeo nos hîc loqui de obiecto, quod perfecta rationis consideratione proponitur: hoc enim numquam in hac vita necessariò mouet ad exercitium actus. Perfecta autem consideratione tunc proponitur, quando considerantur eius cõditiones, non solùm vt est conueniens, sed etiam vt est non conueniens, aut non necessarium, saltem hîc & nunc. Sicut optimè explicat D. Thomas, & patet ex suprà dictis. q. 6. a. 2. Dum igitur ratio non satis sibi præsens, apprehendit rem solùm vt conuenientem, non valens tunc temporis eam considerare, vt non conuenientem, aut nõ necessariam; voluntas necessariò in illam fertur, sed simplici & inefficaci affectu.

Voluntas mouetur sæpè necessariò simplici affectu.

Dices Secundò, Intellectus, dum ei proponitur principium aliquod per se notum, non potest suspendere iudicium; ergo nec voluntas proposito fine poterit sustinere affectum.

Consequentia probatur, Quia sicut intellectus se habet ad prima principia, ita voluntas se habet ad finem, præsertim vltimum.

Respondet D. Thomas *in respon. ad secundum*, sed satis obscurè.

Clariùs respondeti potest, negando consequentiam. Tum quia intellectus non est formaliter liber, sicut voluntas: tum quia intellectui principium non est satis propositum, nisi apprehendat perfectè extrema: atqui assensus principij vel nihil est aliud quàm perfecta extremorum apprehensio; vel certè intrinsecè ex illa apprehensione oritur: vnde non est mirum, quòd intellectus apprehensis extremis, non possit sustinere iudicium. At volitio non sic oritur ex intellectione, seu ex propositione obiecti.

Ad confirmationem. Comparatio illa inter intellectum & voluntatem non est facienda ratione libertatis, sed ratione aliarum conditionum: nempe, quòd sicut intellectus assentitur principijs propter seipsa, non ob alia principia; ita voluntas amet finem propter seipsum, non ob alium finem. Et sicut assensus principiorum est causa, cur assentiamur conclusioni; ita amor finis sit causa, cur amplectamur media.

Secunda Concl. D. Thomæ. Voluntas necessariò mouetur ab aliquo obiecto ad speciẽ actus. Patet ex d. a. 1. Vtrùm verò voluntas in altera vita ab aliquo obiecto necessariò moueatur ad exercitium, dictum est suprà tract. de Beatitudine q. 4. a. 4.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Voluntas necessariò moueatur ab appetitu inferiore, seu à passionibus?

REspondetur duabus Conclusionibus.

5 *Quid fiat, si passio prorsus impediat vsum rationis.*

Prima, si passio rationis vsum prorsus impediat, voluntas necessariò mouetur. Patet in amentibus. Ratio est, quia tunc intellectus non potest rem apprehendere cum indifferentiâ, sed solùm sub vnâ ratione: ita enim apprehendit consentaneam, vt non possit aduertere rationes, cur sit dissentanea; & ita apprehendit dissentaneam, vt in illa nullam possit videre rationem consentanei. Ac proinde necessariò amat, vel necessariò odit.

Secunda

Quid, si non impediat vsum rationis.

Secunda Conclusio. Si passio non sit adeò vehemens, vt rationis vsum impediat, non mouet necessariò: quia cùm illa passione, intellectus potest rem aliter apprehendere, quàm à passione proponitur. Intellige hoc de necessitate Physica. Nam fortasse interdum talis passio potest mouere necessariò necessitate morali, ita vt non peccetur consentiendo, saltem mortiferè; de quo plura in Tractatu de Gratia.

Notandum Primò, *in Resp. ad Tertium.* quod ait D. Thomas: *Voluntas non solùm mouetur à bono vniuersali apprehenso per rationem, sed etiam apprehenso per sensum*, non esse sic intelligendum, quasi apprehensio sensus sufficiat ad mouendam voluntatem: id enim falsum esse patet ex dictis q. 9. art. 2. sed sensus est, Voluntatem non tantùm moueri à bono vniuersali, quod sola ratione percipitur, v. g. à voluptate in genere, ab honesto in genere; verùm etiam à particulari, quod primò apprehenditur sensu, & à sensu transit eius apprehensio ad rationem; à qua vbi apprehensum fuerit, potest mouere voluntatem.

6 *Pueri & amentes in quibus necessariò moueantur.*

Notandum Secundò, Pueros & amentes non in omnibus suis motibus necessariò moueri; vt rectè docuit Victoria, Relect. *De venientibus ad vsum rationis*; sed tantùm in quibusdam, nempe in ijs appetendis vel fugiendis, quæ ita apprehendunt esse bona, vt nullam cernant rationem mali; vel ita mala, vt nullam cernant rationem boni: vel si vtramque aliquo modo apprehendant, tamen non possint illas ita inter se comparare, quin apprehensio alterius obtineat & vincat. Sic videmus istos necessariò amplecti, vbi apprehendunt magnas voluptates; & necessariò fugere, vbi magnos dolores: vbi verò nihil horum apprehendunt, vel valdè parum, habent in sua potestate acceptare vel non acceptare; vt experientia docet: possuntque reddere rationem, cur sic, vel sic faciant. Quæ autem hic objicit Medina, facilè solui possunt. Vide infrà quæst. 13. art. 2.

Quo modo careant vsu rationis.

Dicuntur autem pueri & amentes carere vsu rationis, quia eo carent circa bonum & malum morale; quod est proprium bonum hominis, & perfectum vsum rationis requirit: non autem quia eo carent circa bona sensibilia, eorumque contraria; ad quæ sufficit vsus rationis multò minor.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm voluntas necessariò mouetur à Deo?

7 Conclusio est, Voluntatem non necessariò moueri à Deo; id est, motus voluntatis non esse necessarios, sed liberos, etiamsi à Deo proueniant. Ratio est, quia Deus mouet res omnes consentaneè naturali illarum conditioni; sic vt à causis necessarijs proueniant effectus necessarij; à liberis, contingentes: atqui naturalis conditio voluntatis est esse causam non determinatam ad vnum, sed indifferenter se habere ad multa: ergo Deus illam sic mouet, vt non determinet ex necessitate ad vnum, sed vt motus eius maneat contingens.

De quâ motione hic agat D. Thomas.

Notandum Primò, D. Thomam loqui de motione, quâ Deus mouet, non quidem vt obiectum, vel vt proponens obiectum per suam prouidentiam (nam de hoc modo dictum est art. 2. vbi ostensum est, voluntatem in hac vita à nullo obiecto ad exercitium necessariò moueri.) Sed loquitur de motione, quâ mouet vt efficiens motum voluntatis, præsertim per suum concursum & per auxilium præueniens voluntati impressum: His enim modis accommodat se conditioni voluntatis. De motione illâ quâ dicitur mouere, vt est auctor & conseruator naturæ voluntatis, nulla potest esse quæstio; quia solùm mediante naturâ sic mouet, non autem per se immediatè: Vnde hæc motio ex parte Dei nihil est aliud, quàm creatio & conseruatio naturæ voluntatis, vt motus sibi conuenientes edat. Itaque nihil ponit circa naturam vel operationem voluntatis, vnde possit prouenire necessitas in operatione.

Notandum Secundò, Hîc esse sermonem de actibus voluntatis perfectis, quibus absolutè aliquid vult aut recusat; non autem de imperfectis affectionibus à Deo immissis.

Malè sumitur hinc argumentum pro prædeterminatione.

Notandum Tertiò *in Resp. ad Tertium: Si Deus*, inquit, *mouet voluntatem ad aliquid, impossibile est vt voluntas ad illud non moueatur; non tamen est impossibile simpliciter:* ex his verbis aliquos sumere argumentum pro prædeterminatione voluntatis; sed minimè secundùm mentem D. Thomæ. Nam D. Thomas loquitur non de motione præueniente, sed comitante, qua Deus mouet voluntatem, concurrendo per se & per auxilium gratiæ, non priùs naturâ quàm voluntas moueatur, sed omnino simul. Etsi autem positâ illâ motione impossibile sit, vt voluntas non moueatur (non enim hæc duo simul stare possunt, Deus mouet voluntatem concurrendo cum illa, & voluntas non mouetur:) non tamen inde sequitur esse absolutè impossibile, voluntatem tunc non moueri, aut esse necessarium moueri: nam illa Dei motio est in potestate voluntatis, vt incipiat vel desinat, vt continuetur vel abrumpatur: Simili modo, si voluntas seipsam mouet, necesse est ipsam moueri; non tamen tunc necessariò mouetur; quia in potestate voluntatis est vt seipsam moueat. Eodem modo intellige D. Thomam *in Corp.* cùm ait: *Sic Deus voluntatem mouet, vt non ex necessitate ad vnum determinet. Non ex necessitate*, id est, non eo modo, vt illa determinatio non sit in potestate voluntatis & arbitrio. Longè est alia ratio prædeterminationis. Positâ enim prædeterminatione, quâ Deus voluntatem præueniendo prædeterminet ad actum; voluntas absolutè mouetur necessariò: quia non est in potestate voluntatis, vt illa prædeterminatio incipiat vel non incipiat (quia præuenit omnem concursum liberum voluntatis:) & illâ positâ, non est in eius potestate vt actus non sequatur; quia cum illa determinatione necessariò est connexus, cùm re ipsa ab illa non distinguatur.

QVÆSTIO XI.

De Fruitione.

ARTICVLVS I.

Vtrùm frui sit potentiæ appetitiuæ?

COnclusio est affirmans. Vide D. Thomam.

DVBIVM I.

Quid propriè sit fruitio.

1 *Scotus.* SCotus in 1. d. 1. quæst. 3. putat, Fruitionem nihil esse aliud quàm amorem, quo res diligitur propter seipsam; & frui Deo, nihil esse aliud, quàm Deum amare.

Dom. Soto. Dominicus Soto in 4. d. 49. qu. 1. a. 4. putat, fruitionem esse ipsam rei adeptionem per actum vitalem; qui generet delectationem in appetitu. Frui enim picturâ, nihil est aliud quàm videre picturam cum voluptate; frui cibis, eos gustare cum voluptate; frui Deo, videre Deum, & inde gaudium percipere.

Ad fruitionem tria necessaria: amor, coniunctio vitalis, delectatio. Vt res explicetur. Suppono hæc tria requiri, vt quis propriè dicatur frui, & eadem sufficere. Nempe amorem rei, coniunctionẽ rei per actum aliquem vitalem, & delectationem. Qui enim amat, & non habet rem præsentem, non dicitur frui, sed desiderare frui. Fruitio enim est terminus desiderij, vnde Prou. 6. dicunt quidam: *Venite, fruamur concupitis amplexibus.* Rursus, qui amat, & rem præsentem habet, si non delectatur, non fruitur; sicut is qui sumit potionem amaram, quam tamen desiderabat, non dicitur frui. Vnde D. August. l. 10. de Trinit. c. 10. *Fruimur rebus cognitis, in quibus ipsis propter se voluntas delectata requiescit.*

Vt autem intelligatur quid propriè ex his tribus vocetur fruitio:

2 *Amor non est fruitio.* Dico primò, Amorem non propriè dici fruitionem.

August. Probatur Primò, Ex cõmuni modo loquendi: frui bonis, non est amare bona; sed ex illis capere voluptatem. Frui concupitis amplexibus, non est amare amplexus, sed habere præsentes, & illis delectari. Secundò Probatur, Quia amor non requirit præsentiam rei, nec delectationem ex præsentia; hæc tamen requirit fruitio. Tertiò, Ex D. Augustino, l. 8. de Ciuit. c. 9. *Nemo*, inquit, *beatus est, qui eo non fruitur, quod amat.* Vbi apertè amorem & fruitionem distinguit. Quare cùm idem August. l. 1. de doct. Christ. c. 4. ait, *Frui, est amore inhærere*, non vult fruitionem esse amorem, sed illam inhæsionem voluntatis, quæ ex amore nascitur. Denique idem patet ex vi nominis. Frui enim, est fructũ capere; amare verò nihil est aliud, quàm pondere quodam in rem amatam inclinari.

Neque etiã coniunctio boni per actum vitalem, est fruitio. Dico Secundò, Coniunctio boni per actũ vitalem non est propriè & formaliter fruitio; rectè tamen dici potest fruitio causaliter.

Prior pars probatur, quia si ex illa cõiunctione nulla sequeretur delectatio, non frueremur; vt si vescaris cibo suaui, vel audias suauem symphoniam, si non delectaris, non frueris. Confirmatur ex D. Augustino l. 8. de Ciuit. c. 9. & l. 83. qq. q. 30. vbi ait, *Frui, esse voluptatem capere.*

Quamuis sit fruitio causaliter. Altera pars, scilicet quòd causaliter rectè dicatur fruitio, Probatur; quia coniunctio boni est causa delectationis & gaudij: rẽ enim ipsam qua fruimur, præsentem sistit: imò ipsa quoque est obiectum delectationis. Iuxta hunc modum intelligo D. Thomam in *resp. ad Primum*, cùm *visionem Dei* vocat *fruitionem*. Est enim causaliter fruitio; quia visio est causa, & etiam quodammodo obiectum fruitionis.

Fruitio quid. Dico Tertiò, Delectatio vel gaudium consequens rei præsentiam & coniunctionem, propriè & formaliter est fruitio. Quod patet tum ex cõmuni modo loquendi; tunc enim & numquã aliàs dicimur frui re optata, quando eâ præsente delectamur & gaudemus: tùm quia cætera iam exclusa sunt. Hinc sequitur fruitionem propriè ad voluntatem pertinere. Est enim vltimus ipsius motus, omniumque motum terminus.

DVBIVM II.

Vtrùm fruitio sit actus elicitus à voluntate, an solùm passio impressa voluntati ab obiecto, ipsa non concurrente?

3 *Scotus. Henricus.* SCotus in 1. d. 1. q. 3. & in 3. d. 15. putat gaudium & delectationẽ (quæ nos nomine fruitionis intelligimus) & tristitiam solùm esse passiones productas ab obiectis in appetitu. Idem sentit Henricus Quodlib. 11. q. 8. & 9.

Respondeo, Fruitionem esse actum à voluntate effectiuè productum. Idem dico de tristitia. Est communior Theologorum sententia in 1. d. 1. & D. Thom. infra, q. 22. a. 3. ad 3. & Caiet. q. 31. a. 4. Ratio est, quia fruitio & tristitia sunt actus vitales, atque adeò vitæ quædam ipsius animæ; actus autem vitales non debent manare à principio effectiuo extrinseco; vt suprà ostensum est.

Fruitio & tristitia non sunt nuda passiones, sed vitales motus ab intrinseco. Contrà obijcitur ex Scoto: Primò, omnis actus voluntatis est velle aut nolle: sed delectatio & gaudium non est velle, neque tristitiã: est nolle (Beati enim habent nolitionem de peccatis, non tamen tristitiã:) ergo non sunt actus voluntatis.

Soluuntur argumenta Scoti. Respondeo, Concessa maiore, generatim loquendo nego minorem. Tristitia enim est quoddã nolle generatim accepto nomine, quia est quædam vitalis fuga & auersio appetitus à malo præsente, cum quadam amaritudine & afflictione. Similiter gaudium est quoddam velle (nam D. Aug. l. 14. de Ciuit. c. 6. *Omnem motum voluntatis, docet esse voluntatem*, id est, *volitionem*) quia est vitalis quædam inhæsio in obiecto cum quadam dulcedine.

Nec obstat, quòd in Deo & Beatis sit nolitio peccati, & tamen in illis non sit tristitia; quia tristitia non est quæuis nolitio, sed amara.

Obijcitur Secundò, Si Petrus summè nolit filiũ mori, & filius moriatur, Petro veniet noua tristitia. Sed non obueniet ei noua aliqua nolitio; quia iam ponitur summè noluisse: ergo solùm superueniet ei quædam passio illata ab obiecto præsenti.

Respondeo Negando minorem generatim loquendo; etsi enim habeat summam nolitionem propriè

propriè dictâ, potest tamen ei superuenire nouus motus auersionis vitalis ex præsentia mali, qui specie sit distinctus à priore nolitione: posset tamen generatim vocari nolitio, quia est vitalis auersio à malo præsenti.

Obijcitur Tertiò, Omnis actus voluntatis est in eius potestate: sed delectatio & tristitia non sunt in potestate voluntatis: ergo, &c.

Respondeo, Omnem actum voluntatis in hac vita, qui fit ex perfecto rationis vsu, esse quidem in potestate voluntatis, sed mediatè vel immediatè, non autem immediatè; vt patet in electione medij necessarij supposità efficaci intentione. Itaque tristitia & delectatio, etsi non sint immediatè in potestate voluntatis, sunt tamen mediatè. Posito enim amore alicuius boni, & illius boni præsentiâ, necessariò resultat gaudium & delectatio. Et positò odio alicuius obiecti, & eius præsentiâ, necessariò emicat tristitia. Sed hæc necessitas solùm est ex suppositione alicuius rei, quæ est in mea potestate. Si enim tollam amorem & odium, vel cogitationem aliò diuertam; tollam etiam gaudium & tristitiam.

Quomodo gaudium & tristitia sint in nostra potestate.

ARTICVLVS II.

Vtrùm frui tantùm conueniat naturæ rationali, an etiam brutis?

4 PRima Conclusio. Perfecta fruitio soli naturę rationali competit; scilicet Deo, Angelo, homini. Ratio est, quia fruitio est quædam vitalis inhæsio appetitus in bono præsente propter ipsũ. Atqui sola natura rationalis distinctè cognoscit rationem boni, eiusque habitudinem ad subiectum: ergo, &c.

Frui natura rationali competit perfectè.

Secunda Conclusio. Brutis non conuenit ratio fruitionis nisi imperfectè. Ratio est, quia non cognoscunt rationem boni nisi confusè; non enim cognoscunt proportionem & conuenientiam, quam habet cum subiecto, & sitne propter se, an propter aliud conueniens.

Brutis imperfectè.

Notandum est, Fruitionem, id est, gaudium & delectationem nasci ex tribus, ex potentia, obiecto, & coniunctione obiecti per aliquem actum vitalem, vt per cognitionẽ intellectus vel sensus. Vnde sequitur, cæteris paribus eò maiorem esse & perfectiorem fruitionem, quò aliquid horum trium perfectius fuerit; & consequenter perfectissimam esse ex visione Dei. Nam hæc nascitur in suprema potentia, ex suprema coniunctione boni supremi. Si enim tanta est delectatio appetitus sensitiui ex bonis infimis per sensum apprehensis, quanta erit in appetitu supremo, ex infinito bono, visione beatificâ nobis vnito?

ARTICVLVS III.

Vtrùm fruitio sit tantùm vltimi finis?

5 PRima Conclusio. Fruitio propriè tantùm est vltimi finis.

Fruitio est vltimi finis proprie.

Probatur, Quia fruitio propriè designat quietem voluntatis in aliquo bono delectabili. Atqui voluntas in nullo bono perfectè quiescit nisi in vltimo; scilicet, post quod non sperat aliud: quamdiu enim aliud sperat, non sistit, sed est inquieta, donec obtinuerit quod censet sibi vltimò esse obtinendum. Hoc modo D. Aug. passim vtitur nomine fruitionis, vt lib. 83. qq. q. 30. cùm ait, *Omnem humanam peruersionem esse, fruendis vti velle, & vtendis frui.* Et lib. 1. de doct. Christ. c. 3. vbi dicit, *Tantum fruendum esse Patre, Filio & Spiritu sancto.*

Secunda Conclusio. Quodam tamen modo rectè dicimur frui quouis alio bono, quod propter se diligimus, etiamsi non habeamus illud pro vltimo fine.

Est etiam aliorum bonorum.

Probatur, Quia omne tale bonum habet in se vnde delectet, & voluntatẽ in se quiescere faciat, si non omninò, certè in præsenti negotio, & in præsenti intentione, in qua est vltimum. Confirmatur ex D. Augustino l. 1. de doct. Christ. c. 4. vbi dicit: *Frui est amore inhærere alicui rei propter seipsam.* Fruimur ergo omni bono, quod propter se diligimus, si illud præsens habeamus. Sic dicimur frui amicis & amicorum consortio, contemplatione cælesti, lectione Scripturarum, & similibus. Aduerte tamen, si illud bonum quo fruimur, non sit in se honestum, talem quoque fruitionem non fore honestam. Talis enim est delectatio, quale est bonum quo delectamur.

Fruitio iuxta Augustinum.

Dices, Delectatio est tantùm de bono delectabili: atqui bonum delectabile distinguitur ab honesto tamquam diuersum genus boni; ergo nulla delectatio per se & intrinsecè est honesta, neque versatur circa bonum honestum.

Respondeo, Omne bonum honestum adamatũ esse delectabile, & in sua intrinseca ratione includere vim delectandi: vnde si præsens fuerit, causabit delectationem. Colligitur ex D. Aug. l. 1. de doct. Christ. c. 33. *Cùm adest,* inquit, *quod diligitur, etiam delectationẽ secum gerat necesse est.* Ratio est, quia delectatio nascitur ex præsentiâ boni adamati, qualecumque illud bonum sit, siue delectabile tantùm, siue honestum. Vnde quando bonum diuiditur in honestum & delectabile, per delectabile intelligitur, vel quod solùm delectabile est, & non honestum, vt sunt bona sensibilia: vel solùm ista membra ratione distinguuntur: nam ipsa bonitas honesti est delectabilis, & eius delectatio est bonum honestum; neque hæ rationes per vllam potentiam possunt separari.

Bonum honestum adamatum, est delectabile. Augustinus.

DVBIVM.

Vtrùm etiam medijs fruamur quatenus media sunt?

6 REspondeo & Dico Primò, Si frui accipiatur vt idẽ sit quod cùm delectatione vti, (quomodo definitur à D. Augustino lib. 1. de doct. Christ. c. 33.) rectè dicimur frui medijs, etiam vt media sunt. Ratio est; quia propriè vtimur medijs, & ex illorum vsu percipimus delectationem: sic dicimur frui hæreditate, opibus, domo, consortio, &c. etiamsi hæc non amentur propter seipsa: sed solùm propter vitæ commoda, quæ per ea comparantur.

Notandum tamen, vsum mediorum non adferre delectationem ratione bonitatis intrinsecæ (quia bonitas medij intrinseca, sicut nec amatur propter se, ita neque delectare potest per se) sed solùm ratione bonitatis finis, ob quem bonitas medij amatur. Confirmatur, Quia tota bonitas

Media per se non sunt obiectum delectationis.

quæ est in medijs vt media sunt, nihil est aliud quàm vtilitas eorum ad finem, seu efficacia quam habent ad finem comparandum: sed hæc efficacia non est amabilis nisi ob finem: ergo nec delectabilis nisi ratione finis. Patet exemplis. Medicina enim non delectat, neque gaudio afficit, nisi ratione sanitatis, quæ in illa apprehenditur: pecunia non delectat, nisi quatenus in ea, tamquam in virtute causæ apprehendimus nos habere huius vitæ commoda.

Dico Secundò, Si *frui* accipiatur, vt idem sit, quod quiescere in aliquo bono propter se adamato (quod est propriè frui, vt accipit Aug. lib. 10. de Trinit. c. 10.) sic non dicimur vllo modo frui medijs, vt media sunt; quia non quiescimus in illis, sed vlter iùs tendimus vt ibi quiescamus. Nec obstat illud Apostoli ad Philæmonem, *Ita, frater, ego te fruar in Domino*, sensus enim est, fac vt fruar tuo beneficio in Onesimo, quod beneficium erat ignoscere Onesimo, & illum benè tractare. Hoc

Apostolus ad Philæmonem.

enim Apostolus censebat sibi ipsi fieri. Itaque hic locus ad præsens negotium nihil facit.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm fruitio sit solùm finis habiti?

PRima Conclusio. Fruitio perfecta non est nisi finis iam perfectè obtenti. Probatur, quia fruitio perfecta est quies animi perfecta in bono: atqui animus non quiescit, nisi fine perfectè obtento: ergo, &c. 1

Secunda Conclusio, Fruitio imperfecta est fine imperfectè obtento, scilicet obtento in spe. Probatur, quia qui habet spem obtinendi, iam aliquo modo censetur habere finẽ; habet enim eum in medijs, per quę sperat, tamquam in causis: vnde Apostolus ad Rom. 12. *Spe gaudentes.*

QVÆSTIO XII.

De Intentione.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Intentio sit actus voluntatis?

1 *Intentio, vnde dicatur.*

CConclusio. Intentio est actus voluntatis. Probat D. Thom. ab etymo nominis. Intentio enim dicitur ab eo, quod est tendere ad aliquem terminum seu finem; atqui tendere in finem pertinet primò ad voluntatem; nam voluntas ceteras etiam animæ vires in finem dirigit: ergo intentio est actus voluntatis. Idem probari potest ex nominis vsu. Intendere enim lucrum, sanitatem, honores, iuxta communem vsum loquendi, nihil est aliud quàm velle hæc per aliqua media consequi: atqui velle consequi, est actus voluntatis: ergo.

Intentio quid.

Hinc patet, Intentionem ex parte rei nihil esse aliud, quàm desiderium efficax, id est, quo quis ita desiderat aliquid consequi, vt ex vi huius desiderij moueatur ad executionem.

Dices, Intentio est tendentia voluntatis in finem per certa media: atqui desiderium non includit certa media; ergo distinguitur à desiderio.

Resp. Nõ est de ratione Intentionis vt expresè contineat volitionem certorum mediorum; sed sufficit vt implicitè cõtineat volitionem mediorum in genere. Confirm. Quia intentio est causa electionis mediorum; sicut assensus principiorum est causa assensus conclusionis: ergo est prior volitione mediorum, ac proinde non magis includit volitionem mediorum, quàm desiderium efficax.

Intendere finem & efficaciter eum velle &c. eadem sunt.

Hinc sequitur, eadem esse, intendere finem, efficaciter velle, aut amare, aut desiderare finem, *Efficaciter*, inquam, id est, eo modo, vt ex vi illius volitionis vel desiderij, mouearis ad executionem: vnde Græci non habent proprium nomen, quo exprimant actum intentionis; sed vocant eam βουλησιν, id est, *Volitionem*, ὀρεξιν λογικὴν, id est, *appetitum rationalem*, & προθεσιν, *propositum*. Vide Aristotelem 3. Ethic. c. 2. & Damascenum lib. 2. de Fide, cap. 22.

Notandum in *Respons. ad quartum*, finem, id est, bonum quoduis per se amabile, posse tripliciter spectari. Primò, Vt est præsens; sic versatur circa illud fruitio. Secundò, Vt est absens, per aliqua tamen media comparandum; sic versatur circa illud intentio. Tertiò, Secundùm se nudè; sic versatur circa illud amor, vt est primus affectus, seu prima boni complacentia, quæ etiam voluntas dicitur. Itaque tres actus versantur circa finem tamquam obiectum. Medium verò per se non potest nisi vno modo spectari, scilicet vt est vtile adfinem obtinendum. Esse autem absens vel præsens, est illi commune cum fine.

Bonum amabile tripliciter spectari potest.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Intentio tantùm sit vltimi finis?

CConclusio est, Intentionem circa quemuis finem versari posse, non tantùm circa vltimum. Ratio est, quia quoduis bonum per se amabile, potest esse terminus motus voluntatis; ac proinde si per media potest comparari, potest intendi. 2

DVBIVM.

Vtrùm Media quatenus habent rationem boni vtilis, possint intendi?

REspondeo, Propriè loquendo, non posse sic intendi. Ratio est; quia motus voluntatis non sistit in medijs, neque in eorum intrinseca bonitate seu vtilitate: sed vlteriùs tendit in finem, & in eo sistit: atqui illud duntaxat intenditur in quo motus voluntatis sistit, vt in termino. Quare in omni volitione, vbi vnum medium appetitur, propter aliud medium, v. g. cùm vis adire medicum, propter pharmacum; pharmacum sumere, ob euacuationem; euacuationem facere ob sanita- 3

Media propriè non intenduntur.

ob sanitatem; sanitatem, propter seipsam; non tam medium, quàm finis intenditur, ob quē omnia illa media inter se ordinata appetuntur.

Aduerte tamen, nomen intentionis interdum latiùs sumi, vt se ad media extendat; vt D. Tho. insinuat hoc artic. in corp. & art. sequenti.

ARTICVLVS III.

Vtrùm aliquis possit simul duo intendere?

4 *Plura subordinata possunt intendi.*

COnclusio Prima, Posse plura diuersa simul intendi, si ea inter se sint subordinata. *Simul*, id est, eodem actu & motu voluntatis; vt pharmacum & sanitatem, obseruationem mandatorū & salutem. Ratio est; quia hoc ipso quo quis vult medium propter finem, vult etiam ipsum finem tamquam rationem volendi, vt suprà q. 8. art. 1. ostensum.

Etiam non sub ordinata.

Conclusio Secunda, Posse etiam plura nō subordinata simul intendi. Ratio est; quia vna res potest esse vtilis ad diuersos fines non subordinatos. Sic qui ducit vxorem, potest simul intendere diuitias, oblectationem, commoda domestica & prolem.

Quid velit D. Thomas, dum ait plura non subordinata posse simul intendi.

Notandū Primò, Quando D. Tho. dicit plura non subordinata posse simul intendi, vult ea considerari non per modum plurium, sic vt singula habeant rationem integri finis (vt videtur illum intelligere Caietanus:) sed quatenus sunt vel partes vnius integri boni (sicut qui intendit construere domum vel vrbem, intendit omnia ad hæc necessaria; sed per modum vnius:) vel certè quatenus illa plura conueniunt in aliqua cōmuni ratione commodi vel honesti, vel etiam conuenientis: vt si intendas simul voluptatem & sanitatem sub ratione commodi; vel exercere officia omnium virtutum sub ratione honesti. Nam D. Tho. solùm loquitur de ijs, quæ per vnum actum intentionis simul intendi possunt; huiusmodi autē omnia considerari debent per modū vnius integri obiecti. Ratio est; quia vnius actus non possunt esse plura obiecta integra, sicut nec vnius motus plures termini, vt ipse ostendit in *resp. ad secundum*. Simili modo in *resp. ad tertium* ait, plura non posse intelligi, nisi quatenus aliquo modo accipiuntur vt vnum.

5 *Plura bona diuersi generis possunt vnica intentione simul intēdi, vt partes vnius integri boni.*

Notandum Secundò, Etiam bona diuersi generis posse considerari tamquam partes vnius integri boni, ac proinde posse simul vnica intentione appeti; vt patet cùm quis appetit beatitudinē, quæ est omnium bonorum animi & corporis delectabilium & honestorum aggregatio. Ratio est, quia omnia quæ per se bona sunt, siue delectabilia, siue honesta, conueniunt in communi ratione boni, seu consentanei subiecto. Vnde sub hac ratione omnia possunt simul appeti per modum vnius integri boni.

Vnus assensus potest immediatè fieri ob multas rationes quasi partiales.

Simili modo plures rationes, quibus aliqua veritas confirmatur, possunt accipi in modum vnius integræ probationis, ob quam posis illi veritati assentiri: quod potissimùm locum habet, quando rationes illæ sunt solùm probabiles, & vna sola non perfectè conuincit intellectum. Sic potest quis ob notas fidei simul consideratas, assentiri veritatibus fidei.

DVBIVM I.

Vtrùm nullo modo possint plura simul intendi tamquam integri fines?

6 *Affirmatur*

REspondeo posse; vt rectè hîc Caietanus. Patet exemplis; quia fieri potest, vt quis in ducenda vxore intendat diuitias, tamquam finem sufficientem; & intendat oblectationem, tamquā alium finem etiā per se sufficientem; & commoda domestica, & prolem similiter. Potest enim hos fines ita intendere, vt ob singulos seorsim & in solidum velit nuptias; etiamsi ceteri abessent. Simili modo potest Canonicus velle adire templum, & ob distributiones, tamquam sufficientem causam; & vt colat Deum, tamquam ob alium finem & causam sufficientem.

Sunt hîc duo distincti actus intentionis.

Aduerte tamen hîc interuenire duos distinctos actus intentionis; quia sunt diuersi fines integri, ac proinde diuersa obiecta.

Ratio autē, cur possit quis hoc pacto simul plura intendere, est, quia voluntas non minus potest se ad multa extendere, quàm intellectus: atqui intellectus potest ad plura attendere, quæ nullam inter se, aut cum aliquo tertio coniunctionem habeant, quamuis non tam perfectè quam ad vnum solum: ergo similiter voluntas potest plura velle tamquam plura.

DVBIVM II.

Vtrùm ex duabus intentionibus duorum finium integrorum possit sequi vnum numero opus.

7

REspondeo & Dico primò, Non posse ex vi duarum intentionum sequi vnum numero actum electionis; sed necessariò tot debent esse electiones, quot sunt intentiones: vt si eligas ieiunium quia sanum, & quia vitæ eternæ meritorium, vtrumque finem in solidum spectans, ieiunium duabus electionibus acceptatur.

Tot sunt electiones, quot intentiones.

Probatur, quia electio accipit suam speciem ex ordine ad finem intentum: ergo si fines intenti sint diuersi, diuersæ quoque erunt electiones; sicut si formæ sint diuersæ, species quoque, quarum sunt formæ, diuersæ erunt.

Vnum opus ex duabus intentionibus.

Dicò Secundò, Ex vi duarum intentionum potest sequi vnum numero opus externum æqualiter ex vtraque pendens. Ita Almainus tract. 1. c. 12. Vt si ieiunes ob vtrumque finem supradictum seorsim spectatum.

Obiectio à duplici materia & forma, & efficiente.

Est contra quosdam, qui putant fieri non posse, vt idem numero opus externum procedat æquè ex duplici intentione; sed necessariò ex altera dumtaxat procedere; alterā se tantummodò per modum complacentiæ circa opus habente. Quod probari potest, quia sicut vna res non potest habere duplicem materiam integram, vel duplicem formam, vel duplicem causam efficientem; ita etiam non potest habere duos integros fines non subordinatos.

Sed probatur nostra sententia, primò experientiā. Sicut enim experimur nos aliquid velle ob duos fines in solidum; ita etiam experimurnos facere intuitu vtriusque: nam ita facimus, vt etiamsi alter finis impediretur, nihilominus ex vi alterius intentionis persisteremus in opere. Quod signum est nos vtrāque intentione ad operandum impulsos fuisse.

Secundò, Si opus ex vi vnius duntaxat intentionis sequeretur, id fieret, quia vnus finis magis intenderetur quàm alter (nulla enim alia ratio assignari potest:) atqui fieri potest, vt vterque finis æqualiter intendatur, & neuter alteri præferatur: ergo tunc opus sequetur ex vi vtriusque æqualiter. Consequentia patet, quia nulla ratio dari potest, cur potiùs dicamus sequi ex intentione huius finis quàm illius, cùm vterque æquè primò & æquè efficaciter intendatur.

8 *Soluitur obiectio.* Ad argumentum in contrarium; Respondeo, Esse disparem rationem. Materia enim & forma sunt causæ, quę rem intrinsecè constituunt. Vnde implicat vnius rei esse duas materias, vel duas formas totales; quia vnum numero, esset duo numero.

Eadem res duas causas totales efficientes habere potest. Quod ad causam efficientem attinet; cùm sit extrinseca, non implicat vt eadem res duas causas efficientes totales habeat. v. g. vt idem lumen à duabus candelis tamquâ causis integris pendeat. Imò probabile est, reipsâ id fieri, quamuis successiuè. Pari modo in effectibus Sacramentorum posse eos à duabus causis efficientibus integris pendere, est valdè probabile, etsi efficientiam physicam in illis ponamus. Quòd si idem effectus pendere potest à duplici causâ efficiente, multò magis à duplici causa finali pendere poterit; præsertim cùm hæc sit remota, mereque extrinseca; ad quam opus nullum ordinem naturalem habet, sed solùm arbitrio voluntatis. Quòd si idem effectus ex duplici fine pendere potest, potest etiam ex duplici intentione pendere: nihil enim à causa finali pendere potest, nisi mediante intentione, quæ causæ finalis immediatus est effectus.

Nec obstat, quòd intentio se ad opus externum habeat in modum causæ efficientis: nam ita efficit, vt nullum realem influxum in opus vel in potentiam exequentem habeat; sed tantùm dicitur efficere, quia positâ intentione in voluntate, aliæ potentiæ per quamdam sympathiam naturaliter ad operandum applicantur.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm voluntas finis sit idem actus cum voluntate eius, quod est ad finem?

9 Conclusio Prima, Quando voluntas fertur in finem, & in medium seorsim spectatum, fertur diuerso motu. Ratio est; quia tunc medium non habet rationem medij, sed distincti finis; vt cùm quis vult sanitatem propter seipsam, & ambulationem propter seipsam.

Conclusio Secunda, Quando voluntas fertur in medium propter finem, vt cùm vult ambulationem propter sanitatem, tunc eodem actu fertur in medium & in finem, sed diuerso modo: in medium, tamquam in obiectum *quod*; in finem, tamquam in obiectum *quo*, id est, in rationem obiectiuam.

Idem actus voluntatis tendit in finem & in media. Aduerte tamen, hinc non sequi, eumdem numero motum voluntatis esse intentionem & electionem, vt quidam hinc collegerunt. Electio enim & intentio sunt motus realiter distincti; quamuis electio ex intentione necessariò pendeat; sicut assensus conclusionis ex assensu principiorum. Et ratio est quam insinuaui suprà q. 8. a. 3. obiectum enim electionis materiale quidem, est res quæ dicitur medium; formale proximum, bonitas vtilis ad finem; remotum, ipse finis. Cùm enim bonitas vtilis speciem habeat ex ordine ad finem, ad quem vtilis est; etiam electio, quæ à bonitate vtili speciem accipit, à fine speciem habebit. Obiectum autem intentionis proximum, materiale quidem, est res illa quæ intenditur, vt scientia, salus: formale, bonitas eius intrinseca. Itaque differunt hi actus obiectis, ac proinde specie. Nec obstat quòd D. Thomas hîc ad *Tertiũ* insinuare videatur, *intentionem & electionem esse vnum motum, sicut ascensus & descensus:* tantùm enim vult dicere, intentionem & electionem versari aliquo modo circa eadem, quamuis contrario modo (sicut ascensus & descensus versantur in eodem spatio contrario modo.) Intentio enim immediatè tendit in finem, & per finem in media. Electio immediatè in media, & per media in finem.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Intentio conueniat brutis?

10 *Distinguitur.* Conclusio Prima, Si intentio accipiatur generatim, vt idem sit quod in aliquid determinatum tendere: sic intentio conuenit brutis & rebus naturalibus: quia horum omnium motus tendunt ad aliquid certi & definiti à Deo.

Conclusio Secunda, Si intentio accipiatur propriè, non conuenit brutis: quia intentio est velle consequi finem per aliqua media idonea; atqui bruta non cognoscunt rationem finis, neque proportionem quam media habent ad finem; ergo, &c. Vide suprà q. 1. a. 2.

QVÆSTIO XIII.

De Electione.

1 EXplicatis tribus actibus voluntatis, qui versantur circa finem, scilicet *voluntate* seu *amore*, *fruitione*, & *intentione*: incipit agere de actibus qui versantur circa media; inter quos tres potissimùm pertinent ad voluntatem, *electio*, *consensus*, *vsus*.

Electio quid. Nomen autem *Electionis* dupliciter accipitur; primò, vt idem sit quod libera acceptatio voluntatis etiam ipsius finis. Sic Aristoteles accipit 2. Ethic. c. 4. cùm ait, *opus virtutis debere fieri ex electione*, id est, non casu, non necessitate, sed liberâ voluntatis acceptatione. Et alibi, cùm ait, *virtutem esse* *Aristot.*

tem esse habitum electiuum. Secundò, Pro acceptatione alicuius medij è multis ad finem conducentibus. Hoc modo accipitur in hac Quæstione.

ARTICVLVS I.

Vtrùm electio sit actus voluntatis.

2 *Electio est actus voluntatis.*

CONcl. Electio est actus elicitus à voluntate, qui tamen peculiarem ordinem ad rationem dirigentem habeat.

Prior pars patet tùm ex Aristot. lib. 3. Ethic. c. 3. vbi ostendit, electionem esse appetitum consultum, id est, qui sequitur consultationem: tùm ex communi modo loquendi; propositis enim multis nemo censetur elegisse (etiamsi intellectu iudicet vnum cęteris præstare) donec illud præcæteris velit; ergo eligere est velle.

Habens ordinem ad rationem dirigentem.

Altera pars patet ex Aristotele 6. Ethic. c. 2. vbi dicit, *electionem* esse vel *intellectum appetitiuum*, (νοῦν ὀρεκτικὸν) vel *appetitum intellectiuum*, (ὄρεξιν νοητικὴν) quibus verbis insinuat electionem pertinere etiam ad intellectum tamquam ad dirigentem. Nullus est enim actus voluntatis, qui tantam intellectus considerationem postulet: vt enim eligas, debes considerare finem & media, & mediorum inter se ad finem proportionem & circumstantias. Hinc D. Thomas ait, electionem formaliter esse actum rationis, materialiter voluntatis; nempe quia modum & speciem suam accipit ex collatione mediorum facta per rationem: sine qua collatione si aliquod medium acceptetur, non erit propriè electio, sed simplex acceptatio.

ARTICVLVS II.

Vtrùm electio conueniat brutis?

3 *Negatur.*

CONclusio est, Electionem non esse in brutis.

Probatur Primò, Quia proposito obiecto, bruta non sunt indifferentia ad illud prosequendum, vel non prosequendum; sed in illud feruntur necessariò, vel necessariò non feruntur. Atqui ad electionem requiritur indifferentia; alioqui non est electio, sed naturæ impulsus & necessitas. Vide Caietanum. Secundò, Ad electionem requiritur vt possis media inter se & ad finem conferre, & cognoscere quid cui præstet in ordine ad finem. Nam electio est appetitio eius, quod consultatione est conclusum; vt ait Arist. 3. Ethic. c. 3. Atqui bruta non possunt consultare, nec media inter se & ad finem comparare.

DVBIVM.

Vtrùm electio conueniat pueris ante vsum rationis, & amentibus?

4 *Affirmatur.*

REspondeo, His verè conuenire electionem.

Primò, Quia his conuenit cõsultatio: possunt enim media inter se cõparare, & expendere quidnam è multis ad finem sit commodius; quod est consilij.

Secundò, si amens, vel puer interrogetur, cur hoc faciat, vel cur hoc potiùs quàm illud? rationem reddet ex ordine ad finem.

Tertiò, Quia in illis est sufficiens notitia boni delectabilis & conuenientis naturæ: distinguunt enim inter delectabile & delectabilius, inter conueniens naturæ & conuenientius; & norunt rationem reddere, cur hoc illo sit delectabilius vel conuenientius; distinguunt etiam inter media quæ ad hæc conducunt, & norunt vtrùm è duobus sit vtilius.

Pueri, etsi liberi sint, peccare tamen non possunt.

Hinc tamen non sequitur, eos posse peccare; quia ad hoc nõ sufficit libertas vel libera electio, sed etiam requiritur notitia boni & mali moralis, quam illi non habent. Non enim possunt perpendere; vtrùm aliquid sit consentaneum dictamini rectæ rationis, seu iudicio prudentiæ. Priùs enim quisque habet notitiam boni delectabilis & conuenientis naturæ, quàm boni honesti; quia hoc est superioris ordinis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm media eligantur, an etiam finis?

5 *Electio solùm est mediorum.*

CONclusio est, Electionem solùm esse mediorum, non autem finis. Sensus est; Nihil propriè dicitur eligi, nisi quod consideratur vt medium conferens ad aliquem finem: id autem quod habetur loco finis, non dicitur eligi, sed supponitur electioni.

Probatur Primò, Quia electio sequitur consultationem & sententiam (quæ est consultationis conclusio:) atqui consultatio non est de fine (nam in omni consultatione supponitur aliquis finis tamquam principium, vnde tota consultatio pendeat) sed tantùm de medijs; ergo & electio.

Probatur Secundò, Quia omnis volitio finis est vel amor, vel intẽtio, vel fruitio: atqui electio nihil horum est, & præterea oritur ex intentione; ergo non potest versari circa finem, sed circa media.

Dices, Homo, propositis pluribus finibus, etiam vltimis, deliberat quis ex illis sit amplectendus; ac tandem vnum ex illis eligit: ergo electio etiam versatur circa finem.

Electio versatur circa media, & circa materiã finis formalis.

Respondeo Negando conseq. si loquamur de fine formaliter; nam illa deliberatio & electio procedit ex intentione alicuius finis communis seu formalis, qui vt possit obtineri, consultatio instituitur, in qua materia, id est, in quibus rebus ille sit constituendus. Itaque iste homo non eligit finem formalem, sed materiam finis formalis, quam considerat instar medij; per quod finem formalem possit obtinere. Vt cùm quis quærit vtrùm beatitudo consistat in voluptatibus huius vitæ, an verò in Deo? Vbi viderit in Deo consistere, eligit Deum tamquam materiam in qua reperiatur finis formalis, quæ hîc est beatitudo in genere. Itaque electio non est nisi de medijs, vel de ijs quæ instar mediorum considerantur.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm electio sit tantùm eorum, quæ per nos aguntur?

6 *Affirmatur.* CONclusio est, Tantùm eligimus ea quæ per nos agenda sunt. Vbi illud *tantùm*, excludit solùm ea quæ nullo modo à nobis pendent, vt fiant vel non fiant.

Probatur Primò, Ex definitione electionis, quam habet Arist. 3. Ethic. c. 3. *Electio est appetitus consultiuus eorum, quæ in nostra sunt potestate.* Secundò, Quicumque eligit rem aliquam, eligit illam, vel possidere, vel percipere sensu aut intellectu, vel applicare ad vsum, vel agere vel pati. Ergo eligit aliquam suam operationem, vel quasi operationem: possessio enim est quasi operatio. Tertiò, Quia nullam rem externam eligimus, nisi quatenus subiecta est nostræ operationi; nobisque per operationem coniungitur.

Vbi aduerte, etsi res externæ non cadant sub electionem, nisi quatenus nobis mediante operatione coniunguntur; tamen electionem immediatè versari non solùm circa nostras operationes, sed etiam circa res ipsas, quæ sunt operationum obiecta. Sicut dictum est de delectatione & gaudio. Obiectum enim integrum electionis constat re externa & nostra operatione; vt patet exemplis allatis in secunda ratione. Vnde non solùm operatio dicitur eligi, sed etiam res circa quam operatio versatur; eligimus enim hanc vestem, hunc librum, &c.

Obiectum integrum electionis.

ARTICVLVS V.

Vtrùm electio sit tantùm possibilium?

7 *Affirmatur* CONcl. Tantùm eligimus ea quæ putamus possibilia nobis.

Probatur Primò, Ex art. præcedenti. Cum enim electio sit tantùm eorum quæ in nostra sunt potestate, necesse est, vt tantùm sit possibilium.

Probatur Secundò, à priori; quia nihil potest eligi, nisi quod putatur vtile ad finem obtinendum: nam tota ratio electionis est vtilitas medij ad finem: atqui id quod est factu impossibile non potest esse vtile ad finem obtinendum; ergo. Hinc fit, vt, quando in consultatione deuenimus ad aliquod medium necessarium quod iudicamus impossibile, cessemus à prosecutione illius finis, quem intendebamus.

DVB. circa *resp. ad Primum.*

Vtrùm quis possit si non eligere, saltem appetere id, quod nouit esse impossibile?

8 *Caietanus.* CAietanus 1. p. q. 63. art. 3. agens de peccato Angelorum, distinguit duplex impossibile, per se, & per aliud, seu ex suppositione: & docet id quod solũ per accidens est impossibile, posse secũdùm se & directè esse volitũ: v.g. Possum velle vt numquam peccauerim, vt parens non sit mortuus; quæ per se quidem possibilia sunt, cùm nullam repugnantiam includant; tamen ex suppositione, quâ supponitur quòd peccauerim, quòd parens mortuus sit, sunt impossibilia. Nam impossibile est vt non peccasse conueniat subiecto, in quo iam supponitur peccatum (hæc enim nullo modo eidem simul conuenire queunt;) aut vt non esse mortuum conueniat ei, in quo iam mors supponitur.

Aliud est impossibile per se, aliud per accidẽs.

Ratio, cur talia velle possimus, est, quia possunt secundùm se nudè considerari absque huiusmodi suppositione, quomodo considerata sunt possibilia. Qui enim peccauit, potest se considerare nudè sine peccato, quatenus est homo, & sic non repugnat ei non peccasse. Itaque potest illud hoc modo appetere. Id verò quod per se & naturâ suâ est impossibile, dicit non posse per se appeti, quia non potest apprehendi vt possibile, ac proinde neque vt bonum. Concedit tamen posse appeti per accidens, scilicet quatenus coniunctum est alicui, quod per se sit expetendũ. Hoc modo damnatos appetere Deum non esse, quia hoc necessarium est, vt liberentur à miserijs, quæ liberatio est per se expetenda.

9 *Impossibilia nõ possunt efficaciter appeti.* Respondeo & Dico Primò, Neutrum genus impossibilium posse appeti volitione efficaci. Est communis sententia Doctorum. Intellige, si cognoscatur esse impossibile; nam de tali est quæstio. Constat enim si putetur esse possibile, posse efficaciter appeti. Efficacem volitionem voco eam, quâ quis vult rem volitam adipisci, siue quæ mouet ad executionem.

Ratio huius Conclusionis est, quia conari vt fiat id, quod est impossibile, non potest vllo modo apprehendi vt conueniens; ergo non potest appeti. Consequentia patet, Quia nihil potest appeti, nisi sub ratione conuenientis. Antecedens probatur, quia laborare vt fiat id, quod est impossibile, non est per se conueniens, sicut bonum honestum, & delectabile; neq; est conueniens propter aliud, vt bonum vtile; nam conatus ad impossibile nullam vtilitatem habet.

10 *Possunt inefficaciter.* Dico Secundò, vtrumque genus impossibilium posse secundùm se & directè appeti volitione inefficaci, quæ explicetur per verbum *vellem, opto.*

Aristot. Probatur Primò, Hæc est sententia Arist. 3. Ethic. c. 2. cùm ait, *voluntatem esse impossibilium, vt immortalitatis; electionem autem non nisi possibilium.* vbi Aristoteles loquitur de eo quod putabat per se esse impossibile; non enim existimabat hominem, cum ab intrinseco sit mortalis, posse effici immortalem, aut posse sisti pugnam elementorũ, quibus constat, quod erat necessarium ad immortalitatem. Idem ijsdem verbis docet Nemesius c. 33. de homine, & Damasc. l. 2. de fide. c. 22. Idem sentit D. Thomas hîc ad 1. & Scotus in 2. d. 6. q. 1. & Gab. eadem d. a. 3.

Secundò, Probatur exemplis.

Patet exemplis. Quia pœnitens cupit & optat non peccasse: quod tamen scit nunc esse impossibile.

Homines interdũ optant esse Angeli, etsi sciant id fieri nunlatenus posse.

Quidam impij optant Deum non esse, idque expresè & directè. Nec refert quòd id non optent, nisi propter aliquid coniunctum; scilicet vt liberiùs possint peccare, vel vt nõ puniantur: id enim ex eo prouenit, quòd non esse Dei non sit per se expetendum, cùm nihil in se boni habeat: sed

sufficit

Peccatum primi Angeli, iuxta Scotum.

sufficit vt id cupiant volitione directa. Simili modo iuxta Scotum, Gabrielem, & multos Doctores, peccatum primi Angeli fuit, quòd appetierit esse æqualis Deo secundùm substantiam: quæ sententia non est impossibilis, imò est valdè probabilis, si loquamur non de primo peccato, sed de aliquo ex sequentibus post primum.

Quomodo impossibilia possint appeti.

Tertiò, Voluntas potest appetere non solum id, quod absolutè subiecto est conueniens, sed etiam quod ei est conueniens secundùm aliquam partem, id est, gradum naturæ vel conditionem (potest enim appetere quod est subiecto conueniens secundùm corpus, etsi non sit conueniens secundùm animam; & quod est conueniens secundum gradum naturæ vegetantis, etsi non sit conueniens secundum gradum naturæ sentientis:) sed id quod est absolutè impossibile subiecto, potest ei esse conueniens secundùm aliquem gradum, & non habere repugnantiam secundùm illum gradum: v. g. esse Angelum, esse Deum, est conueniens homini, secundùm gradum substantiæ, & nullam secundùm illum gradum habet repugnantiam. Ergo voluntas poterit illud appetere.

11 *Soluuntur obiectiones.*

Obijcitur Primò, id quod scitur absolutè esse impossibile, non potest iudicari esse bonum: ergo non potest appeti. Conseq. patet, quia nihil potest appeti nisi sub ratione boni. Antecedens probatur, quia quod scitur esse impossibile, non potest iudicari existere actu vel potestate; ac proinde non potest iudicari esse ens: ergo neque bonum: nam ratio boni supponit rationem entis. Ita Caietanus.

Respondeo primò, si hæc ratio aliquam vim habet; etiam vim habet contra Caietanum. Nam ipse concedit, impossibile appeti propter aliquid ei coniunctum; vt non esse Dei, propter liberationem à miseria: necesse ergo est fateatur *non esse Dei* iudicari vel apprehendi esse bonum ratione illius coniuncti. Quomodo autem id fieri potest, cum sit prorsus impossibile?

Respondeo Secundò, vt aliquid possim appetere, non est necesse vt iudicem illud mihi secundùm naturam particularem quam habeo, esse bonum vel conueniens; sed sufficit vt iudicem illud esse bonum in se, vt Scotus & Gabr. docent: v. g. quòd bonum sit esse Deum, esse Angelum. Vel certè, esse bonum mihi considerato præcisè secundùm rationem substantiæ vel entis, seclusis omnibus alijs rationibus repugnantibus. Cuiuis enim indiuiduo entis infra Angelum, quatenus ens est, nihilque includit naturæ Angelicæ repugnans, melius est esse Angelum, quàm esse id quod iam est; & cuiuis indiuiduo entis infra Deum, melius est esse Deum, quàm esse id quod nunc est.

A simili de intellectu.

Ratio est, quia sicut intellectus potest considerare & apprehendere subiectum secundùm rationem præcisè, ita voluntas potest aliquid ei secundùm hanc rationem appetere. Sicut enim intellectus extendit se ad omne verum: & sub quauis præcisione rationis formalis, secundùm quàm est verum. Ita voluntas se extendit ad omne bonum & conueniens sub quauis præcisione, secundùm quàm est conueniens.

Imò sufficit simplex apprehensio absque expresso iudicio.

Neque est necessarium, vt iudicijs expressis iudicem esse conueniens vel possibile; sufficit vt simplici apprehensione apprehendam, v. g. esse Deum, esse Angelum, tamquam mihi conueniens secundùm rationem entis, & vt non repugnans secundùm hanc rationem absque aliquo formali iudicio. Nam apprehensio sufficit ad actum complacentiæ.

Hinc patet, quomodo possit appeti id quod contradictionem implicat. Non enim est necesse vt iudicetur esse possibile; sed sufficit vt possit apprehendi, tamquam non repugnans secundùm illam rationem, etiamsi secundùm alias rationes sit repugnantia. Exempli gratia. Quando diabolus optat esse Deus, non optat esse Angelus simul & Deus, Angelus & non Angelus, creatura & non creatura; sed optat tantùm alterum extremum contradictionis, naturam scilicet & qualitatem diuinam, quæ est maximè appetibilis, & maximè ipsi conueniens considerato sub ratione entis: quamuis secundùm rationem creaturæ vel Angeli non sit conueniens. 12 *Implicantia contradictionem, qui appeti possint.*

Obijcitur Secundò, Nemo potest appetere id ex quo nihil commodi acciperet, etiamsi fieret quod cupit: sed si Angelus fieret Deus per essentiam, ipse nihil inde commodi reportaret; nam ipse desineret esse; & sic non ipse esset Deus, sed alius: ergo non potest illud appetere.

Confirmatur, Quia nemo potest appetere sui interitum, vt inquit Anselm. l. de casu Diaboli c. 4. præsertim vt aliquid boni positiui consequatur.

Respondeo Negando maiorem si intelligatur de perceptione commodi in sua persona; quia si possimus quædam appetere, quę alijs sunt commoda, etiamsi nos inde nihil in persona nostra recipiamus (patet in amore parentum erga filios, & amicorum erga amicos;) multò magis poterit aliquis appetere, quod sibi esset commodum in naturâ alienâ, in quam conuerteretur. Vnde etiamsi Angelus nihil in naturâ Angelicâ commodi perciperet, si votum ipsius quo Deus fieri desideraret, impleretur; tamen perciperet in naturâ diuinâ, in quam conuerteretur. Nec refert quod non ipse, sed alius perciperet; quia secundùm æstimationem moralem, ipse censeretur percipere; idque multò magis quàm parentes mortui censentur in filijs viuere, & esse beati.

Ad Confirm. Etsi prudenti iudicio nemo possit appetere non esse, vt alicuius boni positiui compos fiat; tamen absolutè potest. Nam si damnati appetant non esse quod sunt, vt careant miseria; cur non possit quis appetere non esse quod est, vt vertatur in naturam præstantiorem? *Potest quis appetere amittere suum esse, vt assequatur melius esse.*

Nec obstat quod D. Thom. 1. p. q. 63. ar. 3. ait, Angelum non potuisse appetere similitudinem Dei per æqualitatem; quia loquitur de appetitu efficaci. Vnde non sequitur, quin potuerit illam appetere appetitu inefficaci.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm homo eligat ex necessitate, an liberè.

Conclusio est, hominem eligere non ex necessitate, sed liberè. Ratio est, tum quia in potestate est eligere & non eligere; tùm quia in potestate eius est eligere hoc vel illud. 13

Vbi notandum Primò, D. Tho. priore modo significare electionem esse liberã secundùm exercitium, posteriore modo secundùm speciem.

Notandum

Notandum Secundò, Radicem libertatis consistere in amplitudine intellectûs, vt hîc rectè explicat D. Thomas.

DVBIVM I.

Vtrùm quando est vnicum solum medium ad finem idoneum, electio sit libera, an necessaria?

14 REspondeo, Electionem talis medij esse necessariam ex suppositione; absolutè tamen & simpliciter liberam.

Est necessaria ex suppositione.

Prior pars probatur, quia suppositâ efficaci intentione finis, si in ea intentione persistas, non est in potestate tuâ vt illud medium non eligas. Ratio est, quia intentio efficax mouet ad executionem. Executio autem nihil est aliud; quàm vsus medij, qui vsus supponit electionem. Itaquè cùm vnum tantum sit medium, necesse est illius electionem interuenire: idque confirmatur experientiâ: qui enim efficaciter vult consequi sanitatem, & certò nouit non esse nisi vnum pharmacum ad hoc idoneum, necesse est velit illud pharmacum. Quòd si nolit, non persistit in priori intentione. Sic qui vult fieri Christianus, necesse est velit Baptismum; qui vult placere Deo, necesse est velit seruare mandata, iuxta illud Ioan. 14. *Si quis diligit me, mandata mea seruabit.*

Aduerte tamen, hanc electionem medij non esse necessariam, nisi pro eo tempore vel momento quo intentio incipit esse efficax. Incipit autem intentio esse efficax, quando ex vi ipsius homo se incipit applicare ad executionem. Nam intendere efficaciter, est ita velle finem, vt ex vi illius affectûs mouearis ad executionem: vnde non est necesse vt electio fiat priùs tempore, quàm homo se applicet ad executionem.

Absolutè tamen est libera.

Altera pars probatur, quia omni momento est in potestate voluntatis non eligere: nam omni momento potes facere, vt intentio non sit efficax, id est, vt non moueat ad executionem: potes enim vel intentionem mutare, vel differre executionem.

15 Hinc sequitur, hanc necessitatem non obstare, quin in electione talis medij sit nouum meritum;

In electione est nouũ meritum, vel demeritum.

Primò, Quia nulla est necessitas eligendi nisi in primo instanti executionis: nam ante illud instans potest voluntas suspendere electionem, vnde ante illud instans est omninò libera: atqui hoc modo passim ab omnibus fit electio: non enim expectant vsque ad instans executionis vt eligant, sed anteà eligunt cum magna libertate & indifferentia.

Secundò, Quia etiam in illo primo instanti, quo debet inchoari executio, tantùm est necessitas ex suppositione, quæ non impedit quò minùs actus sit absolutè liber, modò illa suppositio sit in potestate voluntatis, vt ostensum est 1. parte quæst. 19. Et ratio est, quia omni momento est in potestate voluntatis, talem actum non elicere tollendo suppositionem. Quod si suppositio non esset vllo modo in potestate voluntatis, & actus ex ea sequeretur necessariò, iam ille actus esset absolutè necessarius, & non liber; vt ibidem ostensum est.

Dices, Positâ intentione efficaci, voluntas in primo instanti executionis est determinata ad electionem: ergo electio tunc non est libera in seipsâ, sed solùm in suâ causâ, scilicet in volitione vnde procedit, & consequenter non erit nouum meritum aut demeritum in electione, sicut neque est in opere externo.

Responderi potest Primò Negando primam consequentiam. Actio enim in se dicitur libera per denominationem extrinsecam, quatenus elicitur à potêtia intrinsecè libera & indeterminata. Quod potest fieri dupliciter, Primò, Immediatè, sic intentio est libera: Nam immediatè comparatur ad voluntatem indeterminatam. Secundò, mediatè, sic electio est libera. Neque est simile de opere externo, quia hoc elicitur à potentia omninò determinata, v. g. à potentia intellectiua, sensitiua vel motiua, quæ non sunt intrinsecè liberæ. Cuius signum est, quòd voluntas & opus externum censeantur vnus actus moralis, habens vnam eamdemque malitiam, vel bonitatem moralem; opus enim externum est solùm complementum & terminus voluntatis internæ. Intentio autem & electio censentur distincta opera moralia, habentia diuersam bonitatem, vel diuersam malitiam; quia diuersa obiecta diuersum ordinem ad rationis dictamen habentia: vnde aliter intentio est rationi conformis, aliter electio.

Electio potiùs dicitur, est ne libera quàm opus externum.

Respondeo Secundò, Admissâ priore consequentia, nego secundam. Quia etiamsi illo momento electio in se libera non sit; tamen est in ea nouum meritum: eò quòd ad hoc sufficiat, vt absolutè loquendo libera sit, siue in se, siue in sua causa; & nouam honestatem formalem habeat. Quando enim duo actus necessariò sunt connexi, diuersam honestatem formalem habentes, vterque simul reddit hominem meliorem, magisque laudabilem, quàm alter solus: sicut patet à simili in actibus intellectus. Cognitio enim principij & cognitio conclusionis magis illuminant intellectum veritate, quàm cognitio sola principij. Eodem modo intentio finis honesti, & electio medij simul iunctæ, affectum reddunt magis rectum & conformem legi æternæ, & rationis dictamini, quàm intentio sola. Secus est de actu externo, qui non elicitur à voluntate, quia hic non habet propriam bonitatem formalem, qua voluntas ipsa conformetur rectæ rationi, & melior in se fiat: sed tantùm obiectiuam, in quam voluntas vt in obiectum tendat; quæ in executione est bonitas materialis actus virtutis.

DVBIVM II.

Vtrùm si plura sint media ad finem idonea, necessarium sit, positâ efficaci intentione finis, eligere id quod est ad finem vtilius?

16 OMissis sententijs Respondeo & Dico Primò, Illud medium necessariò eligi, quod præ ceteris iudicatur esse vtilius ad obtinendum finem; eo modo quo intendis obtinere. Exempli gratia: Si intendas consequi sanitatem citissimè, vel perfectissimè, vel commodissimè, necesse est eligere illud medium, quod præ cæteris ad hoc iudicatur esse vtilius. Ratio est, quia tunc est vnicum medium ad finem intentum. Sicut enim quando finis nullo modo potest haberi, nisi per certum medium, necesse est illud medium eligere;

Quid dicendum, si finis intenditur sub certo modo?

ita

ita quando non potest eo modo obtineri quo intendis, nisi per certum medium, necesse est illud eligere: nam tunc cetera non censentur vtilia. Itaque qui efficaciter vult non solũ saluus fieri, sed securissimè saluus fieri, necesse est fugiat mũdum, & eligat Christi consilia. Qui vult citissimè fieri Theologus, necesse est eligat viam methodicam & compendiariam.

Hinc sequitur, si duo sint media æquè vtilia ad finem intentum consequendum, ex vi intentionis non posse alterum alteri præferri; sed necessarium est vt id fiat ob aliam causam, vel certè pro nudo arbitrio voluntatis.

Quid, si finis non intenditur sub certo aliquo modo.

Dico Secundò, Quando sunt plura media ad finem vtilia, & finis non intenditur sub certo aliquo modo, non est necessarium eligere id, quod est vtilissimum, sed potest eligi minùs vtile. Probatur, quia nullum ex his est determinatè necessarium ad finem, cùm per quoduis ex illis possit obtineri. Confirmatur experientiâ in electione statuum: Etsi enim status consiliorum sit ad salutem vtilissimum medium, non tamen omnes illum statum eligunt; quia sufficit illis, si aliquo modo possint salui fieri.

17 *Soluitur obiectio.*

Contrà Objicitur Primò, Electio est appetitio præconsultati, teste Arist. 3. Ethic. c. 3. & 4. id est, eius quod per consultationem antè iudicatum est, vt ipse explicat. Atqui fieri nequit vt iudicium consultationis, quod est consultationis conclusio, sit de medio minùs vtili, nisi fortè per errorem intellectûs, quem hîc excludimus: ergo fieri nequit vt medium minùs vtile eligatur, relictis vtilioribus.

Secundò, In electione necesse est vnum præferri alteri in ordine ad finem: Nam electio est de duobus vel pluribus acceptatio vnius prę alijs, vt Aristot. docet lib. 3. Ethic. c. 3. ex ipso nomine Græco, προαίρετὸν enim dicitur ἐς πρὸ τῶν ἄλλων αἱρετὸν, id est, quod præ cæteris est eligendum.

Respondeo, Dupliciter fieri posse electionem inter plura media.

Primò, Vt in acceptatione mediorum solùm habeatur ratio vtilitatis ad finem; & sic fieri nequit vt quis eligat medium minùs vtile, relicto vtiliori. Ratio est, quia medium minùs vtile, etiamsi per se consideratum sit vtile ad finem, tamen comparatum cum medio vtiliore non est vtile, sed inutile; ac proinde fieri nequit vt præ altero acceptetur: nam inutile censetur malum: malum autem per se non potest appeti. Atqui hic modus propriè significatur nomine electionis apud Aristotelem. Vnde concedendum est, si nomen electionis strictè accipiatur (scilicet pro appetitione vnius medij præ altero, habitâ solius vtilitatis ad finem consideratione) fieri non posse vt eligatur medium minùs vtile, relicto vtiliore. Sed passim non ita strictè hoc nomen accipitur; neque in electionibus faciendis hæc sola vtilitas ab hominibus spectari solet.

Quo modo necesse sit vt electio sit medij vtilioris, & quo modo non.

Secundo igitur modo fieri potest electio inter plura media, ita vt præter vtilitatē ad finem primarium, spectetur etiam vtilitas alios quosdam fines, & sic eligatur medium minùs vtile ad finem præcipuum, relicto vtiliore ad eumdem finem. Sic æger eligit medicamentum suaue, etsi minùs efficax præ amaro efficaciore; quia non solùm intendit sanitatem, sed etiam voluptatem. Sic multi eligunt statum matrimonij, relictis consilijs, quia non solùm intendunt salutem, sed etiam commoda & voluptates huius vitæ, quas putant esse in matrimonio.

Vnde error in electione.

Hinc omnis error in electione status; cùm enim in hac electione quisque hoc tantùm spectare deberet, qui status consideratis omnibus circumstantijs, futurus ipsi videatur vtilissimus ad suam salutem, & ad Dei gloriam; multa alia spectat tamquam fines quosdam saltem secundarios, quæ ad hanc tantùm vitam pertinent, vt commoditates, honores, & similia; sicque fit vt medium salutis periculosum & minùs vtile præferat securo & vtilissimo.

QVÆSTIO XIV.

De Consilio.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Consilium sit inquisitio?

1

COnclusio est. *Consilium* est inquisitio seu quæstio quædam. Patet ex Arist. 3. Ethic. cap. 3. vbi dicit, omnem consultationem esse inquisitionem, non contrà. Idem docet Nemesius lib. de Homine, c. 34. & Damasc. lib. 2. de Fide cap. 22.

Consilium seu Consultatio, quid.

Nota Primò, *Consilium* seu *Consultationem*, quæ & *Deliberatio* dicitur, propriè esse inquisitionem mediorum ad finem vtilium. Vnde continet varios actus intellectus, nempe considerationem causarum, effectuum, & circumstantiarũ, quæ ad rectè iudicandum sunt necessariæ. Ex hac inquisitione sequitur *Iudicium*, quod est effectus consilij, & versatur circa consilij conclusionem. Vtrum autem debeat iudicium censeri pars consilij, vt vult Caiet. hoc loco, an effectus, parum refert. D. Thomas hoc loco dicit, iudicium esse post consilium, vnde videtur sentire non esse partem, sed effectum; idque magis est consentaneum communi modo concipiendi, & Aristot. 6. Ethic. cap. 9. & 11. vbi distinguit εὐβουλίαν & γνώμην, id est, bonam consultationem, & iudicium æqui & boni. Ratio est; quia consilium est inquisitio. Atqui inquisitio cessat accedente iudicio: ergo iudicium non est pars consilij. Deinde sæpè habetur consilium sine conclusione: ergo conclusio non est pars.

Iudicium, quid.

Aduerte tamen, nomine consilij sæpè intelligi iudicium; nam effectus appellantur nominibus causarum: vt cum dicimus, hoc est meum consilium.

2 *Consilium nõ cõuenit Deo stricte*

Nota Secundò, Consilium propriè non conuenire Deo, quia Deus non inquirit quid agendum, sed quidquid in quouis negotio per totam æternitatem

nitatem expedit facere, id ei ab æterno cum omnibus circumstantijs est præsens. Secùs de Angelis: non enim statim illis est præsens quid in omni negotio circa hominum gubernationem agendum; nam sæpè plurima sunt consideranda tùm præsentia, tùm futura, quæ Angelo non statim sunt obuia. Itaque & per se inquirunt, & Deum in dubijs consulunt, vt ex Scripturis colligitur. Si tamen consilium accipiatur pro iudicio de rebus agendis, quod iudicium in nobis est terminus consilij, sic tribuitur Deo in Script. ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.*

Conuenit Angelis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Consilium sit de his, quæ sunt ad finem?

3 *Consilium est de medijs, non de fine.*

Conclusio est. Consilium tantùm est de medijs, non autem de fine. Ita expresè Arist. 3. Ethic. c. 3. Nemesius & Damasc. suprà. Ratio est; quia in omni deliberatione rerum agendarum, debet supponi aliquis finis, vnde tota deliberatio tamquam ex principio dependeat. Sicut in omni inquisitione veritatis speculatiuæ, necesse est supponi aliqua principia speculatiua, ex quibus inquisitio dicatur.

Dices, Interdum consultant homines, quidnam loco finis sit habendum, vtrùm bona huius vitæ an futuræ; vtrùm Deus Christianorum, an dij Gentium, vt patet 3. Regum 18. ergo etiam de fine est consultatio.

Potest esse consultatio de fine materiali.

Respondeo, Posse esse consultationem de fine materialiter considerato, id est, de rebus illis, in quibus ratio beatitudinis, vel boni humani sit constituenda. Sed in hac consultatione, beatitudo in communi supponitur tamquam finis, vnde ducatur consultatio; res autem illæ in quibus quæritur beatitudo, habent se per modum mediorum; quia de illis fit inquisitio propter rationem formalem beatitudinis, sicut dictum est de electione. Nam eodem modo de his rebus est consultatio, quo electio, & contra.

ARTICVLVS III.

Vtrùm consilium sit solum de ijs, quæ à nobis aguntur?

4 *Affirmatur.*

Concl. Consilium est solùm de ijs quæ à nobis agenda sunt, vel ab ijs, quorum actiones quodammodo sunt in nostra potestate. Ita Aristot. Nemes. & Damasc. suprà. Consultamus enim de ijs quæ per seruos nostros sunt agenda, quibus possumus imperare: & de ijs quæ per amicos, quos possumus rogando inducere. Nemo autem consultat de ijs quæ nullo modo sunt in eius potestate, vt sic vel aliter fiant: vt de rebus necessarijs vel ipsi impossibilibus, quia frustrà esset talis consultatio.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm consilium sit de omnibus quæ à nobis aguntur?

Conclusio est. Consilium non est de omnibus: sed solùm de dubijs alicuius momenti. Probatur; quia nemo consultat de ijs, ad quæ naturâ vel arte est determinatus, vt ait Aristot. suprà, v. g. Scriptor non consultat quomodo singulas formet litteras; similiter nemo de rebus minimis, vbi nihil refert, sic vel sic fiant. 5 *Consilium est solum de Dubijs.*

Notandum circa *Resp. ad Primum* non semper opus esse propriè dicta consultatione ad electionem; vt quàdo statim & per se est euidens, quodnam ex medijs præstet cæteris in ordine ad finem, nam consultatio solùm est de dubijs. *Electio sit subindè sine consultatione.*

Dices, Quomodo ergo Aristot. 3. Ethic. cap. 3. ait *idem esse consultabile & eligibile.* Item *electionem esse appetitum præconsultati.*

Respondeo, Quia vix vmquàm fit propriè dicta electio, absque consultatione præuia, quę vel tunc fiat, vel olim facta sit; etsi enim Scriptor nunc non deliberet de singulis litteris, olim tamen de singulis deliberatum est. Ratio est; Quia rarò fit vt propositis pluribus medijs, quæ anteà non expendimus, statim primo obiectu nobis sit perspicuum, quodnam ex illis præstet in ordine ad finẽ. Itaque ferè semper opus est aliqua inquisitione, quamuis breui. In Angelis verò sæpissimè fit electio sine consultatione. In Christo Domino numquam opus erat consultatione, quia statim omnia illi erant præsentia. Semper tamen ad electionem requiritur iudicium, quod in nobis est consilij terminus. *Angeli sæpè non consultant. Christus nunquamq*

ARTICVLVS V.

Vtrùm consilium procedat ordine resolutorio?

6

Concl. Processus consilij fit secundùm ordinem resolutorium. Notandum est, Resolutionem & compositionem propriè tantùm habere locum in toto & partibus, siue essentialibus, vt sunt materia & forma; siue integrantibus, vt sunt partes mundi, corporis humani, &c. nam propriè ex solis partibus est cõpositio, & in eas solas fit resolutio. Ordo tamen seu modus quidam resolutionis & compositionis, etiam in alijs seruari potest, quæ etsi non se habeant vt totum & partes, tamen cum his habent quamdam analogiam, vt videmus in fine & medijs. Nam etsi finis non componatur ex medijs tamquam partibus, vel causis intrinsecis; tamen vt existat vel comparetur, necessaria sunt media tamquam causæ naturâ priores, per quas obtineatur: sicut vt existat totum, necessariæ sunt partes quibus constet. Itaque in consultatione seruatur ordo resolutorius; quia primò consideratur finis, quem volumus obtinere, tamquam totum quoddam completum. Deinde consideramus media, tamquam causas ad finis consecutionem necessarias; vnde finis resoluitur in media, tamquam suas causas. *In consultatione seruatur ordo resolutorius.*

Dices,

7 Dices, Procedere à causis ad effectus, est ordo compositionis, vt inquit hic D. Thomas in *Corp.* atqui processus à fine ad media est processus à causa ad effectus : ergo est ordo compositionis, non resolutionis.

Processus à causis, quæ suis effectis sunt priores exiſtentiâ, est cõpositionis.

Respondeo, omissa solutione Caietani, D. Thomam esse intelligendum de processu ab illis causis quæ suis effectis sunt priores, non solùm intentione, sicut finis : sed etiam exiſtentiâ ; vt materia, forma ; causa efficiens, tam instrumentalis quàm principalis. Processus ab his causis ad effectus est compositionis. Vnde processus executionis est processus compositionis, quia in eo proceditur à causis exiſtentiâ prioribus ad effectum : verum processus ab effectis ad has causas, est resolutorius; quia est in ea, quæ necessariò requiruntur tamquam priora ad exiſtentiam effectus. Quare cùm processus à fine ad media, sit processus ab effectu ad causas efficientes, est processus resolutorius.

Nec obstat quod finis vicissim sit causa mediorum; quia non est sic causa, vt eius exiſtentia realis supponatur ad exiſtentiam mediorum: sed potiùs vt sit posterior. Vnde fit, vt medium non censeatur resolui in causam finalem. Adde in consultatione non quæri media tamquã effectus finis, sed tamquã causas, per quas finis producatur vel obtineatur.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm consilium procedat in infinitum?

COncl. Omnis consultatio est finita & ex parte principij, & ex parte termini. Probatur, quia in omni consultatione supponitur intentio alicuius finis, de quo nulla sit consultatio vel cõtrouersia. Ex hoc fine tamquam principio deducitur tota consultatio ad media certo ordine vsque ad extremũ medium, quod est in executione primum ; itaque ibi sistit consultatio. Hinc illud receptum, *Id quod est primum in executione, est vltimum in intentione, & quod est primum in intentione, est vltimum in executione.* Vide D. Tho. 8 *Omnis consultatio est finita.*

QVÆSTIO XV.

De Consensu.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Consensus sit apprehensiuæ virtutis, an appetitiuæ?

1 COnclusio est, Esse actum facultatis appetentis. Probatur; Quia consensus dicit applicationẽ facultatis appetentis ad rem quæ cognitione proponitur.

Consensus variè accipitur.

Notandum, Nomen *consensus* variè vsurpari.

Primò, Pro concordia iudiciorum, siue in speculatiuis, siue in practicis; sic dicimus Theologis consentire.

Secundò, Pro concordia voluntatum; sic dicuntur consentire, qui idem volunt, & idem nolunt.

Tertiò, Accipitur pro actu voluntatis conformantis se iudicio intellectûs. Dum enim voluntas acceptat quod intellectus iudicat esse bonum vel vtile, idem quodammodo sentit quod intellectus, ac proinde illi consentit. Sentire enim voluntatis, est velle & nolle.

ARTICVLVS II.

Vtrùm consensus conueniat Brutis?

2 *Negatur.* COnclusio est Negatiua. Ratio est, Quia consentire est applicare motum appetitus ad id quod cognitione proponitur. Atqui bruta non habent in sua potestate suos motus, vt possint eos applicare, vel non applicare. Nam propositis obiectis, ex instinctu naturali ad ea determinantur; ac proinde non tam à brutis applicantur ad obiecta, quàm ab Auctore naturæ, qui naturales instinctus inseruit. Vide suprà quæst. 1. art. 2.

ARTICVLVS III.

Vtrùm consensus sit de fine, an de ijs quæ ad finem?

COnclusio est, Cõsensum propriè esse de mediis, non de fine. 3 *Consensus est propriè de mediis, nõ de fine.*

Prior pars patet, Quia consensus est de ijs, quæ per consilium definiuntur; sed definitio consilij est de mediis : ergo & consensus.

Altera pars probatur ; quia appetitus tendit in vltimum finem naturaliter ; atqui consensus est applicatio libera motûs appetitûs.

Notandum Primò; Hanc rationem solùm probare de fine vltimo in genere, scilicet nos non propriè consentire in vltimum finem in genere, seu abstractè consideratum, quia in hunc tantùm naturaliter inclinamur : nam si consideretur vt est in certa materia, non inclinamur naturaliter seu absque consilio. Eadem tamen ratio potest extendi ad omnia alia bona, in quæ naturaliter absque vllo consilio inclinamur. Horum enim omnium appetitio non est libera, sed necessaria quoad speciem actus.

Consensus etiam est in finem. non tantùm in media.

Notandum Secundò, Etsi proprijssimè dicamur consentire in media, tamen hoc nomen non restringitur ad media ; sed omnis actus voluntatis acceptantis obiectum intellectu propositum, vocatur consensus, & recusantis dissensus. Sic dicimur consentire diuinæ inspirationi, tentationibus,

nibus, passionibus, in delectationem, in opus; quo modo passim vtuntur Theologi & Philosophi. Vnde non videtur differre ab electione, tamquam quiddam communius. Electio enim propriè est volitio efficax vnius medij ex multis, cum quadam prælatione respectu alterius. Consensus autem non necessariò est volitio efficax: neque requirit comparationem plurium mediorum inter se, sed est simplex acceptatio medij, vel etiam finis.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm consensus in actum pertineat ad partẽ animæ superiorẽ.

COnclusio est affirmans. Ratio est, quia nemo consentit in aliquod opus, quin consideret vel considerare possit & debeat, sitne consentaneum rationibus æternis, id est legi naturali, seu dictamini rectæ rationis. De hoc infrà qu. 74.

QVÆSTIO XVI.

De Vsu.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Vti sit actus voluntatis?

Vsus, quid.

CONclusio est. Vti est proprius actus voluntatis.

Probatur; Quia vti re aliqua est eam applicare ad suam functionem: Atqui voluntatis est applicare vires animæ, corporis membra, & res exteriores, quæ sunt in nostrâ potestate, ad suas functiones vel quasi functiones: ergo vti est actus voluntatis.

Dices, Ipsæ functiones aliarum virium & rerum, sunt vsus earum: ergo vti non est actus voluntatis. Antecedens patet. Vsus enim oculi est videre, vsus auris est audire, manus apprehendere; mallei tundere, & sic de cæteris.

Vsus actiuus & passiuus.

Respondeo, Esse duplicem vsum; actiuum & passiuum (qui & formalis dicitur) & vtrumque esse actum voluntatis, sed non eodem modo. Nam vsus actiuus est actus voluntatis elicitus, per quem applicamus alias animæ vires ad suas functiones: applicamus enim illas volendo illarum operationes, vt suprà ostensum est. Sic velle videre, est vsus actiuus oculi; velle audire, est vsus auditus; velle currere, est vsus potentiæ motiuæ; velle equitare, est vsus equi. Vsus passiuus est operatio vel quasi operatio rei quâ vtimur, quatenus illa operatio est dependens à voluntatis applicatione: vnde hic vsus est etiam actus voluntatis, non quidem elicitus, sed imperatus: quia non habet rationem vsus, nisi vt à voluntate dependet, tamquam effectus & motio quædam rei, quâ voluntas dicitur vti. Vnde etiam vocatur vsus passiuus; rectiùs tamen diceretur vsus formalis, nam est id quo formaliter voluntas dicitur vtens aliquâ potentiâ; vt patet ex communi modo loquendi. Et hoc modo res omnis dicitur esse propter suũ vsum, id est propter suã operationem.

Operatio rei, quatenus pendet à voluntate applicãte, est vsus formalis rei.

Dices, Ista operatio non existit in voluntate, sed in potentia, vel re illa qua voluntas vtitur: ergo voluntas non dicitur per eam formaliter vtens; forma enim debet inesse subiecto quod denominat.

Respondeo Negando Consequentiã. Quia vsus se habet respectu vtentis per modũ actionis transeuntis, sicut calefactio respectu ignis. Vnde non debet esse in vtente, sed in re qua vtimur. Sicut calefactio non est in igne, sed in aqua quæ calefit.

Indicat hoc D. Thomas, cùm ait, *Vsum esse voluntatis, tamquam primi mouentis; aliarum potentiarum tamquam exequentium.*

Ad vsum quatuor concurrũt.

Vt autem hæc meliùs concipiantur, Notandum est, vt minimùm quatuor concurrere ad omnem vsum propriè dictum. Primum est, Potentia voluntatis. Secundum est, Volitio; v. g. volitio videndi. Tertium, Potentia; verbi gratiâ visiua. Quartum, Visio.

Voluntas est illa vis quæ propriè dicitur vtens: Primò, Seipsâ. Secundò, Alijs potentijs. Tertiò, Membris. Quartò, Rebus externis.

Volitio videndi est vsus actiuus. Est enim actus ille, per quẽ voluntas causat quodammodo vsum formalem rei. Vnde etiam est prior saltem naturâ quàm vsus formalis, tamquâ causa effectiua illius.

Potentia visiua est res qua voluntas vtitur.

Visio est vsus formalis: Non respectu potentiæ visiuæ (non enim potentia visiua propriè dicitur vtens, cùm se habeat per modum instrumenti) sed respectu voluntatis; quatenus visio pendet à voluntate. Vnde patet, vsum formalem cuiusque rei dicere operationem illius rei cum actuali dependentia à voluntate, tamquam à causa applicante.

ARTICVLVS II.

Vtrùm vti conueniat brutis?

CONclusio est negans.

Probatur Primò, Quia vti est applicare aliquod principium actionis ad suam functionem: atqui bruta propriè non applicant suas vires ad functiones: sed naturali instinctu applicantur apprehenso obiecto.

Brutis non conuenit vti.

Secundò, Quia non cognoscunt ordinem virium & membrorum ad suas functiones; quod tamen ad vsum requiritur.

Tertiò, ex D. Augustino, lib. 83. quæst. q. 30. *Frui cibo, & qualibet corporali voluptate, nõ adeò absurdè existimantur & bestiæ. Vti autem aliqua re nõ potest, nisi animal rationis particeps. Scire namq; quò quidquid referendum est, non est datum rationis expertibus; nec vti potest quisquam eâ re, quæ quò referenda sit, nescit.*

ARTI-

ARTICVLVS III.

Vtrùm vsus possit esse vltimi finis.

3 *Negatur.*

COnclusio est. Non vtimur vltimo fine, sed ijs tantùm quæ ad finem sunt vtilia. Notandum, nomen vsus variè accipi.

Vsus Tripliciter accipitur, Primò, Generatim.

Primò, Generatim pro omni actu, quo voluntas versatur circa aliquod obiectum, ob aliquem finem: quomodo accipitur à D. August. l. 10. de Trinit. c. 11. cùm ait: *Vti, est assumere aliquid in facultatem voluntatis. Frui autem, est vti cum gaudio, non adhuc spei, sed rei. Proinde omnis qui fruitur, vtitur; Assumit enim aliquid in potestatem voluntatis cum fine electionis: non omnis autem qui vtitur, fruitur.* Iuxta hunc modum vtimur etiam vltimo fine, & ipso Deo; quia voluntas per intellectum assumit Deum in sua potestate, ita vt ex ipso voluptatem capere possit.

Secundò, Specialiùs.

Secundò, Specialiùs pro omni actu voluntatis, quo aliquid volumus propter aliud, quo fruendum est. Sic accipitur ab eodem Augustino eodem lib. 10. c. 10. cùm ait: *Fruimur cognitis, in quibus voluntas ipsis propter seipsa delectata conquiescit. Vtimur verò eis, quæ ad illud referimus quo fruendum est. Nec est alia vita hominum vitiosa atque culpabilis, quàm malè vtens & malè fruens.* Similia habet lib. 83. quæst. q. 30. *Frui dicimur eâ re, de quâ capimus voluptatem. Vtimur eâ, quam referimus ad id vnde voluptas capienda est.* Iuxta hunc modum vsus non est vltimi finis. Nam contra rationem vltimi finis est, vt ad aliud quo fruamur, referatur. Sic enim non haberet rationem finis, sed medij.

Dices, D. Thomas in *Corp.* ait, posse nos vti re illa, quæ est vltimus finis, quatenus referimus illam ad possessionem; ex possessione autem voluptas capienda est: ergo ita possumus vti vltimo fine, vt referamus illum ad id vnde voluptas capienda est.

Respondeo, D. Thomas generaliùs accipit verbum vtendi, scilicet iuxta primam acceptionem. Nam referre Deum ad possessionem, non est illum quærere vel diligere propter aliud, sicut bonum vtile quæritur propter finem; sed est illum quærere & diligere propter seipsum. Possessio enim Dei includit ipsum Deum, tamquam bonum principale, propter quod possessio appetitur. Qui ergo quærit Deum, vt Deum possideat, quærit Deum propter intrinsecam ipsius excellentiam possidendâ. Dicitur tamen hic vti Deo generali modo, quia voluntas assumit illum mediante intellectu in suam potestatem ad aliquē finē, qui tamen finis non est res distincta à Deo. Vnde vtitur Deo propter ipsum Deum. Simile accidit, quando quis meditatur de Deo, vt ipsum amet, vt de ipso gaudeat; vtitur enim tunc Deo tamquam obiecto meditationis, vt circa ipsum versetur per alium actum, ac proinde propter ipsum Deum; vt rectè Durandus in 1. d. 1. q. 4. Hoc tamen non est propriè vti, quia vsus propriè dictus requirit, vt res illa quâ vtimur, referatur ad alium finem tamquam medium ad illum; vt patet ex verbis D. Augustini.

Nec obstat, quòd Deus possit amari eo fine, vt beneficia conferat; quia hic amor saltem interpretativè & ex natura sua in Deum tendit; & sic Deus non refertur ad aliud, sed implicitè ad seipsum.

Tertiò, Strictè.

Tertiò, Accipitur vsus omninò strictè; sicut art. 1. explicatum est; quomodo non possumus etiam vti fine vltimo, quia non est in potestate nostra applicare Deum ad operationem, nisi fortè rogando; qui modus etsi sufficiat vt dicamur vti amicis & eorum operâ; non tamen vt vtamur Deo; quia nullum ius in Deum habemus, sicut in amicos. Christi tamen humanitas rectè dicitur vti virtute diuinâ; quia in potestate eius erat eam applicare ad quæuis miracula facienda.

Christi humanitas rectè dicitur Vti virtute diuina.

DVBIVM.

Quomodo intelligendum sit illud D. Augustini lib. 10. De Trinitate cap. 10. Nulla vita hominum est vitiosa, nisi malè vtens & malè fruens.

REspondeo, Vita malè vtens apud Augustinum est, quæ applicat animæ potentiam, vel rem externam ad fruitionem vel ad finem, ad quem non debet secundùm rectā rationem. Quod fit in omni peccato commissionis; quia in omni tali peccato abutitur homo aliquâ animę suæ potentiâ, saltem ipsâ voluntate & intellectu, & plerumque re aliquâ externâ. In peccato omissionis est malus vsus secundùm æstimationem moralem, vel certè priuatiuè; quia bonus vsus qui deberet adesse, hìc adest.

4 *Vita malè vtens & malè fruēs*

Vita malè fruens est quæ aliquo bono malè delectatur. Similia habet lib. 83. quæst. q. 30. *Omnis*, inquit, *humana peruersio* (non vt Medina citat, summa peruersio) *quod etiam vitium vocatur, fruendis vti velle, atque vtendis frui. Omnis ordinatio, quæ virtus etiam nominatur, fruendis frui, & vtendis vti.* Sensus est, omne peccatum in eo consistit, quòd bona temporalia seu creata, quibus vtendum esset ad comparanda æterna, amemus propter seipsa; & æterna quibus fruendum esset, non amemus, nisi propter temporalia. Rursus, omnis actus virtutis consistit in eo, quòd temporalia amentur propter æterna (intellige saltem implicitè seu interpretatiuè) & æterna propter seipsa.

5 *Quomodo omnibus rebus possimus vti, etiam peccatis.*

Notandum, ex Durando in 1. d. 1. q. 4. Nos omnibus rebus tam malis, quàm bonis posse vti, præterquam vltimo fine. Bonis quidem, vel tamquam potentijs, vt viribus animæ; vel tamquam habitibus; vel tamquam instrumentis vnitis, vt membris; vel tamquam instrumentis separatis, vt instrumentis artium; vel tamquam materiâ, vt cibo & potu; vel tamquam tegumento, vt domo & veste, vel denique tamquam obiecto; quia possumus rebus omnibus creatis vti tamquam obiectis, vt ex illis assurgamus in cognitionem & laudem Dei: sunt enim animæ nostræ, veluti scala quædam, per quam ad Deum cogitatione & amore ascendat.

Mala verò sunt vel pœnæ vel culpæ. Malis pœnæ vtimur ad satisfactionem & medicinam vitiorum. Peccatis autem vtimur, tamquam obiectis ad excitandam contritionem & humilitatem.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm vsus præcedat electionem?

6 *Respondetur sub distinctione.*

CONclusio Prima, Si electio & vsus comparentur ad idem; electio est prior vsu: electio enim pharmaci, est prior vsu pharmaci; electio instrumenti, est prior vsu instrumenti.

Conclusio Secunda, Si cõparentur ad diuersa, vsus potest antecedere electionem: nam vsus, quo voluntas vtitur intellectu ad consultandum, est prior electione, quæ sequitur consultationem.

Prior Conclusio probatur à D. Tho. satis obscurè. Potest sic explicari. Voluntas priùs respicit aliquid tamquam obiectum volitum, quàm respiciat illud tamquam effectum suum executioni mandandum: sed per electionem respicit medium tamquam obiectum volitum; per vsum verò tamquam effectum suum mandandum executioni ad finem consequendum: ergo electio est prior vsu. Idē clariùs sic probari potest. De ratione electionis nō est vt simul tempore & naturâ coniunctam habeat executionē (eligimus enim id quod posteà exequendum est:) atqui de ratione vsus est, vt simul tempore & naturâ sit coniunctus executioni: ergo electio præcedit vsum. Minor probatur; quia vsus formalis seu passiuus est ipsa executio seu operatio potentiæ exequentis; vsus autē actiuus est quidem ipsa volitio ordine naturæ prior executione; sed hæc volitio non habet rationem vsus actiui, nisi quatenus iam actu mouet potentiam exequentem; & ita vsus actiuus includit executionem in obliquo; est enim volitio mouens actu potentiam exequentem ad operandum.

Idem numero actus potest esse electio & vsus actiuus.

Dices, Hinc sequi, eundem numero actum posse esse vsum actiuum, & electionem.

Respondeo, Id verum esse. Tamen actus ille aliâ ratione est electio, aliâ vsus. Est electio, quatenus est volitio medij, tamquam obiecti. Est vsus actiuus, quatenus est causa mouens ad executionem, coniuncta executioni. Sunt igitur diuersæ rationes horum actuum, etiamsi in eumdē numero actum possint conuenire.

DVBIVM.

Quando electio sit actus distinctus ab vsu actiuo, & quando non?

RESpondeo, Quando aliquis ita eligit aliquod medium, vt ex vi illius electionis non sequatur immediatè executio, sed opus sit alia voluntate ad executionem; tunc electio est actus omnino distinctus ab vsu actiuo. Vt cùm proponimus aliquid facere, v. g. studere, sumere medicamentum; sed non statuimus simul de tempore, loco, modo, materiâ & similibus circumstantijs ad executionem necessarijs; quo pacto passim fit electio mediorum. Et ita verum est quod ait D. Thomas ad 1. *Vsum esse medium inter electionem & executionem*, quia est actus medius distinctus ab extremis. 7 *Respondetur sub distinctione.*

Quando verò ita quis eligit, vt ex vi illius electionis absque alia volitione interueniente sequatur executio, tunc illa electio eodem momento quo sequitur executio, fit vsus actiuus. Vt cùm aliquid eligimus hic & nunc cum cæteris circumstantijs, v. g. hanc medicinam hoc tempore & loco sumendam: & hoc modo vsus non est actus medius inter electionem & executionem, tamquam realiter distinctus ab electione; sed idem actus secundùm rem est electio & vsus actiuus; & solum secundùm rationem, scilicet quatenus habet rationem vsus, est medius.

Explicatur D. Thomas, quomodo in omni actu sint consensus, electio & vsus.

Notandum in Resp. ad 3. vbi D. Thomas ait *in quolibet actu voluntatis posse accipi consensum, electionem, & vsum*, id non sic esse intelligendū, quasi in quouis actu voluntatis hæ tres rationes explicitè concurrant; id enim falsum est; sed solùm implicitè & virtute hęc fiunt per vnum eundemque actum tripliciter consideratum, quia omnis actus voluntatis implicitè reflectitur super seipsum. Itaque qui eligit aliquid, implicitè etiam eligit ipsum eligere, quatenus præfert ipsum eligere ei, quod est non eligere. Consentit etiam in electionem, quatenus placet absolutè electio sine comparatione ad non eligere. Denique vtitur etiam sua voluntate ad electionem, quatenus per eundem actum eam ad electionem applicat. Itaque solùm est vnus actus simplex triplici modo consideratus. Possent hoc modo etiam plures rationes in eodem actu considerari; vt actus imperij, & vsus passiui.

QVÆSTIO XVII.

De Imperio.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Imperare sit actus rationis?

1 CONclusio, Imperare est essentialiter actus rationis: supponit tamen actum voluntatis, cuius virtute moueat ad exercitium actus.

DVBIVM I.

Cuius potentiæ actus sit imperium?

QVidam Doctores sentiunt, Imperium esse actum voluntatis. Nihil enim esse aliud, quàm efficacem volitionem, vt aliquid fiat. Ita Iac. Almainus tract. 3. Moral. c. 2. Ioan. Medina C. de oratione, q. 2. Occam in 3. q. 12. & alij. *Almainus, Medina, Occam.*

Contrarium docet hic D. Thomas cum suis. Verùm vtraq; sententia rectè explicata vera est.

Vnde notandū est, imperium dupliciter accipi posse; Primò, Propriè: & sic respicit alterum, scilicet

Imperium dupliciter accipitur

licet inferiorem: nemo enim propriè sibi imperat, sed alteri in quem habet ius superioris: sicut etiam nemo seipsum orat aut rogat, aut sibi ipsi aliquid suadet: hæc enim omnia respiciunt alterum. Secundò, Generalius: quomodo omnes actus qui pendẽt à ratione & voluntate, dicuntur imperati.

2 *Imperium propriè est actus intellectûs.*

Dico Primò, si imperium accipiatur propriè, vt respicit alterum, sic non est actus voluntatis, sed intellectûs.

Probatur Primò, Quia nemo dicitur imperare suo inferiori, eò quòd velit aliquid fieri. Nam inferior non tenetur illud facere, etiamsi sciat superioris voluntatem, nisi vlteriùs id illi imperetur: ergo imperium propriè non est volitio, sed aliquis alius actus; qui non potest esse alterius potentiæ, quàm intellectûs.

Secundò, sicut se habet deprecatio ad superiorem, & suasio ad parem vel quasi parem; ita imperium se habet ad inferiorem. Atqui deprecatio non est actus voluntatis, sed intellectûs; similiter suasio: ergo & imperium. Minor probatur: nam deprecatio est locutio quædam, per quam desiderium superiori explicamus; vt ostensum est l. 2. de Iustitia & Iure cap. 37. tractatu de oratione, dubio 2. Similiter suasio est locutio quædam consilium alterius alteri explicans. Atqui locutio est actus intellectus (agimus enim de locutione interiore.) Quod patet, quia locutio interior fit, vel per actum iudicij interioris sine conceptu vocum; vel per apprehensionem signorũ vocalium, quibus explicatur iudicium: vt quando mens interiùs loquitur in aliqua lingua; quod fit, quoties locutio interior dirigitur ad formandam exteriorem.

Locutio interior fit dupliciter.

Tertiò, Tunc propriè dicitur quis imperare, quando ordinat eum, cui imperat, ad aliquid agẽdum, significando suam voluntatem, & illâ significatione mouendo: vt cùm dicit inferiori, Fac hoc. Atqui talis ordinatio per talem significationem, est actus rationis: ergo imperare est actus rationis. Maior patet ex communi modo concipiendi. Minor probatur, quia sicuti formare propositionem, quâ aliquid significetur absolutè, est actus rationis; ita etiam formare rationem, quâ aliquid significetur, mouendo ad opus, est actus rationis.

3 *Quinam actus concurrant ad imperium.*

Vt autem hæc meliùs intelligantur. Notandum est, ad imperiũ posse cõcurrere plures actus. Primus est, Iudicium intellectûs, Bonum esse hoc fieri. Secundus, Voluntas vt inferior hoc faciat. Tertius, Voluntas illum obligandi. Quartus, Locutio significans hanc voluntatem. Quintus, Obligatio producta in inferiore per illam locutionẽ.

Ex his, primus, secundus, & tertius actus non sufficiunt ad rationem imperij, sed quartus sufficit, suppositis prioribus. Quintus autem est effectus imperij, quando quis seriò & iustè imperat.

Locutio per imperium fit dupliciter.

Potest autem locutio illa fieri dupliciter, vt rectè notauit D. Thomas, Primò, Absolutè; vt si quis diceret se habere voluntatem vt inferior faciat opus: & sic non est explicitum imperium; quia voluntas superioris non intimatur inferiori cum quadam motione & veluti impulsu: tamen quando tale quid dicitur intentione mouendi inferiorem, est instar imperij. Secundò, fieri potest cum quadam motione & impulsu morali: vt cùm dicitur inferiori, Fac hoc. Tunc enim non solùm significat superior suam voluntatem inferiori, sed eo modo significat, vt per illam significationem causet obligationem, & veluti impetum moralem ad opus in inferiore. Hic modus significandę voluntatis est proprius imperij, vnde nemo eo vti potest, nisi se gerat ad alterum instar superioris.

4 *Imperium est in genere signi.*

Hinc sequitur Primò, Imperium formaliter esse in genere signi. Est enim signum voluntatis superioris, gignens obligationem in inferiore; si tamen est iustum & verum imperium. Quod addo, quia interdum imperium non parit obligationem; vel quia imperans non habet potestatem; & tunc imperium est iniustum: vel quia non intendit obligare; & tunc non est imperium verum; sed solùm desiderij explicatio. Ratio cur imperium debeat esse in genere signorum, est, quia est id, quo voluntas superioris mouet voluntatem inferioris: atqui hoc fieri non potest influxu immediato; sed solùm mediante signo, quo voluntas superioris intellectui inferioris repræsentetur: ergo &c.

Sequitur Secundò, Internam locutionem in nobis non sufficere ad completam imperij rationem, sed vlteriùs requiri externam. Ratio est, quia per solam interiorem non possumus alteri nostram voluntatem significare; si tamen id possemus, sicut Angeli possunt, sufficeret.

5 *Voluntas efficax, & iudicium practicum dicuntur imperium.*

Dico Secundò, si imperium accipiatur generaliùs (quo modo vna potentia alteri dicitur imperare) etiam actus voluntatis efficax, & iudicium practicum dirigens operationes, rectè dicitur imperium.

Probatur, quia duę sunt conditiones seu officia imperantis, scilicet præscribere quid & quomodo sit agendum, & mouere alios ad agendũ. Ratione prioris officij, iudicium practicum intellectus rectè dicitur imperium, quia intellectus hoc iudicio tamquam superior præscribit quid, quomodo, quando, vbi agendum: & ostendit obligationem, si qua subsit: quò fit vt tamquam imperium superioris debeamus illud sequi. Hoc modo dicimur obedire rationi, & pars inferior superiori, iuxta Aristot. 1. Polit. c. 3. Sic idem Aristot. l. 6. Ethic. c. 10. ait, *Prudentiæ esse imperare opus faciendum:* non quòd prudentia propriè imperet homini in quo est, cùm non imponat obligationẽ: sed quia præscribit quid rectum sit, & ostendit obligationem: Ratione posterioris officij, actus voluntatis vocatur imperium; quia per hunc actum ceteræ potentiæ mouentur ad executionem. Vnde D. Thomas q. 71. a. 6. ad 2. ait voluntatis esse imperare ceteris potentijs & intellectui.

Aristotel.

D. Thomas.

DVBIVM II.

Vtrùm illud imperium rationis propriè dictum distinctum à iudicio sit necessarium ad actus elicitos vel imperatos voluntatis?

6 *Quidam existimant.*

QVidam putant ad omnem actum voluntatis liberum, illud imperium rationis, quo mens sibi dicat, Fac hoc, esse necessarium.

Probant Primò, Quia ad prudentiam, ac proinde ad rationem practicã requiruntur tres actus, iuxta Aristot. 6. Ethic. c. 9. & 10. scilicet *Consilium* quod ipse refert ad virtutem εὐβουλίαν: *Iudicium* quod ipse refert ad σύνεσιν: & *Imperium* quod ad γνώμην. Atqui hic actus imperij est præcipuus: ergo requiritur non minùs quàm iudicium.

Ex Aristot.

Secundò probant, Ex parte intellectûs debet assignari propria causa, cur voluntas eliciat actum circa obiectum: sed nulla potest huius rei esse propria causa præter hoc imperium: ergo semper requiritur hoc imperium.

Maior probatur; tum quia alioquin voluntas non moueretur nisi fortuitò, & sine ratione in obiectum; quod constat esse falsum: tum quia voluntas per se est cæca, ac proinde ex parte intellectûs debet dari peculiaris ratio ipsius motus.

Minor probatur, quia omne iudicium intellectûs est indifferens, vt voluntas moueatur vel non moueatur: ergo ex parte iudicij non potest assignari propria ratio, cur voluntas moueatur potiùs in obiectum quam non moueatur: ergo hæc ratio referenda est in imperium intellectûs. Confirm. quia fieri potest vt ex duobus vterque idem apprehendat & iudicet; & tamen alterius voluntas illud amplectatur, alterius non amplectatur. Cuius ratio non potest esse alia, quàm quòd in altero fuerit imperium intellectûs voluntatem mouens, in altero non fuerit. Hinc inferunt; Hoc imperium esse necessarium ad omnem actum liberum voluntatis: eoque posito, necessariò voluntatem illi consentire; scilicet necessitate ex hypothesi.

7 Respondeo, Omnino verius esse non requiri ad actus voluntatis vel aliarum potentiarum, huiusmodi imperium intellectûs distinctum à iudicio. Ita docent Henr. quodlib. 9. q. 6. Ocham in 3. q. 12. ar. 4. Almainus suprà, & alij.

Imperium intellectus propriè dictum, non est necessarium ad actus voluntatis.

Probatur Primò, Quia vt voluntas possit velle aliquod obiectum, non requiritur aliud quàm vt intellectus illud proponat sub ratione conuenientis, quæ propositio abundè fit iudicando hîc & nunc hoc esse conueniens. Similiter, vt possit nolle, sufficit, vt intellectus proponat illud cum aliquo defectu, vel vt non necessarium, quod etiam sufficienter fit iudicando: ergo non requiritur aliquod imperium à iudicio distinctum.

Antecedens patet, ex dictis suprà q. 8. art. 1. Et ratio est, Quia omnis potentia non impedita potest ferri in suum obiectum conuenienti modo propositum. Et sanè, sine ratione dicitur voluntatem obiecto clarè per intellectum proposito non posse consentire, nisi intellectus alio quodam actu imperet voluntati, dicendo, fac hoc,

Dices, Imperium tale esse necessarium, vt voluntas determinetur ad consensum.

Sed contrà. Voluntas proposito obiecto, seipsam determinat eliciendo consensum, vel illum suspendendo, vt suprà ostensum q. 6. ar. 2. Neque eget vllo alio quàm obiecti propositione; tunc enim immediatè est in eius potestate, se determinare ad actum, vel non determinare; alioqui non esset libera.

Probatur Secundò, Imperium est significatio seu intimatio volitionis ordinata ad mouendam voluntatem, vt suprà ostensum est: atqui voluntas vt moueatur, non eget aliquo signo, quo significetur ipsi ipsam velle, vt moueatur aut consentiat. Ergo, &c. Confirm. Quia voluntas non percipit per seipsam illam significationem imperij, sed solùm per intellectum. Intellectus autem inde tantùm concipit iudicium: ergo imperium non mouet voluntatem, nisi mediante iudicio. Hoc autem iudicium non est aliud, quàm quo intellectus iudicat voluntatem velle, vt ipsamet eliciat actum, v. g. consensum. Quod iudicium non esse necessarium, constat.

Probatur Tertiò, A simili in brutis. Sufficit enim apprehensio conuenientis vel disconuenientis, vt appetitus sensitiuus prosequatur obiectum, vel vt fugiat: ergo similiter in parte rationali sufficit iudicium vel apprehensio, vt voluntas moueatur.

8 Quòd verò ad aliarum potentiarum actus non requiratur illud imperium intellectus, probatur Primò, Quia vt aliæ potentiæ operentur, non requiritur aliud, quàm vt voluntas velit illarum operationes: ex vi enim talis volitionis statim vis animæ applicatur ad illam operationem: atqui vt voluntas velit, non requiritur illud imperium: ergo, &c. Secundò, Idcircò requiritur imperium propriè dictum, dum superior vult mouere inferiorem; quia voluntas superioris non est per se præsens potentijs executiuis subditi, vt per se illas mouere possit. Quòd si per se præsens esset illa volitio, non opus esset imperio: atqui voluntas per se præsens est alijs potentijs eiusdem suppositi: ergo vt illas moueat, non eget imperio. Confirm. Quia per se multò efficaciùs illas mouet, quàm si tantùm per signum aliquod sui moueret, (vnde fit vt vires inferiores non possint voluntati resistere.) Atqui imperium solùm est signum voluntatis.

Neque etiam est necessarium ad actus aliarum potentiarum.

Aduerte tamen, locutionem quandam internam vel externam similem imperio (cùm potiùs sit exhortatio) interdum esse vtilem, præsertim in rebus difficilibus ad voluntatem excitandam, vt maiori affectu vel conatu vel celeritate rem aggrediatur, vel vt constantiùs in ea perseueret. Sic sæpè dicitur in Psalmis, *Benedic anima mea Domino*, Item, *Lauda anima mea Dominum*, *Spera in Domino*, *Sustine Dominum*. Ratio est, quia sicut exhortatio alterius vim habet excitandi animi ad opus, ita etiam exhortatio & locutio propria. Nam homo tunc fungitur vice duorum, tamquam sibi superior, sibi imperans; vel tamquam alter ipse se exhortans. Sic intellige illud D. Augustini l. 8. Confess. c. 9. *Imperat animus, vt velit animus, nec alter est, nec facit tamen. Imperat, inquam, vt velit qui non imperaret, nisi vellet; & non fit quod imperat*, &c. Videtur enim accipere imperium pro locutione illa mentali, quâ seipsum excitat animus, vt quod debiliter vult, firmiter & absolutè velit. Ideò autem non fit, quod imperat; quia non absolutè & omninò vult, sed optat potiùs, vnde etiam non omnino imperat, sed ex parte tantùm; vt ibidem indicat Augustinus.

Imperium interdum est vtile ad voluntem excitandã.

Ad prius argumentum in contrarium, Respõdeo, Ad rationem practicam non requiri illos tres actus: sufficiunt enim duo, consilium & iudicium.

9 *Responsio ad argumentum ex Aristotele.*

Quòd ad Aristotelem attinet, longè alia est mens ipsius. Primò, Quia non vult ipse σύνεσιν & γνώμην requiri ad singulos actus prudentiæ voluntatem dirigentis, vt argumentum supponit. Secundò per σύνεσιν non intelligit quoduis iudicium prudentiæ, sed acumen quoddam & perspicaciam ad rectè iudicandum, secundùm regulas prudentiæ de conclusione consilij alterius. Exempli gratia, proponit aliquis quid sibi

Quid σύνεσις.

per

per consultationem videatur; is qui habet σύνεσιν, statim perspicit an consilij conclusio sit bona, & ad finem idonea, minima quæque notans. Idem potest facere dum se reflectit super conclusionem consilij proprij. Colligitur hoc ex Arist. 6. Ethic. cap. 10. vbi dicit, *τὸ ξυνιέναι, consistere in rectè iudicando de his, de quibus est prudentia* (id est, de his de quibus iudicat prudentia) *alio dicente.* Hinc vocari aliquem σύνετὸν & εὐσύνετον. Et lib. 1. Magnorum Moral. cap. 35. ait. *eum dici συνετὸν; & habere σύνεσιν, qui potest consultare & rectè iudicare minima quæque perspiciendo.*

Quid γνώμη. γνώμη autem apud Arist. non significat imperium, sicut neque apud vllum Auctorem: sed significat, *rectum iudicium æqui & boni*; vt expressè habetur 6. Ethic. c. 11. *Æquum & bonum est, quod cùm in specie videatur esse contra legem ratione vniuersalitatis ipsius, iudicio prudentis secundùm rationis æquitatem definitur.* Vnde Aristoteles lib. 5. Ethic. cap. 10. ait, *τὸ ἐπιεικὲς*, id est, *æquum & bonum, esse correctionem legis*, quando ipsa deficit à recto, propter vniuersalitatem.

Quid ἐπιεικία. Circa hoc versatur virtus quædam quæ dicitur ἐπιεικεία. Nam vt Aristoteles docet ibidem, circa idem versantur ἐπιεικεία & γνώμη. Est enim ἐπιεικεία, voluntas seu amor æqui & boni (etsi, hoc nomen etiam aliter sumi possit:) γνώμη verò, est rectum iudicium eiusdem. Itaque γνώμη est iudicium intellectûs dirigens virtutem ἐπιεικείαν, tamquam propria eius regula; non autem imperium à iudicio distinctum. Deinde γνώμη non versatur in omni materia, in qua prudentia, vt ipsi existimant: sed solùm in ea quæ legibus repugnare videtur, eò quòd sit contra tenorem verborum. Vide Arist. l. 2. magnorum Moral. c. 1. & 2. vbi hæc omnia expressè docet.

Responsio ad Secundum argumen. Ad secundum, Respondeo negando maiorem: si enim ex parte intellectûs deberet assignari propria ratio, cur voluntas hîc & nunc consentiat, ipsa non determinaret seipsam ad exercitiũ actûs: quod est contra D. Tho. suprà, & contra communem sententiam Doctorum. Vnde vlteriùs sequeretur, voluntatem non esse liberam ad exercitiũ actus, quia totum exercitium penderet ab imperio intellectus: vt suprà ostensum, q. 9. a. 1. dub. 6.

10 *Voluntatis consensum non esse fortuitũ.* Neque ex his sequitur, voluntatem fortuitò consentire. Quia voluntas consentit ex proposito & intentione (qui enim consentit, intendit consentire, non alio actu, sed illo ipso quo consentit.) Fortuitum autem dicitur, quod præter intentionem accidit. Alioqui imperium quoque ipsum quando liberum est, fortuitò fiet. Nam ideò hîc & nunc est imperium, quia voluntas illud vult. Quòd si imperium & quiuis alius actus voluntarius, idcircò non est fortuitus, quia fit secundùm voluntatis intentionem; multò minùs ipse actus voluntatis erit fortuitus, cùm sit secundùm intentionem suiipsius, atque adeo suiipsius intentio.

Fortuitum. Quid?

ARTICVLVS II.

Vtrùm imperare sit brutorum?

COnclusio est; Imperare non est brutorum. 11
Ratio est, quia bruta non possunt seipsa vel alia ordinare ad aliquid agendum cum quadam motiua significatione. *Negatur*

ARTICVLVS III.

Vtrùm vsus præcedat imperium?

PRima Concl. vsus quo quis vtitur ratione consultando & iudicando de medijs, est prior imperio, quo quis imperat executionem. Probatur; Quia iste vsus rationis est prior electione; cõsilium enim & iudicium præcedunt electionem: electio autem est prior imperio: ergo iste vsus rationis est prior imperio. 12 *Vsus consultationis*

Secunda Concl. vsus quo quis vtitur potentiâ exequente vel medijs, vt subsunt potentiæ exequenti, est posterior imperio. Probatur; quia imperium antecedit executionem: vsus autem non antecedit executionem; sed eam includit: ergo imperium antecedit vsum. *Vsus executionis.*

Vbi notandum est Primò, si nomen Imperij accipiatur pro illa locutione quâ quis seipsum hortatur ad rem deliberatam & electam aggredien-dam: sic quando interuenit, antecedit ipsum vsum. *Triplex distinctio Imperij respectu vsus.*

Secundò, si accipiatur pro actu voluntatis efficaci, ex quo sequitur executio: sic non distinguitur reipsâ ab vsu actiuo. Et interdum neque ab electione; nempe quando electio respicit medium cum omnibus circumstantijs vt hîc & nunc exequendum. Idem enim actus est quo hîc & nunc volo sumere medicinam; & quo moueo membra ad eam sumendam; & quo vtor ijsdem membris & medicinâ. Quatenus enim per illum actum volo medicinam hanc præ aliâ, dicitur *Electio*: quatenus habet vim mouendi membra, dicitur *Imperium.* Vt verò membrorum motus iam actu ei iungitur, dicitur *Vsus actiuus* membrorum & medicinæ. Priùs tamen naturâ habet rationem imperij, quàm habeat rationem vsus; nam habet vim mouendi antequam actu moueatur potentia executiua. Atqui non habet rationem vsus actiui, nisi dum potentia executiua mouetur; vt rectè hîc D. Tho. ergo, &c.

Tertiò, Si nomen Imperij accipiatur pro iudicio seu dictamine prudentiæ, quo præscribit quid agendum sit: sic imperium quoddam antecedit electionem, quoddam sequitur electionem, sed antecedit vsum. Nam iudicium sequens ex consilio, est dictamen prudentiæ quo prudentia dirigit electionem: vnde necessariò præcedit electionem. Quòd si in electione non sint determinatæ circumstantiæ, cũm quibus medium est exequendum, vt tempus, locus, modus, &c. opus est alio iudicio, quo hęc determinentur: quod est necessarium ad prudentem vsum mediorũ. Vnde hoc iudiciũ precedit vsum, sed sequitur electionem.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm imperium & actus imperatus sint vnus actus?

13 COnclusio est, Imperium & actum imperatum in genere moris esse vnum actum, etsi alioqui ratione naturæ valdè differant.

Ratio est, quia in vtroque est eadem numero libertas (actus enim imperatus non est liber, nisi libertate actus imperantis) vterque eodem rationis dictamine dirigitur, in vtroque est eadem conformitas vel difformitas cum recta ratione, eadem ratio virtutis & vitij, honesti & turpis, meriti & demeriti, laudabilis & vituperabilis. Ratione tamen naturæ sunt valdè distincti: Alter enim est spiritalis, alter corporalis, vel saltem potentiæ genere distinctæ. Sicut anima & corpus sunt vnum numero viuens, etsi naturis valdè discrepent: eâdem enim vitâ viuit anima & viuit corpus. Actus autè imperans se habet ad actum imperatum tamquam anima & vita.

Quomodo imperium & actus imperatus sint vnus numero actus moraliter.

Nomen Imperij accipitur hîc pro actu voluntatis efficaci, non autem pro illa locutione intellectûs; quia hæc locutio non efficit vnum actum cum actu imperato: sed hoc proprium est actui voluntatis.

14 Notandum Primò, Hæc esse intelligenda de actu imperato, qui tantùm est imperatus, & non elicitus à voluntate: qui enim elicitus est à voluntate, quamuis sit imperatus alio actu, habet tamen propriam bonitatem & malitiam, & propriam libertatem; vt patet, quando quis vult in seipso excitare actum contritionis, vt reconcilietur Deo; actum charitatis, vt Deo placeat.

Notandum Secundò, Quandò quis imperat alteri, & ille ex imperio facit aiquid, illud opus externum comparari ad duplicem actum imperantem, & cum vtroque censeri vnum actum in genere moris; vt patet cùm quis dat eleëmosynam per famulum. Illa enim eleëmosynæ largitio, quatenus procedit à voluntate Domini, constituit vnum actum cum illa voluntate, à qua morali modo informatur: Vt verò procedit à voluntate famuli, est etiam vnus numero actus cum illius voluntate. Etsi enim famulus se habeat vt instrumentum Domini; tamen est instrumentum suâ ratione & libertate præditum. Hinc fieri potest, vt idem numero actus exterior sit bonus & malus, quatenus diuersis actibus voluntatis, à quibus procedit, informatur.

Idem opus externum pendens à duabus voluntatibus imperantibus potest esse bonum, & malum.

ARTICVLVS V.

Vtrùm actus voluntatis imperetur?

15 COnclusio est, Actum voluntatis imperari posse. Ratio est; quia quidquid est in nostra potestate, potest nostro imperio fieri: atqui actus voluntatis sunt in nostra potestate. Idque verum est, siue loquamur de imperio, vt est locutio (potest enim voluntas excitare seipsam per locutionem vt amet, vt speret, &c.) siue vt est efficax volitio; nam actus voluntatis potest esse directè volitus alio actu.

Affirmatur.

Dices, Quando animus imperat sibi vt velit, iam vult; nisi enim vellet, non sibi imperaret vt vellet, vt inquit Aug. l. 8. Confess. c. 9. ergo frustrà est illud imperium.

Respondeo Negandò consequentiam. Primò, Quia etiamsi voluntas absolutè nunc velit, amet, speret, doleat, potest tamen imperare, vt perfectiùs & ardentiùs hos actus præstet. Secundò, Quia qui sibi aliquem voluntatis actum imperat, iam vult quidem illum actum, non tamen hoc ipso illum habet, neque hoc ipso vult illud, quod per illum actum est volendum: Nam ex eo quod quis vult in se excitare amorem Dei, dolorem peccatorum, spem veniæ, non habet hoc ipso istos actus: neque expresè tendit in obiecta istorum actuum. Quare non frustrà imperantur.

DVBIVM.

Quinam actus voluntatis dicantur imperati?

16 REspondeo, Omnes eos & solos dici imperatos, qui aliqua volitione antecedente, ex cuius vi sequuntur, voliti sunt. Patet, Quia hac sola ratione actus aliarum potentiarum dicuntur imperati à voluntate: ergo etiam actus voluntatis dicentur ob hanc rationem imperati.

Hinc sequitur Primò, Actum voluntatis primum in quouis negotio non esse imperatum, vt docet D. Thom. ad 3. quia illum non antecedit alius actus voluntatis, ex cuius vi sequatur.

Secundò sequitur, actum cuiusuis virtutis non solùm externum, sed etiam internum posse imperari à quauis virtute.

Actus cuiusuis virtutis potest esse imperatus à quauis virtute.

Probatur, quia quiuis actus bonus potest esse directè volitus ex affectu cuiusuis virtutis (potest enim esse medium ad illam virtutem assequendam;) vt ex affectu charitatis in Deum potest quis velle quosuis bonos motus & affectus interiores virtutum, & quasuis operationes earum exteriores. Ex affectu temperantiæ potest quis excitare in se affectum charitatis, spei, fidei, religionis, & aliarum virtutum: quia hi omnes actus valent ad impetrandam temperantiã. Idem dicendum de ceteris virtutibus, quia omnis virtus valet ad impetrandum augmentum cuiusuis virtutis. Quia tamen aliarum virtutum actus naturâ suâ ordinantur ad finem charitatis, scilicet ad placendum Deo; ideò imperare alijs virtutibus, conuenit charitati vi intrinseca, & quasi naturaliter; ceteris virtutibus per extrinsecam voluntatis ordinationem; quatenus in potestate voluntatis est vti actibus aliarum virtutum, tamquam medijs ad consequendã quamuis virtutem.

Aduerte tamen, esse magnum discrimen inter actus internos voluntatis & aliarum potentiarũ. Quia actus voluntatis non sequuntur immediatè ex imperio voluntatis, sed opus est nouâ consideratione intellectûs, vt proponatur illorum obiectum; quâ consideratione positâ, adhuc voluntas est libera, vt eliciat actum imperatum. Actus verò aliarum potentiarum sequuntur immediatè ex suis potentijs, posito imperio voluntatis; nec opus est noua consideratione intellectus. Hinc vlteriùs fit vt actus imperati aliarum potentiarum contrahant nouam bonitatem vel malitiam ab actu imperante; actus autem imperati voluntatis minimè contrahant; vt infrà dicetur.

Aliter actus interni voluntatis, aliter actus aliarum potentiarum imperantur.

ARTI-

ARTICVLVS VI.

Vtrùm actus rationis imperetur.

18 NOtandum ex D. Thom. Actum rationis seu intellectus considerari posse vel secundùm exercitium, vel secundùm speciem. Rursus, secundùm speciem considerari potest, vel vt est apprehensio obiecti, vel vt est iudicium de obiecto; idque vel euidentis veritatis, vel obscuræ. Nunc Respondeo & Dico Primò, Exercitium actus intellectûs potest imperari. Sic magister imperat discipulo, vt studeat, vt attendat, &c.

An & quando imperari possit actus intellectus, quoad exercitium?

Aduerte, hoc tantùm esse verum, quando exercitium actûs est in potestate voluntatis. Vnde illi actus intellectûs qui à Deo immittuntur, vel apprehenso per imaginationem obiecto instinctu naturali ab intellectu eliciuntur, non possunt imperari. Quia non est in potestate nostra quibus visis tangamur, vt inquit D. August. aut quid nobis in mentem incidat. Quando tamen huiusmodi cogitationes aduertimus incidisse, possumus mentem ab illis declinare; nisi fortè vehemens imaginatio illas assiduè suggerat: tunc enim non nisi magno conatu & imperfectè id possumus. Nam conatu cessante, mox priores cogitationes redeunt.

An quoad speciem?

Dico Secundò, Apprehensio obiecti secundùm suam speciem non cadit sub imperium voluntatis; quia non est ex arbitrio voluntatis, quòd intellectus, canem v. g. sic potiùs apprehendat quàm aliter: similiter equum, bouem: hoc enim pendet partim ab obiecto, partim à lumine intellectus, qui naturaliter format conceptū obiecto respondentem. Alioqui non est conceptus talis obiecti, sed alterius.

19 *Quid si obiectum sit euidens?*

Dico Tertiò, Iudicium siue assensus, si obiectum sit euidenter verum vel falsum, non subest imperio secundùm speciem actus. Patet, quia intellectus tunc non potest nisi vno modo iudicare, scilicet assentiendo, si sit verum; vel dissentiendo, si sit falsum.

Si obscurū?

Dico Quartò, Si obiectum non sit euidens, sed obscurum, assensus intellectus subest imperio voluntatis secundùm speciem actus: ita vt possit assentire vel dissentire. Patet hoc in rebus fidei, & in multis sententijs Philosophorum vel Theologorum: in quibus vt assentias vel dissentias, affectus voluntatis magnam vim habet. Ratio est, quia facit vt tibi videatur verum, vel vero similius, quod alteri videtur falsum vel similius falso.

Aduerte tamen, præter affectum debere suppetere vtrimque aliquas rationes, quæ faciant obiectum verisimile, saltem in speciem. Si enim neutram in partem suppetat vlla ratio, voluntas non potest facere vt assentias vel dissentias; vt, stellas esse pares, vel impares.

DVBIVM.

Vtrùm si vtrimque sint rationes omninò pares, & tibi etiam pares videantur, possis alteri parti præ altera assentiri, solùm quia sic placet.

20 *Quidam asserunt.*

QVidam putant id fieri posse, non solùm quãdo vtraque pars videtur æquè probabilis, sed etiam quando altera videtur probabilior; tunc enim posse te reiectâ parte quam iudicas probabiliorem, assentiri alteri quam censes minùs probabilem.

Respondeo, Contrarium esse verius; nempe fieri non posse vt seriò iudices esse verius id, in quo minor aut æqualis cernitur species veri.

Probatur Primò, nõ possumus alicui complexo assentiri, nisi sub ratione veri: ergo non possumus assentiri alteri parti præ altera, nisi eluceat in ea maior verisimilitudo, quàm in altera. Consequẽtia patet, quia id in quo est minor verisimilitudo, etsi absolutè consideratum habeat sufficientem speciem veritatis; tamen comparatum ad alteram partem tamquam acceptandum præ illa, nullam habet: ac proinde intellectus non potest in illud præ altero ferri.

Non potest quis assentiri ei quod iudicat minùs probabile.

Secundò, Quia experientia constat, dum volumus alicuius opinioni assentiri, non posse nos id statim præstare: sed primò inquirere rationes, cur illa sententia possit videri verisimilior.

Tertiò, quia etsi rogati, cur hoc potiùs velimus quàm aliud, interdum respondeamus, quia sic placet: numquam tamen rogati, cur hoc potiùs credamus quàm illud, solemus respondere, quia sic placet: sed quia videtur verisimilius.

21 *Obiectiones soluuntur.*

Obijcitur Primò, voluntas propositis duobus bonis, potest eligere id quod minus est, relicto eo quod ipsa iudicat esse melius; quia etsi sit melius, non tamen est necessarium, & minus illi sufficit ad præsens negotium: ergo similiter intellectus, propositis duabus propositionibus oppositis, poterit assentiri minùs probabili tamquam vere, relictâ eâ quam iudicat probabiliorẽ: quia etsi sit probabilior, tamen rationes eius non cogunt intellectũ.

Discrimen inter intellectum & voluntatẽ in modo tendendi in obiectum.

Respondeo Negando consequentiam. Est enim magnum discrimen inter intellectum respectu sui obiecti, & inter voluntatem respectu sui. Primò, Quia voluntas est potentia libera, nihilque necessariò vult, nisi illud, in quo est plenitudo boni. Intellectus autem non est potentia libera: sed necessariò assentitur cuiuis veritati propositæ, si sit euidens. Si autem non sit euidens, non assentitur quidem necessariò; tamen non potest dissentire, nisi incipiat videri minùs verisimile, quàm oppositum. Deinde quando voluntas relicto meliore bono eligit deterius, potest in hoc eligendo considerare aliquam rationem boni, quam non considerat in altero; nempe quòd sic ostendat se posse altero carere, sibique id quod minus est, sufficere. Intellectus autem non potest in eo quod minus videtur probabile, inuenire aliquam rationem veri, seu assentiendi, quæ non sit in altero, quod iudicatur esse probabilius. Denique quia voluntas potest sic velle, quia sic placet; non tamen intellectus potest sic assentiri, quia sic placet.

Affectus facit vt minùs probabile videatur probabilius.

Obijcitur Secundò, Affectus sæpè facit, vt quis relicta opinione probabiliore, sequatur minùs probabilem: ergo homo pro arbitrio suo potest assentiri vtri maluerit. Respondeo; Affectus non potest facere vt seriò assentiar minùs probabili, tamquam veriori, nisi faciat illam quoque videri probabiliorem; ad quod sanè affectus magnam vim habet. Sicut enim facit aliquid videri longè melius, quàm sit; ita etiam facit aliquid videri longè verius, quàm sit: & hâc solâ ratione, actus intellectus quoad assensum vel dissensum, subest arbitrio voluntatis.

Obijcitur Tertiò, Possum sequi minùs probabilem opinionem in praxi, relicta probabiliore;

liore; sed hoc fieri nequit, nisi iudicem illam veriorem; ergo.

Respondeo Negando minorem: vt enim illam sequar in praxi, sufficit vt iudicem illam probabilem & verisimilem, & vt sciam me posse operari secundùm sententiã probabilem; vt infrà dicetur, q. 19. a. 6. dub. 7.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm appetitus sensitiui actus imperentur?

22 *Passiones animi, vt ira, odium &c. imperari possunt.*

Respondeo & Dico Primò, Actus appetitûs sensitiui, vt ira, odium, concupiscentia, tristitia, possunt imperari. Probatur, Quia voluntate aliquid absolutè volente, vel nolente, sequitur in phantasia apprehensio conformis, ex qua vlteriùs sequitur motus in appetitu sensitiuo cõformis. Et ratio est, quia cùm appetitus inferior non sit suapte naturâ liber, necessariò sequitur apprehensionem phantasiæ. Hæc autem necessariò sequitur imperium voluntatis & intellectus.

Dices, Sæpè experimur non posse nos excitare dolorem in parte inferiore, dum de peccatis volumus dolere: ergo appetitus inferior non necessariò obedit.

Respondeo, si voluntas perstet, necessariò orietur aliquis motus in appetitu inferiore; vt rectè docet Caietanus: Hic tamen motus sæpè erit valdè remissus, nisi voluntas sit vehemens; quõ fit vt vix sentiatur, præsertim cùm notabilis spirituum & sanguinis commotio ob aliquod impedimentum non coniungitur.

23 *Non possunt semper tolli.*

Dico Secundò, Motus appetitus sensitiui non semper possunt tolli imperio rationis & voluntatis, vt experientia docet. Hoc autem fit, quotiescumque non est in nostra potestate tollere imaginationem, ex qua illa commotio oritur. Quod tripliciter accidit. Primò, cùm obiectum est præsens & sensu percipitur. Secundò, Quando imaginatio excitatur cum magna humorum & spirituum commotione; vt fit in subito terrore, subita ira, &c. Tertiò, Quando ab aliqua causa extrinseca, vt ab Angelo, vel dæmone, imaginatio cietur. His euentis, non potest voluntas omninò tollere passiones excitatas; quia non potest tollere imaginationem, ex qua necessariò sequuntur. Sicut enim non potest mouere appetitum inferiorem, nisi mediante imaginatione; ita neque potest eius motus tollere, nisi tollendo imaginationem.

24 *Possunt tamen isti motus reddi inefficaces.*

Dico Tertiò, Est tamen in potestate voluntatis, quamdiu ratione vtitur, efficere vt isti motus sint inefficaces, seu vt non prorumpant in actum externum completum.

Probatur Primò, quia actio humana completur in actibus exterioribus: atqui completio operationis pertinet ad directionem superioris potentiæ, vt docet D. Augustinus lib. 12. de Trinit. c. 12. *Non potest*, inquit, *peccatum efficaciter perpetrandum mente decerni, nisi illa mentis intentio, penes quam summa potestas est membra in opus mouendi, vel ab opere cohibendi, malæ actioni cedat & seruiat*: Itaque necesse est, vt voluntas consentiat.

Secundò, Si passiones possent mouere membra in opus renitente voluntate, maxima esset inordinatio in naturâ humanâ, & in Repub. Nam homo & in seipsum & in proximos grauissima sæpè committeret absque culpâ; vnde nec iustè posset puniri.

Motus in parte genitali.

Dixi, *Completum*, quia interdum imperfecti motus in parte genitali sequitur ex passione & imaginatione; quæ pars non ita paret rationi vt cetera membra. Cuius ratio est, quòd imaginatio delectabilium tactûs maximè concitet spiritus, quibus hæc pars potissimùm regitur, qui concitati eam mouent. Reliquis partibus neque tanta copia spirituũ seruit, neq; illi spiritus concitantur imaginatione operationis, eò quòd in illorum operatione non sit tanta voluptas.

Praxis resistẽdi prauis motibus.

Ex his patet, quomodò prauis motibus & cupiditatibus sit resistendum. Primò, Tollenda est imaginatio, ex quâ oriuntur, diuertendo illam ad aliud; vt ad mortis, iudicij, inferni considerationem. Secundò, si sic tolli nequeat, fortiter id quod proponitur, est voluntate repudiandũ tamquam summum malum, æternam concilians miseriam. Ex hac enim voluntate fiet, vt etiam phantasia hoc tamquam malum apprehendat, vnde motus ille prauus mitigabitur. Tertiò, implorandum est diuinum auxiliũ; quia etiamsi voluntas suis viribus possit aliquantulùm resistere, tamen nisi diuinitus iuuetur, importunitate imaginationum & motuum appetitus inferioris, tandem tœdio affecta trahitur in cõsensum. Quid enim supereſt, *Nisi vt quo adiuuante vincimus, eodem non opitulante, vincamur?* vt ait D. Leo.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm actus anima vegetantis imperentur?

26 *Negatur.*

Conclusio est, Hos actus non subdi imperio rationis; vt sunt, concoctio, attractio, expulsio, retentio, assimilatio. Idem dicendum de pulsu cordis & arteriarum, qui tamen motus sunt ab anima sentiente.

Ratio est, Quia hi motus neq; sunt apprehensio aliqua, neque sequuntur apprehensionem, sed vim merè naturalem.

Item negatur de actibus seu sutis exterioribus.

His etiam addi potest, neque actus sensuum exteriorum subiacere voluntatis imperio, nisi mediante motu locali, quo possunt applicari obiectis, vel auerti, vel interposito medio impediri. Ratio est; quia propositis obiectis, merè naturaliter operantur, sicut vires rerum naturalium. Intellectus autẽ & phantasia secundùm se & immediatè subiacent imperio voluntatis, quia secundùm se possunt applicari ad operandum absque interuentu vllius alterius motus circa ipsos, præter actum voluntatis.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm actus membrorum exteriorum imperentur?

27 *Affirmatur.*

Conclusio est, Actus membrorum subsunt imperio rationis. Probat Diuus Thomas, quia motus membrorum sunt à potentijs sensitiuis: atqui potentiæ sensitiuæ subsunt imperio rationis & voluntatis; ergo etiam motus membrorum.

Dices,

Dices, Hæc ratio non videtur vera, nam motus manuum & pedum non fit per sensus, sed per potentiam motiuam.

Resp. Etsi motus isti sint à potentiâ motiuâ, egent tamen sensuum directione; non enim rectè fieri possunt, nisi sensuum cognitione dirigantur: & ita pendent à sensibus quoad directionê & modum, quo fiunt. Vnde rectè sequitur, hos motus pendere ab imperio rationis & voluntatis, quoad directionem, & modum sui. Quòd verò secundùm substantiam suam ab imperio rationis pendeant, patet; tùm quia modus quo isti motus fiunt, non distinguitur ab ipsorum substantia; tùm quia toti fiunt à potentiâ motiuâ, quæ ad nutum paret voluntati.

28 *Anima imperat corpori despoticè: mens appetitui inferiori politicè.*

Ex his intelligi potest illud Aristot. 1. Polit. cap. 3. animam imperare corpori δεσποτικῶς, id est, imperio herili: intellectum verò imperare appetitui sensitiuo πολιτικῶς καὶ βασιλικῶς, nempe quia anima per intellectum & voluntatem sic imperat corpori, vt resistere nequeat; sed ad nutum parere debeat, tamquam mancipium, quod nullo modo potest imperio domini resistere, aut tergiuersari: appetitui verò inferiori, sicut Magistratus ciui, & Rex subdito, qui potest tergiuersari. Etsi enim volũtate absolutè velẽte, appetitus inferior vtcumque pareat, tamen simul potest reniti per quosdam motus inefficaces, qui si durent, interdum faciunt rem videri tam suauem & commodam, vt voluntatem alliciant ad immutandum bonum propositum, & in consensum pertrahant.

Ratio huius discriminis est, quia membra non habent vllam functionem, nisi quæ intrinsecè & immediatè pendeat à vi motiua, quæ immediatè applicatur à voluntate. Vnde ad nutum parent, nisi corpus sit malè affectum; vt si desint spiritus, qui sunt motùs instrumentum: appetitus autem inferior habet propriam operationem, ad quam naturaliter excitatur proposito obiecto, vnde non habet intrinsecam dependentiam à voluntate in suis operationibus, sicut neque sensus externi.

DVBIVM.

Quot genera actuum voluntariorum concurrant in quouis negotio, & quo ordine?

29 *Caiet.*

CAiectanus qu. 16. art. 4. enumerat duodecim, quidam alij quindecim. Sed reuerà multi ex illis quos isti enumerant, non sunt necessarij, vt ex suprà dictis colligi potest.

Pro responsione, Notandum est esse duos ordines actuum, ad quos omnes sunt referendi; scilicet ordinem intentionis & executionis.

In ordine intentionis sunt quinque genera actuum.

Ad ordinem intentionis quinque actus sunt necessarij. Primus, Cognitio finis. Secundus, Intentio finis. Tertius, Consilium de medijs. Neque hîc opus est imperio quo ratio imperet consilium, neque electione quâ voluntas eligat consultare. Nam ex vi intentionis finis, intellectus naturaliter applicatur ad consultandum. Quartus, Iudicium de medio eligendo. Quintus, Electio; hic est vltimus in ordine intentionis. Damascenus lib. 2. cap. 22. post iudicium, ponit γνώμην, deinde electionem. Per *Gnomen* videtur intelligere *Consensum*. Sed suprà dictum est, *Consensum* non distingui re ab *Electione*. Vnde hic actus non est necessarius.

30 *In ordine executionis quatuor.*

Sequitur ordo executionis, in quo primus actus est Imperium (accepto hoc nomine pro voluntate exequendi) quod imperium interdum distinguitur ab electione, nempe quando electio non complectitur omnes circumstantias, cum quibus opus est exequendum. Interdum verò non distinguitur nisi ratione, scilicet quando has circumstantias complectitur, vt suprà dictum est. Damascenus videtur hoc imperium intelligere per ὁρμὴν, id est, impetum: ponit enim ὁρμὴν immediatè post electionem. Secundus, Est vsus passiuus, seu operatio potentiæ exequentis; nam vsus actiuus non distinguitur ab imperio. Tertius, Est Adeptio finis: si tamen hæc adeptio per aliquem actum distinctum fiat. Quartus, fruitio seu gaudium ex præsentia finis; & hîc terminatur ordo executionis. Itaque in vniuersum nouem species actuum sunt necessariæ.

31 *Series horum actuũ facit vnum numero peccatum in ordinẽ ad confessionem.*

Notandum Primò, Omnes actus qui sunt post intentionẽ, trahere bonitatẽ vel malitiã ex intentione, quia ex vi intentionis sequuntur. Ideò enim Consultatio est mortaliter bona vel mala; quia procedit ex bona vel mala intentione. Idem dicendum de Iudicio, Electione, Imperio, Vsu, Adeptione. Itaque tota hæc actuum series censetur vnum numero peccatum in ordine ad confessionem. Vnde qui homicidium commisit, non tenetur dicere se intendisse, consultasse de medijs, iudicasse, elegisse, &c. Sed sufficit, dicat se commisisse homicidium: nisi fortè aliquod medium aliàs per se illicitum interuenisset; vt si arte magica, vel operâ alterius vsus fuisset.

Notandum Secundò, In omni actu libero plures rationes actuum concurrere, sed tantùm implicitè, quatenus vnus idemque actus implicitè super seipsum reflectitur, vt suprà dictum est.

QVÆSTIO XVIII.

De Bonitate & malitia actuum humanorum.

1 POstquam explicuit Diuus Thomas naturam actuum humanorum in genere, incipit hic agere de bonitate & malitia eorumdem actuum. Quæstione quidem 18. de bonitate & malitia actuum humanorũ, præscindendo ab internis & externis. Quæstione 19. de bonitate & malitia actuum internorum voluntatis. Quæstione 20. de bonitate & malitia actuum externorum. Quæstione 21. de quibusdam conditionibus actuum, quæ sequuntur bonitatẽ & malitiam; vt esse laudabile, vituperabile, meritorium, demeritorium.

ARTI-

ARTICVLVS I.

Vtrùm omnis actio humana sit bona?

2 *Bonum quid.* *Malũ quid.*

CONclusio est, Non omnes esse bonas, sed quasdam esse malas. Probat D. Thomas, quia bonum est quod habet plenitudinem essendi sibi debitam, id est, omnem perfectionem quæ illi debetur, vt sit perfectum. Malum verò est, cui aliquid deest de plenitudine essendi ipsi debita; atqui multæ sunt actiones humanæ, quibus deest aliquid de plenitudine perfectionis debita actui humano; vt si quis comedat non seruatâ iustâ mensurâ, conuenienti loco vel tempore: ergo multæ actiones humanæ sunt malæ.

Notandum hoc Articulo & sequentibus, agi de bonitate & malitia, quæ conuenit actibus humanis secundùm esse morale, non autem de ea quæ conuenit ei secundùm esse naturale. Breuiter itaque explicandum est quid sit esse morale, quid naturale.

DVBIVM.

Quid sit esse naturale, & esse morale actuum humanorum, & quomodo differant?

3 *Quid esse naturale actuum humanorũ.*

RESpondeo & Dico Primò, *Esse naturale* actuum humanorum, siue elicitorum à voluntate, siue imperatorum, consistit in habitudine ad obiectum formale in quod tendunt, & ad potentiam, vnde immediatè apti sunt procedere.

Ratio est; Quia quiuis actus vitalis ex ordine ad hæc duo totam suam entitatem & speciem naturalem accipit. Ex ordine enim ad potentiam, vnde immediatè aptus est procedere, accipit quasi rationem genericam; quia omnes actus vnius potentiæ conueniunt in hoc ordine: v. g. Omnes visiones conueniunt in eo quòd apti sint procedere à potentia visiua; omnes intellectiones à potentia intellectiua; & omnes volitiones à potentia voluntatis. Ex ordine verò ad obiectum formale, accipiunt rationem specificam; quia actus vnius potentiæ distinguuntur per obiecta formalia; vt visio albi, & visio nigri. Notandum, Entitatem seu naturalem essentiam actuum vitalium non postulare vt actu procedant à suis potentijs, (posset enim illa entitas à Deo fieri, vt suprà dictum est) sed solùm vt sint apti procedere: sicut non est de essentia accidentis, vt actu inhæreat: sed vt sit aptum inhærere, idque naturaliter postulat. Idcircò dixi, *Esse naturale actûs* consistere in ordine ad potentiam, vnde aptus est procedere. Quòd enim actu procedat, non pertinet ad eius esse naturale, sed est quiddam accessorium, veluti modus naturalis, qui sæpè pertinet ad esse morale.

4 *Esse morale quid.*

Dico Secundò, *Esse morale* actuum humanorum consistit in eo quod est liberè fieri, & cum certo ordine ad dictamen rectæ rationis; qui ordo est fieri consentaneè vel dissentaneè, vel indifferenter rationi rectæ.

Duo requisita, ad esse morale.

Probatur, Quia duo requiruntur ad *esse morale* actuum humanorum. Primum est, Liberè fieri. Quod patet Primò, Quia quæ in nobis excitantur necessariò, vt sunt primi motus, ad naturam potiùs, quàm ad mores pertinent; nam homo non operatur illa vt homo habens dominium suorum actuum; ac proinde non vt causa moralis, sed per modum causæ naturalis. Secundò, Quia *esse morale* in actu, est id, cuius ratione est laude vel vituperio, pœnâ vel præmio dignus: Sed non est dignus laude vel vituperio, pœna vel præmio, nisi liberè fiat: ergo ad esse morale requiritur libertas. Idem expresè docet Scotus in 2. d. 40. & passim alij Doctores. *Primum. Liberè fieri*

Hinc sequitur, etiamsi esse liberum sit accidentarium quid, vel potiùs denominatio extrinseca ipsius actûs spectati secundùm speciem naturalem, tamen est esse essentiale actui considerato secundùm *esse morale*. Est enim prima ratio vnde actus dicitur moralis, vt rectè Scotus loco citato, quamuis non sit omninò ad hoc sufficiens, vt statim dicemus. *Esse liberũ, est essentiale actui considerato secundũ* esse morale

Secundò, Requiritur vt habeat aliquem ordinem ad dictamen rationis rectæ, tamquam conformis illi, vel difformis vel indifferens. Probatur Primò, Quia dictamen rationis est regula humanorum actuum, secundùm quam fieri debent & æstimantur boni vel mali moraliter: ergo vt actus censeatur pertinere ad mores, debet aliquem ad hoc dictamen habere ordinem. Secundò, Quia actiones puerorũ & amentium, etiamsi liberę sint, vt suprà dictum qu. 13. art. 2. in Dub. non tamen censentur actiones morales capaces laudis vel vituperij: eò quòd non possint dirigi iudicio rationis rectæ, id est, dictantis de honesto prosequendo, & turpi fugiendo. Quia illi non tantũ rationis vsum habent vt de his iudicare possint, quamuis alioqui bonũ delectabile & conueniens naturæ, satis cognoscant. *Secundum est ordo ad dictamen rectæ rationis.*

5 *Conuenit immediatè actibus elicitis à voluntate.*

Ex his infertur Primò, *Esse morale* primò & immediatè conuenire actibus voluntatis elicitis: his enim primò & immediatè conuenit liberè fieri: secundariò verò & mediatè actibus imperatis: quia hi non sunt liberi, nisi mediante actu libero voluntatis à quo procedunt, & quodammodo informantur, vt docet D. Tho. infrà art. 6.

6 *Speciesmoralis distinguitur à specie naturali in actibus imperatis.*

Infertur Secundò, Speciem moralem in omnibus actibus imperatis esse distinctam à specie naturali. Actus enim matrimonij & fornicationis sunt eiusdem speciei naturalis, quia immediatè ab eâdem potentiâ procedunt, & circa idem obiectum versantur. Sunt tamen diuersæ speciei moralis, quia diuersum ordinem habent ad iudicium rationis rectum. Idem dicendum de actu homicidij & iustitiæ, Idololatriæ & religionis. Denique omnes actus externi virtutum possunt esse eiusdem speciei naturalis, atque actus vitiorum.

7

Infertur Tertiò, Non repugnare vt actus eliciti voluntatis, qui non habent esse morale, illud acquirant; & qui iam habent esse morale, illud amittant, manente eâdem specie naturali. De quo vide Gabr. in 2. d. 41. q. vn. a. 2.

Potest aliquis actus amittere esse morale, & rursus illud acquirere.

Prior pars patet, Quia fieri potest vt primi motus voluntatis, qui in nobis excitantur non liberè, ac proinde non habent esse morale: incipiant esse liberi ratione aduertente in obiecto aliquam conditionem mali vel defectus, & consequenter acquirant esse morale; fiantque moraliter boni vel mali, nullâ in illis motibus factâ reali mutatione.

Altera pars

Altera pars patet, Quia fieri potest, vt actus, qui iã liberi sunt, ac proinde habent esse morale, desinant esse liberi impeditâ rationis consideratione, nẽ defectum obiecti vel actus possit considerare. Quod Deo est facilè efficere: quando enim aliquid apprehenditur vt bonum, & intellectus non potest aliquem defectum in illo aduertere, neque in illius appetitione, tunc illud necessariò amatur; vt suprà ostensum est.

ARTICVLVS II.

Vtrùm actio hominis habeat bonitatem vel malitiam ab obiecto?

8 *Affirmatur* COnclusio. Primam bonitatem & primam malitiam moralem actionum humanarum sumi ab obiecto.

A simili de bonitate rerum naturalium. Probatur, Quia in rebus naturalibus prima bonitas accipitur à forma, quæ dat illis speciem: ergo in actionibus moralibus, prima bonitas accipitur ab obiecto, quod sit conueniens rectæ rationi, quod instar formæ tribuit actioni speciem moralem.

Item à simili de malitia rerum naturalium. Rursus, Primum malum in rebus naturalibus est ex eo, quòd res non consequatur formam specificam, quam natura intendit, sed aliã: vt si pro homine generetur simia. Ergo primum malum in actionibus moralibus est ex eo, quòd actio non habeat obiectum conueniens rectæ rationi, sed disconueniens. Consequentia patet, ex analogia & proportione, quæ est inter res naturales & morales.

Item declarur exemplis. Idem declarari potest exemplis, ideò enim velle dare eleëmosynam est bonum, quia subleuare miseriã pauperis (quod est obiectum illius) bonum est: similiter ideò velle mentiri malum est, quia mentiri quod est obiectum illius, est malum.

Sed contra hanc doctrinam obijci potest.

9 *Tres obiectiones.* Primò, In obiectis ipsis nõ est bonitas vel malitia moralis, præsertim in obiectis actuum exteriorum: ergo obiecta non possunt actibus humanis bonitatem vel malitiam tribuere; non enim possunt dare quod non habent.

Secundò, Quia obiecta actuum, præsertim interiorum, sunt effectus eorum: dare enim eleëmosynam, est effectus voluntatis interioris. Atqui causæ non possunt habere bonitatem à suis effectis, nam sunt illis priores.

Tertiò, Actus exteriores habent bonitatem moralem ab interioribus: ergo interiores non habent bonitatem ab ipsis; ac proinde neque à suis obiectis; alioquin idem esset causa suiipsius.

Soluuntur Ad Primum Respondeo, In obiectis non esse bonitatem vel malitiam moralem formaliter, sed causaliter; in actibus autem humanis formaliter: sicut in medicinâ est sanitas tamquam in causâ, in animali verò, vt forma in subiecto: & sicut in rebus est veritas tamquam in fundamento, in cognitione autem est veritas formaliter.

Quomodo causa possit habere suã bonitatem ab effectu. Ad Secundum, Causa non habet bonitatem à suo effectu, quasi bonitas effectûs sit bonitas causæ; sed habet ab effectu, quia ex ordine & respectu ad effectum tamquam ad terminum, vel tamquam ad obiectum. Ideò enim dare eleëmosynam est bonum, quia tendit ad bonum terminum, scilicet ad leuamen miseriæ & solatium pauperis; & ideò velle dare eleëmosynam est bonum, quia ordinem habet ad tale obiectum, scilicet ad donationem externam eleëmosynæ, quæ bona est. Rursus, Occidere hominem est malum, quia terminus eius priuatio vitę, mala est; & velle occidere est malum, quia obiectum huius volitionis, occidere, malum est.

Actus interiores habent ab exterioribus bonitatem vel malitiam: exteriores ab interioribus moralitatem. Ad Tertium, Omissis varijs solutionibus. Respondeo duo requiri ad bonitatem moralem, scilicet libertatem & conformitatem cum ratione. Similiter duo ad malitiam, scilicet libertatem & repugnantiam cum ratione. Actus igitur interiores ab exterioribus, tamquam ab obiectis suis, habent quòd sint conformes vel difformes rationi: verùm actus exteriores vicissim ab interioribus habent, non quòd sint conformes vel difformes rationi, sed quòd sint liberi. Itaque actus interiores habent ab exterioribus bonitatem vel malitiam moralem ex parte, non integrè; & vicissim exteriores ab interioribus, ex alia parte, non etiam integrè: sicque nulla est repugnantia. Vel (quod in idem recidit) actus interiores habent ab exterioribus bonitatem vel malitiam, exteriores ab interioribus moralitatem. Nam bonitas moralis duo dicit: similiter malitia moralis: quæ duo à diuersis pendent.

DVBIVM I.

Vtrùm etiam actus exteriores habeant bonitatem vel malitiam ex obiecto?

RAtio dubitandi est, Quia actus externi non habent propriè obiecta rationi conuenientia vel repugnantia, sed ipsi potiùs sunt obiecta respectu actuum internorum voluntatis. 10

Affirmatur. Respondeo, Etiam actiones exteriores habere bonitatem vel malitiam ex suis obiectis, etsi non tam propriè quàm interiores.

Probatur Primò, quia D. Thomas hîc generatim loquitur de actibus humanis tam externis quàm internis; nam de peculiari modo quo actus interni ex obiecto habent bonitatem vel malitiam, agit qu. 19. art. 1.

Quomodo actus externi habeant bonitatem vel malitiam ex obiecto. Secundò, Quia etiam actiones externæ dicuntur aliæ bonæ ex genere, aliæ malæ, aliæ indifferentes, idque ratione obiecti circa quod versantur; quod obiectum, vel est conueniens, vel disconueniens, vel indifferens. *Obiectum* voco personam cui fit aliquid, & materiam ipsam quæ contrectatur. Censetur autem hoc obiectum conueniens vel disconueniens rationi rectæ, vel naturę rationali liberè operanti; nempe vt per talem actionem circa tale obiectum agas. Quod explicatur. 11

Patet primo in actionibus bonis. Primò, In actionibus bonis. Obiectum enim largitionis eleëmosynæ, est res quę datur, & pauper cui datur. Sacrificij externi, est hostia quæ offertur, & etiam quodammodo Deus, cui offertur. Actus matrimonij, coniux. Restitutionis, res debita, & cui debetur; sicque in cæteris. Hæc obiecta sunt materia conueniens harum actionum. Pauper enim est materia conueniens, cui res illa secundùm rectam rationem dari possit. Hostia est obiectum conueniens, quæ Deo secundùm rectam rationem offeratur. Coniux, circa quam iste actus fiat. 12

2. In actionibus malis.

Secundò, In actionibus malis. Nam actionis homicidij obiectum, est vita hominis; furti, res aliena; adulterij, coniux alterius; sacrilegij, res sacra. Hæc obiecta sunt materia disconueniens, vt actiones illæ humanæ possint in illis exerceri. Non enim vita hominis est materia conueniens, vt talis actio vitæ priuatiua absque legitimâ auctoritate circa eam fiat. Neque res aliena vt auferatur. Neque coniux alterius, vt illa voluptas ex eâ percipiatur. Sed hæc omnia conditionem habent his actionibus repugnantem, ob quam deberent omitti. Quòd autem ex his obiectis hæ actiones externæ suam bonitatem vel malitiam trahant, patet; quia quò materia circa quam versantur, est excellentior, eò actus ex genere suo est melior, si materia sit conueniens; vel peior, si non sit conueniens. Vt actus Religionis ex obiecto suo sunt meliores largitione eleëmosynæ; quia materia est præstantior; illi enim exhibentur Deo, hæc proximo. Homicidium est peius furto; quia materia homicidij, scilicet vita hominis, est præstantior re externa.

DVBIVM II.

Vtrùm bonitas quæ sumitur ex obiecto, sit prima bonitas moralis in actu?

13 REspondeo; Esse primam, atque adeò maximè intimam.

Probatur ratione D. Thomæ suprà allata. Confirmatur, Quia si actus consideretur sine ordine ad tale obiectum, non erit bonus vel malus moraliter; sed tantùm habebit quamdam bonitatem naturalem, quæ supponitur bonitati & malitiæ morali; vt docet D. Thomas in 2. d. 36. art. 5. vbi dicit, *Primam bonitatem actûs esse, quam habet vt procedit ex bona virtute agentis* (id est, ex bona natura) *& hanc esse communem actibus bonis & malis. Secundam, quam habet ex obiecto. Tertiam, quam habet ex circumstantijs obiecto additis.* Vnde sequitur, bonitatem ex obiecto esse primam bonitatem moralem in actu.

Bonitas quâ habet actus, vt est ex bona virtute agentis, est naturalis & generica.

14 *Medina malè arguit Scotum.*

Notandum, Medinam, & alios quosdam Thomistas, hîc accusare & refutare Scotum, quasi in 2. dist. 40. docuerit primam bonitatem moralem actuum sumi ex conuenientia ad suam causam efficientem, quæ est voluntas liberè operans; non autem ex ordine ad obiectum. Sed minimè id sentit Scotus. Ait enim: *Prima ratio bonitatis actus moralis, est ex conuenientia actus ad efficiens, à quo actus dicitur moralis, quia liberè elicitus, & hoc est commune actui bono & malo; neque enim actus est laudabilis aut vituperabilis, nisi sit à voluntate.* Hæc ille. Vbi clarum est, Scotum non tribuere vllam bonitatem moralem actui formaliter ex eo, quòd sit à voluntate liberè operante; cùm dicat id esse commune actui malo, qui nihil bonitatis moralis habet. Itaque per primam rationem bonitatis, non intelligit aliquam rationem, quâ actus sit formaliter bonus, sed quæ sit prima radix bonitatis & malitiæ in actibus humanis. Libertas enim est prima radix, cur actus sit bonus vel malus moraliter. Nam à libertate habet actus esse morale indifferens ad bonitatem & malitiam. Hæc est mens Scoti.

DVBIVM III.

Vtrùm bonitas quæ sumitur ex obiecto sit specifica, an generica in actibus humanis?

15 REspondeo, Certum est bonitatem & malitiam quæ sumitur ex obiecto, esse specificam.

Bonitas quæ sumitur ex obiecto, est specifica, etsi obiectũ sit generalissimum.

Ratio est; Quia omnes actus intellectus & voluntatis accipiunt suam speciem ex ordine ad obiectum, in quod tendunt; quantumuis hoc obiectum sit generale: ergo si hoc obiectum sit per se bonum vel malum, accipient ex eo bonitatem vel malitiam specificam. Consequentia patet ex dictis. Bonitas enim specifica est, quæ sequitur ex forma tribuente speciem, vel ex eo quod instar formæ se habet; vt est obiectum: similiter malitia specifica. Antecedens Probatur ex communi sententia Philosophorum & Theologorum. Confirmatur exemplis. Intellectio enim entis, veri, boni, substantiæ, accidentis, habet certam speciem infimam; tamen obiecta sunt generalissima. Similiter amor virtutis, propositum benè viuendi, odium peccati, sunt in certâ specie infimâ, quamuis obiecta sint generalia.

Ab exemplis.

Ratio est, Quia etsi obiecta sint generalia, tamen respectus, ordo, & tendentia ad illa obiecta, quæ est in actu humano, specialis est, atque adeò singularis sicut & actus ipse. Non enim potest aliqua ratio generica existere sine specificâ; nec specifica sine indiuiduâ. Obiecta tamen ipsa possunt obijci intellectui & voluntati, secundùm suas rationes genericas præcisas à rationibus specificis & indiuiduis.

Dices, Si isti actus amor virtutis, odium peccati, &c. habeant bonitatem specificam, ad quam ergo virtutis speciem pertinent? 16

Medina malè refert hos actus ad iustitiam legalem.

Respondet Medina, pertinere ad Iustitiam legalem, vel ad Synderesin.

Sed contrà. Iustitia legalis respicit bonum commune Reipublicæ; vt docet D. Thomas 2. 2. quæst. 58. art. 6. Sed hi actus non fiunt ob bonum Reipubl. sed ob priuatum. Synderesis autem est habitus intellectûs: est enim cognitio habitualis primorum principiorum moraliũ, vt docet D. Thomas 1. par. q. 79. art. 12. Nos autem hîc quærimus de virtute pertinente ad voluntatem.

Respondeo igitur, si isti actus eliciuntur ex affectu erga Deum, erunt actus charitatis. Si autem ex affectu honesti naturalis à recta ratione dictati, ad nullam propriè virtutem pertinent. Vt enim honestum in genere ametur, & peccatum odio habeatur, sufficit naturalis inclinatio voluntatis ad bonum honestum; vt expresè docet D. Tho. infrà, quæst. 56. art. 6. vbi ait, *Voluntatem non egere virtute ad bonum rationis voluntati proportionatum*: hoc tamen intellige de bono rationis considerato in genere: sic enim præscindit ab omnibus difficultatibus quæ occurrunt in executione. Nam ad bonum rationis applicatum propriè materiæ, voluntas eget virtute; omnis enim difficultas in virtutibus moralibus prouenit ex materia.

Hîc

17 Hîc tamen duo sunt aduertenda; Primò, Hos actus potiùs esse affectus simplices & complacentias, quàm efficaces volitiones; quia versantur circa honestum in genere, quod non intenditur efficaciter, nisi in particularibus virtutibus. Vnde non est mirum si naturalis inclinatio ad tales motus sufficiat.

Ad affectus honesti in genere concurrũt virtutes particulares:

Secundò, Ad huiusmodi affectus, non solam inclinationem naturalem voluntatis, sed etiam habitus particularium virtutũ posse concurrere. Quod etsi à quibusdam negetur, facilè tamen probari potest. Primò, à simili; Nam habitualis notitia naturæ specificæ concurrit etiam ad cognitionem naturæ genericæ: ergo similiter habitualis affectio ad honestum certæ speciei, inclinat ad honestum in genere. Secundò, In ratione specificâ continetur ratio generica: ergo quod inclinat in specificam, inclinat etiam in genericam. Tertiò, Ad effectum honesti supernaturalis v. g. Vt quis velit viuere conuenienter homini Christiano vel Religioso, non sufficit inclinatio naturalis, vt constat ex Scripturis & Conciliis: ergo hæc inclinatio debet iuuari aliquo habitu supernaturali. Atqui non est aliquis habitus supernaturalis proprius ad tales actus, sed particulares virtutes infusæ ad eos sufficiunt: ergo similiter ad effectum naturalem honesti, iuuant virtutes particulares. Itaque causa præcipua cur ad huiusmodi affectus non requiratur aliqua propria virtus, est quòd particulares virtutes ad illos sufficiant.

18 Notandum hîc Primò, Caietanum & Mediam in hunc locum, tribuere Scoto, ipsum docuisse in 2. dist. 40. hanc bonitatem & malitiam quæ ex obiecto sumitur, esse genericam: sed nullo modo id est credibile, si quis eius verba expendat. Sic enim ait: *Secunda conditio est ex obiecto, quod si sit conueniens, tunc actus est bonus ex genere, quia est indifferens ad bonitates vlteriores, quæ sumuntur ex circumstantijs specialibus: sicut genus est indifferens ad multas differentias post illud.* Idem ijsdem ferè verbis docet D. Thomas in 2. dist. 36. art. 5. & Gabriel in 2. dist. 40. art. 1. vbi non significatur, bonitatem ex obiecto esse genus respectu bonitatis ex circumstantijs, sed solùm habere similitudinem cum genere; quia sicut genus contrahitur differentijs, ita bonitas ex obiecto modificatur circumstantijs. Quod ex eo patet, quia bonitas ex circumstantiâ finis, quæ est prima circumstantiarum, secundùm Scotum merè per accidens se habeat ad bonitatem obiecti. Nam omnino per accidens est bonitati eleëmosynæ, quòd fiat vel ad implendum votum, vel ad satisfactionem peccatorum, vel ad aliquid à Deo impetrandum. Atqui differentia specifica non se habet ad genus accidentaliter.

Scotus defenditur.

19 Notandum Secundò, Etsi bonitas ex obiecto sit indifferens ad bonitates vlteriores, quæ sunt ex circumstantijs, sicut genus est indifferens ad suas differentias, non tamen inde videri acceptum hunc modum loquendi, quo bonum ex obiecto vocatur bonum ex genere; sed potiùs ex eo, quòd nomen generis passim vsurpatur pro specie, vt rectè hoc loco D. Thomas: dicimus enim genus humanum, genus ouium, &c. Vnde idem valent opus bonum vel malum ex genere, ex specie, ex obiecto, ex naturâ suâ.

Opus bonũ vel malum ex genere, ex specie, ex obiecto, ex naturâ suâ, pro eodem accipiuntur.

DVBIVM IV.

Quomodo obiectum debet esse volitum vt actus habeat bonitatem vel malitiam ex obiecto?

20 REspondeo & Dico Primò, Vt actus interior voluntatis sit bonus ex obiecto, non sufficit obiectum esse honestum, sed etiam debet esse volitum, quia honestum, seu propter bonitatem honesti. Colligitur ex Arist. 2. Ethic. cap. 4. vbi docet, *Opus virtutis debere fieri propter bonum virtutis.*

Bonitas obiecti debet esse directè volita.

Probatur Primò, Quia velle aliquod bonum v. g. Interesse officio diuino, quia delectabile, aut naturæ commodum, aut vtile seu lucrosum, non est laudabile, nec opus virtutis; idque ideò, quia etiamsi velit illud, quod est bonum & honestum, non tamen quia honestum.

Secundò, Quia sicut bonitas in genere est obiectum formale volitionis in genere; ita bonitas honesta est obiectum formale volitionis honestę: ac proinde vt volitio sit moraliter bona, tendere debet in bonũm honestum propter ipsum.

Tertiò, Quia bonitas voluntatis consistit in quadam tendentia in bonitatem obiecti: quæ tendentia fieri debet perfecto modo (bonum enim idem est quod perfectum:) atqui non est perfecta tendentia in bonitatem obiecti, nisi in eam tendatur tamquam in rationem formalem obiecti: ergo &c.

21 Dico Secundò, Vt actus interior sit malus ex obiecto, non est necessarium, vt obiectum ametur propter suam malitiam, aut vt malitia aliquo modo directè sit volita; sed sufficit eam esse obiecto ita coniunctam, vt ipsa censeatur interpretatiuè volita, quando quis vult obiectum. Verbi gratiâ. Velle actum fornicationis vel adulterij, est malum ex obiecto; & tamen ratio volendi non est turpitudo seu malitia obiecti, sed voluptas, (quæ per se est indifferens, cùm etiam in matrimonio reperiatur.) Imò peccator vellet omnem illam turpitudinem abesse, & opus esse honestum & laudabile. Quia tamen vult illud opus, cui hîc & nunc talis turpitudo est annexa; vult illud totũ vt est: & ita censetur interpretatiuè velle ipsam turpitudinẽ. Qui enim vult principale, vult accessorium illi annexum.

Malitia non debet esse directè volita.

Dices, Cur potiùs bonitas obiecti debet esse directè & propter se volita, quàm malitia?

22 Respondeo Primò, Quia bonum est per se expetendum; malum autem non potest per se appeti, sed solùm propter bonum, cui concipitur annexum.

Cur potiùs bonitas debet esse directè volita, quàm malitia?

Secundò, Quia bonitas actus requirit perfectam tendentiam in obiectum, vt dictum est: ad malitiam autem sufficit quæuis tendentia quantumuis imperfecta; cuius signum est, quod actus qui est ex ignorantia culpabili, sit malus, etiamsi malitia obiecti non sit volita nisi imperfectissimo modo. Et ratio est, *Quia bonum ex integra causa dicitur: malum autem ex singulis defectibus*, vt ait Dionysius c. 4. diuin. nom. id est, Vt aliquid sit bonum, requiruntur omnia quæ ad eius perfectionem sunt necessaria. Bonum enim idem est quod perfectum seu completum. Vt verò sit malum, sufficit vel vnus defectus.

ARTICVLVS III.

Vtrùm actio hominis sit bona vel mala ex circumstantijs?

23 *Ex circumstantijs crescit bonitas vel malitia.*

CONcl. Actus humani non habent totam bonitatem vel malitiã ex obiecto, sed incrementum accipiunt ex circumstantijs. Probatur ex analogia rerum naturalium, quæ non habent omnem suam perfectionem à forma substantiali, sed magnam partem ab accidentibus.

24 Nota Primò, D. Thomã loqui de circumstantijs quæ manent circumstantiæ, id est, quæ non transeunt in rationem obiecti; quales sunt omnes illæ, quæ non sunt necessariæ, vt actus sit moraliter bonus vel malus, sed actui constituto in specie boni vel mali superueniunt; vt sunt maior & minor cognitio, libertas, conatus, continuatio, quantitas materiæ, euentus consequens, personæ dignitas &c. harum enim augmentũ actus bonos facit meliores, malos verò peiores, manente eadem specie quam habent ex obiecto. Patet in largitione eleëmosynæ, quæ eò est melior, quò fit maiore cognitione boni (perfecta enim cognitio facit actum magis voluntarium) maiore feruore, maiore libertate, quantitate, longiori tempore, personæ digniori. Similiter in furto, quod eò est peius, quò notitia malitiæ eius, vel conatus vel libertas, vel materiæ quantitas, vel continuatio maior fuerit, vel euentus nocentior. Illæ autem circumstantiæ quæ necessariæ sunt, vt actus constituatur in specie boni vel mali, nõ sunt ampliùs circumstantiæ, sed transeunt in rationem obiecti. Sic velle accipere alienum, retinere depositum, cognoscere non suam, non est malum ex circumstantia, sed ex obiecto; quia conditiones illæ obiectis adiunctæ, sunt necessariæ vt actio sit mala, seu vt constituatur in specie mali.

Quando circumstantia transeant in rationẽ obiecti, & quando non.

25 Nota Secundò, Ad bonitatem vel malitiam moralem non esse necessarias circumstantias. Nam potest actus sufficientem habere bonitatem vel malitiam ex obiecto; vt patet in amore Dei, in odio Dei, & in omnibus actibus ex obiecto bonis vel malis: tamen quia plerumque reipsa non fiunt sine circumstantijs, ideò vt plurimùm habent incrementum boni vel mali ex circumstantijs.

DVBIVM.

Quomodo bonitas ex circumstantijs iungatur bonitati quæ ex obiecto, in actu interno & externo.

26 *In actu interno bonitas ex circumstantijs consistit in ordine, quem habet actus ad circumstantias tanquam ad obiecta secundaria.*

RESpondeo & Dico Primò, Si loquamur de actu interno, bonitas ex circumstantijs coniungitur bonitati obiecti per modum diuersorum respectuum, quos actus habet ad suas circumstantias.

Probatur, Quia sicut bonitas ex obiecto consistit in ordine quem habet actus ad obiectum, vnde sumit suam speciem: ita bonitas ex circumstantijs consistit in ordine, quem habet actus ad circumstantias, tamquam ad obiecta quædam secundaria, saltem interpretatiuè volita. Patet, exemplo suprà posito. Qui enim dat eleëmosynã cum illis circumstantijs, non solùm vult eleëmosynam ipsam, sed etiam vult omnes circumstantias, nam vult illã cum tali notitia, libertate, &c. Itaque vult illas tamquam circumstantias. Nam id quod principaliter vult, vult præstare cum omnibus illis circũstantijs: cuius signum est quòd si aliqua circumstantia sit, quam ipse nullo modo, ne confusè quidem aduertat vel aduerterit, ea non erit illi circũstantia, nec aliquam bonitatem operi tribuet: quia quod prorsus est incognitum, non potest esse voluntarium.

27 *Idem est de malitia ex circumstantijs.*

Simili ferè modo malitia ex circumstantia, coniungitur malitiæ quam habet actus ex obiecto; vt patet in voluntate furandi: qui enim furatur, non solùm vult accipere alienum, sed etiam vult cum circumstantijs quas videt operi cõiunctas: & quamuis aliquæ ex istis secundùm se displiceant, tamen censetur illas absolutè velle, quia vult opus, cui scit esse annexas. Declaratur exemplo. Sit aliqua domina pulcherrima, habens multas pedissequas indiuiduas comites, quæ tamquam harpiyæ omnia deuorent, vbi semel penetrauerint; qui vult admittere hanc dominam, necessariò etiam vult admittere has pedissequas, sine quibus scit dominam non ingressuram. Sic qui vult voluptates, vel compendia illicita, necessariò etiam vult mala annexa, quæcumque demum ea sint. Itaque malitia ex circumstantijs consistit in ordine, quem habet actus ad circumstantias. *A simili.*

28 *Secùs est in actu externo.*

Dico Secundò, si loquamur de actibus exterioribus, bonitas & malitia ex circumstantiâ non coniungitur bonitati vel malitiæ ex obiecto, nisi secundùm æstimationem moralem, quatenus actus ratione circumstantiarum censetur esse magis vel minùs conformis vel difformis rationi. Quòd enim eleëmosyna detur tali fine, tali necessitate, tali personę, nihil ponit in ipso actu externo, nisi quòd actus ob concomitantiam talium circumstantiarum, apprehendatur vt melior.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm actio hominis sit bona vel mala ex fine?

29 *Affirmatur.*

CONclusio. Actio humana præter bonitatem quam habet ab agente & obiecto, habet etiam aliquam ex fine.

Probatio D. Thomæ est obscura; mens videtur hæc. Res omnis ab alio dependens, ab eodem habet aliquam bonitatem, à quo habet aliquam dependentiam sui esse: atqui esse actionis humanæ pendet non solùm ab agente & obiecto, sed etiam à fine, à quo res omnis habet suum complementum: ergo actio humana habet bonitatem non solùm ab agente & obiecto, sed etiam ex fine; & quidem præcipuè tamquam à causa vnde res habet suum complementum, & vltimam perfectionem.

Dices, Hæc ratio solùm probat de bonitate; sed probandum quoque erat, malitiam ex fine sumi.

Respondeo, Id probandũ simili modo. Si enim complementum bonitatis actûs pendet à fine boni, complementũ malitiæ pendebit ex fine mali; vt quando

vt quando actus est malus non solùm ex obiecto, sed etiam ex fine. Exemplũ sit, cùm quis furatur, vt mœchetur; cùm facit homicidium, vt spoliet.

30 *Quadruplex bonitas in actu.* Hinc sequitur, Quadruplicem bonitatem in actibus considerari posse. Prima est, Naturalis & generica, quam actio habet, vt est actio vitalis habens esse ab agente. Hanc D. Thomas vocat bonitatem secundùm genus, estque communis actibus bonis & malis.

Secunda, Moralis quam actus habet ex obiecto consentaneo rationi, supposita libertate.

Tertia, Quam habet à circumstantijs, veluti quibusdam accidentibus, quæ tribuunt esse accidentarium. Hoc intellige de circumstantijs distinctis à fine.

Quarta, Quam habet à causa finali, quæ est præcipua causarum, à qua pendet rei complementum.

31 Dices, Art. 3. ostensum est, actionem humanam habere aliquam bonitatẽ & malitiam à circumstantijs: atqui finis est aliqua circumstantia: ergo etiam ex fine: ergo superuacaneè hîc quæritur, vtrùm actio sit bona vel mala ex fine.

Respondeo Negando consequentiam. Primò, Quia finis non est tantùm circumstantia, sed etiã est causa actûs, vnde potissimùm eius malitia & bonitas pendet. Itaque explicanda erat propria ratio, quâ finis tribuit bonitatem vel malitiam. Secundò, Quia etsi finis sit circumstantia actus exterioris, tamen non est circumstantia actus interioris voluntatis, sed transit in obiectum; vt docet Caietanus hîc, & D. Thomas infrà, art. 6. & patet ex dictis suprà qu. 8. art. 3.

32 *Explicatur D. Thomas.* Notandum *in resp. ad* 3. quando D. Thomas ait actionẽ, quæ secundùm suam speciem & circumstantias bona est, posse ordinari ad malum finem, id non esse sic intelligendum sicut hîc explicat Caietanus, quasi D. Thomas sub circumstantijs comprehendat circumstantiam finis, velitq; actum bonum ex obiecto & circumstantijs omnibus, etiam fine, posse ordinari ad malum finem: sed tantùm vult dicere, actionem bonam secundùm speciem & omnes circumstantias, excepto fine, posse ordinari ad malum finem, ob causam dictam. Et sanè id quod Caietanus dicit fieri non posse, patebit infrà.

ARTICVLVS V.

Vtrùm aliqua actio hominis sit bona vel mala in sua specie?

33 *Actus boni specie differunt à malis in genere moris.* Conclusio, Bonum vel malum in obiecto faciunt diuersitatem specificã in actibus moralibus. Probatur, quia sunt differentiæ per se in genere moris.

Notandum, Mentem D. Thomæ esse, omnes actus bonos specie differre ab actibus prauis, non entitate naturali, sed in genere moris. Ratio est, quia esse morale consistit in ordine actûs ad iudicium rationis rectæ. Qui ordo generatim est triplex, scilicet conformitatis, difformitatis & indifferentiæ. Itaque conformitas, difformitas & indifferentia ad iudicium rationis rectæ, sunt actus morales. Proueniunt autem hæ differentiæ in actibus ex obiectis: Ideò enim actus sunt tales, quia versantur circa obiectum conforme, difforme, indifferens.

Triplex ordo actûs ad iudiciũ rationis in genere moris.

DVBIVM.

Vtrùm bonum & malum sint etiam differentiæ essentiales actuum, secundùm esse naturale consideratorum?

34 *Sententia Conradi.* Conradus in hunc art. docet, bonum & malum aliter esse differentias actuum exteriorum, aliter interiorum. *Quia*, inquit, *actus exteriores nõ differunt per illas differentias in genere entis; sed solum in genere moris. Actus verò interiores*, inquit, *quia per se ad genus moris pertinent, ideò ex bono & malo quod est in obiecto, distinguuntur tamquam per differentias essentiales.* Sentit igitur bonum & malum, respectu actuum exteriorum in ratione entis consideratorum, esse solùm accidentia: sed respectu actuum interiorum voluntatis, secundùm suam entitatem realem consideratorum, esse differentias essentiales.

Ratio ipsius est Primò, Quia bonum & malum sunt differentiæ per se actus voluntatis, vt inquit D. Thomas tùm hoc loco, tùm qu. seq. art. 1. Secundò, Quia bonum & malum ita se habent ad actum voluntatis, sicut verum & falsum ad actum intellectûs. Sed actus intellectûs per se distinguuntur differentiâ veri & falsi, vt idem D. Thomas ait: ergo, &c. Tertiò, Quia actus voluntatis per se pertinent ad genus moris: ergo bonum & malum non conueniunt illis accidentaliter, sed vt differentiæ essentiales.

Sed contraria sententia est vera, quam docet Caietanus hîc & quæst. 19. artic. 1. & Medina ibidem. Et Durandus in 2. d. 40. quæst. 2. & 3. pro qua

35 *Bonum & malum morale, respectu actuum externorũ in naturâ consideratorum, sunt merè accidentia.* Dico Primò, Bonum & malum morale respectu actuum exteriorum in genere naturæ consideratorum sunt merè accidentia (accepto hoc nomine latè) vel denominationes extrinsecæ, quæ possunt abesse & adesse, manente eâdem specie actus in genere naturæ.

Patet exemplis. Homicidium enim in ratione entis est eiusdem speciei, cuius est actus iustitiæ; tamen specie differt in genere moris. Similiter adulterium & actus matrimonij. Denique omnes actus externi possunt esse eiusdem speciei naturalis in stulto & in sapiente, tamen in stulto non habebunt speciem moralem boni vel mali, in sapiente habebunt. Ratio est, quia non solùm esse morale est accidentarium actui externo, sed etiam quòd cum his vel illis circumstantijs fiat, cum quibus est conueniens rationi, vel disconueniens.

36 *Item, malũ morale respectu actuũ interiorũ.* Dico Secundò, Malum morale respectu actuum interiorum voluntatis in genere naturæ consideratorum, non est differentia essentialis, sed accidentaria.

Probatur Primò, Idem actus interior, qui priùs non habebat malitiam moralem, potest eam incipere habere. Primi enim motus praui voluntatis, antequam ratio aduertat esse prauos, non sunt moraliter mali: postquam autem aduertens negligit comprimere, incipiunt esse mali. Et è contrario qui habebant malitiam moralem, possunt desinere eam habere, si ratio desinat obiecti prauitatem aduertere: & tamen in his nulla fit variatio secundùm esse naturale: ergo differunt in illis species naturalis & moralis. Sed hoc argu-

mentum tantùm probat malum non esse differentiam essentialem, si consideretur vt actu habet esse morale; quod facilè concesserit Conradus: quia actualis libertas non est de essentia actus voluntatis. Vnde probandum est, malum secundùm se, vt præscindit ab actuali libertate, non esse differentiam essentialem actus.

Probatur igitur Secundò, Quia in eodem actu potest esse duplex species mali: vt patet in voluntate furandi rem depositam in loco Sacro, in qua est malitia furti, & malitia sacrilegij, quæ specie distinguuntur: atqui nulla res simplex potest habere duas species naturales, seu esse in duabus speciebus; sed benè potest habere duo accidentia.

Tertiò, Omnis volitio habet suam speciem naturalem ab obiecto formali, quod est per se ratio volendi: atqui malitia moralis non potest per se esse ratio aliquid volendi: nemo enim intendens in malum operatur: ergo non potest dare speciem naturalem actui voluntatis.

Quartò, Ratio volendi semper est aliquod bonum vel delectabile, vel naturæ conueniens, vel honestum: atqui ratio volendi tribuit speciem naturalem actui voluntatis: ergo omnis volitio mala habet speciem naturalem à bono delectabili, vel conuenienti naturæ. Atqui tali bono est accidentarium, quòd sit contra rationem. Nam eadem delectatio quæ est cõtra rationem propter aliquas circumstantias, potest esse secundùm rationem mutatis circumstantijs: ergo similiter speciei naturali actûs voluntatis accidentarium est, quòd sit mala.

37 *Quomodo bonum morale nõ tribuat, & quomodo tribuat actui voluntatis speciem naturalem.*

Dico Tertiò, Bonum morale, etsi consideratum vt actu & formaliter habet esse morale, non constituat speciem naturalem actûs voluntatis; tamen si consideretur præcisè & secundùm se, vt potestate duntaxat habens esse morale, sic videtur differentia specifica constituens speciem naturalem actûs voluntatis.

Prior pars probatur, Quia fieri potest vt actus moraliter bonus amittat esse morale, scilicet amittendo esse liberum; vt suprà art. 1. Si amittit esse morale, necessariò etiam amittit bonitatem actu moralem, quæ supponit esse morale. Pari modo fieri potest, vt actus tendens in obiectum honestum, non habeat esse morale (vt patet in affectibus primis diuinitus inspiratis) & postea ratione attendente, incipiat habere esse morale; & consequenter bonitatem moralem actu.

Altera pars probatur, Quia bonum morale quod est in actu interno voluntatis, præcisè consideratum, consistit in ordine seu habitudine ad obiectum honestum: hic autem ordo tribuit actui voluntatis speciem: quia omnis actus accipit speciem naturalem ex ordine ad obiectum formale: ergo bonum morale tribuit actui voluntatis speciem naturalem. Vnde in actu voluntatis non distinguuntur species naturalis actus & species moralis; sed vna eademque species actûs, quæ præcisè considerata absque actuali libertate, est species naturalis actûs, fit species moralis hoc ipso quo superuenit libertas. Secus est de actibus malis: malitia enim actûs non consistit in habitudine ad obiectum formale tribuente speciem naturalem actui; sed in habitudine ad aliquid annexum obiecto. Vnde in actu malo differt species moralis à naturali: Species enim naturalis accipitur ex ordine quem actus habet ad obiectum formale, quod est commodum naturæ, vel bonum delectabile: moralis verò ex ordine ad aliquid annexum illi obiecto; vt quod illa res, sit sacra; quòd illa mulier, sit vxor aliena; &c.

In bonis actibus non distinguitur species naturalis & moralis.

Secus est in actibus ma-

38 *Responsio ad Argumenta Cõradi.*

Ad primam rationem Conradi Respondeo, Dupliciter intelligi posse bonum & malum esse differentias per se actûs voluntatis. Primò, Vt illud *per se* iungatur cum actu voluntatis: & sic sensus est, bonum & malum conuenire actibus voluntatis immediatè, non mediante alio actu; sicut conuenit actibus imperatis à voluntate, qui non sunt immediatè boni & mali moraliter, sed solùm mediante actu voluntatis quo informantur; vt docet D. Thomas art. 6. Hoc modò testimonium istud nihil probat. Secundò, Vt illud *per se*, iungatur cum differentijs: vt sensus sit, bonum & malum esse differentias essentiales actuum voluntatis: sed tunc vt verum sit, intelligendum est de actibus consideratis non secundùm esse naturale, sed morale.

Ad secundam rationẽ. Hoc argumento probatur potiùs contrariũ; quia verum & falsum sunt quasi accidentia actuum intellectûs. Idem enim assensus vel numero vel saltẽ specie potest ex vero fieri falsus, & contra; vt docet Aristoteles in Categorijs: quia assensus verus nihil habet ex parte sua quo differat à falso; nec falsus quidquam in se habet quo differat à vero: sed merè per extrinsecã denominationem dicitur verus aut falsus: nempe ex eo quòd res sic se habeat, vel non habeat, sicut iudicium dictat. Quod intellige de assensu naturali & obscuro. Secus enim res habet in assensu supernaturali fidei; cui non potest dari similis specie, qui sit falsus: secus etiam est in assensu naturali claro, qui euidenter attingit connexionem extremorum, ita vt ex modo quo fit, non possit ei subesse falsum. Dicit autem D. Thomas Actus intellectus *per se* distingui differentiâ veri & falsi, non quòd verum & falsum sint differentiæ essentiales; sed quia immediatè conueniunt actibus intellectûs; sicut bonum & malum actibus voluntatis.

Quomodo verum & falsum sint differentiæ accidentales vel essentiales actûs intellectûs.

Explicatur D. Thomas

Dices, Hinc sequi videtur etiam Bonum non esse differentiã essentialẽ actûs volũtatis; sicut verũ non est differentia essentialis actûs intellectûs.

Respondeo. Tantùm sequi bonum consideratum, vt actu habens esse morale, non esse differentiam essentialem; quia esse morale actuale, est denominatio extrinseca respectu actûs voluntatis: sicut esse verum, est denominatio extrinseca assensus obscuri intellectûs, vt dictum est. Si verò cõsideretur bonum, vt potentiâ habens esse morale, sic non sequitur: quia hoc modo est differentia essentialis constituens speciem naturalem actûs voluntatis. Quod confirmatur exemplo proposito: ita enim se habet bonum ad actum virtutis voluntatis, sicut verum ad actum virtutis intellectûs: sed verũ est quasi differentia essentialis actûs virtutis intellectualis (talis enim actus numquam potest esse falsus:) ergo bonum est differentia essentialis actûs virtutis pertinentis ad voluntatẽ: debet enim fieri comparatio inter actus virtutum vtriusque potentiæ, quibus perfectè attingitur bonum, & verum.

Ad tertiam rationem. Actus voluntatis *per se* ad genus moris pertinent, quia immediatè absque actu medio: sicut è contrario actus imperati à volun-

voluntate, solùm *per aliud* & mediatè ad genus moris pertinent.

39 *Solvuntur obiectiones*

Objcies Primò, Id quod directè & per se est volitum, tribuit speciem naturalem actui voluntatis: atqui malitia obiecti potest esse directè volita; vt patet in odio Dei, in amore peccati vt est offensio Dei: ergo saltem tunc tribuit speciem naturalem actui.

Malitia non potest per se esse volita.

Respondeo Negando minorem. Potest enim malitia esse directè volita, non tamen *per se*, id est, ita vt non propter aliud; quia malitia non est per se amabilis: vt patet in odio Dei; qui enim odit Deum, vult Deum non esse, non quòd hoc per se ei placeat; sed quia placet carentia pœnæ quam Deus infert, & licentia vitæ quam prohibet. Sic qui amat peccatũ, quatenus est offensio Dei, quod propriè diabolicum est, non amat ipsam offensionem per se, sed quia per illam se quodammodo de Deo vindicat.

Objcies Secundò, Vitia inclinant ad actus moraliter malos: atqui non inclinant nisi ad speciem naturalem actuum: ergo species naturalis non distinguitur à morali in vitijs.

Respondeo Negando Minorem. Etsi enim non inclinent primariò ad malitiam moralem; tamen absolutè in eam inclinant, tamquam ad quid annexum speciei naturali actuum, sicut etiam inclinant ad rationem demeriti. Primariò enim & ex naturâ suâ inclinant ad speciem naturalem actuũ: secundariò autem, tamquam ad quid annexum speciei naturali in agente libero, inclinant ad malitiam moralem, quæ est conditio quædam accidentaria speciei naturalis.

40 Dices, Ergo nullus habitus est essentialiter vitium, sed solùm per accidens; quia solùm per accidens inclinat ad malitiam moralem actus.

Nullus habitus est essentialiter vitium.

Respondeo, Concedendo totum, si loquamur de habitu vitioso considerato secundùm suam speciem naturalem. Sicut enim species naturalis actus vitiosi, accipitur ex ordine ad aliquod bonum delectabile, vel commodum naturæ, cui annexa est aliqua turpitudo; ita species naturalis habitus vitiosi. Vnde non est de essentia illius habitualis inclinationis, quòd inclinet in malum morale, sed quòd inclinet in aliquod bonum delectabile, vel commodum, cui ratione alicuius circũstantiæ vel præcepti connexa est malitia. Secus in virtutibus: harum enim habitus essentialiter & per se primò inclinant in bonum honestum qua tale; non tamen in esse morale actuale, seu in libertatem: quia inclinatio virtutis est naturalis & ad vnum determinata.

Habitus virtuum essentialiter sunt virtutes.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm actus habeat speciem boni vel mali ex fine?

41 PRima Conclusio. Actus interior voluntatis accipit speciem boni vel mali ex fine. Ratio est, quia accipit speciem ab obiecto; finis autem est obiectum voluntatis: ergo accipit speciem à fine.

Secunda Conclusio. Actus exterior secundùm se consideratus, accipit speciem suam ab obiecto seu materiâ. Patet in homicidio, sacrilegio, furto, &c.

Tertia Conclusio. Actus exterior consideratus vt est actus humanus seu moralis, accipit speciem boni vel mali ex fine. Probatur, quia actus exterior non est actus humanus, nisi quatenus est voluntarius: atqui voluntas accipit speciem à fine: ergo &c. Hinc sequitur

Quarta Conclusio. Actus humanos formaliter consideratos habere speciem à fine: materaliter autem ab obiectis actuum exteriorum. Probatur, Quia actuum humanorum pars formalis, est actus interior voluntatis, qui habet speciem à fine: pars autem materialis est actus exterior, qui habet speciem à materiâ circa quam.

Notandum, Actum interiorem voluntatis versari immediatè vel circa finem, vel circa medium: hoc autem medium vel habet aliquam bonitatem per se amabilem, quæ tamen vlteriùs sit vtilis ad aliud bonum; vt opera virtutum sunt amabilia ob propriam honestatem, & tamen vlteriùs sunt vtilia ad salutem, & ob hanc vtilitatem amabilia: Vel non habet aliquam talem bonitatem, sed solùm est amabile propter aliud; vt pharmacum ob sanitatem, opera pœnitentiæ ob satisfactionem. Rursus, medium quod eligitur ob aliquem finem, vel est actus exterior, vt sumere pharmacum; vel actus interior voluntatis, vt amare Deum, dolere de peccatis propter Deum, velle dare eleëmosynam ad satisfactionem pro peccatis. His positis, duo sunt certa.

42 *Medium vel ob suã, vel ob alienam bonitatem apetitur.*

Medium vel est actus interior vel exterior.

Prius est, actum interiorem voluntatis, qui immediatè versatur circa finem, vt amor, intentio, fruitio, habere speciem boni vel mali ex fine. Ratio, est, quia finis est immediatum obiectum talis actus. Ob hanc causam actus diuersarum virtutum distinguuntur specie boni; quia versantur immediatè circa diuersos fines, id est, circa diuersa obiecta per se amabilia: & actus diuersorum vitiorum distinguntur specie mali; quia versantur circa diuersos fines, qui diuerso modo rationi rectæ repugnant; vt in voluntate furti, adulterij, &c. Et hæc est primaria species boni vel mali in actu intentionis.

Actus interior voluntatis, habet speciem boni vel mali ex fine.

Alterum est, actum electionis medij per se indifferentis, non habere speciem boni vel mali ex medio, sed tantùm ex fine ad quem hoc medium dirigitur. Itaque si finis est bonus, electio erit bona; si malus, mala. Et hæc quoque est primaria species boni & mali in huiusmodi electione. Sed duo sunt Dubia.

Similiter electio medij per se indifferentis.

DVBIVM I.

Vtrùm, Quando aliquod opus externum per se bonum eligitur ob alium finem, electio illa habeat primariam speciem boni ex intrinseca bonitate medij, accidentariam autem ex fine? Similiter quando medium est per se malum, & refertur ad aliud malum, tamquam ad finem?

43 QVidam, inter quos Medina suprà art. 4. & qu. 19. art. 2. putant in hoc casu electionem illam habere duplicem speciem. Vnam ex ordine ad propriam bonitatem medij; & hanc esse primariam, & essentialem, ratione cuius speciei ipsa sit actus elicitus à propria virtute. Alteram ex ordine ad finem extrinsecum; hanc esse

Sententia Medinæ.

secundariam & accidentalem, quæ competat electioni, vt est actus imperatus à virtute propria illius finis. v. g. Vis dare eleëmosynam vt placeas Deo: primariam speciem illius voluntatis dicunt esse ex habitudine ad honestatem eleëmosynæ; ideoque esse actum elicitum à virtute misericordiæ: secundariam autem & accidentalem esse ex relatione ad gratificandum Deo; & hac ratione esse actum imperatum à charitate. Similiter cùm quis vult ieiunare vt satisfaciat pro peccatis; hanc voluntatem esse actum imperatum à iustitia, elicitum à virtute abstinentiæ.

Fundamentum est, Quia quando medium est per se bonum vel malum, accidentarium ei est, quòd ordinetur ad alium finem: ergo finis ille solùm se habebit vt circumstantia, non autem vt obiectum respectu illius electionis.

Sed contraria sententia est verior. Pro qua

44 Dico Primò, Quando medium quòd eligitur est secùndùm se malum, & finis ob quem eligitur, malus; tunc electio habet duplicem speciem malitiæ; scilicet ex fine, & ex medio. Patet exemplo Aristotelis. Cùm quis vult furari, vt mœchetur; hæc enim voluntas habet malitiam furti & adulterij, quæ sunt duæ species malitiæ. Sic cùm quis vult occidere, vt spoliet; volitiò illa habet malitiam homicidij & furti. Ratio est, quia vt voluntas contrahat aliquam speciem malitiæ, non est necesse vt illa malitia sit propter se, aut etiam directè volita; sed sufficit vt illud sit volitum, cui ipsa est annexa: tunc enim & ipsa censetur volita interpretatiuè: quod satis est vt actui speciem mali tribuat; vt dictum est a. 2. dub. 4. Itaque propria malitia medij non minùs tribuit specié actui voluntatis, quam malitia finis. Neque mirum est posse esse duas species malitiæ in eodem actu simplici; quia respectu substantiæ actûs, sunt accidentariæ.

Electio duplicem mali speciem contrahere potest, alteram ex medio, alteram ex fine.

45 Dices, D. Thomas hoc loco docet actum interiorem accipere speciem boni vel mali ex fine, eò quòd finis sit obiectum actûs interioris: ergo in actu interiore non est nisi vna species malitiæ, scilicet quæ accipitur ex fine.

Species mali quam electio habet ex fine, est principalis.

Resp. D. Thomam non negare, quin in electione praui medij ob prauum finem, sit duplex species malitiæ; sed tantùm vult illam speciem quæ accipitur à prauitate finis, esse principalem in actu interiore. Electio enim illa quâ quis vult furari, vt adulterium committat, magis est affectus adulterij, quàm furti; quia non tendit in furtum propter furtum, id est, propter furti commodum, sed propter adulterium; id est, adulterij voluptatem. Vnde magis censetur malitia adulterij esse volita, & tribuere speciem, quàm malitia furti: quia sicut in electione censetur magis esse volita bonitas finis, quàm bonitas medij; ita etiam inordinatio annexa fini, magis censetur volita, quàm ea quæ est annexa medio. Itaque malitia ex fine accepta, erit principalis; ex medio autem, solùm accessoria.

Aduerte tamen, contrario modo contingere in actu externo: dum enim committis furtum ob adulterium, istud furtum externum habet malitiam furti tamquam principalem, & veluti essentialem; malitiam adulterij solùm accessoriam.

46 Ex his intelligi potest, quomodo verũ sit quod ait Aristoteles 5. Ethic. c. 2. *Qui furatur propter adulterium, magis est adulter quàm fur:* hoc enim verum est, non quia illud furtum magis est adulterium, quàm furtum, vt Medinæ placet, hoc enim falsum est; sed quia affectus illius hominis magis tendit in adulterium, quàm in furtum: habet enim duos affectus interiores tendentes in adulterium; scilicet intentionem adulterij & electionem furti propter adulterium; quæ electio etiam tendit in adulterium tamquam in rationem formalem obiecti. In furtum autem solùm habet vnum affectum; qui tamen non tendit in furtum propter furtum, sed propter adulterium; & ita magis in adulterium quàm in furtum; iuxta illud, *propter quod vnumquodque, & illud magis.*

Aristoteles explicatur. Quomodo is qui furatur propter adulterium, magis sit adulter quàm fur.

Dico Secundò, Etiamsi medium quod eligitur, per se bonum sit, si tamen ordinetur ad alium finem bonum, electio huius medij nõ habebit vllam speciem boni ex medio, siue primariam, siue accessoriam, sed solùm ex fine. Verbi gratiâ. Si velis eleëmosynã, vt placeas Deo; illa volitio habet speciem virtutis ex fine, non ex medio: vnde est actus charitatis in Deum, non misericordiæ in proximum. Si velis eleëmosynam, vt satisfacias pro peccato; est actus iustitiæ, non misericordiæ. Si velis ieiunium, vt satisfacias voto; est actus religionis, non abstinentiæ. Loquor autem de actu interno, non de externo.

47 *Electio medij non habet vllam speciem boni ex propria bonitate medij.*

Colligitur ex D. Thoma hoc loco, & ex Aristotele 2. Ethic. c. 4. vbi, vt opus aliquod sit opus virtutis, inter cetera requirit, *vt fiat propter bonum illius virtutis.*

Ratio est, quia etsi bonitas eleëmosynę hîc sit volita, non tamen est volita propter seipsam, sed solùm vt est vtilis ad alium finem; ac proinde tota ratio illam volendi, est bonitas finis: ergo bonitas finis tribuit speciem virtutis illi volitioni, non autem propria bonitas eleëmosynæ. Consequentia probatur, quia illa bonitas tribuit speciem actus voluntatis, quæ est ratio volendi: secùs est de malitia, vt suprà dictum a. 5. in dub.

Obijcitur Primò, Actus habet suam primariã speciem à suo obiecto formali: atqui obiectum formale electionis, est bonitas ipsius medij, non autem bonitas finis: ergo habet primariam speciem à medio; à fine solùm secundariam. Ita Medina.

48 *Soluuntur obiectiones.*

Respondeo Negando secundam partem minoris; quia etsi obiectum formale electionis sit bonitas medij, quatenus est vtilis ad finem; tamen quia hæc bonitas habet suam speciem à fine (consistit enim in quodam ordine seu aptitudine ad finem) etiam electio speciem habet à fine: à bonitate autem propriâ, quam medium per se habet, nullam accipit speciem; quia hæc bonitas se habet vt obiectum materiale, à quo actus non habet speciem.

Obijcitur Secundò, Si des eleëmosynam vt placeas Deo, illa largitio eleëmosynæ habet duplicem speciem bonitatis, scilicet eleëmosynæ & charitatis; illa, est ex obiecto, vnde est primaria & inuariabilis; hæc, est ex fine, ac proinde accessoria & variabilis: ergo similiter voluntas dandi eleëmosynam ob talem finem, habebit primariam speciem ex obiecto, accessoriam ex fine.

Conseq. Probatur, quia actus exterior & interior in ratione moris sunt vnus numero actus.

Respondeo Negando Consequentiam, Quia largitio eleëmosynæ externa, habet suam speciem ab obiecto, vt docet hîc D. Thomas, quæ

49

species

Largitio externa eleëmosynæ habet suam speciem ab obiecto, quæ non variatur etsi ordinetur ad vlteriorem finem.

speciés manet dùm ordinatur ad vlteriorem finem; quia hæc ordinatio est illi, merè extrinseca. Itaque manente specie quam habet ex obiecto, additur ei noua species bonitatis ex ordinatione ad finem. Et sic largitio eleëmosynæ, manens largitio eleëmosynæ, ex illa ordinatione extrinseca fit actus charitatis in Deum; quia sequitur ex affectu dilectionis Dei. Electio autem eleëmosynæ in illum finem, non habet vllam speciem ex obiecto materiali, sed solùm ex formali, sicut omnis actus voluntatis: hoc autem obiectum est finis, vt suprà dictum. Vnde ordinatio ad finem non est extrinseca electioni, sicut est extrinseca medio quod eligitur, sed est ei essentialis tribuens ei speciem essentialem.

Actus interior & exterior ab interiori imperatus, sunt veluti compositum ex anima & corpore.

Ad probationem Respondeo, Actum interiorem & exteriorem imperatum ab interiori, esse quidem vnum numero actum compositum ex duobus, veluti animâ & corpore. Sed hinc tantùm sequitur, actum exteriorem vt informatur interiore, non habere speciem nisi à fine; sicut corpus non habet speciem nisi humanam, vt informatur animâ. Cum hoc tamen stat quòd secundùm se & materialiter consideratus habeat speciem primariam ab obiecto, & accidentariam ex ordine ad finem; sicut corpus humanum habet suam speciem primariâ à forma carnis, ossis, &c. accidentariam ab anima.

50 Obijcitur Tertiò, Si electio non habet vllam speciem boni à medio, sed solùm à fine; ergo omnes electiones factæ ob eumdem finem sunt pares bonitate; ac proinde non erit melius velle dare magnam eleëmosynam propter Deum, quàm paruam; velle vitam profundere pro Christo, quàm fortunas.

Melius est velle dare magnam eleëmosynã propter Deum, quã paruam.

Respondeo Negando Consequentiam. Quia eò melior est electio, quò medium, quod eligitur, est vtilius & efficacius ad finem, siue ipsum in se sit melius siue non. Vtilius autem est ad placendum Deo, dare omnia, quàm partem tantùm. Itaque illa electio est melior, non quia eleëmosyna illa præcisè in ratione eleëmosynæ est melior, sed quia est vtilior ad finem; & ita magis particeps bonitatis finis. Bonitas tamen eleëmosynæ est fundamentum istius vtilitatis. Vnde dici potest, quòd electio habeat bonitatem ex propria medij bonitate, tamquam ex fundamento, seu ratione materiali.

51 Obijcitur Quartò, D. Thomas 2. 2. qu. 31. art. 1. ad 2. docet actum qui propriè est vnius virtutis elicitiuè, attribui alteri virtuti, sicut imperanti ad suum finem. Ponit exemplum in eo qui dat eleëmosynam, vt satisfaciat pro peccatis. Hanc enim eleëmosynam esse actum elicitum misericordiæ, sed imperatum à iustitia. Vnde apertè sequi videtur, primariam speciem electionis accipi à propria bonitate medij, accessoriam autem ex fine.

Respondeo, D. Thomas loquitur de actu externo eleëmosynæ, quem dicit propriè esse actum misericordiæ elicitiuè, quia secundùm propriam bonitatem non pertinet nisi ad virtutem misericordiæ. Hinc tamen non sequitur, electionem huius actûs externi factam ob alium finem, esse actum elicitum misericordiæ, aut ipsum actum externum fieri ex virtute misericordiæ, quando fit ex affectu satisfaciendi pro peccatis, aut alterius virtutis. Simili modo intelligendum est, quando dicimus aliquem actum virtutis esse elicitum ab vna virtute, & imperatum ab alia. Tantùm enim significatur, illum actum externum secundùm propriam bonitatem, quam habet ex sua materia, pertinere ad propriam aliquâ virtutem, & ab eâ elici, si per se & ob suam propriam bonitatem fiat; non autem si fiat ob bonum alterius virtutis. Vnde rectè D. Thomas suprà, qu. 13. art. 1. ait, Actum fortitudinis factum ex amore Dei, solùm materialiter esse actum fortitudinis, formaliter autem charitatis. Itaque elicitur à charitate, non à fortitudine.

Quo modo dicatur actus elicitus ab vna virtute, & imperatus ab alia.

DVBIVM II.

Vtrùm quando assumitur aliquis actus interior voluntatis ad aliquem alium finem, accipiat aliquam bonitatem vel malitiam ex fine?

52 *Sententia Caietani.*

CAietanus hoc loco putat eamdem esse rationem actûs interioris & exterioris, quando ordinantur ad aliquem finem extrinsecum. Quare sicut actus exterior habet duplicem speciẽ boni vel mali, primariam ex obiecto, secundariam ex ordine ad finem; ita quoque actum interiorem habere duplicem speciem boni vel mali, primariam ex obiecto, secundariam ex fine, ad quem ordinatur. Exemplum ponit in eo, qui odio habet Deum, vt assequatur regnum. Quod exemplum sic videtur intelligendum. Promittit diabolus alicui regnum alienum, si velit Deum odisse: acceptat ille conditionem, & excitat se ad odium Dei: hoc odium, non solùm habebit malitiam odij, sed etiam iniustæ occupationis regni. Aptius exemplum fuerit in eo, qui excitat in se amorem erga Deum, erga res diuinas & virtutum officia, vt mereatur vitam æternam, seu ex affectu vitæ æternæ, qui affectus ad spem pertinet. Item in eo qui contritionem excitat, vt obtineat veniâ peccatorum.

53 Respondeo, Verius esse, actum internum voluntatis nullam bonitatem vel malitiam contrahere ex eo, quòd sic ordinetur ad finem extrinsecum bonum, vel malum: vnde hac in parte magna est differentia inter actus internos & externos.

Actus internus voluntatis nõ contrahit bonitatem vel malitiã accidentalem ex fine extrinseco.

Ratio colligitur ex dictis suprà q. 17. a. 4. Idcircò enim actus exterior accipit aliquam speciẽ boni vel mali ex ordinatione ad finem extrinsecum, quia informatur actu interiore, respiciente illum finem, ita vt vnus numero actus moralis cum illo efficiatur; sicque esse morale, & bonitas actûs interioris communicatur exteriori, tamquam parti materiali vnius actûs completi; sicut excellentia animæ communicatur corpori. Interior autem actus voluntatis quo aliquid propter se amatur, vel odio habetur, non potest sic informari alio actu interiore, vt vnum actum moralem cum illo conficiat; ac proinde non potest ei communicari bonitas vel malitia illius actûs, quo erat volitus & relatus ad alium finem. Verbi gratiâ. Volo excitare in me amorem Dei, vt mereat vitam æternam: Voluntas excitandi hunc amorem propter vitam æternam, habet bonitatem ex fine, scilicet ex ordine ad vitam æternã; est enim electio medij vtilis ad hunc finem: sed hanc bonitatem non cõmunicabit actui amoris Dei, quia non informat illum amorem, ita vt vnum actum moralem cum illo efficiat.

Quòd

Quòd autem non possit ille amor sic informari ab illa voluntate.

Vt fiat vnus actus ex volitione & actu volito requiritur vt actus volitus nõ habeat esse morale, nisi communicatũ sibi ab illa volitione.

Probatur Primò, Quia vt fiat vnus actus ex volitione & actu volito, requiritur vt actus volitus non habeat esse morale, nisi communicatum sibi ab illa volitione (nam ad actum moraliter vnum, requiritur vt tantùm vnum esse morale habeat; sicut ad actum naturaliter vnum, requiritur vt tantùm sit vnum esse naturale.) Atqui ille amor habet proprium esse morale, quia habet propriam & distinctam libertatem, cùm immediatè à potentia libera eliciatur; & habet propriam conuenientiã cum recta ratione, propriam quoque laudem & meritum: ergo volitio illa quâ amor Dei est volitus propter vitam æternam, merè extrinsecè se ad illum habet secundùm esse morale; ac proinde non communicat illi suam bonitatem.

Dices, Actus interior volitus pendet ab illa volitione qua volitus est: ergo ab illa moraliter informatur. Consequentia patet, quia ideò actus exterior informatur ab interiore, quia ex eo pẽdet.

Respondeo, solùm per accidens, & veluti occasionaliter pendet ab illa volitione. Nam fieri potest sine illa, & habebit suam libertatem & speciem moralem. Secus est de actu externo, qui ita pendet ab interno, vt sine hac dependentia non habeat esse morale.

Probatur Secundò, si actus interior acciperet bonitatem vel malitiam à fine extrinseco, sequeretur actum fidei, spei, charitatis posse esse malũ, & peccatum: atqui hoc est absurdum, vt infrà ostendetur.

Sequela maioris probatur, quia potest quis hos actus velle in se excitare ad vanam gloriam, vel ad vanam sui complacentiam, vel vt impetret à Deo donum miraculorum, vel quid simile.

54 *Probatur ex D. Tho.*

Probatur Tertiò, Ex D. Thoma hoc loco, vbi generatim docet, actum interiorem voluntatis à fine non habere aliquam speciem accidentariam, sed primariam; eò quòd finis sit obiectum actûs interioris voluntatis. Vnde immeritò Caiet. hoc

Caiet.

restringit ad actum interiorem, qui se habet instar imperantis; quasi non sit verum in actu interiore imperato; id est, qui est volitus alio actu. Nam ratio D. Thomæ generaliter probat omnem actum interiorem voluntatis habere speciem primariam à fine.

Soluitur obiectio ex D. Thoma.

Dices, D. Thomas q. 19. a. 2. ad 1. ait, in actu interiore voluntatis non differre bonitatem ex obiecto, & bonitatem ex fine, nisi fortè per accidens, prout finis dependet ex fine, & voluntas ex voluntate; vbi videtur insinuare actum voluntatis, quando vnus finis est volitus propter alium finem, aut quando voluntas vna pendet ex alia, habere duplicem bonitatem.

Respondeo Primò, D. Thomam ibi dubitanter loqui, quia non magnoperè pertinebat, ad id, quod ibi agebatur. Siue enim actus voluntarius habeat aliquam accidentariam bonitatem ex relatione ad alium finem, siue non; semper verum est, ex solo obiecto accipi bonitatem specificam actûs voluntatis; quod ibi D. Th. intẽdit docere.

Respondeo Secundò, D. Thomam non velle dicere bonitatem ex obiecto, & bonitatem ex fine, in aliquo actu interiore differre per accidens (hoc enim non est intelligibile: si enim differunt, essentialiter differunt, cùm ad diuersas virtutes pertinere debeant, etiam iuxta illos, qui eas ponunt distinctas:) sed per accidens fieri, vt bonitas ex obiecto, id est, ex actu externo, qui est obiectum interni, sit distincta à bonitate, quæ est ex fine; quia accidit interdum vt opus externum per se bonum (vt est largitio eleëmosynæ) ordinetur ad alium finẽ, v. g. ad satisfactionem peccatorum: & consequenter per accidens fit, vt voluntas aliam ex obiecto bonitatem habeat, & aliam à fine, non in eodem actu, sed in diuersis.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm species quæ est ex fine contineatur sub specie, quæ est ex obiecto, sicut sub genere; vel contrà?

55 *1. Conclusio.*

REspondeo duabus Conclusionibus.

Prima est, Quando obiectũ non ordinatur ad finem naturâ suâ, sed solùm arbitrio voluntatis, tunc species ex obiecto non continetur sub specie quæ est ex fine; nec contra: sed sunt species morales disparatæ.

Species ex obiecto nõ continetur sub specie ex fine, nisi obiectum naturâ suâ ad finem ordinetur.

Omissis varijs expositionibus Thomistarum. Notandum, ea quæ hîc tradit Diuus Thomas esse intelligenda de actibus moralibus completis, vt constant actu interno & externo. Si enim solus interior consideretur, species ex fine & obiecto, est eadem. Si solus externus, hic non habet speciẽ ex fine, sed ex obiecto. Si verò vterque consideretur vt efficiunt vnum actum completum, sic actus materialiter consideratus habet speciem ex obiecto, formaliter ex fine, & hæ duæ species hîc inter se comparantur. Explicatur exemplo. Mœchatur quispiam vt furetur: species ex obiecto, est adulterij; ex fine, est furti; quarum neutra comparatur ad alteram, vt generale ad speciale; sed sunt diuersæ species mali in eodem actu, non habentes inter se naturalem connexionem. Similiter si quis occidat vt spolietur: species homicidij quæ est ex obiecto, non continetur sub specie rapinæ, vt speciale sub generali; sed sunt duæ malitiæ speciales, quarum neutra ex naturâ suâ ad alteram ordinatur.

56 *Conciliantur duo loca D. Thomæ.*

Notandum, D. Thomam interdum aliter loqui. Nam 2. 2. q. 11. a. 1. ad 2. ait, *Vitia habere speciem ex obiecto, genus ex fine; vt quando quis mœchatur vt furetur, speciẽ mœchiæ esse ex obiecto proprio, sed hanc speciem contineri sub furto, tamquam effectum sub causa, vel speciem sub genere.* Hîc vult furtum esse instar generis. Et ratio est, quia cùm furtum sit finis illi homini propositus, affectus furti est multò generalior, quâ affectus adulterij: generalior, inquam, non attributione, sed causalitate; nam quoduis genus vitij, ex hoc affectu oriri potest: itaque ratione illius generalitatis habet quamdam analogiam cum genere. Hîc tamen negat furtum se habere instar generis respectu adulterij; quia ex natura rei nulla est inter hæc connexio, sed solùm per accidens ex ordinatione voluntatis. Itaque vt species ex obiecto se habeat ad speciem ex fine, sicut species ad genus, duo hîc requirit: Primò, Connexionem illorum inter se ex natura rei prouenientem. Secundò, generalitatem alterius ad alterum: quæ duo requiruntur inter genus & speciem.

Secunda

57 Secunda Cõclusio, Quando obiectum ex nã-
2. Conclu- tura sua ordinatur ad finem, tunc species quæ est
sio. ex obiecto, se habet ad speciem quæ est ex fine, sicut species ad genus.

Explicatur exemplo, Eleëmosyna ex natura sua ordinatur ad placendum Deo, sicut omne opus bonum. Si quis ergo det eleëmosynam intentione placendi Deo, species quam hic actus habet ex obiecto, scilicet species eleëmosynæ, est sub specie quæ est ex fine, id est, sub actu charitatis, tamquam species sub genere.

Duo requisita vt aliquid se habeat tanquam species ad genus.

Ratio est, Quia vt aliquid se habeat tamquam species ad genus, duo requiruntur. Primò, vt alterum sit generalius, alterum specialius. Secundò, vt id quod est generalius, comparetur ad specialius per se, non per accidens. Quę duo secundùm quamdam analogiam reperiuntur inter has duas species morales. Nam affectus placendi Deo se habet vt quiddam generale ad largitionem eleëmosynæ (non attributione, sicut animal ad hominem, sed causalitate, sicut finis ad media, intentio ad electionem) quia est affectus erga finem vltimum, qui mouet ad appetitionem omnium mediorum, quæ ad illum finem sunt vtilia; vt sunt omnia virtutum opera. Deinde est etiam connexio naturalis inter affectum erga Deum, & reliqua virtutum officia: nam hæc omnia ex natura sua illi affectui subseruiunt. Aliud exemplum sit in actibus malis. Committit quis sacrilegium vt Deum contemnat. Species sacrilegij quæ est ex obiecto, est sub specie contemptûs vel odij Dei. Quia sicut omne opus bonum naturâ suâ tendit ad honorem Dei; ita omne opus malum naturâ suâ tendit ad Dei contemptum seu odium. Itaque odium Dei habet se instar generis, quia est affectus quidam generalis mouens ad omne genus vitiorum, & sic quodammodo omne vitium in se per modum causæ complectens: & omne peccatum, ex natura sua habet ordinem ad odium Dei; nam in omni peccato est quædam participatio odij Dei, sicut in omni opere bono est quædam participatio affectûs charitatis.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm actus aliquis secundùm speciem suam sit indifferens?

58 Conclusio, Sicut sunt aliqui actus secundùm speciem suam boni, & aliqui mali; ita etiam sunt aliqui secundùm speciem suam indifferentes.

Probatur, Quia actus humani habent speciem moralem ab obiectis ad dictamen rationis comparatis: atqui sicut datur obiectum consentaneũ rationi, à quo actus est bonus secundùm suam speciem; & dissentaneum rationi, vnde est malus secundùm suam speciem: ita datur obiectum ad dictamen rationis indifferens secundùm speciem; id est, quod nec est consentaneum nec dissentaneum rationi; vt tollere festucam: ergo etiam datur actus indifferens secundùm speciem, id est, qui nec sit rationi consentaneus, nec repugnans.

Indifferẽs secundùm speciem quid.

DVBIVM.

Vtrùm præter has tres species sit quarta, nempe actuum malè sonantium?

D. Thomas Quodl. 9. a. 15. docet esse quatuor species actuum moralium ex obiecto, scilicet bonorum, malorum, indifferentium, & malè sonantium. Ad quam postremam speciem pertinet, retinere plura beneficia, occidere hominem, &c: hæc enim neque per se bona sunt, neque mala; cùm benè & malè fieri possint: neque etiam indifferentia, sicut leuare festucam; sed malè sonantia, quia plerumque malè fiunt. 59 *Quatuor species actuum moralium ex obiecto.*

Respondeo, Hanc sententiam probè intellectam esse veram. Vnde distinguendum est.

Actus malè sonantes.

Si per actus malos ex obiecto, intelligantur qui ita mali sunt, vt benè fieri non possint; sic datur quarta species illorum qui vocantur malè sonantes. Hi enim neque sunt ita mali vt nullo casu benè fieri possint; neque etiam sunt per se boni; neque per se & solitariè accepti sunt indifferentes (quia nisi grauis aliqua causa accedat, sunt mali:) sed secundùm se sunt malè sonantes; quia solitariè accepti reuerà sunt mali: accedente tamẽ graui causa, possunt esse non mali, & etiam boni.

Si verò actus ex obiecto malus dicatur, qui ex obiecto talis est vt solitariè acceptus sit malus (quomodo dicitur actus ex obiecto bonus & indifferens:) sic isti actus malè sonantes sunt mali ex obiecto, neque constituunt quartam speciem; quia isti actus solitariè sine adiunctis circũstantijs considerati, sunt mali: etsi enim non sint per se mali, vt illud *per se*, idem valet, quod intrinsecè & essentialiter: sunt tamen per se mali, vt illud *per se*, idem est quod sine nouis circumstantijs: quomodo tamẽ dicitur aliquid per se indifferens, & per se bonum.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm sit aliquis actus indifferẽs secundum individuum?

Conclusio Prima. Fieri potest vt actus secundùm speciem indifferens, sit bonus vel malus, vt fit in individuo. Patet, quia ratione circũstantiarum potest esse bonus vel malus, etiamsi secundùm speciem sit indifferens; vt si ambules visendi infirmi causâ. 60

Conclusio Secunda. Necesse est, omnem actum à ratione deliberata procedentem, esse bonum vel malum, vt fit in reipsa. Probatur, Quia vel ordinatur ad debitũ finem cum debitis circũstantijs, & sic est bonus; vel nõ ordinatur, & sic est malus.

Conclusio Tertia. Actus indeliberati non sunt boni vel mali moraliter. Ratio est, quia sunt extra genus moris.

DVBIVM I.

Vtrùm omnis actus deliberatus, vt fit in individuo, sit verè & propriè bonus aut malus moraliter, ita vt laude vel vituperio sit dignus?

DVæ sunt hîc celebres sententiæ. Prior affirmat. Hanc tenet Conradus & Medina hîc, & plerique Thomistæ, quia putant esse sententiam 61 *Affirmant Thomistæ.*

tiam D. Thomas. Eamdem tenet Durandus in 2. d. 40. q. 1. Major eâdem d. q. 2. Greg. in 2. d. 28. q. 1. Concl. 1. & d. 39. a. 2. Sed hic nititur falso fundamento; quia putat omne opus, vt non malum sit, debere aliquo actu referri in Deum. Vnde etiam concludit omnia opera infidelium esse peccata, quia carent hac relatione.

Aliorum fundamentum est, quia vt actus circa obiectum indifferens sit bonus, debet referri in finem formaliter honestum: ergo hoc ipso quo non refertur, deest ei aliqua circumstantia debita, ac proinde erit malus.

62 *Negant alij.* Altera sententia negat omnem actum humanum esse propriè bonum vel malum. Esse enim aliquos indifferentes.

Hanc expresè tenet D. Bonauentura in 2. d. 41. q. 3. Scotus eâd. d. q. vn. & quodl. 28. a. 1. Nec obstat, quod ibidem docet actum indifferentem posse dici malum: quia per malum non intelligit peccatum, sed solùm carentiam bonitatis indebitæ; vt patet ex adiunctis. Gabriel eâd. d. q. vn. a. 2. Io. Bassol. ib. q. vn. a. 2. Occam in 1. d. 1. q. 1. col. 4. Alexand. Hal. 3. p. q. 35. in 3. Almainus tract. 1. Moral. c. 14. Eamdem sententiam tenent aliqui discipuli S. Thomæ, vt refert Medina.

Notandum, Actum aliquem posse dupliciter dici bonum in genere moris. Primò, formaliter, quando fit non ex affectu delectabilis vel commodi naturæ, sed quia honestum, aut quia recta ratio hîc & nunc dictat; vt infrà dicam q. 19. a. 3. dub. 2. Secundò, Materialiter, vt quando fit quidem cum cognitione circumstantiarum, cum quibus est conueniens rationi; non tamen fit propter illam conuenientiam, seu propter bonum virtutis & honestum; sed quia est delectabilis & commodus naturæ. v. g. Comedit quis tempore, loco, modo, mensurâ debitâ, non quia hoc totum est honestum, aut rationi consentaneum; sed vt pellat famen, vel vt naturam recreet, nihil aliud actu vel virtute intendens. Nunc

63 *Actus in genere moris dupliciter dici potest bonus.*

64 *Non datur actio indifferens si per bonum intelligas quouis modo bonum.* Dico Primò, si per actionem bonam intelligamus omnem quouis modo bonam siue materialiter siue formaliter, sic non datur actio indifferens reipsâ, sed omnis est bona vel mala. Hęc videtur esse mens D. Thomę & quorumdam eius discipulorum, etiam Medinæ. Nam videntur ponere tales actus esse bonos. Vnde Medina in hac q. in fine, dicit, ire ad agros ob salutem corporis, esse actum bonum ex obiecto, quod tamen nō est verum, nisi materialiter. Similia habet q. 19. a. 3.

Prob. Quia omnis actio humana vel est conueniens dictamini rectę rationis saltē materialiter, vel nō est conueniens. Si est conueniens, est bona; si verò nullo modo, ne materialiter quidē est cōueniens, sine dubio est mala: nam homo tenetur operari consentanee rectæ rationi, id est, eo modo, vt operatio rectæ rationi non repugnet. Vnde sequitur omnem actum, quo voluntas aliquid secundùm se indifferens vult, quia delectabile vel naturæ commodum; aut quo aliquid refutat, quia naturæ molestum, non considerans vllo modo, an nulla adsit circumstantia prohibita; esse malum. Si autem cōsideret nullam adesse prauam circumstantiam, esse bonum, saltem materialiter: quia cum his circumstantijs potest apprehendi, vt conformis rectę rationi, & appeti ob hanc conformitatem. Nam vnum obiectum potest secundùm vnam rationem esse delectabile, & secūdùm aliā, honestum; imò ratio delectabilis & commodi naturæ potest esse proximum fundamentum honesti.

Dico Secundò, si nomine actionis bonæ intelligamus eam solam, quæ formaliter bona est & laudabilis; sic dantur multæ actiones, quæ neque sunt bonæ, neque malæ, sed indifferentes. 65 *Datur actio indiferès si per bonum intelligas formaliter bonum & laudabile.*

Probatur Primò, Ex Patribus. Hieronymus epist. ad Augustinum de cessatione legalium. Est 11. inter epistolas Augustini, sic ait: *Neque enim indifferentia sunt* (scilicet legalia obseruata) *inter bonum & malum, sicuti Philosophi disputant bonum est continentia, malum luxuria, inter vtrumque indifferens ambulare, egerere alui stercora, naribus capitis purgamenta proijcere, sputis rheumata iacere, hoc nec bonum nec malum est; siue enim feceris, siue non feceris, nec iustitiam habebis nec iniustitiam.* *Probatur auctoritate Hieronym.*

Hoc testimonium adfert etiam Ioan. Major, & respondet esse intelligendum de actibus, qui naturaliter fiunt, *Et ità*, inquit, *non iuuat sententiam Doctoris Seraphici.* *Malè is explicatur à Majore.*

Sed hæc responsio nō est probabilis. Dicit enim Hieronymus, *Obseruare legalia non est indifferens, sed aut bonum aut malum; illa verò facere est indifferens:* ergo loquitur de vtrisque liberè factis. Nam legalia liberè seruantur, non actu naturali.

Dices, Hieronymus solùm vult dicere, illa esse indifferentia ex obiecto, non autē vt hic & nunc in indiuiduo fiunt.

Sed contrà, Hoc repugnat intentioni & verbis Hieronymi, ait enim *siue hoc feceris; siue non feceris, nec iustitiam habebis nec iniustitiam*, id est, nec secundùm legem, nec contra legem feceris; & inde probat hæc neque bona esse, neque mala. Loquitur ergo de his vt reipsa fiūt per se, sine alio fine; & contrarium asserit de legalibus.

Gregorius Homilia 27. in Euangelia *Sunt nonnulli qui diligunt proximos, sed per affectionem cognationis & carnis, quibus in hac dilectione sacra Eloquia non contradicunt.* Vbi *diligere per affectionem carnis*, est velle bona temporalia, non quia ratio dictat; sed quia frater, quia sanguine iunctus; quod non est formaliter bonum & laudabile. *Gregorius.*

Auctor Hypognostici l. 3. col. 3. docet hominem habere tantum liberum arbitrium, sine auxilio Dei in bonis & malis huius vitę. Deinde explicans, qualia sint ista bona, ait: *Dico, quæ de bono naturæ oriuntur; id est, velle laborare in agro, velle manducare & bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, vxorem velle ducere, pecora nutrire, artem discere diuersarum rerum bonarum, velle quidquid bonum ad præsentem vitam pertinet. Quæ omnia non sine gubernaculo Dei subsistunt, imo ex ipso & per ipsum sunt, vel esse cœperunt.* Hîc per *bona*, intelligit indifferentia, vt rectè notauit Hieronymus Hangestus c. 15. Moral. Nam clarè insinuat, ista opera non esse opera virtutū; sed solùm commoda vitæ temporali, & tamen non esse mala, vt ab hominibus fiunt ob suam commoditatem. Vide sequentia, vbi ponit quæ sint bona. *Auctor hypognostici.*

Secundò, Probatur ratione. Primò, Appetere sanitatem, solùm quia naturæ commoda, & fugere morbos & dolores, quia naturæ incommoda, non sunt affectiones formaliter bonæ, vti suppono; nemo enim propter has laudatur. Sed neque etiam sunt malę: ergo indifferentes. Quòd tales affectiones non sint malæ, probatur Primò, Quia 66 *Probatur septem rationibus. Prima ratio.*

oriun-

oriuntur ex inclinatione naturali voluntatis, seu quod idem est, ex voluntate vt naturâ, vt patet ex dictis q. 10. a. 1. Atqui inclinatio naturalis non tendit in motus per se malos. Tum quia alioqui natura esset prauè instituta, vt quæ non posset tendere nisi in actus, qui per se seu solitariè considerati, sint mali. Tum quia hæc inclinatio fuisset etiam in statu innocentiæ, & potuisset habere suos liberos motus quo ad exercitium. Tum denique quia huiusmodi motus fuerunt in Christo; nam voluntas vt natura abhorruit à morte, præcisè quia naturæ repugnans; & appetijt vitam, quia naturæ commoda.

Secunda ratio. Secunda ratio, Bonum naturæ conueniens, est verum bonum, dignum quod per se expetatur; & malum naturæ repugnans, verum malum per se fugiendum. Sicut enim natura in se bonũ est, ita etiam quod per se cõueniens naturæ est, est per se bonum, & dignum quod expetatur, etiamsi nullũ aliud bonum in ipso spectetur: modò tamen nihil ei sit annexum, quod maiori bono repugnet: v. g. aliqua circumstantia vel præceptum; ratione cuius repugnet bono honesto, quod maius est bonum, quàm naturæ. Ergo illud per se appetere, & hoc per se recusare, non est moraliter malum.

Tertia ratio. Tertia Ratio, Quia passim homines etiam boni, dum vident aliquid esse delectabile, vel naturę commodum, nihilque illiciti ei esse adiunctum, illud desiderant, vel afficiuntur, solùm quia delectabile vel commodum: neque sibi faciunt scrupulum, quòd non appetierint sub ratione honesti. Simili modo fugiunt tristia & naturæ molesta. Itaque communis sensus generis humani est, hæc non esse peccata.

Quarta ratio. Quarta ratio, Promissiones veteris Testamẽti erant bonorum indifferentiũ; vt abundantię frumenti, vini, olei, temporalis tranquillitatis, glorię humanæ, longæ vitæ, &c. ergo hæc bona per se appetere non est peccatum. Consequentia probatur, quia alioqui Deus dedisset illis maximam occasionem peccandi, proponendo illis huiusmodi prędmia: nam Iudæi mouebantur dumtaxat commodis naturalibus, & sensibilibus illorum bonorum, nihil vlteriùs in illis spectantes.

67 *Quinta ratio.* Quinta, ratio, Appetitio commodi, & fuga incommodi naturalis, non est mala ex obiecto, vt omnes fatentur; neque etiã ex circumstantia, vel ex prauo fine, vti suppono: ergo non est mala. Patet consequentia, Quia actus voluntatis non habent malitiam, nisi ex obiecto materiali vel formali, vel ex circumstantijs.

Obiectio quod requiratur relatio in finem honestum. Dices, Hos actus voluntatis esse malos, quia deest aliqua circumstantia necessaria, scilicet relatio in finem honestum.

Soluitur tripliciter. Primò. Sed contrà, Primò, Etiamsi relatio in finem honestum sit necessaria, vt opus sit honestum; non tamen probari potest esse necessariam ad hoc, vt opus sit non inhonestum, & non malum. Non enim vt opus sit non malum, tantum requiritur, quantum, vt sit bonum. Comedere, bibere, ambulare, non sunt opera honesta, nisi referantur ad finem honestum; sicque relatio in finem honestum necessaria est, vt sint opera moraliter bona: non tamen hinc sequitur istam relationem etiam esse necessariam, vt sint non mala; quia per se non mala sunt.

Secundò. Secundò, Si vt ista sint non mala, requiritur relatio ad finem honestum, ergo non est dicendum esse secundùm se indifferentia, sed potiùs esse mala; quia secundùm se & solitariè accepta non possunt, nisi malè fieri, & malè appeti. Neque satisfacit quòd quidam dicunt esse indifferentia, quia possunt benè & malè fieri; benè, si referantur ad bonum finem; malè, si ad malum: nam hoc modo etiam occisio hominis esset indifferens: potest enim benè & malè fieri pro diuersitate finis & circumstantiarum. Similiter acceptio rei alienæ, largitio eleëmosynæ, & omnia opera externa virtutum, & plurima vitiorum, essent indifferentia; quia benè & malè fieri possunt pro diuersitate finis. Atqui nemo dixerit, occisionem hominis esse opus ita indifferens, sicut comedere & bibere. Ergo comedere & bibere non tantùm est indifferens, quia est indifferens ad diuersos fines, & ad bonitatem malitiamque à finibus prouenientem: sed quia secundùm se & solitariè acceptum, est immediatè indifferens, id est, neque bonum moraliter, neque malum.

Vbi notandum, Dupliciter posse aliquod opus dici indifferens. Primò, Quia ex se est indifferens, vt ordinetur ad diuersos fines, & cõsequenter vt habeat bonitatẽ vel malitiam ab illis. Hoc modo omnia externa virtutum opera sunt indifferentia, cùm tamen secundùm se considerata sint moraliter bona: & plurima vitiorum sunt indifferentia, cùm tamen secundùm se, seu solitariè sint mala. Secundò, Quod per se & solitariè nec bonum est nec malum moraliter, hoc propriè & secundùm se est indifferens: Sicut opera externa virtutum secundùm se sunt bona, & vitiorum mala. Tale est comedere, bibere, ludere, & similia, vt naturę commoda. Velle ergo hæc secundùm se non est malum, etiamsi ad vlteriorem finem non referantur. 68 *Dupliciter aliquid dicitur esse indifferens.*

Tertiò, Si obligamur illa indifferentia referre in finem honestũ, dum ea appetimus vel facimus; id vel ita intelligendum est, vt non liceat illa ob naturæ cõmodum appetere; & reuerà per se sunt mala, non indifferentia; quia prohibita sunt per se appeti: Vel ita intelligendum est, vt liceat quidem illa per se appetere, verùm simul teneamur aliquo actu ad finem honestum referre: & sic sunt illa per se indifferentia; & illa per se appetere, est indifferens, non malũ; sed sola omissio illius actus, quo in finem honestũ referri deberent, mala erit. Itaque dabitur volitio in individuo, quę non sit bona vel mala moraliter, sed indifferens. Nam illa omissio non facit illam volitionem esse malam, cùm non sit illius circũstantia. Sicut si teneremur dolere de peccatis, quotiescumque ea memoriæ occurrunt, (vt quidam docuerunt) omissio quidẽ contritionis peccatum esset, sed non faceret illam recordationem esse peccatum; cùm nullo modo illam afficiat. Pari modo omissio relationis actũs in finem honestũ, non facit illum actum esse peccatum. Confirmatur, Quia finis extrinsecus non potest esse circumstantia actus interioris voluntatis, neque tribuere illi bonitatem vel malitiam, vt ostensum est art. 6. dub. 2. ergo siue referatur illa volitio, qua commodum naturæ appetitur ad alium finem, siue non referatur; semper manebit in se indifferens. 69

Sexta ratio, Quia totum fundamentum sententiæ oppositæ est, quòd teneamur omnia nostra opera referre ad finem formaliter honestũ. Quod fundamentũ neque vlla firma ratione vel auc- 70 *Sexta ratio.*

ritate potest probari. Neque satis cõgruit naturæ voluntatis, vt habet conditionem naturæ, cuius inclinatio est in commodum & delectabile. Neque cõgruit infirmitati humanæ, vt rectè D. Bonauentura, cui nimis difficile est ita à suis commodis esse auulsam, vt nihil in omnibus nisi rationem honesti spectet. Neque satis videtur consentaneum institutioni diuinæ, quæ quibusdam operationibus voluptates annexuit, vt ab animãtibus & hominibus non negligerentur: quamuis in hominibus modus teneri debeat, qui rationis regulæ non sit contrarius.

Septima ratio. Septima ratio, Saltem hæc sententia est probabilis; nam plerique Doctores illam tenent: ergo si quis ex ea operetur, volendo aliquid, quia naturę commodum; aut recusando, quia molestũ, nihil aliud spectans, non peccabit. Consequentia patet, quia qui in modo operandi sequitur opinionem probabilem, non peccat. Sed neque tale opus erit formaliter honestum, quia non fiet ob finem honestum. Ergo dabitur opus in indiuiduo indifferens.

Ex his patet responsio ad fundamentum sententiæ contrariæ: etsi enim tali actui desit aliquid, ad hoc vt sit formaliter bonus, tamen non deest illi aliquid necessarium ad hoc, vt sit non malus. Nã nihil deest, ad quod pro illo tempore obligetur operans: nulla enim est obligatio referendi illum actum ad finem honestum. De quo vide Occam & Scotum loco citato.

71 *Obiectiones. 1. ex Scripturis.* Obijcitur Primò, Omnis actus otiosus est malus; sed omnis actus carens fine honesto, est otiosus: ergo est malus.

Maior patet Matth. 12. *Amen dico vobis, omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.*

Gregor. Minor probatur ex Gregorio Homil. 6. in Euang. *Otiosum verbum est, quod aut vtilitate rectitudinis, aut ratione iustæ necessitatis caret.* Et ex Basilio in Regulis breuioribus, quæst. 23. *Omne verbum quod non conducit ad propositam in Domino vtilitatem, vanum & otiosum est.*

Basil.

Soluitur. Respondeo, Distinguendo minorem. Si actus ita careat fine honesto, vt nullum finem, vel materialiter honestum habeat, concedo esse otiosum; vt si quis colligat paleas nullo alio fine: hoc enim nihil commodi vel delectationis habet, cur possit appeti. Si verò habeat aliquem finem naturæ cõmodum vel delectabilem, nego esse otiosum; modò fiat cum circumstantijs nihil indecori habentibus.

Actio otiosa.

Recreatio licita. Ad testimonium Gregorij, Verbum quod dicitur ad recreationem, modò nulla mala circumstantia adsit, non censetur carere omni vtilitate vel necessitate; vt rectè D. Bonaũctura respondet: Necesse est enim aliquando naturam exhilarari. Basilius autem loquitur non tantùm de Verbo, quod genere suo sit indifferens, sed etiam quod genere suo sit bonum; verùm ob defectum alicuius circumstantiæ, non conducit ad ædificationem, quin potiùs offendit; vt si non suo tempore vel loco dicatur, vel non eo modo quo decet: vnde ait, *Huiusmodi verbo cõtristari Spiritum sanctũ.*

72 *2. obiectio. An debeat homo omnibus suis actionibus ad beatitudinem contendere.* Obijcitur Secundò, Ideò ratio data est homini, vt suis actionibus ad beatitudinem contendat, & vt operetur propter Deum, finẽ vltimum. At qui homo id non præstat dum operatur absque fine honesto: ergo abutitur ratione, & peccat.

Maior probatur 1. ad Cor. 10. v. 31. *Omnia in gloriã Dei facite.* Vbi significatur, omnem actionem debere esse talem, vt ad finem vltimũ conducat. *1. Corinth. 10.*

Respondeo Primò, si hoc argumentum aliquid probaret, deberet homo etiam in omni opere suo beatitudinem mereri: nam ad hunc finem ei ratio data est. *Soluitur.*

Secundò, Non solùm ad hunc finem data est ei ratio, vt ad beatitudinem contendat, sed etiam vt naturam suam, quę beatitudinis est capax, conseruet, cique conuenientia requirat. Vnde nõ sequitur, hominẽ abuti ratione sua, quando non tendit in beatitudinem, sed solùm nõ vti eâ ad vltimum suum finem, quod non semper tenetur facere.

Ad locum Apostoli. Ad probationem maioris. Illud Apostoli, vel est consilium & hortamentum, nõ præceptum, vt D. Bonauentura & alij multi Doctores dicunt. Neque enim tantùm Apostolus videtur velle, vt opus secundùm se sit honestum, sicque naturâ suâ in Deum tendat; sed etiam, vt ex vi affectûs præsentis vel pręteriti in Deum referatur. Vel si quis velit accipi vt præceptũ, debet exponi negatiuè, vt nihil contra honorem Dei faciamus; quæ videtur esse mens Apostoli. Vult enim nos in manducando & bibendo, totâq; nostrâ conuersatione ita agere, vt neque gentibus, neque Iudæis, neque Christianis demus vllam offensionem.

73 *3. obiectio. Quomodo dentur habitus indifferentes.* Obijcitur Tertiò, Si dantur actus indifferentes, erunt etiam habitus indifferentes: atqui hoc asserere, ab omni philosophia alienum est.

Confirmatur, Nam hoc differt habitus à potentia, quòd potentiâ possumus; habitu, benè vel malè possumus; teste Aristotele 2. Ethic. c. 15. Ita Medina.

Soluitur. Respondeo cum Scoto, Nullum esse inconueniens ponere in voluntate habitus indifferentes. Experimur enim vsu contrahi inclinationem ad ambulandum certis locis vel temporibus, & ad similia indifferentia naturæ cõmoda, vel exercitia: quam inclinationem ægrè postea mutamus. Sicut enim in varijs hominibus sunt varij instinctus ad varias artes, quibus fit, vt diuersæ artes à diuersis apprehendantur vt cõuenientes suo ingenio: ita possunt affectus voluntatis ad illas crebro vsu crescere & perfici in habitum. Vnde non est hoc alienum, sed consentaneum philosophiæ. Et sanè si crebro affectu ad bonum delectabile iunctum prauis circumstantijs, nascitur habitus pravus, cur non etiam crebro affectu ad bonum delectabile iunctum debitis circumstantijs, nascatur habitus indifferens?

Ad confirmationem, Aristoteles ibi loquitur de habitibus moralibus; illi autem non censentur inter habitus morales, quia non pertinent ad bonos vel malos mores, sed sunt indifferentes sicut naturales potentiæ.

DVBIVM II.

Quomodo verum sit quod ait D. Tho. in resp. ad Tertiũ. **Omnis finis à ratione deliberata intentus, pertinet ad bonum alicuius virtutis, vel ad malum alicuius vitij.**

74 *Explicatio Medinæ.* REspondet Medina, Vt verum sit, addendum esse tertium membrum, nempe *vel ad bonum, quod est maius virtute. Vnde*, inquit, *quando homo iustus pergit ad agros, non cogitans actu de alio fine, nisi de salute & quiete corporis, ille actus non pertinet ad aliquam virtutem specialem, sed pertinet ad finem illum, ad quem*

ad quem voluntas naturaliter est benè inclinata, scilicet ad corporis & vitæ bonum proprium. Quibus verbis insinuat Primò, Hunc actum esse verè & propriè honestum. Secundò, Insinuat bonum corporis & vitæ, esse bonum maius virtute. Quæ quomodò
Refutatur. vera sint, nõ intelligo. Constat enim, bonum virtutis esse longè præstántius vitâ corporali; & esse superioris ordinis, quia est bonũ honestum. Alterum verò est commodum naturæ: vnde laudabile est, vitam exponere pro bono virtutis etiam sine obligatione.

75 *Vera explicatio.* Respondeo igitur, omnẽ finem intentum pertinere ad aliquam virtutem vel vitium, non formaliter, sed materialiter. Quando enim aliquis intendit bonum delectabile vel conueniens naturæ, debet intendere cum illis circumstantijs, cum quibus saltem materialiter est cõueniens rationi, vt suprà dictum. Et hoc tantùm modo intendit bonum corpori conueniens ille, qui corpus suum ad bonum virtutis ordinauit: cauet enim ne admisceat aliquam circumstantiam, quæ bono virtutis repugnet.

Quòd autem Medina addit, *Cùm quis ordinauit suam ambulationem ad omnes virtutes, illam ambulationem pertinere ad charitatem Dei*, id nõ est necessariũ. Potest ènim quis non solùm ex affectu charitatis in Deum, sed etiam ex affectu honesti in genere, referre ambulationem suam ad ommes virtutes; nempe volendo ambulare, vt ad quoduis opus virtutis sit aptior: sicut potest quis velle benè viuere ex affectu honesti, qui non pertinet ad specialem aliquam virtutem; vt suprà dictum.

ARTICVLVS X.

Vtrùm aliqua circumstantia cõstituat actũ in specie boni vel mali?

76 Conclusio Prima, Illa circũstantia quæ facit vt actus habeat peculiarem conformitatem vel repugnantiam cum dictamine rationis, constituit illum in specie boni vel mali.

Conclusio Secunda, Illa circumstantia quę non facit vt actus habeat peculiarem consonantiã vel dissonantiam ad rationis dictamen, non tribuit speciem boni vel mali; vt patebit art. 11.

Circumstantia tribuit speciem dupliciter. Nota Primò, Circumstantiam posse dupliciter constituere actum in specie boni vel mali. Primò, Tribuendo actui primam speciẽ moralem: quod fit, quando sine circumstantia non esset moraliter bonus vel malus. Vt cùm quis tollit rem alienã; circumstantia illa, *esse alienum*, tribuit actui primam speciem, mali; quia sine illâ circumstantiâ non esset malum. Secundò, Tribuendo ei speciem secundam: quod fit, quando iam actus habebat speciem ex obiecto, & circumstantia addit nouã. Vt si tollas alienum è loco sacro, vbi erat depositum; circumstantia loci facit vt actus ille habeat secundam speciẽ mali, scilicet sacrilegij, quatenus idem simplex actus violat loci sanctitatem.

77 Nota Secundò, Circumstantiam illam quę tribuit secundam speciem, etsi retineat rationem circumstantiæ respectu actûs, vt subit priorẽm speciem; non tamen retinet rationem circumstantiæ respectu illius, vt subit nouam speciem, sed transit in rationem obiecti, veluti differentia specifica obiecti; vt docet D. Thomas *ad primum* & *Secundum*. V. g. Sanctitas loci est quidem circumstantia rei alienæ, & proinde furti, quâ furtum: sed non est circumstantia furti, quâ sacrilegium; verùm habet se instar obiecti. Itaque in tali furto est duplex species, scilicet furti & sacrilegij. Vt habet furti speciẽ, sic eius obiectum est res aliena. Vt sacrilegij, sanctitas loci. Similiter si quis fornicetur contra votum; hic actus est fornicatio, & sacrilegium. Vt fornicatio, obiectum habet, non suam: vt sacrilegium, obiectum habet, corpus suum Deo dicatum. Idem dicendum in ceteris similibus.

Furtum in loco sacro continet duplicem speciem malitiæ.

Item fornicatio contra votum.

Circumstantia autem quæ tribuit primam speciem, nullo modo retinet rationẽ circumstantiæ moralis: Nam non supponit aliquem actum moralem bonum vel malum, cuius sit accidens; cùm ipsamet tribuat actui primam bonitatem vel malitiam. Vocatur tamen circumstantia, quia est circũstantia naturalis, scilicet rei nudè consideratæ, & actûs exterioris considerati secundùm esse naturale: v. g. Esse alienum, tribuit actui, scilicet ablationi rei, primam speciem malitię; quia facit, vt ablatio illa sit in specie furti, cùm ipsa ablatio alioqui per se esset indifferens. Itaque non manet accidens respectu illius ablationis, vt ablatio habet speciem furti; quia sic est essentialis differentia obiecti; sed solùm respectu illius ablationis, vt est actio naturalis secundùm se indifferens, qualis esse potest in amente. Similiter si ieiunes ob vanam gloriam; ille finis non est circumstantia respectu ieiunij, quatenus istud ieiuniũ est actus ambitionis; quia sic tribuit illi speciem, tamquam ratio formalis obiecti. Neque etiam vt est actus per se bonus; quia relatum ad talem finem, non manet actus bonus; sed est circumstantia ieiunij considerati secundùm esse naturale: sic enim supponitur illi speciei, & manet.

Esse Alienum in furto, non est accidens, sed essentialis differentia obiecti.

Notandum Tertiò, Ex dictis colligi tres regulas de circumstantijs actuum. Prima, Quando circumstantia facit actum ex indifferenti bonum, vel ex bono aut indifferenti malum, tribuit primam speciem moralem actui. Secunda, Quando circumstantia respicit specialem ordinẽ seu speciale dictamen rationis, tribuit speciem actui. Tertia, Circumstantia quæ tribuit speciem actui, transit in rationem obiecti. Vnde patet, hæc duo non pugnare: Actus morales habent speciem boni vel mali ex obiecto, & habent interdum speciẽ boni vel mali ex circumstantia: quia quando habent speciem boni vel mali ex circumstantia, tunc circumstantia transit in rationem obiecti, saltem respectu actûs interioris.

78 *Tres regulæ de circumstantijs.*

ARTICVLVS XI.

Vtrùm omnis circũstantia augens bonitatẽ vel malitiam, constituat actum in specie boni vel mali?

79 Prima Conclusio. Circumstantia, quæ secundùm se respicit peculiarem ordinem rationis, constituit actum in specie boni vel mali. Hæc Conclusio explicata est Art. 10.

Secunda Conclusio, Circumstantia, quę secundùm se non respicit peculiare dictamen rationis, sed solùm suppositâ aliâ circũstantiâ, à quâ actus habet speciem boni vel mali; non tribuit vllam speciem, sed solùm auget bonitatem vel malitiam intra speciem, quam supponit.

Circumstantia magnum & paruum

Explicatur exemplis. Das eleëmosynam magnam vel paruã, quantitas illa *magnum & paruum* secundùm se, non dicit peculiarem ordinem ad rationem (sepositâ enim specie eleëmosynæ, vel aliâ simili; ratio non dictat esse honestũ vel turpe, siue multum des siue parum:) sed solùm habet aliquem ordinem, suppositâ conditione eleëmosynæ, vel aliâ simili, vnde actus habeat speciem. Similiter furatur quis magnam summam, illa circumstantia non addit nouam speciem; quia secundùm se præciso furto non habet aliquem peculiarem respectum ad dictamen rationis, sed solùm suppositâ conditione furti; vnde auget malitiam quam supponit, intra eamdem speciem.

Modus.

Idem accidit in circũstantia *Modi*: vt intensè, remissè; ex metu, sine metu; ex concupiscentia, ex mera libertate.

Tempus.

Denique in circumstantia *continuationis*: longo tempore vel breui.

80

Dices, *Multum & parum* videntur interdum cõstituere speciem boni vel mali, etiam dum non supponunt aliã speciem. Nam multum comedere, est peccatum contra temperantiam, per excessum: parum verò, est peccatum per defectum.

Respondeo, *Multum & parum* dupliciter accipi. Primò, comparatiuè, respectu operantis; vt *multum*, sit idem quod *nimium*, seu plus quàm natura postulat; & *parum*, sit *minus* quàm postulet. Et hoc modo constituunt speciem mali; quia per se habent peculiarem repugnantiam ad dictamen rationis. Secundò, Absolutè; vt idem sint quod magna vel parua quãtitas; quomodo nõ constituunt speciem mali. Nam fieri potest, vt quis multum comedens, temperatè comedat; nam istud multum, non est ipsi multum, sed æqualè.

Multum & Parum vel comparatiuè, vel absolutè accipi posiũt.

81

Vbi aduerte, omnes circumstantias necessarias ad actum bonum, v. g. ad actum temperantiæ, includere peculiarem respectum ad rationem; vt *tempus, locus, modus, quantitas*. Non enim simpliciter hoc vel illud tempus est necessarium ad bonum temperãtiæ, hic vel ille locus, hic vel ille modus, hæc vel illa mensura: sed tale tempus, locus, modus, mensura, qualem ratio omnibus spectatis postulauerit. Pari modo omnes circumstantiæ, quæ actum ex bono vel indifferenti faciunt malum, secundùm se includunt peculiarem repugnantiam ad dictamen rationis. v. g. Comedere est actus indifferens; vt autem ex circumstantiâ fiat malum, requiritur vel locus, vel tempus, vel modus, vel mensura, vel finis rationi repugnans.

Omnis circumstantia necessaria ad bonum virtutis, includit peculiarem ordinem ad rationem.

QVÆSTIO XIX.

De Bonitate & Malitia actus interioris voluntatis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm bonitas voluntatis pendeat ex obiecto?

1 *Affirmatur.*

CONclusio est. Bonitas voluntatis pendet ex obiecto.

Probatur; quia omnis diuersitas specifica actuũ voluntatis sumitur ab obiectis: atqui bonum & malum per se sunt differentiæ specificæ actuum voluntatis: ergo bonum & malum in actibus voluntatis sumitur ex obiectis.

Maior propositio generatim est vera, tam de specie naturæ, quàm moris. Cuius ratio est, quia ex parte voluntatis nõ possunt actus habere vllã diuersitatem specificam: nam vt præcisè à voluntate manant, omnes sunt eiusdem rationis; sicut etiã in alijs potentijs: omnes enim intellectiones, qua parte præcisè manant ab intellectu, sunt eiusdem rationis, nec habent vnde alia ab aliâ specie distinguatur: & omnes visiones vt sunt præcisè à potentiâ visiuâ, sunt eiusdem rationis. Ergo similiter omnes volitiones, vt præcisè sunt à voluntate, sunt eiusdem rationis. Ergo omnis distinctio specifica, est ab obiecto, tamquam à forma quadam extrinseca, & quasi sigillo.

Minor propositio intelligenda est de specie morali: cùm enim actus voluntatis habeat duplicem speciẽ, scilicet naturalem & moralem; naturalis non constituitur per malũ, sed moralis; vt ostensum est, q. 18. a. 6. d. 1. Per bonum tamen cõstituitur & species naturalis actûs voluntatis, & moralis; quamuis alio & alio modo consideratum; id est, vt actu liberum, & vt præscindens à libero; vt suprà dictum.

Secundò Probatur eadem conclusio. Ideò voluntas est bona, quia id quod per eam volumus, est bonum: ideò est mala, quia id quod volumus, est malũ: atqui id quod volumus, est obiectũ: ergo ex obiecto pendet bonitas & malitia voluntatis. Hæc ratio colligitur ex D. Thoma §. *Sed contrà*.

2 *Obiectum integrum.*

Vbi notandum est, nomine obiecti intelligi obiectum integrum constans materiali & formali, scilicet re volita, & ratione volendi. Nam si obiectum materiale sit bonum, & ratio volendi sit mala, integrum obiectum erit malum; ac proinde & voluntas: Vt si velis eleëmosynam ob vanam gloriam. Similiter si obiectum materiale sit malum, & ratio volendi sit bona, totum erit malum, ac proinde etiam voluntas: Vt, si velis furari vt des eleëmosynam. Itaque quando bonitas voluntatis dicitur pendere ex obiecto, integrum obiectum est accipiendum.

ARTICVLVS II.

Vtrùm bonitas voluntatis pendeat ex solo obiecto?

3

CONclusio. Bonitas voluntatis ex solo obiecto pendet, & non ex circumstantijs. Probatur, quia id quod est primum in quouis genere, debet consistere in aliquo vno: sed actus voluntatis est principium bonitatis & malitiæ in actibus humanis: ergo bonitas voluntatis debet consistere in aliquo vno: atqui hoc vnum non est aliud quàm obiectum: ergo ex solo obiecto pendet bonitas voluntatis.

Dices, *Magnum, intensum, diuturnum*, augent bonitatem voluntatis, & tamen non pertinent ad obiectum; nam retinent rationem circumstantiarum: ergo non est verum quod hîc dicit D. Tho.

Respondeo,

A solo obiecto pendet bonitas specifica.

Respondeo, Duobus modis id posse esse verũ. Primò, Vt tantùm intelligatur de bonitate specificâ actûs interioris; hæc enim ex solo obiecto pendet, non ex circumstantijs: nam quę à circumstantijs augentibus intra eamdem speciẽ pendet, non est specifica, sed accidentalis. Hæc videtur esse mens D. Thomæ; nam eius probatio nihil aliud conuincit. Secundò, Vt dicatur pendere à solo obiecto; quia bonitas obiecti est necessaria, & sufficit ad bonitatem actûs interioris, non autem necessaria est bonitas circumstantiarum: satis enim est vt nulla mala circumstantia adsit.

ARTICVLVS III.

Vtrùm bonitas voluntatis pendeat ex ratione?

4 *Bonitas voluntatis pendet à ratione ostendente bonitatem obiecti.*

Conclusio, Bonitas voluntatis pendet ex ratione. Probatur, Quia bonitas voluntatis pendet ab obiecto: atqui obiectũ non proponitur voluntati, nisi per rationem: ergo pendet à ratione tamquã proponente seu applicante obiectum.

Dices, Simili modo etiam malitia voluntatis pendet ex ratione: quia nisi ratio proponat voluntati obiectum malum, voluntas non potest esse mala.

Respondeo, Vt voluntas mala sit, non est necesse vt ratio ostendat obiecti prauitatem; sufficit vt ipsum obiectum materiale proponat, & possit eius simul prauitatem aduertere; quãuis actu non aduertat nisi confusè. Vnde malitia voluntatis non ita censetur à ratione pendere, sicut bonitas. Nam vt voluntas sit bona, ratio debet ostendere obiecti bonitatem; hæc enim in opere bono est causa volendi. Deinde bonitas voluntatis non pendet ex quauis ratione, sed solùm ex ratione rectâ, & prudenti: malitia verò non pendet à rectâ ratione, sed potiùs à prauâ.

DVBIVM I.

Quid sit ratio recta, cui voluntas, vt bona sit, debet conformari?

5 *Ratio dubitandi.*

Causa dubitandi est; Quia si recta ratio dicatur respectu rei; nempe quia iudicatur esse honestum id quod verè est honestum; sic actio illa Iacob, qua cognouit Liam, non fuisset conformis rationi rectę, ac proinde nõ fuisset bona; quod est falsum. Si verò dicatur ratio recta respectu affectûs recti (vt insinuat Arist. 6. Ethic. c. 2. cùm ait, *Bonum intellectûs practici esse veritatẽ quæ consentanea sit appetitui recto:*) sic non explicatur origo rectitudinis: non enim ideò recta est, quia est conformis appetitui recto; sed contrà, ideò appetitus est rectus; quia est conformis rationi rectę. Vnde cùm appetitus sit rectus ex ordine ad rationem rectã, ratio non potest habere suam rectitudinem ex ordine ad appetitum rectum: nam idem esset causa veluti formalis suæ causæ formalis, & tribueret rationem formalem ei, vnde habet suam rationem formalem.

Aristot.

6 *Quid Ratio recta.*

Respondeo, Omissis sententijs. Rationem propriè dici rectam ex ordine & cõformitate ad obiectum; ita vt illa ratio sit recta; quâ iudicatur vel apprehenditur esse honestum, quod verè est honestum; aut turpe, & fugiendum, quod verè est tale.

Dico, *Vel apprehenditur*; quia etiam simplex apprehensio potest obiectum honestũ vel turpe proponere; vt patet ex supra dictis. *Rationem* voco actũ intellectus, siue sit iudiciũ, siue apprehensio.

Hæc sententia est manifestè D. Thomæ hoc articulo 3. cùm docet voluntatis bonitatem pendere à ratione, quatenus ratione proponitur obiectum. Vbi insinuat rectitudinem rationis pendere ab obiecto, quod est causa, cur ratio tribuat voluntati bonitatem. *D. Thomas.*

Probatur Primò, Tota origo & radix veritatis in actu intellectûs est ex obiecto (veritas enim in actu intellectûs nihil est aliud quàm conformitas cum obiecto:) ergo etiam totum fundamentum rectitudinis in actu intellectûs, ratione cuius est regula humanorũ actuum, debet esse ex obiecto. Patet consequentia, quia hęc rectitudo nihil est aliud, quàm veritas quædã; vt patet ex Arist. sup.

Secundò, Quia prima causa cur voluntas interior sit bona, est quia tendit in obiectum honestũ; vt patet ex D. Thoma art. 1. Conformitas enim cum recta ratione est solùm causa secundaria: ideò enim voluntas est conformis rationi rectæ; quia est conformis obiecto honesto, quod per rationem proponitur. Ergo rectitudo rationis consistit in habitudine ad obiectum, quatenus ratio est propositio obiecti honesti.

Tertiò, Quia ratio non habet ex seipsa rectitudinem: ergo non potest eam habere nisi ab obiecto, à quo accipit suam speciem.

Sed contrà. Primò, Veritas & falsitas non est in simplici apprehensione, sed solùm in compositione & diuisione, seu in iudicio compositiuo & diuisiuo: atqui in simplici apprehensione potest esse rectitudo vel prauitas; nam potest eam sequi bona vel mala voluntas: ergo rectitudo rationis non est ipsa veritas actûs intellectûs. 7 *Soluuntur obiectiones.*

Respondeo, Veritas & falsitas formaliter solùm sunt in compositione & diuisione; virtute tamen & implicitè sunt etiam in simplici apprehensione. Cùm enim quis apprehendit sub ratione honesti vel delectabilis, quod non est tale; apprehensio non respondet rei, & sic dicitur esse falsa, quamuis nihil affirmet vel neget. *In simplici Apprehensione potest Virtualiter esse Veritas vel falsitas*

Obijcitur Secundò, Iudiciũ Iacob quo accessit ad Liã, non erat conforme obiecto honesto; & tamẽ erat rectũ, quia erat conforme appetitui recto: ergo rectitudo rationis nõ consistit in conformitate cum obiecto honesto, sed cũ appetitu recto. 8

Respondeo, Negando illud iudiciũ non fuisse conforme obiecto honesto: iudicabat enim Iacob sibi honestũ esse & decens, se hîc & nunc ad hanc accedere; quod iudicium verum erat: posito enim illo errore intellectûs inculpato, quo putabat esse suam vxorem; iste accessus respectu ipsius Iacob erat reuerà honestus, id est, decens illum ex ratione & libero arbitrio operantẽ: nam potest aliquid esse honestũ respectu alicuius, positis quibusdam in illo circumstantijs, quod simpliciter sine illis non est honestum. Sicut id quod naturæ humanæ vel corpori secundùm se considerato non est consentaneum, potest ei esse consentaneũ, si consideretur in certa dispositione: vt, frigida febricitanti; caro viperina elephantiaco. Pari itaque modo, etsi secundùm se & absque illo errore, nõ fuisset honestum ad hanc accedere, posito tamen illo errore, erat illi honestum: & sic iudicium erat consentaneum obiecto honesto respectiuè. *Iudicium quo Iacob ad Liam accessit, fuit conforme obiecto honesto.*

9 Objicitur Tertiò, Aristoteles 6. Ethic. c. 2. explicat veritatem intellectûs practici, per conformitatem ad appetitum rectum: ergo non debet explicari per conformitatem ad obiectum.

Confirmatur, Quia alioqui veritas practica non videretur distincta à veritate speculatiua, nisi obiecto; quod est contra Aristotelem loco citato; & contra communem sententiam Doctorum, qui dicunt sæpè fieri, vt id quod speculatiuè est verum, sit practicè falsum; & quod practicè verum, sit speculatiuè falsum.

Respondeo cum D. Thoma, Aristotelem ibi loqui, non de omni intellectu practico, sed tantùm de eo qui versatur circa media; huius enim veritas rectè explicatur per cõformitatem ad appetitum rectum finis; quia ratio mediorum consistit in habitudine ad finem: vnde, sicuti media sunt honesta quatenus habent ordinem ad finem honestum; ita iudicium de medijs est rectum, quod est conforme appetitui recto finis. Nihilominùs rectitudo huius iudicij immediatè pendet ex honestate mediorum, tamquam ex proximo obiecto; mediatè tantùm ex honestate finis, vnde media habent quòd sint honesta; & consequenter ex conformitate ad appetitum rectum circa finẽ. Veritas autem seu rectitudo rationis, vt versatur circa finem, non potest consistere in conformitate ad appetitum rectum; quia appetitus rectus supponit hanc rectitudinem rationis tamquam priorem; sed consistit in conformitate cum obiecto honesto. Itaque rectitudo rationis siue versetur circa finem, siue circa media, consistit primò & immediatè in conformitate cum obiecto honesto; vt suprà explicatum est.

Quo modo veritas practica consistat in conformitate cum appetitu recto.

Respondeo, Honestatem obiecti non consistere in conformitate cum recta ratione; sed cum natura rationali: honestum enim est quod decet supposita naturæ rationalis, quatenus in operando ratione vtitur. Decet, inquam, vel tamquam operatio, vel tamquam obiectũ circa quod eius operatio versetur. Verùm, quia nobis notior est recta ratio, seu rectum iudicium, quàm natura ipsa rationalis, ideò obiecti honestatem potiùs explicamus per conformitatem ad rationem rectam, quàm ad naturam rationalem: quænam enim sit ratio recta facilè cognoscimus ex varijs signis; vt si sit consentanea legibus, si iudicio prudentis, si appetitui recto, vel fini honesto. Itaque recta ratio potest esse mensura obiecti honesti; non ex natura rei, sed iuxta nostrum modum cognoscendi; nam ex natura rei obiectum honestum est regula rationis rectæ; recta tamen ratio est regula bonæ voluntatis; proponendo obiectum honestum.

Honestum est quod naturam rationalem decet.

Ex his patet, hæc non distingui, rationem rectam esse regulam bonæ voluntatis, & rationem rectam proponere obiectum honestum. Voluntas enim non dirigitur à ratione, nisi quatenus ratio proponit obiectum: proponit autem tantummodò illud cognoscendo cum suis circumstantijs, siue cognitione iudicatiuâ, siue apprehensiuâ.

10 Ad Confirmationem. Veritas practica distinguitur à speculatiua, non solùm obiecto, sed etiam fine: obiectum enim veritatis practicæ, est aliquid à nobis operabile: finis verò est ipsa illius operatio. Obiectum autem veritatis speculatiuæ non est aliquid operabile à nobis, sed speculabile tantùm; & finis est ipsa contemplatio.

Quando autem aliquod iudicium dicitur speculatiuè falsum, practicè verum, necessariò fit comparatio ad diuersa obiecta: significatur enim iudicium quod speculatiuè falsum est, ratione suę probabilitatis esse fundamentum alterius iudicij, quod practicè verum est; ac proinde regula actionis bonæ. V.g. Iacob existimabat Liam esse vxorem suam Rachelem; iudicium hoc speculatiuè falsum erat; practicè tamen verum; quia erat fundamentum alterius iudicij veri, Decet me hanc cognoscere: quod iudicium etiam speculatiuè, de illo obiecto cum illis circumstantijs considerato, verum erat; quamuis alio sensu dicatur speculatiuè etiam falsum.

Iudicium speculatiuè falsum, quomodo practicè verum.

11 Objicitur Quartò, Obiectum dicitur honestum, quod est conforme rectæ rationi, tamquam suæ mensuræ: ergo ratio nõ dicitur recta quòd sit conformis obiecto honesto. Consequentia patet; tum quia esset circulus, tum quia nihil potest tribuere rationẽ formalem illi vnde accipit rationẽ formalem; esset enim prius & posterius seipso.

DVBIVM II.

Vtrùm, vt voluntas sit bona, requiratur vt obiectum sit volitum, quia conforme rectæ rationi?

12 REspondeo, Non esse quidem necessarium, vt obiectum expresè ob hanc conformitatem sit volitum; sed tamen vel ob hanc, vel ob aliam rationem, in qua hæc implicitè contineatur, volitum esse debet.

Non debet obiectum esse expresè volitum.

Prior pars probatur: nam vt voluntas sit bona, satis est vt obiectum sit volitum, quia conforme legi æternæ, vel diuinæ voluntati, vel alicui præcepto naturali vel positiuo, vel quia opus virtutis, &c: ergo non requiritur vt expresè sit volitum ob conformitatem cum recta ratione.

Contrarium videtur tenere Guil. Occam in 3. q. 13. Vult enim dictamen prudentiæ esse obiectum partiale omnis bonæ voluntatis. Sed puto in re non discrepare. Nam rationes eius non conuincunt, nisi alteram partem nostræ responsionis; scilicet quod obiectum debeat esse volitum ob aliquam causam, in qua saltem implicitè contineatur conformitas cum recta ratione, & ex actuali iudicio prudentiæ.

Occam.

Sed implicitè.

13 Quæ Pars probatur ex Aristotele 2. Ethic. c. 4. vbi, vt aliqua actio sit virtutis, inter cætera requirit tria. Primò, *Vt quis sciens operetur* (sciens, inquam, omnia quæ sunt necessaria ad bonum virtutis.) Secundò, *Vt ex electione*, id est, *non casu, non coactè, sed liberè*. Tertiò, *Vt operetur ex electione propter ipsum*, id est, propter bonum virtutis; vt omnes explicant. Et lib. 6. cap. 12. dicit *eos qui iusta faciunt non esse iustos, si faciant ob aliam causam, quam quia iusta sunt.* Idem docet D. Thomas infrà, art. 7. ad 3. *Vt voluntas sit bona, debet esse boni & sub ratione boni*; id est, inquit, vt velit bonum, & propter bonum. Gabriel in 2. dist. 4. q. vnica, in principio. Almainus tract. 3. moralium c. 3.

Probatur Auctoritate Aristot.

D. Thomas.

Gabriel' Almainus.

Probatur

Prob. Ratione. Probatur Ratione. Quia obiectum debet esse volitum ob aliquam rationem honesti : ergo ob aliquam rationem, ob quam directè sit conforme supposito rationali ratione vtenti, & consequenter rectæ rationi.

Antecedens Probatur, quia cùm triplex sit ratio boni, scilicet, honestum, delectabile (sub quo intellige naturæ commodum, iuxta Anselmum) & vtile ; ratio delectabilis non sufficit vt voluntas sit moraliter bona ; vnde neque ratio vtilis ad delectationem, vel ad naturæ commodum: relinquitur ergo sola ratio honesti, quæ ad bonam voluntatem sufficiat.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm bonitas voluntatis pendeat ex lege æterna?

14 *Affirmatiue.* Conclusio est. Bonitas voluntatis pendet ex lege æterna ; idque magis quàm à ratione humana.

Probatur; Quia quandò effectus pendet à duabus causis subordinatis, magis pendet à prima quàm à secunda (quia causa secunda non agit nisi virtute accepta à prima:) atqui bonitas voluntatis pendet à lege æterna tamquam à causa prima; à ratione humana tamquam à causa secunda (quia quòd ratio humana sit regula voluntatis, habet à lege æterna :) ergo magis pendet à lege æterna, quàm à ratione humana.

Lex æterna. Notandum Primò, *Legem æternam* hîc vocari, non præceptum, vel legem propriè dictam (quia ad bonitatem voluntatis non est necessarium, vt sit conformis alicui præcepto vel legi ;) sed dictamen æternum diuinæ mentis, quo Deus iudicat qualis actus esse debeat, vt sit bonus.

Notandum Secundò, facilè intelligi quo modo omnis bona voluntas debeat esse conformis legi æternæ (nam hoc ipso quo est conformis iudicio rationis rectæ, est etiam conformis legi æternæ, quæ rationis est exemplar.) Sed est

DVBIVM

Quomodo bona voluntas pendeat à lege æterna, & in quo genere causæ?

15 RAtio dubitandi est ; quia vt voluntas sit bona, non est necesse eam lege æterna dirigi ; aut vt obiectum sit volitum, quia conforme legi æternæ ; sed sufficit vt voluntas tendat in obiectum honestum ; vt patet ex suprà dictis.

Respondeo, Bonam voluntatem non necessariò pendere à lege æterna, tamquam ab obiecto, seu ratione obiectiuâ : quia etsi obiectum possit esse volitum, quia conforme legi æternæ ; id tamen non est necessarium vt voluntas bona sit : Neque tamquam à regula immediata proponente obiectum ; quia lex æterna non proponit voluntati creatę quid sit bonum, nisi mediante ratione creata: Sed dependet aliis modis ; idque tripliciter.

Quot modis bona voluntas dependet à lege æterna. Primò, Tamquam à causa exemplari sua. Sicut enim omnium rerum creaturarum perfectio pendet à causa exemplari, cuius conformitate quæque res est perfecta in sua specie ; sic omnis bonitas voluntatum pendet à lege æterna, cuius conformitate omnis voluntas est bona : ideò enim omnis bona voluntas est bona, dum est, quia suo exemplari est conformis ; quod exemplar est lex æterna. Porrò hoc exemplar ita concurrit ad productionem & conseruationem bonæ voluntatis, sicut ideæ cum effectis, quæ à rebus creatis dependent.

Secundò, Tamquam à causa bonitatis sui obiecti. Cùm enim bonitas voluntatis pendeat à bonitate obiecti ; bonitas autem obiecti pendeat à lege æterna, etiam bonitas voluntatis à lege æterna pendet. Loquor de obiecto voluntatis creato, quale est actio externa ; ideò enim colere Deum, reddere depositum, viuere temperatè, &c. est bonum actuali bonitate, quia conforme legi æternæ ; id est, quia ita se habet, sicut dictat lex æterna. Verùm aduerte, has duas dependentias magis esse physicas, quàm morales.

Tertiò igitur, Bona voluntas pendet à lege æterna modo magis morali ; nempe tamquam à prima sua regula proponente voluntati, quid bonum, quid sequendum mediante ratione rectâ. Immediata enim regula omnis bonæ actionis, est ratio recta, seu dictamen rectę rationis proponens obiectum : hæc autem regula est imago legis æternæ, & lex æterna est huius exemplar.

Vnde sequitur, legem æternam esse regulam 16 mediatam & primam, quæ per rationem rectam proponit voluntati obiectum honestum. Ideò enim mens humana iudicat quid bonũ quid malum, quia est imago diuinæ mentis dictantis quid bonum quid malum ; & consequenter iudicium rectum mentis humanæ est imago iudicij mentis diuinæ, quod iudicium est lex æterna.

Dices Primò, Etiamsi non esset lex æterna, ta- 17 men voluntas circa obiectum honestum esset bona : ergo non necessariò pendet à lege æterna. *Soluuntur obiectiones.*

Respondeo, Antecedens implicare contradictionem : si enim lex æterna non esset, nullum obiectum haberet rationem honesti ; & sic nulla quoque voluntas posset esse honesta. Causa est ; quia non posset esse natura rationalis, vel humana ratio, cuius respectu dicitur honestum. Sicut, si non essent exemplaria in mente diuina, nulla creatura posset esse ; quia etsi ex parte ipsius creaturæ non esset repugnantia ad existentiam, esset tamen ex parte causæ efficientis. *Si non esset lex æterna, nulla esset bona voluntas.*

Dices Secundò, Non ideò Idololatria, furtum, adulterium, mendacium, & similia, sunt mala, quia sunt prohibita lege æterna ; sed ideò sunt prohibita, quia mala : ergo similiter, non ideò opus est bonum, quia legi æternæ consentaneum ; sed contrà, ideò est consentaneum, quia bonum.

Respondeo Negando consequentiam ; Quia *Opus ideò* non seruatur debita proportio : oportebat enim *à lege æter-* inferre, ergo non ideò opus est bonum, quia *na præce-* præceptum lege æterna ; sed ideò est præcep- *ptum, quia* tum, quia bonum ; quod verum est : nam ob- *bonum.* ligatio in homine ad opus per legem æternam inducta, supponit bonitatem operis, non autem illam facit. Secundò, Quia etsi bonitas rei dependeat à lege æterna, non ideò defectus ab ea dependere debent : vt patet à simili in rebus naturalibus, quarum perfectio pendet à diuinis exemplaribus ; defectus autem pendet à causis creatis, vel ex eo, quòd sint ex nihilo.

ARTICVLVS V.

Vtrùm voluntas discordans à ratione errante, sit mala?

18 *Affirmatur.*

COnclusio est. Omnis voluntas discordans siue à ratione recta, siue à ratione errante, est mala.

Prior pars patet ex art. 3. Nam bonitas voluntatis pendet ex conformatione cum ratione recta.

Altera pars, scilicet, quòd voluntas quæ à ratione errante dissentit, sit mala, probatur; quia voluntas accipit speciem ab obiecto, non vt est in seipso; sed vt est in apprehensione rationis: ergo si obiectum bonum apprehendatur à ratione errante, vt malum seu fugiendum, & voluntas illud acceptet, contrahet speciem mali commissionis: & si id quod malum est, apprehendatur vt bonum & præceptum, & voluntas non acceptet, contrahet malitiam omissionis.

Notandum est, hîc esse sermonem de ratione errante, quâ id quod bonum est vel indifferens, iudicatur esse malum; vel quod non est præceptũ, iudicatur esse præceptum: alij enim errores ad præsens negotium non pertinent, nisi quatenus ex illis talis error sequitur.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm voluntas concordans rationi erranti, sit bona?

19 CONclusio Prima. Voluntas concordans rationi, seu conscientiæ erranti errore culpabili, est mala: vt si quis vellet exercere vsuras, quòd putaret esse licitas. Ratio est; quia talis error non facit inuoluntarium, sed absolutè voluntarium, vt patet ex q. 6. a. 8.

Conclusio Secunda. Voluntas concordans conscientiæ erranti errore inculpato, non est mala. Ratio est, quia talis error facit inuoluntarium.

Notandum est, D. Thomam his duobus articulis tantùm explicare qualis sit voluntas, quando consentit vel dissentit conscientiæ erranti: qualis autem sit quando conscientia habet dictamen probabile, vel dubium, vel scrupulosum, non tractat. Quare hoc loco paulò fusiùs de conscientia est agendum; & quomodo voluntas secundùm quamuis conscientiæ speciem se habere possit, vel debeat.

DVBIVM I.

Quid sit Conscientia?

20 *Variè accipitur.*

NOtandum est, nomine *Conscientiæ* interdum significari ipsam facultatem cognoscendi, seu naturale lumen intellectûs, quatenus versatur circa principia moralia. Sic D. Basilius Præfatione in Prouerbia, vocat cõscientiam φυσικὸν κριτήριον *naturale iudicatorium.* Et Damascenus *Lumen mentis.* Aliquando habitum principiorum moralium, vt docet D. Bonauent. in 2. dist. 39. a. 1. q. 1. Sic D. Hieronymus in cap. 1. Ezechielis explicans illud *Quatuor facies vni*, conscientiam vocat *Synteresim* quæ est cognitio primorum principiorum in practicis; scilicet Decalogi, & bonũ esse faciendum, malum fugiendum. Ratio est; quia actus qui tribui solent conscientiæ, vt accusare, excusare, &c. Rectè tribuuntur menti nostræ, & illi habitui, qui dicitur synteresis. Et hoc modo videtur accipi, quando dicimus esse aliquid contra dictamen conscientiæ. Verùm quia nihil dicitur fieri contra conscientiam, vel secundùm conscientiam, nisi quod fit contra actuale iudicium intellectûs, vel secundùm illud; nomen conscientiæ, propriè pertinet ad actum intellectûs. Vnde *Synteresis.*

Respondeo, Hoc nomine hîc intelligi iudicium, seu dictamen intellectûs, quo iudicat aliquid esse bonum, vel malum, præceptum vel prohibitum, benè vel malè à nobis factum aut non factum. 21 *Quid proprie. Conscientia.*

Probatur Primò; Quia huic iudicio conueniunt omnes actus, qui tribui solent conscientiæ. Dicitur enim conscientia *Accusare & Reprehendere*; quod fit, dum actu iudicamus nos malè fecisse: dicitur *Remordere*, dum hoc iudicium molestiam ingerit animo: dicitur *Ligare*, dum iudicamus esse præceptum: dicitur *Testificari*, dum iudicamus nos fecisse, aut non fecisse: dicitur *Accusare*, dum nos pœna dignos iudicamus: dicitur *Absoluere*, dum censemus nos non esse pœnam commeritos. Omnes ergo actus conscientiæ conueniunt iudicio actuali intellectûs. *Eius actus.*

Secundò, Quando aliquid dicimur fecisse contra, vel secundùm conscientiam, non potest aliud, quàm iudicium mentis intelligi.

Tertiò, Quia conscientia secundùm D. Thomam 1. p. q. 79. a. 13. est applicatio scientiæ ad aliquem actum particularem: sed hæc applicatio formaliter fit per tale iudicium: notitia enim habitualis applicatur mediante iudicio actuali, & vniuersalis mediante particulari ad obiectum.

22 *Soluuntur obiectiones*

Dices Primò, Ex Durando in 2. dist. 39. q. 4. Accusare, Excusare, Testificari, & similia sunt actus conscientiæ: atqui non sunt actus iudicij actualis, sed habitualis: ergo conscientia est iudicium habituale.

Respondeo, Illa esse actus conscientiæ non elicitos, sed formales: sicut enim notitia actualis dicitur illuminare, dirigere, mouere voluntatem; ita etiam dicitur accusare, excusare, testificari, &c.

Dices Secundò, Voluntas non potest facere contra iudicium actuale, sed tamen potest facere contra conscientiam: ergo iudicium actuale non est conscientia.

Respondeo, Antecedens non esse verum, vt suprà ostensum q. 9. a. 1. dub. 6. Nam cum iudicio actuali, quo iudicamus, Hoc est præceptum, possumus simul habere aliud iudicium, Hoc est molestum; & ita possumus illud nolle, stante iudicio quod teneamur velle; hoc autem est agere contra conscientiam.

DVB.

DVBIVM. II.

Vtrùm vt quis agat contra conscientiam, debeat agere contra iudicium actuale præsens?

23 *Medina negat.*

MEdina hoc loco negat, dicens sufficere vt iudicium præcesserit, & non sit retractatum; tunc enim si quis contrarium agat, agere contra conscientiam.

Respondeo, Verius esse requiri iudicium præsens cui non obtemperet.

Probatur Primò, Quia nemo dicit se egisse contra suam conscientiam, nisi, cùm ageret, iudicaret se malè agere.

Vt quis agat contra conscientiã debet agere contra iudicium actuale.

Secundò, Quia non sufficit iudicium habituale contrarium, vt quis dicatur agere contra conscientiam: ergo non sufficit iudicium præteritum. Consequentia probatur; quia si iudicium præteritum non reuocatum sufficeret, etiam iudicium habituale ortum ex illo iudicio præterito sufficeret; nihil enim ex ipso iudicio præterito manet, quàm iudicium habituale.

24

Tertiò, Quia sequeretur, omnia opera infidelium, qui putant se debere facere omnia ad honorem idolorum, esse peccata; quod suppono nunc esse falsum. Hoc sequi probatur. Vel enim referunt ea in hunc finem, & sic peccant; vel non referunt, & sic etiam peccabunt; quia faciunt contra conscientiam precedentem nondum reuocatam.

Medinæ responsio refutatur.

Ad hoc respondet Medina dupliciter: Primò, Si paganus pietate naturali ductus det eleëmosynam, implicitè retractat intentionem præcedentem.

Sed contrà. Non agimus hîc de intentione præcedente, sed de dictamine conscientiæ, quo iudicabat omnia opera sua ad honorem idolorũ debere referri; hoc autem dictamen non retractauit; quia simul posset stare cum illa largitione eleëmosynæ; & tunc sine dubio peccaret in illa largitione, quia faceret contra conscientiã actualem: ergo similiter peccabit si sufficit illam conscientiam præcessisse, & non esse reuocatam.

Respondet Secundò, Illam generalem relationem in idolum, si multum temporis intercesserit, euanescere; ac proinde non sufficere vt inficiat opera, quæ post sequuntur, præsertim cùm bona opera naturâ suâ in Deum referantur.

Sed neque hæc solutio ad rem facit; quia hîc non agitur de intentione, sed de dictamine conscientiæ, quod etiam sine omni intentione potest præcessisse.

Adde etiam, non esse verum, quod de intentione dicitur; non enim ideò intentio potest inficere opus sequens, vel non inficere, quia parum vel multum temporis inter ipsam & opus intercesserit (hoc enim nihil ad rem facit:) sed quia post intentionem aliquis effectus proximus vel remotus remanet, ex cuius præsentis vi sequitur opus, vt suprà q. 1. a. 6. est explicatum. Neque est necesse renouare intentionem, nisi quando series effectuum ex intentione sequentium est intercisa.

DVBIVM III.

Quale peccatum sit agere contra Conscientiam?

ADrianus in 4. de Sacramento Confessionis. q. 4. §. *Venio nunc*, putat agere contra conscientiam esse speciale peccatum: *Circumstantia*, inquit, *contra conscientiam, aut contra dubium conscientiæ, facit transgressionem distinctæ prohibitionis.* Vnde infert semper exprimendum esse in confessione, nisi sacerdos satis per se aliàs aduertat. 25 *Adrianus.*

Sed contrarium docet Diuus Thomas art. 5. ad 3. & alij passim. Et ex professo Nauarrus cap. *Consideret*, notabili 6. de Pœnitentia, dist. 5. Vnde

Peccatum ex eo quòd sit contra conscientiam, non habet speciale malitiam.

Respondeo & Dico Primò, Peccatum ex hoc præcisè quòd sit contra conscientiam, non habet specialem malitiam; nisi fiat, vt conscientia vincatur.

Prior pars probatur; quia commune est omni speciei peccati fieri contra conscientiam, sicut fieri contra præceptum, contra obedientiam, & charitatem Dei: ergo sicut peccatum ex eo quòd fit contra præceptum, obedientiam, vel charitatem Dei, non habet specialem malitiam, sed generalem in omni specie peccati inclusam; ita etiam ex eo, quòd fiat contra conscientiam, non habet malitiam specialem.

Nisi fiat vt conscientia vincatur.

Altera pars probatur; quia qui ideò agit contra conscientiam, vt illam vincat, & quodammodo extinguat, ne ampliùs remordeat, (quo modo Lutherus decem annis contra conscientiam pugnasse dicitur) directè contemnit regulam omnis bonæ operationis, & consequenter Synteresim, & ipsum bonum honestum; & exponit se omnium scelerum periculo: atqui in hoc contemptu est specialis quædam inordinatio, eaque grauissima: ergo sic agere contra conscientiam, est speciale peccatum contra synteresim, & contra naturalem inclinationem voluntatis in bonum honestum.

A simili.

Confirmatur à simili. Nolle facere opus præceptum, vt contemnas præceptum, est speciale peccatum contra obedientiam: & nolle facere, vt contemnas Deum, est speciale peccatum contra charitatem Dei: ergo nolle facere vt contemnas conscientiam, est speciale peccatum contra conscientiam; & consequenter contra synteresim & affectum naturalem honesti.

26 *Peccatum habet suam speciem ex ordine ad materiam vel præceptum, cui putatur aduersari.*

Dico Secundò, Peccatum contra conscientiam commissum, habet suam speciem ex materia particulari, in qua putatur versari; vel ex ordine ad particulare præceptum, cui putatur aduersari. v. g. Si putes rem, quam accipis, non esse tuam, attamen reuerà tua sit; erit peccatum furti. Si putes esse contra obligationem voti, erit peccatum sacrilegij. Ratio est; quia peccata accipiunt speciem ex obiecto vel actionis externæ vel voluntatis. Nec refert, sitne hoc obiectum reuerà malum, an apprehendatur vt malum; quia voluntas fertur in illud, prout à ratione proponitur.

Idem colligitur ex D. Thoma art. 5. ad 3. cùm ait: *Quando aliquid apprehenditur vt malum, semper apprehenditur sub aliqua speciali ratione mali; vt quòd aduersetur tali præcepto, vel sit scandalum, vel simile quid.*

Dices

Obiectiones soluuntur.

Dices Primò, fieri potest vt quis aliquid velit contra conscientiam; nec tamen apprehendat aliquam specialem rationem mali; vt si quis proponat malè agere in genere: ergo non est verum quod ait D. Thomas; ac proinde tale peccatum non habebit specialem malitiam.

Respondeo, Diuum Thomam loqui de eo, qui aliquid exteriùs contra conscientiam operatur: etsi enim possim velle malum in genere, non tamen possum malum in genere operari: talis autem volitio mali in genere habebit suam malitiã ex obiecto in genere considerato; erit tamen hęc malitia non generica, sed specifica, etsi ad nullam speciem particularium vitiorum pertineat. Sicut amor honesti in genere, habet pecialem bonitatem; quæ tamen ad nullam particularem virtutem sit adstricta.

27

Dices Secundò, Interdùm peccamus contra cõscientiam dictantem id quod facimus esse peccatum, non cogitantes interdum an si peccatum mortale, an veniale, sed tantùm in genere esse peccatum: quale peccatum est?

Si dubites, an sit mortale an veniale: quale peccatum committatur.

Respondeo Primò, Si dubitamus actu vtrùm sit peccatum veniale, an mortale quod facimus, & tamen facimus; est peccatum morale. Ratio est, quia sic operans, voluntariè se exponit periculo peccati mortalis.

Quale, si solùm in genere putes esse malum.

Secundò, Si non occurrat vlla dubitandi ratio, sed solùm in genere putemus esse malum; tunc vel conscientia errat, vel non errat: si non errat, eò quòd reuerà opus sit malum; tunc iudicandum est ex materia, quale sit peccatum: si enim materia sit grauis, erit peccatum mortiferum illud facere; vt si quis circa se, vel alium turpem habeat contactum causâ voluptatis, sciens id esse peccatum, nescrens tamen vel non cogitans an sit veniale an mortale; peccat mortiferè: quia materia illum obligabat ad diligentiorem considerationem, & etiam sui conditione eum ad hoc excitabat. Si autem materia sit leuis, solùm peccat venialiter. Similiter si conscientia dictans esse peccatum, erret; erit solùm peccatum veniale, vt rectè docet Nauarrus præludio 9. num. 9. Ratio est, quia conscientia non proponit illud, nisi vt malum in genere: ergo voluntas acceptans, non contrahet nisi malitiam eam, quæ satis sit ad generalem rationem peccati: ergo solùm venialem; hæc enim sufficit ad rationem peccati; nam ratione materiæ, cùm non sit mala, nihil contrahet malitiæ. Nec obstat quòd is, qui sic operatur, videatur se exponere periculo peccati mortalis ex modo operandi; quia reuerà se non exponit periculo ex modo, sic operandi absolutè, sed ex modo operandi sic in graui materia.

Nota.

28

Non est duplex peccatum.

Dico Tertiò, Peccatum contra conscientiam commissum, non est duplex peccatum, nec habet duplicem mali speciem; aliam vt est contra conscientiam, aliam vt est contra aliquod præceptum particulare.

Probatur Primò, Quia esse contra conscientiam, non est aliqua species mali, sed solùm est quædam circumstantia nonnihil aggrauans peccatum intra propriam suam speciem, eò quòd efficiat illud magis voluntarium.

Probatur Secundò à priori. Quia conscientia non se habet per modum obiecti respectu voluntatis, sed solùm per modum applicantis obiectũ; est enim actus intellectûs proponens obiectũ sub ratione præcepti, vel vetiti; boni vel mali; vnde per se non tribuit actui bonitatem vel malitiam, sed solùm ratione obiecti, quod per conscientiam vt bonum vel malum, præceptum vel vetitum proponitur.

Confirmatur, Quia actus bonus non habet duplicem bonitatem, ex eo quòd sit conformis conscientiæ, & obiecto honesto; quia hæc duo habent se per modum vnius boni, & vnius regulæ: ergo opus malum non habet duplicem malitiam, eò quòd sit contra conscientiam, & contra bonum honestum, vel legem diuinam; quia hæc duo se habent instar vnius boni, & vnius regulæ à qua discreditur. Pari modo obiectum turpe, & iudicium quo aliquis iudicat faciendum illud, quia delectabile, non sunt duo mala, sed vnum applicatum voluntati ad prosequendum.

Dices ex Adriano. Qui facit bonum contra cõscientiam, quã putat illud esse malum, vel quã dubitat an sit malum, peccat, quia contra conscientiam facit: ergo qui facit malum, sciens esse malum, peccabit duplici ratione; facit enim quod verè malum est, & facit contra conscientiam. Cõfirmatur, quia malitia quam actus habet ex obiecto, non impedit malitiam, quę oritur ex eo, quòd sit contra conscientiam. 29

Argumentũ Adriani soluitur.

Respondeo Negando consequentiam; quia vtrobique est tantùm vna ratio mali, quam voluntas acceptat: qui enim facit bonum, putans esse malum, suâ apprehensione & conscientiâ apponit nouam malitiam obiecto, & illud cum illâ malitiâ acceptat: qui autem facit malum, sciens esse malum, non apponit obiecto nouam malitiam, sed cognoscens eam quæ inerat, acceptat obiectum. Itaque hîc non est nouum peccatum ex eo quòd fiat actus contra conscientiam; quia cõscientia non apponit aliam malitiam obiecto, quàm ea quę reipsa inest: ibi verò est nouum peccatum; quia conscientia apponit obiecto malitiam, quæ ipsi non inerat. Eamdem autem vim habet obiectum ad inficiendam voluntatem, siue in re malum sit, siue in apprehensione. Ad Confirmationem. Conscientia hîc non addit nouam malitiam, & ideò non est duplex peccatum.

DVBIVM IV.

Quotuplex sit conscientia?

REspondeo. Est quintuplex. *Recta, Erronea, Dubia, Probabilis, Scrupulosa.* 30

Recta vocatur, quando iudicium est verum.

Erronea, Quando falsum.

Dubia, Cùm neutri pacti determinatè assentimur, rationum inopiâ pendentes animi.

Est quintuplex.

Probabilis, Cùm alteri parti assentimur ducti ratione vel auctoritate; tamen cum formidine de opposito: vel quando vtraque pars est probabilis.

Scrupulosa, Cùm leuibus rationibus suspicamur aliquid esse prohibitum, vel præceptum.

DVBIVM V.

Vtrùm voluntas quæ consentit conscientiæ erranti, aliquando sit bona?

REspondeo & Dico Primò, Si error conscientiæ sit culpabilis, voluntas consentiens non 31

Error culpabilis

non potest esse bona. Est communis sententia Doctorum, & D. Thomæ art. 6.

Ratio est, quia error culpabilis, quo id quod reuerà peccatum est, putatur non esse peccatum, non facit vt malitia operis censeatur non voluntaria, sed potiùs facit voluntariam: cùm enim error sit voluntarius, etiam id quod sequitur ex errore, & debebat impediri ne sequeretur, voluntarium censetur, iuxta ea quæ dicta sunt q. 6. art. 3.

32 *Error inculpabilis.* Dico Secundò, Si error conscientiæ sit omninò inculpatus, voluntas illi consentiens non solùm non est mala, sed etiam potest esse honesta & laudabilis.

Probatur Primò, Quia error inculpatus omninò malitiam obiecti veluti abstergit, ita eam occultans ac tegens, ac si non esset, sicque excusat voluntatem à culpa; facit enim vt voluntas nullo modo, nec directè nec indirectè censeatur illam malitiam velle. Vlteriùs verò apponit operi honestatem, prudenter illud apprehendendo sub ratione honesti; & sic voluntas acceptans illud, est honesta.

Voluntas sequens conscientiã erroneam, potest esse bona. Secundò, Quia qui habet errorem inculpatum, potest prudenter cùm his circumstantijs iudicare hoc opus sibi esse licitum & honestum (nam quilibet rectè dispositus, cum his circumstantijs idem iudicabit:) Atqui voluntas prudenti iudicio conformis est honesta: ergo, &c. Explicatur exemplis. Putabat Iacob errore inculpato hanc esse Rachelem vxorem; qui error primò tegebat malitiam, quæ alioqui in illo obiecto apparuisset: Deinde faciebat vt prudenter posset apprehendere & iudicare hanc cognoscere, esse licitum & honestum; vnde voluntas poterat hoc sub ratione honesti velle.

33 Dices, Qui ex errore culpabili aliquid faciunt, putantes esse honestum, vel Deo gratum (sicut Iudæi persequentes Christum & Apostolos) etiam feruntur in opus sub ratione honesti; putant enim se obsequium præstare Deo: ergo eorum voluntas potest esse bona.

Iudæi persequentes Christum & Apostolos, non fecerunt id sub ratione honesti. Respondeo, Non propriè sub ratione honesti illud volunt; quia verè respectu illorum hoc opus cum his circumstantijs non est honestum; sed solùm quamdam imaginem honesti habet: nemo enim prudens cum his circumstantijs iudicabit hoc esse honestum. Secùs verò res habet, quando ignorantia est inculpata: tunc enim id quod secundùm se & absque errore non est honestum, fit honestum respectu huius propter illam circumstantiam erroris; nam quiuis cum tali errore prudenter iudicabit hoc esse honestum. Vnde patet, errorem inculpatum non solùm excusare, sed etiam per modum circumstantiæ facere, vt id quod in se non est honestum, fiat honestum respectu operantis.

DVBIVM VI.

Vtrùm Conscientia errans obliget?

34 *Durandus distinguit.* DVrandus in 2. dist. 39. quæst. 5. num. 7. docet duo. Primò, conscientiam errantem non obligare; quia nemo obligatur ad malum, vel ad bonum non debitum. Secundò, Conscientiam tamen errantem, si sit imputabilis, id est, culpabilis, ligare hominem; quia ita constringit, vt neque secundùm eam, neque contra eam possit facere. Si autem non sit imputabilis, solùm ligare secundùm quid, nempe vt non possis agere contra eam; possis tamen secundùm eam. Idem docet Almainus Tract. 1. Moral. c. 5.

Medina affirmat. Medina verò & alij multi absolutè docent, conscientiam erroneam obligare, vt eam vel sequamur, vel deponamus.

Conscientia culpabiliter errans, non obligat vt agamus secundùm eam. Respondeo & Dico Primò, Conscientia errans, si error culpabilis sit, obligat quidem vt non agamus contra illam, quamdiu perseuerat; non tamen verè obligat, vt agamus secundùm eam, sed solùm videtur nobis obligare propter falsam nostram opinionem.

Prior pars est communis DD. & colligitur ex D. Thoma art. 5.

Prob. prima pars. Probatur Primò, Quia agere contra dictamen conscientiæ, est intrinsecè peccatum; ita vt ne Deus quidem possit in hoc dispensare: atqui obligamur ad vitandum peccatum: ergo obligamur non agere contra conscientiam.

Ad Rom. 4. Fides idem quod Conscientia. Maior patet ad Romanos 14. *Quidquid non est ex fide, peccatum est.* Quem locum etsi D. Augustinus interdum explicet de fide Catholica, (de cuius sententia infrà dicetur quæst. 109.) tamen communis sententia aliorum est, intelligendum esse de *Conscientiâ*; vt sensus sit, Quidquid fit contra conscientiam, vel non secundùm cõscientiam, est peccatum. Ita Origenes, Chrysostomus, Commentarius Ambrosij, Theodoretus, Theophylactus, Anselmus, Glossa, & alij; & manifestè conuincitur ex verbis Apostoli.

Voluntas quia cæca, debet dirigi. 35 Probatur Secundò, Quia voluntas, cùm per se sit cæca, tenetur non agere contra propriam suam regulam, à qua debet dirigi: atqui proxima regula voluntatis est dictamen conscientiæ (quia per hanc omnis alia regula, vt lex æterna, lex humana, & omne obiectum proponitur & applicatur:) ergo tenetur non agere contra conscientiam.

Probatur Tertiò, Conscientia errans vel proponit id quod non est peccatum, tamquam peccatum; & sic agere contra conscientiam, est velle id quod putatur esse malum & peccatum; vel quod non est præceptum, proponit tamquam præceptum; & tunc agere contra conscientiam, est implicitè contemnere præceptum: atqui obligamur non velle malum, & non contemnere præceptum: ergo obligamur non agere contra conscientiam. Sicut enim possumus obligari ad actum positiuum liberum; ita etiam ad liberam negationem actûs.

Soluitur obiectio. Dices, Id quod conscientia errans proponit tamquam malum, non est verè malum, sed bonum: ergo non facit, vt voluntas sit verè mala.

Respondeo Negando consequentiam, Quia etsi in se sit bonum, tamen hæc bonitas est incognita; vnde perinde se habet ac si non esset; quia voluntati non proponitur, & vlterius apprehenditur tamquam malum; vnde cum illa malitiâ est volitum: quare facit voluntatem malam. Quod apertè colligitur ex Apostolo ad Rom. 4. *Qui existimat aliquid esse commune, ei est commune*; id est, immundum, ac proinde prohibitum.

Prob. secunda pars. Bonauent. Altera pars est D. Bonauenturæ in 2. dist. 39. art. 1. q. 3. vbi dicit: *Si conscientia erronea dictet aliquid faciendum esse, quod est contra legem Diuinam, tunc non obligat ad faciendum, vel ad non faciendum,* 36 *sed ad*

sed ad se deponendum; quia, inquit, *quamdiu manet, ponit hominem extra statum salutis* (quod intellige quando datur occasio operandi secundùm eam.)

D. Thomas. Idem insinuat D. Thomas hoc loco art. 5. dum solùm probat, nos teneri non agere contra conscientiam.

Conradus, Almainus. Idem docet Conradus in hunc locum, & Almainus suprà. Vnde non est verum quod ait Medina, contrariam sententiam esse communem Theologorum.

Probatur Primò Ratione Durandi. Nemo vnquam potest obligari ad peccandum: Sed agere secundùm conscientiam erroneam, dum error est culpabilis, est peccare: ergo nemo obligatur ad sequendam conscientiam erroneam.

Secundò, Quia aliundè obligamur illam corrigere seu deponere, idque moraliter nobis est possibile; vt supponimus: ergo non tenemur eam sequi. Consequentia patet; Quia hæ obligationes repugnant; si enim teneor eam hîc & nunc deponere ne illam sequar, teneor non sequi; cui obligationi repugnat obligatio sequendi.

37 *Prob. tertia pars.* Tertia pars probatur, Quia etsi reuerà non teneamur illam sequi, tamen putamus nos teneri; vnde fit vt non facere secundùm eam, sit implicitè contemnere præceptum, quod putamus esse. Confirmatur ex Apostolo ad Galat. 5. *Testificor omni homini circumcidenti se, quod debitor est vniuersæ legis.* Intellige, non verè debitor, sed secundùm suam opinionem, qua putabat circumcisionem esse necessariam: hinc enim sequebatur, vt putaret etiam obseruationem totius legis esse necessariam; quia circumcisio erat professio quædam, quâ profitebantur se totam legem acceptare: sicut modò Baptismus est acceptatio totius legis Christianæ.

Circumcidens se, quomodo fit Debitor legis.

38 *Conscientia erronea inculpatè obligat, vt agamus secundùm eam.* Dico Secundò, Conscientia errans, si error sit inculpatus, obligat vt non solùm non agas contra eam, sed etiam vt agas secundùm eam, faciendo quod dictat faciendum. Prior pars satis patet ex dictis.

Altera pars; scilicet quòd obligemur facere secundùm eam, videtur esse contra Durandum; quia generatim negat, conscientiam errantem obligare. Sed probatur, Quia hoc ipso quo obligamur non agere contra eam, obligamur agere secundùm eam; nam non agere secundùm eam, est agere contra eam; non enim datur aliquid tertium. V.g. Conscientia alicui dictat esse mentiendum pro vita hominis; quia id aliquando legit in Patribus: non agere secundùm hanc conscientiam, est agere contra conscientiam. Secùs est, quando error conscientiæ est culpabilis, tunc enim datur tertium.

Dices, Oportet illam conscientiam corrigere, cùm sit falsa; & ita neque ages contra conscientiam, neque secundùm eam.

Respondeo, Non esse in mea potestate illam corrigere; quia suppono errorem esse inculpatum, seu inuincibilem; nihil enim occurrit, vnde meritò possim dubitare; vel si occurrit, non est tempus deliberandi, eò quòd res vrgeat.

39 *Soluuntur obiectiones.* Obijcitur Primò, ex Durando. Obligatio neque est ad illicitum, neque ad indebitum: sed conscientia errans dictat esse faciendum quod est illicitum fieri, aut certè non debitum: ergo non obligat.

Respondeo non esse veram obligationem ad illicitum formaliter; quò sit vt conscientia errans, si culpabiliter erret, non verè obliget ad faciendum quod ipsa dictat; quia illud facere est formaliter illicitum facienti: potest tamen obligari aliquis ad id quod materialiter est illicitum; nam id potest ob aliquam circumstantiam se habere respectu operantis, tàmquam licitum & honestum, vt suprà dictum est. Pari modo, quod per se non est debitum, potest fieri debitum ob aliquam circumstantiam; qualis est opinio inculpata. *Ad illicitum formaliter non est vera obligatio.*

Obijcitur Secundò, Vera notitia de re non tollit obligationem, sed eam confirmat: atqui vera notitia de eo quod conscientia erronea dictat, tollit obligationem: ergo antea nulla erat obligatio. 40

Respondeo, Quando aliquid per se considerat um obligat, tunc vera cognitio non tollit obligationem; sed quando aliquid solùm obligat ratione ignorantiæ, vel falsæ opinionis, tunc vera cognitio tollit obligationem, sicut ostendi potest in exemplo circumcisionis. *Quandonam vera cognitio tollat obligationem.*

Obijcitur Tertiò, Conscientia errans culpabiliter, solùm inducit obligationem putatitiam: ergo etiam conscientia errans inculpatè: ergo non veram. 41

Respondeo vtramque posse dici putatitiã; quia prouenit ex opinione, sed diuersimodè: nam illa prouenit ita ex opinione, vt solùm sit in opinione obiectiuè, non autem in re; quia illa obligatio non est, sed tantùm putatur esse. Hæc verò ita prouenit ex opinione, vt verè sit in re, & opinio tantùm se habeat vt conditio, quâ positâ oritur vera obligatio in homine ex ipsa natura hominis, vel voluntatis, quæ tenetur sequi dictamen conscientiæ, quod non potest prudenter deponi: tale enim dictamen cum istis circumstantijs est prudens. In singulis autem virtutum materijs tenemur sequi quod proponitur, vt necessarium ad honestatem illius virtutis. *Obligatio quæ est ex errore culpabili, aliter debet dici putatitia, quàm quæ est ex errore inculpabili.*

DVBIVM VII.

Vtrùm in operando possimus sequi opinionem probabilem, omissâ ea quam iudicamus probabiliorem?

NOtandum est, nos hîc loqui de opinionibus, quibus opinamur aliquid esse iustum, vel iniustum; licitum vel illicitum; præceptum, vel non præceptum: nam opiniones de alijs operum conditionibus non pertinent ad directionem voluntatis in actibus moralibus, nisi mediatè, quatenus ex illis conditionibus colligi potest an opera sint licita, vel illicita; præcepta, an non præcepta. 42

Multi Doctores videntur existimare, semper sequendam esse sententiam probabiliorem; nisi fortè ea quæ minùs probabilis est, sit tutior. Ea autem vocatur *tutior*, in qua nullum est periculum peccati; vel (si in vtraque est periculum) in qua est periculum minoris peccati, quàm in altera. *Peccatum* voco materiale opus peccati; quod imputaretur ad peccatum, nisi aliunde excusaretur. V. g. Omittere cambium Francofurtense. Vel Byzantinũ, dicitur tutior pars, quàm talem contractum facere; quia in omissione nullum est periculum peccati. *Quidam putant semper sequendam esse sententiam probabiliorem.*

Hanc

Angelus. Sylvester. Adrianus. Navarrus.

Hanc sententiam sequitur Angelus Verbo *Opinio*, num. 1. & 2. Sylvester ibidem quæst. 1. & 2. Adrianus Quodl. 2. Nauarrus cap. 27. Enchiridij num. 285. & sequentibus. Caietanus in summa, Verbo *Opinio*, vbi videtur etiam ampliùs velle; scilicet vt operans habeat moralem certitudinem, licitum esse quod facit; ita vt non formidet de oppositō: quæ sententia Caietani si intelligatur de certitudine speculatiua, est nimis dura; si de practica, est vera, vt patebit dub. 8. Et de hac esse intelligendam, colligitur ex Tomo 1. opusculo vltimo, resp. 13. ad 7.

Caietanus.

43 *Opinio improbabilis non est sequenda nec dubiè probabilis.*

Dico Primò; Neminem in operando posse sequi opinionem, quam putat esse improbabilem, vel de cuius probabilitate dubitat. Est communis Doctorum.

Ratio est, Quia qui iudicat improbabilem, absolutè iudicat esse falsam, & præterea carere omni specie veritatis, omni ratione & auctoritate, ob quam pruderiter posit illàm amplecti. Si verò dubitat de probabilitate, non solùm dubitat de veritate, sed etiam de specie veritatis; nec vllam habet rationem vel auctoritatem, quæ sufficiens sit, vt prudenter posit illi adhærere.

44 *Æquè probabilis si est, elige.*

Dico Secundò, Si opiniones in vtramque partem sint æquè probabiles, potes sequi vtram libet. Ita Sotus lib. 3. de Iustitia qu. 6. art. 5. ad 4. & alij recentiores.

Probatur, Quia vtrimque est sufficiens ratio prudenter assentiendi; neque est maior, cur credam opus esse licitum, quàm illicitum; præceptum, quàm non præceptum.

Dices, Tutius est in tali casu credere esse præceptum, & facere; &c.

Periculosum est onerare conscientiã præceptis non necessarijs.

Respondeo, Imò tutius est credere non esse præceptum; quia periculosum est conscientiam onerare multis præceptis non necessarijs; facilè enim tunc contingit hominem peccare ob conscientiam erroneam. Itaque melius est, vt sciat se non obligari: sic enim si omittat, non peccabit; si faciat, faciet opus supererogationis. Fateor tamen tutius esse facere, quàm non facere in tali casu: non tamen ideò necessarium est facere; alioqui omnes deberent sequi consilia Christi; hoc enim est tutius: omnes tenerentur exequi omnes bonas inspirationes, omnes tenerentur abstinere à negotiatione.

45 *Possumus sequi in operando sententiam probabilẽ, omissa probabiliore.*

Dico Tertiò, Si vtrimque sint opiniones, quarum tamen altera sit probabilior altera, potes in operando, relictâ sententiâ, quam iudicas probabiliorem, ordinariè sequi eam, quæ videtur minùs probabilis, modò tamen verè sit probabilis; siue ea pars tutior sit, siue minùs tuta. Ita docet Medina hîc & passim recentiores, qui hoc tempore scribunt. Et colligitur ex Nauarro in *cap. Si quis*, de Pœnit. dist. 7. num. 53. 54. 55.

Probatur Primò, Quia possumus sequi opinionem probabiliorem, omissâ viâ certâ (vt quando probabilius est opus esse licitum quàm illicitum) possumus illud facere omissâ viâ certâ, quæ est abstinere ab opere:) ergo possumus sequi opinionem probabilem, omissâ probabiliore; est enim par vtrobique ratio.

Secundò, Quando non constat de veritate, potest se quisque subijcere iudicio prudentum in rebus agendis: atqui sententia probabilis est iudicium prudentum: ergo quilis potest se ei conformare.

Tertiò, Non semper tenemur sequi id quod videtur melius, sed sufficit sequamur id quod videtur bonum: ergo neque tenemur sequi id quod videtur verius; id est, quod maiorem habet veritatis speciem; sed sufficit sequi id, quod habet speciem veritatis talem, ob quam possit prudenter videri verum.

In quibus teneatur subditus obedire superiori.

Quartò, Si Superior præcipiat aliquid inferiori, quod probabile sit esse licitum, etiamsi contrarium sit probabilius; tamen subditus tenetur obedire, vt communiter Doctores doc. (tenetur enim semper, nisi constet esse illicitum, vel nisi sit periculum grauioris incommodi:) ergo possumus sequi sententiam probabilem, quamuis contraria videatur nobis probabilior. Consequentia probatur, quia si teneremur sequi id, quod nobis est probabilius, etiam teneremur Superiori præcipienti id quod minùs est probabile, non obedire.

Quintò, Nemo reprehendendus est quòd sequatur sententiam verè probabilem in sentiendo: ergo neque quòd sequatur eam in operando: cur enim quod absque culpa possum iudicare esse licitum, non possim absque culpa facere?

Sextò, Intellectus humanus in rebus practicis plerumque non potest assequi certam cognitionem veritatis; sed solùm probabilem opinionem: ergo in operando potest hanc sequi (alioqui à plerisque actionibus huius vitæ teneretur abstinere:) atqui sæpè fit, vt opinio quæ vni videtur probabilior, sit falsa; & minùs probabilis, sit vera; & contrà. Item vt probabilior sit falsa, & minùs probabilis sit vera (nam multa falsa habent maiorem speciem veri, quàm quædam vera:) ergo non erat æquum, vt homo semper teneretur sequi id, quod ei probabilius videretur.

46 *In dando consilio.*

Ex his sequitur Primò, Etiam in dando alijs consilio posse nos sequi opinionem probabilem, relictâ eâ quam putamus probabiliorem, quando ita videtur expedire, ad melius bonum, &c. quod est contra Nauarrum cap. 27. Enchiridij. n. 288. Vt plurimum tamen in dando consilio sequenda est opinio tutior.

Contra propriam sententiã.

Secundò, Posse nos sequi opinionẽ probabilem contra propriam sententiam, quam putamus probabiliorem; quod est contra Adrianum Quodl. 2. & contra Auctores alterius sententiæ.

47 *Soluuntur obiectiones.*

Contrà obijcitur Primò, Qui putat alteram partem esse probabiliorem, non potest prudenter iudicare hanc quam vult sequi, esse veram, sed potiùs censet esse falsam; quia minor species veri in ea cernitur: ergo nõ potest eam in operando prudenter sequi. Consequentia probatur; quia non potest quis prudenter velle quod ex parte rei iudicat esse illicitum; vel certè quod non potest determinatè iudicare esse licitum.

Cum iudicio speculatiuo quo iudicas rẽ hanc in se esse illicitã, stare potest iudicium practicum quo iudices eam hic & nunc esse licitam.

Respondeo Negando Consequentiam: Non enim est necessarium, vt putes hanc partem quam vis sequi, esse in seipsa, seu speculatiuè verã (v.g. hunc contractum ex parte rei esse iustum; alioqui quando vtrimque sunt rationes æquè probabiles, non posses vtramuis partem sequi; quia non potes determinatè iudicare hanc vel illam esse veram.) Sed sufficit vt iudices esse probabilem, (id est, habere tantam veritatis speciem ob rationes vel auctoritates Doctorum, vt prudenter alicui in ea scientia perito possit videri vera) & fortasis esse veram; quamuis in re putes esse falsam; quia cum

hoc iudicio speculatiuo quo putas talem contractum in se esse illicitum, potest consistere aliud iudicium quod sit practicũ, quo iudices hoc opus tibi hîc & nunc esse licitum, id est, non imputandum ad culpam; eò quòd prudens iudicium aliorum, vel probabiles rationes sequaris.

48 Obijcitur Secundò; Si licitum esset sequi sententiam probabilem, omissâ probabiliore, iudex non teneretur ferre sententiam pro eo, cuius ius est probabilius: atqui hoc manifestè est falsum: ergo & id vnde sequitur.

Quidam censent verosimile Iudicem posse sequi sententiam probabilem in q. Iuris.

Respondeo Primò, Iudicem teneri ex iustitia sequi id, quod est probabilius in quæstione facti: verosimile autem quibusdam videri id ipsum nõ teneri Iudicem facere in quæstione Iuris. Ita sentit Michaël Salon 2.2. q. 63. a. 4. controu. 2. vbi pro hac sententia citat Pet. Sotũ & DD. Salmanticenses. Vt si quæstio sit, vtrùm Testamentum Pauli quo me instituit heredẽ, sit solemne, an nõ; & ego melioribus indicijs & rationibus probẽ esse solemne, quàm aduersarius probat non esse solenne, tenetur Iudex mihi hereditatem adiudicare. Si verò quæstio sit, vtrùm ex testamento minùs solemni hereditas debeatur; etiamsi ego probem partem aientem esse probabiliorem, non tenetur tamen Iudex hoc sequi. Sed difficultas est in assignanda ratione huius diuersitatis; si enim dicas illum, qui in quæstione facti melius probat, maius ius habere; cur non etiam plus iuris habeat, qui melius probat in quæstione Iuris? Vnde hæc sententia mihi non omnino probatur. Quare

49 *Sed verius negatur.* Respondeo Secundò, Simpliciter negando maiorem. Etsi enim huius ius sit probabile; tamen non est probabilis opinio iudicem posse illi rem adiudicare, quando ius alterius est probabilius. Ratio est, quia iudex cõstitutus est vt cuique tribuat secundùm ius cuique cõpetens. Ergo quando non potest constare vtri parti ius cõpetat, illi fauere debet cui magis videtur cõpetere; sic enim humano modo maximè accedit ad veritatem.

50 *Nõ semper possumus sequi sententiã probabiliorẽ.* Dico Quartò, Fieri interdum potest, vt in operando teneamur sequi opinionem probabilem dimissa probabiliore, vel æquè probabili. Est contra quosdam recentiores, Medinam hoc loco, & Salon 2.2. q. 63. art. 4. dub. 2.

In dubio Baptismi. Probatur exemplis. Primò, Probabile est pro Baptismo infantis in extrema necessitate posse pecuniam dari: contrarium sit etiã probabile vel probabilius; qui scit illam sententiam esse probabilem, tenetur illam in praxi sequi, & datâ pecuniâ curare infantem baptizari.

In dubio Confessionis. Secundò, Probabile est, eum qui offendit signa contritionis in extremis, posse absolui: contrariũ est etiam probabile; & secundùm Nauarrum probabilius: teneris sequi in praxi illam probabilem. Ratio est; quia potes in his casibus proximo succurrere sine peccato, vel vllo alio incommodo: ergo lege charitatis teneris succurrere; quia grauissimum periculum salutis æternæ vrget.

Dices, Quo modo altera pars est probabilis, si non possim illam sequi?

Respondeo, Si nosti benigniorem partem in praxi esse probabilem, durior pars, solùm speculatiuè est tibi probabilis; id est, probabile tibi est ex parte rei non esse licitum facere, quamuis ob ignorantiam veritatis, iunctam opinioni probabili alterius partis, tibi non sit imputandum, etiamsi opus facias. Itaque cùm sine peccato possis proximum iuuare in tanto discrimine, teneris; quamuis fortasis opus quod facis, sit in se illicitum. Qui verò ignorat inculpatè benignioris partis probabilitatem; ei altera pars etiam practicè est probabilis.

Tertiò, Superior aliquid imperat subdito, quod probabile est esse licitum, quamuis contrarium sit probabilius; subditus tamen tenetur obedire, vt docet Siluester verbo *Conscientia*, qu. 4. ex D. Bonauentura in 2. dist. 39. art. 1. quæst. 3. in fine. Ratio est, Quia inferior potest illud facere: ergo tenetur ratione præcepti: quando enim materia est licita & honesta, præceptum Superioris obligat. 51 *In dubio Præcepti.*

Quartò, Audiuisti Confessionem alicuius, qui non vult relinquere contractum, quem probabiliter tenet esse licitum, etiamsi probabilius sit esse illicitum; non solùm potes, sed etiam teneris illum absoluere. Ratio est, Quia iste non habet impedimentum absolutionis, cùm sine peccato sequatur sententiam probabilem: ergo cùm ipsius confessionem iam audiueris, teneris ex officio. Sacerdos enim ex officio auditâ iam confessione, tenetur pœnitentem non impeditum absoluere. Quòd si confessionem nondum audiuisses, posses eum remittere ad suum Parochum, eò quòd tuam sententiam, quæ probabilior est, sequi nolit. Parochus tamen, qui ex iustitia tenetur audire, non potest eum reijcere, etiamsi sententiam eius sequi nolit. Vide Sotum in 4. dist. 18. qu. 2. art. 5. ad 5. *In dubio Restitutionis, quid sequi debeat quilibet Confessarius.* *Quid hîc sequi debeat Parochus.*

Aduerte tamen, ad hoc exemplum Responderi posse eum qui absoluit pœnitentem in tali casu, non sequi opinionem probabilem, sed certam; quia certum est, Sacerdotem auditâ confessione teneri absoluere pœnitentem, quem non scit esse indispositum: non est autem indispositus, qui sequitur opinionem probabilem. 52

DVBIVM VIII.

Vtrùm voluntas conscientiâ dubiâ aliquid faciens, sit mala?

NOtandum est, aliud esse dubium practicè, aliud speculatiuè. 53

Practicè dubium dicitur, de quo dubitatur in ordine ad operationem; scilicet an liceat illud facere, an omittere, id est, vtrùm imputetur ad peccatum. Idque fieri potest dupliciter, vel in vniuersali sine circumstantijs; vel in particulari cum his vel illis circumstantijs. *Quid dubium Practicè.*

Dubium Speculatiuè dicitur, de quo dubitatur vtrùm in se sit tale, vel tale; verum, an falsum; licitum, an illicitum. *Quid Speculatiuè.*

Rursus, aliud est *dubium Iuris*; vt cùm dubitatur vtrùm liceat; vtrùm sit obligatio; vtrùm extet aliqua lex. Aliud *Facti*; vt cùm dubitatur de substantia facti, vel aliqua eius circumstantia. His positis *Quid Iuris.* *Quid Facti.*

Dico Primò, Si conscientia sit practicè dubia in particulari, dubitando an hîc & nunc opus sit licitum, voluntas cum tali conscientia operans, non potest esse recta. Est communis Doctorum. Vide Nauarrum in *cap. Si quis*, de pœnitentia d. 7. num. 56. & sequentibus, & n. 81. & Caietanum Tomo 1. opusculo vltimo, responsi. 13. dub. 7. Adrianum Quodl. 2. 54 *Cõscientia Practicè dubia in particulari, sic operans, non est recta.*

Probatur

Rom. 14. Probatur cõmuniter ex illo ad Rom. 14. *Quidquid non est ex fide, peccatũ est*; id est, ex credulitate, qua credas hoc esse licitum; de hac enim fide loquitur Apost. Ratio est, Quia qui cum tali dubio operatur, apertè se exponit periculo peccandi: ergo peccat; iuxta id Ecclesiastæ 3. *Qui amat periculum, peribit in* Hinc sequitur, hominem peccare quotiescur e aliquid facit, nesciens an sit licitum, an illicitum.

Petes, An ergo debeat esse certus esse licitum?

55 *Iudicium moraliter certum, est necessariũ, vt voluntas sit bona.* Respondeo, Debere esse moraliter certum hoc opus cum his circumstantijs sibi esse licitum; id est, se in eo nõ peccare; vt rectè Nauar. sup. n. 58. Ratio est, Quia debet esse iudicium prudens, quo hoc faciat: iudicium autem prudens debet esse moraliter euidens & certum. Dico *moraliter*, quia non est opus euidentiâ Mathematicâ, vel certitudine fidei; sed qualis in rebus humanis haberi solet.

Aduerte tamen, cùm hoc iudicium practicum possit consistere cum dubio speculatiuo, id non semper excludere omnem scrupulum & formidinem; quia ex dubio speculatiuo assiduè suggeritur aliqua ratio dubitandi, quæ facilè scrupulum parit, nisi fortè quis sit iudicio benè firmo, & rationes, ob quas practicè censet esse licitum, constanter consideret.

56 *Conscientia speculatiuè dubia, vel practicè in vniuersali, si in particulari non dubitet, est recta.* Dico Secundò, Quamuis conscientia speculatiuè sit dubia, vel etiam practicè in vniuersali; si tamen in particulari non dubitet practicè, & determinatè iudicet cum his circũstantijs hoc opus esse licitum, voluntas consentiens poterit esse recta. V. g. Subditus etsi speculatiuè nesciat vtrùm bellum sui Principis sit iustum an iniustum, tamen in particulari potest iudicare sibi esse licitum; quia non constat ipsi esse iniustum; vt expressè docet Augustinus lib. 22. contra Faustum c. 75. Sic mulier quæ bona fide contraxit, si postea superueniat dubiũ de matrimonij firmitate; potest tamen in particulari iudicare hîc & nunc sibi licere reddere debitum, vt expressè habetur cap. *Dominus*, de secundis nuptijs.

Subditus in bello sui Regis.

Mulier quæ bona fide contraxit.

Ratio est, Quia ex alijs principijs pendet veritas iudicij speculatiui, ex alijs practici: aliæ enim rationes necessariæ sunt, vt credas hunc, de quo dubitas, esse maritũ tuum; aliæ, vt credas te posse ei debitum reddere: aliæ, vt credas bellum in se esse iustum; aliæ, vt credas te posse militare. Pari modo ob aliam rationem credimus aliquid esse verum absolutè sine circumstantijs; ob aliam verò cum circumstantijs in particulari.

Aliunde pendet veritas speculatiua, aliunde practica.

57 *Soluitur obiectio.* Dices, Qui dubitat in vniuersali, etiam necessariò dubitat in particulari: ergo fieri nequit vt tunc habeat determinatum iudicium in particulari.

Dubitans in vniuersali, dubitat in particulari vniformiter accepto. Respondeo, Qui dubitat in vniuersali, necessariò etiam dubitat in particulari, si vtrumque consideretur cum ijsdem circumstantijs (etsi contrarium videatur sentire Nauarrus suprà nu. 62. & Caietanus hoc loco:) quia in vtroque est eadem ratio dubitandi. Sed si illud particulare accipiatur cum certis circumstantijs, cum quibus non consideratur vniuersale, fieri potest vt de eo non dubites, quamuis dubites in vniuersali. V. g. Dubitas in genere vtrùm die Festo licitum sit facere iter; si tamen tibi aliqua grauis causa superueniat, non dubitas quin tibi ob hanc causam liceat.

DVBIVM IX.

Quid faciendum quando vtrimque est dubium, scilicet, vtrùm liceat facere, & an teneatur omittere?

EXempli gratiâ, Vxore petente debitum, maritus dubitat an possit reddere, ne fortè cõmittat fornicationem, eò quòd sit incertus de firmitate matrimonij; & ex altera parte dubitat an possit negare, ne fortè faciat iniuriam coniugi. Præcepit aliquid Superior, de quo dubitat inferior an sit licitum. Debes adesse infirmo, & simul incumbit obligatio Sacri audiendi, &c. 58

Quando obligationes contrariæ currunt. Respondeo & Dico Primò, In tali casu, quando videntur concurrere obligationes contrariæ, vt voluntas sit recta, necesse est alteram partem determinatè iudicet hîc & nunc sibi esse licitam. Ratio est, quia alioqui ipso modo eligẽdi exponit se periculo errãdi, siue eligat facere siue omittere.

59 *Obseruanda vt hic prudenter eligas.* Dico Secundò, In huiusmodi dubijs, vt prudenter iudicet, hæc sunt obseruanda. Primò, Vtatur aliorum consilio, si potest, & res patiatur. Secundò, Si id nõ potest, vel quia res non patitur, vel quia consilium non est ad manum; consideret per se diligenter vtrùm videatur minus malum, & hoc eligat: hoc enim in tali casu censetur licitum & honestum; minus enim malum comparatum ad maius, rationem boni habet; vt recte docet Aristot. 5. Ethic. cap. 3. Vt, minus mali est in dubio matrimonij, reddere debitum vxori petenti, quàm negare; quia minus malum est exponere se periculo incontinentiæ incerto, quàm coniugem spoliare certo iure quod habet ratione possessionis matrimonij bona fide contracti, & hactenus continuati. Sic minus malum est omittere Sacrum, quàm deserere infirmum; quia illud est contra præceptum affirmatiuum iuris humani; hoc verò est contra præceptum negatiuum iuris naturalis. Et sic in cæteris.

In dubio matrimonij potius reddas, quàm neges debitum.

Potiùs omitte Sacrum audire, quàm ægrum deseras.

60 *Si eligat maius malum, quale sit peccatũ?* Dico Tertiò, Quòd si in tali casu aliquis eligat id quod ei videtur maius malum, si quidem videatur magnus excessus, erit peccatum mortale; si paruus, erit veniale.

Si æquè malum, quid eligeret? Dico Quartò, Si vtrumque videatur æquè malum, poterit eligere vtrùm maluerit. Patet, Quia nulla est ratio cur hoc potiùs quàm illud teneatur acceptare.

Ratio horum omnium est, Quia nemo vmquã vllo casu potest obligari ad impossibile: atqui concurrentibus occasionibus contrarijs, impossibile est vtrique satisfacere: ergo necesse est alterum cessare; cessabit autem ea quæ est minor; necesse enim est, vt hæc cedat maiori: ergo contra hanc licebit facere. Quod si vtraque sit æqualis, vtra vis cessabit; vnde poteris facere contra vtram libet. Vt, si dubites an in extrema necessitate rationc famis, hostis, ignis, vel aquæ, debeas succurrere vxori, an filio primogenito; videaturque tibi par obligatio; nec valeas vtrique succurrere; potes vtri libuerit.

An vxori, an primogenito in fame subueniendũ.

61 *Quid si to in hanc necessitatem conieceris?* Nec refert, Vtrùm teipsum tuâ culpâ in hanc perplexitatem conieceris, an absque culpâ inciderís; quia in omni euentu potes te ita gerere, vt nouo peccato non pecces, faciendo pro illo tempore quod in te est; nullo enim tempore Deus ampliùs ab homine requirit, vt rectè do-

cet Gerson in 2. parte Tract. 1. qui est, *regulæ morales*, columna 2. Qui enim suâ culpâ se coniecit in illam difficultatem, potest de illa dolere; & ita, quod ex ea necessariò sequitur, non imputabitur ad culpam, & non erit voluntarium: vt si abieceris Breuiarium, ne possis legere officium; si postèa doleas, & facias quod in te est; omissio officij non erit peccatum. Vide Couarruiam in 4. decret. 2. parte, cap. 7. §. 2. nu. 10.

Omissio officij ex abiectione Breuiarij.

DVBIVM X.

Vtrùm semper in dubijs tutior pars sit eligenda?

62 *Negatur.* RESpondeo, Non semper id esse necessarium, sed aliquando posse nos sequi partem minùs tutam. Vt autem intelligatur quando id possimus, & quando non,

Notandum est, Dubium esse posse de varia materia; vt de Natalibus, de Dominio, de Censura, de Matrimonio, de Voto, de Lege vel præcepto. Nunc

Dico Primò, Quando pars minùs tuta per rationes vel auctoritates prudentum, fit verè probabilis, non tenemur sequi partem tutiorem. Patet ex dictis dubio 7. Hac ratione potest se homo in plerisque dubijs expedire; quia plerumque post adhibitam inquisitionem debitam, altera, vel etiam vtraque pars redditur probabilis.

63 *Si dubium sit de natalibus.* Dico Secundò, Si dubites de tuis natalibus, vtrùm sis legitimus an illegitimus; naturalis an spurius, non est sequenda pars tutior, sed mitior. Ita Siluester Verbo *filij*, quæst. 12. ex Panormitano & alijs Doctoribus; estque communis sententia DD. Ratio est, Quia nulla æquitas postulat vt tam graue onus, tamque odiosam conditionē assumas, nisi moraliter de ea constet.

Dices, Periculum est ne legitimis hæredibus fiat iniuria, quam teneris vitare: ergo, &c.

Respondeo, Ex altera parte etiam est periculum, & quidem maioris iniuriæ, scilicet vt habearis illegitimus, cùm fortè non sis, & ab hereditate tibi debita excludaris. Nemo autem in dubio tenetur subire maius malum, vt euitet minus malum alterius. Et hoc modo limitanda est illa regula, *In dubio tutior pars est eligenda*, scilicet, nisi tibi inde maius incommodum impendeat.

64 *Dubij illegitimi & expositiij promoueri possunt ad Ordines.* Hinc sequitur, Posse huiusmodi promoueri ad Ordines sine dispensatione. Si enim non es censendus illegitimus, nisi moraliter constet; non es etiam censendus irregularis ob defectum natalium. Idem dicendum de pueris expositijs, vt docet Ananias, Filinus, & Gabriel Paleottus, qui dicit hanc esse communem opinionem, vt refert Couarruuias *Clementinâ*, *Si furiosus* in proëmio, num. 9. (etiamsi ipse non omnino consentiat.) Quod confirmauit Gregorius XIV. anno 1591. decernens vt habeantur pro legitimis & puri sanguinis ad omnes præbendas; idque meritò. Cùm enim sæpè etiam legitimi exponantur propter paupertatem parentum; cur expositi potiùs præsumerentur illegitimi, cum periculo grauis & irreparabilis damni, quàm legitimi, sine illius iniuriâ?

65 *Si dubiū de Dominio.* Dico Tertiò, Si dubites, vtrùm hæc res, quam bonâ fide hactenus possedisti, sit aliena; teneris inquirere veritatem, nec anteà potes eam consumere, vel alienare (nisi fortè alia aliqua causa vrgeat, vt rei corruptio, vel grauis tua necessitas.) Sed si post debitam diligentiam maneat dubium; non teneris sequi partem tutiorem, restituendo illā alteri (vt vult Adrianus Quodl. 2.) sed potes eam integram retinere. Ita passim Doctores. Couar. *regula possessor.* p. 2. §. 7. num. 5. Ioannes Medina q. 17. de restitutione. Sotus in 4. dist. 27. q. 1. a. 3. & Siluester Verbo Præscriptio, num. 3. §. Tertium, vbi citat Glossam, & Panormitanum, qui hanc sententiam dicit esse communem. Ratio est; Quia *In dubio melior est conditio possidentis*, vt habet regula Iuris.

Vbi nota, Hanc regulam intelligendam de eo qui bona fide cœpit possidere: si enim dubiâ fide cœpit, perseuerante dubio post examen veritatis, non potest eam integram retinere; sed tenetur diuidere cum eo, cuius esse dubitatur, idque pro ratione dubij, vt docet Medina suprà; & colligitur ex Caiet. 2. 2. qu. 62. a. 5. & Soto lib. 4. de Iust. q. 7. a. 1. ad 3. qui docent, rem inter duos dominos dubios esse diuidendam. Ratio est, quia cùm neutri possessio suffragetur, & alioqui vtrimque sit dubium vtrius sit, nulla est ratio cur alteri tota detur.

Si dubiâ fide cœpit possidere.

Dico Quartò, In dubio Iuris (v. g. Vtrùm contractus sit licitus: Vtrùm ob tale opus non incurratur Censura) ante examen rei, sequenda est pars tutior; post sufficiens examen, si non potest aliquid determinati in alteram partem haberi, non est necesse sequi partem tutiorem, præsertim quando ea est multùm onerosa. 66 *Si sit dubium Iuris.*

Prior pars patet ex dictis; Quia alioqui exponit se manifesto periculo peccati.

Altera pars probatur, Primò, Quia si post diligens examen non potest determinatè cognosci tutiorem partem esse iure definitam, probabiliter præsumi potest non esse definitam: si enim esset definita, posset per diligens examen deprehendi.

Secundò, Quia quando quis vtrimque habet rationes vel auctoritates æquè probabiles, non tenetur sequi partem tutiorem: ergo etiam non tenetur, quando post examen non deprehendit tutiorem partem esse definitam. Consequentia patet; Quia ille qui habet rationes vtrimque probabiles, non est magis certus de veritate partis mitioris, quam hic certus sit facto examine; quin imò hic habet maiorem rationem præsumendi partem tutiorem non esse definitam, eò quòd de ea non potuerit quidquam determinatè cognosci.

Tertiò, Quia Iura debent esse talia, vt per diligens examen possint determinatè cognosci; quia pertinent ad omnes: si ergo per diligens examen aliquod ius non possit sic cognosci, meritò censetur non existere.

Dico Quintò, Idem censendum est in dubio facti de Lege, vel Voto, quando dubitatur vtrùm lex sit lata, vtrùm votum sit emissum. Ita Sotus lib. 7. de Iust. qu. 3. art. 2. & Medina in Summa lib. 1. cap. 13. §. 7. 67 *Si dubium facti de lege, vel voto.*

De Lege, Probatur, Quia post diligentiam, si non deprehendas determinatè esse promulgatam, potes meritò præsumere non esse; debent enim leges ita promulgari, vt possint ab omnibus cognosci.

De voto

Votum est instar legis priuatæ.

De voto probatur. Primò, Quia cùm votum sit lex quædam priuata, quam homo sibi imponit, ita fieri debet, vt ipsi possit determinatè innotescere; alioqui censeri potest non factum.

Est promissio.

Secundò, Quia votum est promissio quædam: atqui promissio rei vel obsequij facta alteri, non obligat, quando de ea constare non potest; quia in dubio melior est conditio possidentis.

Est graue onus.

Tertiò, Idcircò in dubio post diligentem inquisitionem nemo tenetur rebus suis se spoliare, quòd illud graue sit onus: atqui spoliare se sua libertate, quâ hactenus est vsus, est graue onus; imò sæpè onus hoc voti est grauius, quàm priuatio omnium bonorum; vt patet in voto paupertatis & religionis: ergo nemo tenetur hæc vel similia onera acceptare, nisi post diligens examen, ita iudicet se vouisse, vt contrarium non sit ei probabile.

Promissarius esset irrationabiliter inuitus.

Quartò, Quia sicut Dominus non est iusta ratione inuitus, quòd possessor bonæ fidei rem in dubio retineat post adhibitam diligentiam; ita etiam legislator, vel is cui facta est promissio, non est meritò inuitus, si ille qui de voto suo post adhibitam diligentiam dubitat, illud non præstet, & libertatem suam retineat.

An hic petenda dispensatio.

Addo tamen, Si is qui hoc modo de voto dubitat, facilè posset obtinere dispensationem, fortasse debere eam petere. Ratio est, quia si sine notabili incommodo potes sequi partem tutiorem, videris teneri vt euites periculum materialis sacrilegij. Verius tamen non teneri.

68 *Si dubium de legis receptione vel abrogatione.*

Dico Sextò, Si sciens legem esse promulgatam, dubitat an sit recepta: vel si fuerit recepta, & in vigore, dubitat an postmodum sit abrogata; tenetur sequi partem tutiorem, etiamsi post inquisitionem adhuc dubius maneat.

Probatur, Quia quando lex est promulgata, præsumitur esse recepta, nisi constet contrarium (id est, nisi ita iudicetur non recepta, vt contrarium non sit probabile) quia debet recipi. Similiter si lex viguit; præsumitur non esse abrogata, nisi de contrario constet: ergo debet seruari.

Si certus de voto & debito, dubites an solueris.

Idem dicendum quando id constat de voto emisso, sed dubitas an solueris; teneris enim soluere manente dubio. Ratio est, Quia certæ obligationi non potes satisfacere solutione incertâ. Simile videtur, quando quis scit certò se debitorem, sed dubitat vtrùm fecerit restitutionẽ: puto tamen in hoc casu non debere restitui totum, sed solùm dimidium; quia sicuti creditori fauet ius liquidum; ita debitori fauet possessio rei traditæ.

69 *In dubio facti de Censura, sequenda est pars tutior.*

Dico Septimò, In dubio facti de Censura vel Irregularitate (vt quando dubitatur vtrùm à nobis commissum sit tale factum, cui constet iure annexam esse censuram vel irregularitatem) ordinariè sequenda est pars tutior; nisi quando ex ea graue incommodum sequeretur.

Probatur prima pars.

Prior pars est communis sententia Canonistarum, si loquamur de foro conscientiæ; vt docet Nauarrus in *cap. Si quis autem*, n. 1. & 2. Siluester eodem Verbo quæst. 4. Adrianus Quodl. 2. Couarruuias in *Clementina Si furiosus*, in principio.

Probatur, *cap. Significasti. 2. de homicidio. Si discerni non possit ex cuius ictu percussus interijt, in hoc dubio tamquam homicida debet haberi Sacerdos, etsi fortè homicida non sit, & Sacerdotali officio abstinere debet; cùm in hoc casu cessare sit tutius, quàm temerè celebrare.* Idem decernitur *cap. Ad audientiam*; eodem titulo. Ratio est, Quia homo tenetur, quàntum potest sine graui incommodo, vitare periculum etiam materialis sacrilegij, præsertim in Sacramentis, quæ summam puritatem & veneratione postulant. Itaque si dubitas an aliquid feceris ob quod sis irregularis, vel excommunicatus, non potes cum illo dubio ordines suscipere, vel celebrare; sed debes ad tempus abstinere, vel procurare absolutionem ad cautelam. Ob eandem causam, qui dubitat an commiserit aliquod peccatũ quod sit mortale, tenetur illud sub dubio confiteri; quia non confitendo exponit se periculo materialis sacrilegij sine causa.

Peccatum mortale dubium, sub dubio confitendum.

Sed difficultas est, vtrùm etiam in foro exteriori id seruari debeat?

Panormitanus in *cap. Ad audientiam* & communis sententia Canonistarum tenet id non habere locum in foro exteriori; iudicem enim in dubio non posse iudicare hominem esse irregularem. Idem tenent Siluester & Angelus suprà.

Sed benè id refutat Nauarrus suprà num. 35. & seqq. Primò, Quia forum internum & externum cõsentiunt in iudicando, nisi quando forum externum nititur præsumptione. Secundò, Quia *cap. Ad audientiam*, loquitur in foro exteriori, prescribẽs Episcopo, quid Presbytero, de quo erat quæstio, deberet iniungi. Tertiò, Quia *cap. Significasti* 2. etiam loquitur in foro exteriori.

70 *Idem valet in foro exteriori.*

Hinc sequitur, in foro exteriori, allatis probationibus, quæ rem reddant omninò dubiam, debere iudicare, vt reus tamquam irregularis abstineat, donec cum eo ad cautelam dispensetur.

Dices, *Nemo in dubio est condemnandus.* Item, *In dubio reus est absoluendus.* Item, *Cùm iura partium sunt obscura, fauendum reo*, vt habetur in regulis Iuris. Denique, *Pœnæ sunt molliendæ.*

In dubio nemo est cõdemnandus pœna ciuili, sed ecclesiastica.

Respondeo, In dubio nemo est condemnandus pœnâ, quæ priuet vitâ, membro, famâ, bonis, patria, & similibus (à talibus enim est absoluendus in dubio; quia ex hac absolutione nihil periculi:) sed benè potest condemnari pœnâ quâ impediatur à beneficio vel officio Ecclesiastico: meritò enim Ecclesia prohibet eos, quorum probitas vel aptitudo est dubia, ordinari propter summam reuerentiam, quæ Sacramentis & ministerio sacro debetur.

71 *Probatur secunda pars.*

Altera pars, scilicet non esse necessarium sequi partem tutiorem, quando ex ea graue aliquod incommodum impendet.

Probatur Primò, Quia æquitas non postulat, vt in dubio tam graue incommodum subeamus, quàm si essemus certi; dubium enim minuit obligationem. Secundò, Fieri potest vt quis ob graue incommodum vitandum possit ordinari, vel celebrare in irregularitate vel excommunicatione certa: ergo ob minus incommodum poterit in dubia. Tertiò, Possumus sequi sententiam probabilem, omissa probabiliore: sed tunc non sumus certiores de veritate, quàm ille qui post diligens examen de aliquo facto dubitat: ergo talis dubitans poterit sequi partem mitiorem; præsertim dum ex altera notabile incommodum impendet.

In dubia irregularitate acceptari potest beneficium.

Hinc sequitur Primò, In irregularitate vel censurâ dubiâ posse beneficium acceptari, si absque periculo excidendi non potest differri: sufficit enim postea impetrare dispensationem, & absolutionem ad cautelam.

Item Sacri Ordines.

Sequitur Secundò, Si quis dubitaret de censura vel irregularitate, & non posset vllo modo, vel non nisi magno sumptu obtinere dispensationem, non obligari vt perpetuò ab executione ordinum abstineat; est enim id valdè graue incommodum, quod in dubio non tenetur acceptare; præsertim cùm irregularitas solùm iure humano constituta sit; neque præsumi debeat eam esse mentem legislatoris.

72 *Si dubium de impedimento matrimonij ante contractum.*

Dico Octauò, Quando agitur de contrahendo matrimonio; si sit dubium de aliquo impedimento dirimente, manente dubio non possunt contrahere. Patet ex cap. *Iuuenis*, de Sponsalibus. Ratio est; quia in dubio contrahens exponit se periculo fornicationis, idque sine vlla necessitate. Deinde nulla est hîc possessio quæ ipsi suffragetur, sed è contrario constitutio impedimenti dirimentis est in possessione.

73 *Si dubium post contractum.*

Dico Nonò, Qui bona fide iam contraxit matrimonium, si postea dubium superueniat, tenetur quidem coniugi petenti debitum reddere, non tamen potest exigere.

Expressè habetur *cap. Dominus* de secundis nuptijs; & *cap. Inquisitioni* de sententia excommunicationis.

Idem dicendum de illo, qui dubia fide contraxit; tenetur enim reddere, sed non potest petere; quod est contra Sotum in 4. dist. 37. art. 5. & quosdam alios, qui putant tunc non posse reddere. Sed probatur, Quia capitula illa loquuntur de ijs qui mala fide, vel certè ignorãtiâ crassâ contraxerunt, vt statim dicemus.

74 *Si dubium hoc maneat post diligens examen.*

Dico Decimò, Probabile valdè est, eum qui bona fide, & absque culpa contraxit, si postea dubium superueniat, & re diligenter expensâ, nihilominùs dubium maneat, posse non solùm reddere debitum, sed etiam petere. Ita Sotus dist. 27. q. 1. art. 3. & dist. 37. art. 5. Franciscus Victoria, & multi recentiores.

Probatur Primò, Qui rem aliquam bona fide cœpit possidere, superueniente dubio potest rem illam retinere, eâque post diligens examen vti; neque id vero Domino iusta ratione displicet: ergo similiter Deo non displicet, quod in dubio coniux vtatur vxore, quam bona fide cœpit possidere. Secundò, Quia alioquin coniuges, si contingat vtrumque dubitare, absque sua culpa cogentur perpetuò abstinere coniugio contracto, nec poterunt ad alias nuptias transire: quod sanè durum est.

Iura explicantur.

Nec obstat *cap. Dominus*; quia loquitur de illis qui contraxerunt secundas nuptias, prius quàm aliquid certi haberent de morte coniugis; & ita vel mala fide, vel certè cum crassâ Iuris ignorantia, quæ est instar malæ fidei. Quare meritò Pontifex decernit vt non petant debitum, sed vt solùm reddant petenti.

Similiter non obstat *cap. Inquisitioni*. Primò, Quia omninò videtur loqui de eo, qui cum dubio vel cum opinione de impedimẽto contraxit, [illegible]olligitur ex Glossa, & exemplo quod subiungitur. Secundò, Quia loquitur de eo qui determinatè iudicat subesse impedimentum, quamuis non sit omninò certus; qui sine dubio non potest petere debitum. Tertiò, Quia, vt ait Sotus, fortassis loquitur de eo qui nõdum satis diligenter veritatem inquisiuit: quamuis hæc tertia ratio non videatur satis solida; sed duæ priores sufficiunt.

Dices, Petendo exponit se periculo fornicationis materialis absque vlla necessitate: ergo peccat. 75

Respondeo Negando Consequentiam. Patet in simili. Consequens enim rem aliquam de qua post diligens examen adhuc dubitat an sit sua, non peccat; tamen exponit se periculo iniustitiæ materialis. Sit autem res illa maximi pretij. Itaque hoc periculum non est considerabile, vt homo propter illud debeat perpetuò abstinere vsu rei quam bona fide cœpit possidere: quia euentus est omninò inuoluntarius, vtpotè inuincibiliter ignoratus. *Licitè hîc se coniux exponit periculo fornicationis materialis.*

DVBIVM XI.

Vtrùm licitum sit agere contra scrupulum, & qua ratione scrupuli vincendi?

Scrupulus vocatur *suspicio peccati, vel obligationis, vel alicuius inhabilitatis; vt censuræ vel irregularitatis, affligens mentem metu peccati ex leui causa concepta.* Itaque tria ad scrupulum requiruntur; scilicet, causa leuis, suspicio inde orta, & metus peccati. 76 *Scrupulus quid.* *Ad eum tria requisita.*

Nascitur autem potissimùm ex quinque causis. Prima est, Naturalis iudicij imbecillitas. Secunda, Inconstantia mentis non inhærentis rebus definitis. Tertia, Nimius timor peccandi, rationem perturbans. Quarta, Occulta superbia, alieno iudicio non acquiescens, & suo præfidens. Quinta, Dæmonis importunitas scrupulos suggerentis. Vide Richardum Hallum de quintuplici conscientia lib. 3. & Siluestrum V. Scrupulus. Nunc *Nascitur ex quinque causis.*

Respondeo & Dico Primò. Non est licitum agere contra scrupulum, nisi quis reputet esse scrupulum. Ratio est, Quia nisi iudicet esse scrupulum, dum contrà agit, aget contra dictamen conscientiæ, etsi errantis; quod constat esse peccatum, vt suprà ostensum est. 77 *Vt contra agas, reputa scrupulum.*

Dico Secundò, Si reputet esse scrupulum, potest contra facere; imò sæpè expedit, ad scrupulos vincendos. Ratio est, Quia contra faciendo vincitur ille timor inanis, & imaginatio peccati. *Expedit contra agere.*

Sed difficultas est, quomodo is qui scrupulis angitur, poterit eos cognoscere; vt sic eos vincat & deponat? 78 *Remedia ad scrupulos vincendos.*

Respondeo, Optima remedia sunt hęc. Primò, Auxilium diuinum, crebra & frequenti oratione imploratum. *Primum.*

Secundò, Cogitet se scrupulosum, ac proinde non posse in rebus agendis seipsum dirigere, sed debere dirigi ab alio. *Secundum.*

Tertiò, Credat omninò viro docto & pio, potissimùm suo Confessario, cui eius conscientia sit perspecta; nec dubitet, quin Deus per hoc instrumentum salubriter ipsum sit directurus. Primò, Quia hoc meretur illa humilis submissio. Secundò, Quia hoc faciendo, facit quod in se est, vt peccatum vitet: vnde etiamsi Confessarius fortè in consulendo deciperetur, ipsi tamen consilium sequenti non imputabitur ad culpam: imputabitur autem, si suo fidens iudicio non sequatur; quia imprudenter agit. Tertiò, Quia si Christus ipse nobiscum versaretur in terris, eum in scrupulis adiremus, ad obtinendam conscientiæ tranquillitatem; at nunc loco suo constituit Sacerdo- *Tertium.* *Confessarius vt Christus ipse audiendus.*

Sacerdotem, qui totius conscientiæ ipsius sit arbiter: ergo ipsius consilium tamquam à Christo profectum accipere debemus: sicut enim Christus non deest Pontifici in definiendis ijs, quæ totam concernunt Ecclesiam; quia hunc constituit ad hunc effectum suum Vicarium: ita existimandum est non defuturum Sacerdoti in ijs præscribendis, quæ ad tranquillitatem conscientiæ pœnitentis pertinent; quia ad hunc effectum constituit illum Vicarium.

Quartũ. Quartò, Notet in charta scrupulos aliquot præteritos, in quibus deprehendit se inaniter fuisse anxium; & nouos ex horum similitudine diiudicet.

Quintũ. Quintò, Studeat quæstionibus conscientiæ, & discat quæ opiniones sint probabiles; quia plerumque scrupuli prouenium ex ignorantia. Norit etiam generales regulas epyiciæ: vt, Neminem obligari ad impossibile, aut nimis difficile, præsertim in rebus ordinarijs: Onus Christi esse leue, & iugum suaue: Scrupulosos in dubijs suis non obligari ad partem tutiorem, sed posse sequi benigniorem; & his similia.

79 *Sextum.* Sextò, Quando res vrget, & aliud consilium non suppetit, statuat coram Deo se nullam ob causam velle facere, quod ei displiceat; & sic, nisi res sit euidens, reputet esse scrupulum, & faciat contrarium.

Dices, Hoc iudicium videtur imprudens: non enim sequitur; Non est euidens esse illicitum, ergo est licitum.

Scrupulosus prudenter sibi persuadere potest, nisi res sit euidens, esse scrupulum, Respondeo, In tali dispositione hominis non esse imprudens; quia rectè sequitur, Ego sum scrupulosus, nec possum nunc alium consulere: ergo cùm opus vrgeat, & non sit euidens opus esse illicitum, possum prudenter iudicare mihi non esse illicitum; id est, mihi non imputandum ad culpam, si fecero. Et Ratio est, quia nimis durum est, vt in omni tali casu scrupulosus teneatur opus differre, donec alium consulat. Similiter si ex scrupulo videar mihi teneri ad aliquid statim agendum. V. g. Ad corripiendum proximum, si non est euidens me teneri, possum prudenter præsumere me hîc & nunc non teneri.

88 *Septimũ. Scrupulus circa Confessionem.* Septimò, Quod attinet ad scrupulos circa confessiones præteritas; sciat se non teneri quidquam repetere, nisi certus sit se vel non esse confessum, vel non benè confessum: non est autem certus, quamdiu dubitat, vel quamdiu contrarium videtur illi aliquo modo verisimile.

Octauum. Octauò, Valdè expedit scrupulosos multum occupari studijs, & alijs negotijs serijs; nam otiosis animis maximè tales scrupuli solent occurrere.

DVBIVM XII.

Quomodo conscientia erronea, vel dubia sit deponenda?

81 *Deponitur speculatiuè & practicè.* REspondeo & Dico Primò, Conscientiam dupliciter posse deponi. Primò, Speculatiuè, cùm mutato priore iudicio contrarium indicas: Vel si antè dubitabas neutri parti adhærens, determinas alteram: v. g. putabas hanc rem esse alienam, vel certè dubitabas; posteà deprehendis certis signis esse tuam; hîc deponis conscientiam speculatiuè. Secundò, Practicè, cùm manente priore dubio, vel iudicio speculatiuo, ob certas rationes iudicas te posse hîc & nunc agere, perinde ac si iudicium illud vel dubium non esset: vt cùm manente dubio an res sit tua, post diligens examen, iudicas te posse illam retinere, perinde ac si indubitanter esset tua. Similiter cùm manente opinione probabili contractum esse illicitum, iudicas eum tibi hîc & nunc esse licitum, id est, ad culpam non imputandum; eò quòd alij Doctores probabiliter teneant esse licitum.

Dico Secundò, Vt autem hoc modo conscientia possit deponi, requiritur semper aliquod principium, ex quo, non obstante dubio, vel iudicio speculatiuè contrario, rectè possit inferri istud opus posse sine peccato hîc & nunc fieri, vel hîc & nunc omitti. Talia principia sunt. *In dubio melior est conditio possidentis. In operando licitum est sequi opinionem probabilem. Cum graui damno non necessariò in dubijs sequenda est pars tutior*, &c. de quibus suprà. Ratio est, quia absque tali principio non potest formari iudicium prudens de re agenda vel omittenda, repugnante iudicio vel dubio speculatiuo. 82 *Vt conscientia possit deponi. Quid requiratur.*

Dices, fieri potest, vt quis sine omni ratione ex solo affectu putet sibi aliquid esse licitum, quod tamen absolutè in vniuersali credit esse illicitum; vt docet hîc Caietanus, quem sequitur Medina hoc loco, & Nauarrus in cap. *Si quis autem.* num. 62. Exemplum ponit Caietanus de muliere quæ audiuit à Concionatore esse peccatum mortale vti capillis alienis (quod tamen non est verum) & deinde sibi format conscientiam erroneam in genere; tamen in particulari ob affectum iudicat sibi non esse peccatum mortale; & ita dum vtitur tali capillitio, non peccat contra conscientiam: ergo potest conscientia in particulari deponi absque omni ratione, sed solo affectu. 83

Potest conscientia deponi vi affectus. Respondeo Primò, Etiamsi concederemus sic posse conscientiam deponi, tamen qui tunc operaretur, peccaret: tum quia talis depositio conscientiæ non esset prudens: sine ratione enim iudicaret sibi esse licitum, quod actu iudicabat in genere esse illicitum; tum quia exponeret se periculo manifesto mortiferè peccandi, dum sine examine & ratione facit, quod generatim credit esse peccatum mortiferum.

Non tamen manente iudicio vniuersali contrario. Respondeo Secundò, Etsi interdum fieri possit vt quis conscientiam deponat solo affectu sine nouis rationibus; (quatenus affectus facere potest vt species veritatis quæ apparet, & videtur subesse, maior & illustrior intellectui appareat:) tamen id fieri nequit, quando manet iudicium generale contrarium; sicut in proposito exemplo, Iudicat illa mulier absolutè & in genere, Non licet vti alienis capillis, quia concionator dixit; quo modo simul cum hoc iudicio potest iudicare, licitum est mihi vti alienis capillis? simul enim assentiretur contradictorijs explicitè. Nam cùm iudicat non esse licitum vti alienis capillis, satis explicitè iudicat etiam sibi non esse licitum: ergo non poterit iudicare sibi esse licitum. Sic qui sentit omnem mulam esse sterilem, non potest simul actu iudicare hanc gestare vterum, vt Aristoteles lib. 2. Analyt. docet: quamuis hoc iudicium actuale cum illo habituali stare possit, vt ibidem tradit. Itaque hic modus deponendi con-

scientiam, est omninò impossibilis. Vt igitur eam deponat, necesse est, vt vel iudicium illud generale iam retractet; vel certè, vt aliquam circumstantiam in particulari circa se consideret, quam in genere non considerauit; vt, v. g. se habere iustam causam cur sibi liceat, quę in alijs passim non reperiatur: vel denique vt illud iudicium contrarium non occurrat memoriæ, sed maneat tantùm habitu, quando est operandum. Tunc enim, etiamsi habitu teneat esse peccatum, id quod facit, ob auctoritatem concionatoris, vel aliam causam; tamen actu potest iudicare sibi non esse peccatum; idque vel ob alias rationes, vel quia passim fit etiam à bonis, vel quia nulla occurrit ratio cur non liceat. Sed, hoc modo non tam deponitur conscientia erronea, quàm non applicatur.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm bonitas voluntatis in his quæ sunt ad finem, pendeat ex intentione finis?

84 Conclusio est, Bonitas volitionis, qua volumus aliquid propter finem, pendet ex intentione finis. Sensus est, Bonitas electionis pendet ex intentione finis. Probatur, Quia bonitas electionis pendet ex ordine mediorum ad finem; quia in hoc ordine consistit ratio formalis obiecti: ergo pendet ex fine, & consequenter ex finis intentione. Vbi

Electio pendet à fine & ex finis intentione, sed diuersimodè.

Notandum Primò, Quando bonitas electionis dicitur pendere ex intentione finis., sub intentione etiam comprehendi finem intentum; ab vtroque enim bonitas electionis pendet: A fine quidem, tamquam à causa formali (ordo enim ad finem est ratio formalis obiecti electionis; & consequenter ipse finis, qui illi ordini speciem tribuit, ratio formalis obiectiua censetur:) Ab intentione verò tamquam à causa efficiente: electio enim manat effectiuè ab intentione; & ita bonitas & malitia intentionis transfunditur in electionem, tamquam in effectum: conditio enim causæ imprimitur effectui: vnde quidquid parit mala intentio, est malum; & quidquid parit bona intentio, est bonum; si tamen aliunde non vitietur.

Velle malum sub ratione mali, quid sit.

Notantum Secundò, Circa *respons. ad 2. & 3.* Velle malum sub ratione mali, non est velle malum ob malitiam, secundùm D. Thomam (non enim malitia potest allicere voluntatem:) sed est velle malum ob malum finem; vt velle mentiri, vt fureris. Velle bonum sub ratione mali, est velle bonum ob malum finem. Itaque rationem mali vocat D. Thomas non ipsam malitiam, sed bonum delectabile, vel conueniens naturæ, cui annexa est malitia.

DVBIVM I.

Vtrùm intentio boni finis fiat mala, ex electione mali medij?

Finis dupliciter potest intendi.

85 Notandum est, Finem dupliciter posse intendi. Primò, Determinando certum medium per quod consequaris illum. Secundò, Absque determinatione certi medij; quod secundum dupliciter fieri potest; Primò, Si eo modo intendas, vt ex vi intentionis paratus sis vti quouis medio, non curando sitne licitum an illicitum. Secundò, Si non eo modo intendas, sed simpliciter sub ratione honesti. Nunc

Si cum bono fine simul determinetur prauum medium, intentio est praua.

Dico Primò, Qui ita intendit bonum finem, vt simul determinet prauum medium, illius intentio est praua, non propriè ex electione, sed quia ipsa intentio actu se extendit ad prauum medium, tamquam ad circumstantiam quamdam obiecti: vt si intendas consequi beneficium per simoniam; facere Sacrum absque vestibus benedictis; dare eleëmosynam ex re aliena.

Probatur, Quia hic actus est tantùm actus intentionis, tendens in finem tamquam in suum obiectum, & in medium tamquam in circumstantiam: sicut cùm quis vult occidere gladio; in hac volitione non est intentio & electio, sed sola intentio, quæ tendit in occisionem vt in finẽ, seu in obiectum, & in gladium tamquam instrumentum, quod est quædam circumstantia obiecti. Pari modo cùm quis vult dare eleëmosynam ex re aliena, est solùm vnicus actus intentionis, tendens in largitionem eleëmosynæ tamquam in obiectum; & in rem alienam, vt in circumstantiam materiæ.

86 *Finis non potest quouis modo, sed debitâ mensurâ affectus, intendi.*

Dico Secundò, Si quis eo affectu intendat finem, vt paratus sit vti quouis medio; illa intentio est mala, non ratione electionis prauæ superuenientis (esset enim mala, etiamsi nulla praua electio sequeretur) sed ratione modi, quo tendit in finem.

Probatur, Quia talis affectus ita tendit in finem, vt implicitè & virtute tendat in prauum medium; velle enim omnino consequi finem, est velle implicitè omne medium necessarium; & consequenter est velle prauum, si fortè sit necessarium..

Secundò, Quia talis intentio vi sua inclinat ad prauam electionem, si fortè bonum medium non suppetat: ergo est praua. Consequentia patet, quia omnis actus voluntarius vi sua, si perseueret, inclinans ad prauum consensum, est malus.

87 Dico Tertio, Si quis intendat ita bonum finem, vt neque ex vi intentionis inclinetur ad electionem praui medij, neque simul determinet prauum medium, hæc intentio non fiet mala, quamuis ei coniungatur praua electio. V.g. Intendis dare eleëmosynam; sed quando venitur ad executionem, ex ignorantia vel auaritia eligis dare rem alienam; hæc electio est mala, tamen non inficit priorem intentionem.

Probatur Primò, Quia talis intentio boni finis secundùm se est intrinsecè bona, id est, conformis rationi; quia est obiecti honesti, quâ honestum: ergo electio superueniens non potest eam reddere malam. Consequentia patet; quia quod est naturâ posterius, non potest tollere id quod alteri priùs conuenit.

Praua electio non potest sequi ex vi bonæ intentionis.

Secundò, Quia illa electio non est circumstantia intentionis, sed merè per accidens ad illam se habet; non enim sequitur ex vi bonæ intentionis, sed aliundè. Quod probatur 1. quia omnis intentio honesta excitat ad prudentem considerationem mediorum (est enim voluntas consequendi finis modo rationi consentaneo;) ergo

non

non potest impellere ad electionem praui medij. 2. Quia prauum medium non potest prudenti iudicio censeri conueniens ad finē honestum. Tertiò denique, Quia sicut principium verum numquam vi suâ est causa conclusionis falsæ; sed si aliquando ex eo contingat falsum concludi, id prouenit ex aliquo alio principio ei coniuncto: ita numquam intentio bona vi suâ est causa electionis pravæ; sed si contingat aliquem in hoc honesto affectu eligere prauum medium, id non prouenit ex vi huius affectûs, sed ex alio affectu ei coniuncto, qui latenter subrepit: qui enim antè honesto affectu voluit dare eleëmosynam; priusquam eligat medium illicitum, mutat priorem intentionem, & incipit alia intentione eleëmosynam velle; nempe, non quia ratio dictat, sed quia consentaneum affectui naturali; vel quia speciem habet pietatis; & ex vi huius affectus facit imprudentem electionem. Vnde patet, hanc electionem non esse circumstantiam intentionis honestę, neque ex vi illius proficisci; ac proinde non efficere illam malam.

Dico Quartò, Propriè loquendo praua electio numquam inficit bonam intentionem. Sequitur ex dictis: Intentio enim naturâ suâ est prior electione; vnde si ipsa ex se mala non sit, non potest effici mala per electionem superuenientem. Quare, etsi bonitas electionis pendeat ex bonitate intentionis, non tamen bonitas intentionis tollitur prauitate electionis.

DVBIVM. II.

Vtrùm malitia electionis & operis minuatur per bonam intentionem?

88 *Duæ sententiæ extremæ.*

SVnt duæ sententiæ extremæ.

Prior est, Bonam intentionem omnino excusare peccatum. Ita sentit Auctor Operis imperfecti apud Chrysost. tom. 3. hom. 19. in Matth. explicans illud: *Omnis arbor bona. Ex bono proposito, etiam quod videtur malum, bonum est; quia propositum bonum, malum opus excusat.* Et infrà: *Sicut ergo bonorum hominum omnia opera etiam mala, bona sunt: ita malorum hominum omnia opera, etiam bona, mala sunt*, &c. Idem senserunt aliquòt antiqui DD. speciatim de mendacio; vt Abbas Ioseph apud Cassianum, collatione 17. cap. 17. & seqq. vbi docet, *Vtendum mendacio tamquam helleboro; sicut enim vsus hellebori, dum necessitas postulat, est salutaris; extra verò necessitatem noxius; ita vsum mendacij in necessitate, si fiat bona intentione, esse bonum; extra necessitatem, malum.* Quam sententiam primus docuit Plato lib. 3. de Repub. dicens, *Deo quidem mendacium esse indecorum & inutile; hominibus tamen quandoque esse vtile, vt eo tamquam medicamento vtantur.* Ab hoc hausit Origenes in Epist. ad Gal. Ab Origene multi alij, præsertim Græci, & D. Hieronymus in eamdem Epistolam (vt videtur) quod etiam ei impingit Augustinus Epist. 8. cap. 3.

Altera sententia est, bonam intentionem nullo modo minuere malitiam operis. Ita communiter tenent Doctores, ait Almainus tract. 1. Moral. cap. 12. dub. 2. quod intellige de Doctoribus Parisiensibus illius temporis.

89 Respondeo & Dico Primò. Certum est, non omne quod secundùm se, seu solitariè malum est, posse per bonam intentionem excusari, ita vt desinat esse peccatum. *Bona intẽtio nõ semper excusat electionem.*

Probatur Primò, Ex Scriptura, Ecclesiastici 34. *Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata.* Et infrà, *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris.* Hic videmus intentionem honoris diuini non excusare opus ex se prauum. Ad Rom. 3. dicit Apostolus iustè damnari eos qui dicunt, *Faciamus mala, vt eueniant bona.* *Eccles. 34.* *Rom. 3.*

Secundò Probari potest ex Patribus, Qui docent ob nullam causam licitum esse mentiri. Citat hos Gratianus 22. quæst. 2. Idem multis argumentis ex Scriptura docet D. Augustinus duobus libris, altero de mendacio, altero contra mendacium. Libro de mendacio cap. 14. ponit octo gradus mendaciorum, & ostendit nullo horum licere vti. De quibus vide D. Thomam 2.2. q. 110. art. 2. & 3. *D. Augustinus.*

Tertiò, Probatur ratione, Quia multa sunt intrinsecè mala (id est, in quorum conceptu formali includitur repugnantia cum recta ratione:) atqui certum est hęc nullo modo posse fieri bona; neque per necessitatem quantumuis grauem, vel per bonam intentionem posse excusari: ergo &c. Maior patet de fornicatione, adulterio, mendacio, &c. hæc enim omnia in suo conceptu includunt aliquid rationi repugnans. Minor patet, quia quod in conceptu formali continetur, non potest appositione finis extrinseci, vel alterius circumstantiæ, tolli. *Intrinsecè mala nullo fine vel modo benè fieri possunt.*

Aduerte tamen, Multos esse actus, qui etsi per se, id est, solitariè, mali sint; tamen quia non sunt intrinsecè mali, sed solùm alicuius circumstantiæ defectu, possunt appositâ circumstantiâ fieri boni; vt habere plura beneficia, occidere hominem, capere alienum: tale putabant isti Auctores esse mendacium; sed fallebantur, quia mendacium alia ratione dicitur per se malum; scilicet quia intrinsecè malum est. *Mendacium est intrinsecè malum.*

Dico Secundò, Etsi bona intentio non tollat omnem malitiam actûs intrinsecè mali, tamen eam minuit. Est communis sententia Doctorum. 90 *Bona intentiò minuit malitiam.*

Probatur ex D. Augustino lib. contra mendacium cap. 8. *Dicet aliquis, ergo æquandus est fur quilibet ei furi, qui misericordiæ voluntate furatur; quis hoc dixerit? sed horum duorum non ideò quisquam est bonus, quia peior est vnus; peior est enim, qui concupiscendo, quam qui miserando furatur.* Et infrà. *Stuprum grauius est, luxuriâ, quam misericordia patrare.* Simili modo Loth nonnihil excusatur à Patribus, quòd filias ad stuprum obtulerit; quia id fecit bona intentione, ad grauius incommodum vitandum. *Ex Augustino.* *Qui furatur vt det eleëmosynam.* *Loth excusans filias.*

Ratio est. Primò, quia opus malum consideratum vt subest fini honesto, subit quandam honesti speciem, & ex parte tegitur eius turpitudo, vt non ita appareat; quò fit, vt quando appetitur, sub imagine honesti appetatur, & consequenter vt eius turpitudo sit minùs voluntaria; quia quod minùs apparet, minusque cognitum est, minùs est voluntarium. Adde, fieri posse vt eo modo tegatur turpitudo specie finis honesti, vt ab operante non possit aduerti; & tunc nullum est peccatum; quia turpitudo nullo modo est voluntaria. *Prob. Ratione.* *Quia sic tegitur turpitudo.*

Secundò, Quando opus malum appetitur propter aliquod bonum, magis appetitur illud bonum, *Et magis appetitur bonũ quàm malum.*

bonum, quàm opus malum; ac proinde ipsum opus minùs appetitur, quàm si propter se, suamque commoditatem appeteretur; & consequenter est minùs peccatum: quod enim est minùs voluntarium, ceteris paribus est minùs peccatum. Itaque tota ratio, cur sit minùs peccatum, est, quia est minùs voluntarium: est autem minùs voluntarium, tum quia malitia minùs apparet; tum quia opus non propter se, sed propter aliud appetitur.

91 *Soluuntur obiectiones.*

Obijcitur Primò, Matth. 6. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit*, id est, *Si intentio recta fuerit, omnia opera, quæ secundum eam operaris, bona erunt*; vt exponit D. Augustinus lib. 2. de Sermone Domini in monte, cap. 21. *Matth. 6.*

Respondeo, Dominum ibi loqui de hypocritis, quorum opera secundùm se erant bona, & solùm ipsis deerat bona intentio. Si autem sententiam illam generatim velimus accipere, & per *corpus* cùm Diuo Augustino intelligamus opera externa; solùm de operibus non malis accipienda est; vt colligitur ex eodem D. August. libro contra mendacium cap. 7.

Ex Augus. Obijcitur Secundò, Ex D. Augustino lib. 50. homiliarum hom. 7. *Si quis cogitet bonum esse furari à diuitibus auaris, vt det pauperibus, talis cogitatio est à diabolo*: quod probat; *Nam si totum tribuat pauperibus, quod abstulerat, addit potius peccatũ, quàm minuat.*

Respondeo, D. Augustinus comparat eum qui dat eleëmosynam ex furto, eoque modo se reddit impotentem ad restituendum, cum eo qui rem furto sublatam conseruat, & potestatem restituendi retinet; hic enim minùs peccat, quàm ille: cum hoc tamen consistit, quòd ille qui furatur libidine furandi, plus peccet quàm ille qui affectu eleëmosynæ, si cetera sint paria. Sed ibi cetera non sunt paria.

Obijcitur Tertiò, Si bona intentio minuit malitiam electionis & operis, v. g. mendacij; ergo melior intentio magis minuet: ergo poterit dari tam bona intentio, vt penitùs tollat malitiam mendacij. Patet cõsequentia, Quia cùm hæc malitia finita sit, detractione tandem cõsumetur.

Malitia non potest penitùs tolli.

Respondeo Negando secundam consequentiam, Simile est in continuo; sicut enim quantitas continua numquam detractione partium absumitur, quamdiu manet in ea ratio quantitatis: sic malitia operis numquam absumitur, quamdiu manet in eâ ratio voluntarij; vnde etiamsi fiat opus intentione optimi finis, qualis est summa gloria Dei, & salus omnium hominum, tamen manet malum. Ad confirmationem consequentiæ; etiamsi malitia sit finita, non potest tamen detractione absumi, quamdiu retinet rationem voluntarij, & esse moralis; alioqui si ratio voluntarij tollatur, etiam malitia tolletur.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm quãtitas bonitatis vel malitiæ in voluntate, sequatur quantitatem boni vel mali in intentione?

92 SEnsus est, Vtrùm quando quis vult aliquod opus propter aliquem finem, illa volitio & operatio volita, sit tam bona vel mala, quàm est intentio finis.

Intentio tripliciter dicitur melior vel peior, quàm sit electio.

Notandum est, Intentionem tripliciter posse dici meliorem, vel peiorem, quàm sit electio vel operatio exterior: Primò, Ratione obiecti; vt quando quis maius bonum aut malum intendit, quàm sit in opere seu medio, quo intendit illud assequi: vt si des eleëmosynam, vt conuertas illum ad fidem; vel vt peruertas ad hæresim. Secundò, Ratione inefficaciæ medij: vt si maius bonum vel malum intendas, quàm reipsâ per illud opus possis assequi. Tertiò, Ratione perfectionis intensiuæ: vt quando ardentiùs aliquid intendis, quàm sit conatus ille, quem posteà adhibes. Nunc sit

93 *Quando opus non sit tam bonum vel malum, quàm intentio.*

Prima Conclusio. Si ratione obiecti spectetur bonitas intentionis, & operis, sæpè fit vt opus non sit tam bonum, quàm est intentio. Idem dicendum de malo. Fit autem hoc duplici modo; Primò, Quia opus non est proportionatum ad finem consequendum; vt si quis ad extruendum templum conferat centum aureos, cùm necessaria sint decem millia. Secundò, Quia etsi opus sit secundùm se sufficiens, tamen contingit impediri, ne consequatur finem intentum; vt si quis proficiscens Romam ad Iubilæum, impediatur morbo; non assequitur finem, scilicet Indulgentias.

Vbi notandum est, D. Thomam non tantùm loqui de bonitate & malitia morali, sed in genere; quia in omni rerum genere verum est opus non æquari intentioni ex parte obiecti, quando non assequitur finem intentum; siue id proueniat, quòd nõ eligatur medium satis efficax, siue quòd in conatu extrinsecùs occurrat impedimentum.

Si eleëmosyna ad pauperem missa, in via intercipiatur, an dantis quid pereat.

Dices, Ergo qui mittit pauperi eleëmosynam, quæ in via intercipitur, non tantum meretur, quantum si perlata fuisset.

Respondeo Negando consequentiam. Quando enim eligitur medium fini commensum, & ex parte voluntatis præstitum est omne id, quod præstari debet; si extrinsecùs incidat impedimentum, non ideò minus est meritum. Tamen etiam hoc casu verum est, opus non esse tam bonum ex parte obiecti, quàm sit intentio; quia non assequitur finem intentum, qui est leuamen paupertatis.

94 *Bonitas & malitia intentionis redundat in electionem, & opus externum.*

Secunda Conclusio, Tota tamen bonitas & malitia intentionis redundat in electionem, & consequenter in opus externum.

Vbi notandum est, id fieri dupliciter. Primò, Quatenus electiõ intrinsecè est melior, quæ sequitur intentionem melioris finis, & peior, quæ peioris finis; cùm enim electio accipiat suam speciem ex ordine ad finem intentum, quò finis est melior, hoc quoque ipsa melior est. Secundò, Quatenus intentio se habet vt forma quædam electionis in genere moris; nam electio speciem accipit à fine mediante intentione finis; vnde subest intentioni, sicut materiale formali, in genere moris, & consequenter etiam ipsum opus consequens electionem, subest intentioni: si enim intentio est forma electionis, & electio est forma operis externi, etiam intentio erit instar formæ respectu operis externi: formale enim in genere moris, est id, vnde actus habet esse morale, seu quòd laude sit vel vituperio dignus: actus autem exterior habet esse morale ab intẽtione: ergo &c.

Dices,

Obiectio. Dices, Electio secundùm se habet esse morale, vt suprà dictum est: ergo intentio non se habet ad illam instar formæ tribuentis ei esse morale. Consequentia patet, Quia ideò actus interior se habet ad exteriorem instar formæ, quòd exterior per se non habeat esse morale: ergo cùm electio per se habeat esse morale, non suberit alteri actui tamquam suæ formæ.

Solutio. Respondeo, Hac ratione benè probari electionem, vt sit bona vel mala, non necessariò considerari vt informatam intentione; tamen non probat, quin possit sic considerari. Ratio est, Quia totum esse electionis pendet ab intentione tamquam à propria causa; vnde ratione istius dependentiæ & intrinsecæ connexionis censeri potest vnus numero actus cum intentione: nam vbi est vnum propter vnum, non censetur nisi esse vnum. Itaque intentio, electio, & opus externum sunt vnus numero actus in genere moris.

95 *Quomodo intentio & electio sint vnus actus moraliter.* Aduerte tamen, Non esse hîc tantam vnitatem moralem, quanta est in actu interno & externo, vt patet ex supradictis. In actu enim interno & externo est tantùm vnum esse morale communicatum actui externo per denominationem extrinsecam: in electione & intentione est duplex esse morale; sed ob dependentiam alterius ab altero censetur vnum; sicut fons & riuus, radix & rami, lux & radij, cognitio causæ & effectus censentur vnum.

Tota bonitas intentionis semper redundat in electionem & in opus, si opus sit capax bonitatis. Hinc sequitur, Etiamsi bonitas electionis & operis, ratione obiecti aut inefficacitatis, non assequatur bonitatem intentionis; tamen totam bonitatem intentionis semper redundare in electionem & in opus: quod tamen intelligendũ est, si opus quod eligitur sit capax bonitatis: etsi enim malitia intẽtionis sufficiat ad malitiam electionis & operis, & ideò tota malitia intentionis semper redundet in electionem; tamen bonitas intentionis non sufficit ad bonitatem electionis & operis; sed requiritur, vt opus quod eligitur saltem non sit malum; alioqui bonitas intentionis non poterit ei communicari.

96 Tertia Conclusio, Tota bonitas & malitia quam habet intentio ex perfectione graduum, etiam redundat in electionem, & in opus externum. Sequitur ex secunda conclusione.

Electio & opus externũ eò sunt meliora, quò intentio est vehementior. Hinc fit vt ceteris paribus electio & opus eò sit melius vel peius, quò intentio fuerit vehementior: vt si ex feruenti affectu charitatis desideret eleëmosynam, illa eleëmosyna erit melior, quàm si ex minori affectu; quia meliore intentione informatur.

Aduerte tamen, Non ideò electionem in seipsa, seu intrinsecè esse meliorem vel peiorem; nam fieri potest vt intentio sit valdè feruens, & electio sit valdè remissa, & quodammodo inuoluntaria: vt cùm quis ex magno affectu sanitatis eligit cauterium; vel ex ardenti charitate in Deum eligit martyrium: tamen etiam tunc electio & opus consequens censentur meliora per denominationem extrinsecam; quatenus à perfectiore intentione, sub qua veluti sub forma considerantur, procedunt.

97 *Quantitas voluntatis & operis, non semper sequitur quantitatẽ intẽtionis.* Quarta Conclusio, Si perfectio intensiua voluntatis, vel operis externi comparetur ad intentionem, tamquam ad obiectum (vt quando quis vult feruenter amare, dolere, operari, &c.) quantitas voluntatis & operis non semper sequitur quantitatem intentionis. Hæc conclusio sequitur ex prima. Ratio est, Quia non est in hominis potestate consequi, quidquid optat. Hinc fit, vt non possit tantum mereri, quantum vult mereri.

Quando voluntas reputatur pro facto. Dices, voluntas pro facto reputatur, quando opus non est in nostra potestate.

Respondeo, Hoc in meritis & demeritis verum esse, quando voluntas ex se est efficax operis, & solùm extrinsecùs impeditur; non autem aliàs.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm bonitas voluntatis dependeat ex conformitate ad voluntatem Diuinam?

98 *Affirmatur.* Conclusio est, vt voluntas hominis bona sit, requiritur vt diuinæ voluntati conformetur. Ratio est, quia bonitas voluntatis pendet ex recto ordine ad summum bonum: atqui hic rectus ordo ad summum bonum est primariò in voluntate diuina: ergo omnis alia voluntas est bona ex conformitate cum voluntate diuina. Consequentia probatur; quia id quod est primum in suo genere, est reliquorum mensura.

Quid ad hanc conformitatẽ sufficiat. Notandum est, non esse necessarium vt voluntas nostra in suis motibus internis & externis intendat hanc conformitatem cum voluntate diuina; sed satis est, vt sic omnia velit & peragat, vt in ipso exercitio, consecutione quadam, hæc conformitas resultet.

ARTICVLVS X.

Vtrùm voluntas nostra debeat conformari diuinæ volutati in volito?

99 Conclusio est, voluntas nostra debet conformari diuinæ in volito formali, non autem in volito materiali.

Quadruplex conformitas cum voluntate diuina. Notandum est, quatuor modis voluntatem nostram diuinæ posse conformari, vt colligitur ex D. Thoma. Primò, In volito materiali; vt quando idem volumus quod Deus vult; & tunc dicitur conformis materialiter. Secundò, In volito formali; id est, in ratione volendi; vt quando ob eamdem causam volumus, ob quam Deus vult; & tunc dicitur conformis formaliter. Tertiò, Secundùm rationem causæ efficientis & effectus; vt quando volumus id, quod Deus vult nos velle; & tunc dicitur conformis effectiuè, vel etiam obiectiuè; quia voluntas nostra tunc est obiectum voluntatis diuinæ. Quartò, Secundùm rationem principij formalis quo volumus; vt quando volumus aliquid ex affectu vel habitu charitatis in Deum, sicut Deus omnia quæ vult, ex affectu erga suam bonitatem vult. Hæc tamen conformitas reducitur ad formalem. His positis, duo sunt dubia.

DVBIVM

DVBIVM I.

Quibus modis teneamur voluntatem nostram diuinæ conformare?

100 REspondeo & Dico Primò, Quod ad quartum modum attinet, non tenemur secundùm eum voluntatem nostram diuinæ conformare. Patet, quia non tenemur omnia vellé ex affectu charitatis in Deum (imò neque id necessarium est, vt opera nostra sint meritoria, vt infrà ostendemus:) sufficit enim velle ex affectu alicuius virtutis. Est tamen saluberrimum consilium, vt omnia ex illo affectu velimus & agamus, iuxta illud Apostoli 1. Corinth. 10. *omnia ad gloriam Dei facite.*

Quatuor modis Deus vult nos aliquid velle.

Dico Secundò, Quòd verò ad tertium modum attinet, scilicet quando Deus vult nos aliquid velle; notandum est, id posse fieri quatuor modis. Primò, Si velit voluntate consulente; vt quando maius est bonum volitum, quàm eius contrarium. Secundò, Si præcipiente vel prohibente. Tertiò, Si prædefiniente: vt si absoluta voluntate, suppositâ solâ præscientiâ conditionatâ, ante præscientiam operis absolutè futuri, decernat vt aliquid faciam, vel consentiam; & ideò voluntatem mouere statuat eo modo, quo scit me consensurum: quo modo videtur prædefiniuisse consensum Beatissimæ Virginis in Verbi conceptione; & Apostolorum in sequendo Christum, &c. Quartò, Si velit solùm approbando, vt quando minus est bonum volitum, quàm contrarium; vt est matrimonium. His addi potest quintus modus, vt quando vult permittendo: sed hoc non est velle propriè ipsum opus, sed velle non impedire. His positis

101 *Si consulens.*

Si Voluntas diuina tantùm sit consulens, non tenemur ei conformari; quia ita consulit vt totum relinquat in nostro arbitrio. Si autem sit præcipiens; tenemur ei conformari positiuè, volendo & faciendo, quod præcipit. Si sit prohibens, debemus ei conformari negatiuè; id est, non volendo, aut non faciendo contrarium. Si tantùm sit approbans, non tenemur conformari; quia Deus mauult nos facere contrarium.

Si præcipiens vel prohibens.

Si approbans.

102 *Si prædefiniens.*

Sed difficultas est, si voluntas sit prædefiniens, & mihi diuinum decretum innotescat, vtrùm tenear illi conformari eliciendo actum prædefinitum?

Sententia Medinæ.

Medina putat me non teneri, nisi præceptum interueniat. Primò, Quia etsi sciam Prælatum velle vt legam, vel vt prædicem, non teneor, nisi præcipiat: ergo etiamsi sciam Deum velle, vt hoc faciam, non tenebor nisi præcipiat. Secundò, Quotiescumque aliquid facio, Deus voluntate beneplaciti vult me illud facere: vt si legam, vult me legere; si comedam, vult me comedere; & tamen non teneor nisi præcipiat: ergo, &c. Hinc infert. *Quapropter moderni Theologi ferè vniuersi errant, dicentes, quòd tenemur velle, quidquid Deus vult nos velle; nisi addat, de voluntate præceptiuâ.* Sed in hac responsione Medinæ videtur peti principium: quæritur enim an ex natura rei nascatur obligatio præcepti naturalis ex huiusmodi decreto cognito?

103 Respondeo ergo Primò, In hoc casu me obligari vt non coner in contrarium; hoc enim esset velle irritum reddere absolutum Dei decretum.

Secundò, Si sciam momentum temporis, quo Deus me vult consentire, verius videri me teneri & obligari sponte consentire, vt rectè Occam & Gabriel in 2. dist. vltima.

Teneor me conformare voluntati Diuinæ actum liberum meum prædefinienti, si de ea mihi constet.

Probatur, Quia teneor tunc non omittere voluntariè consensum (esset enim hoc voluntariè irritum reddere Dei decretum:) ergo teneor elicere consensum. Consequentia patet, quia non omittere consensum, est consentire. Secundò, Si amicus efficaciter aliquid vellet, quod non posset perficere, nisi me cooperante; amicitia postularet vt ei cooperarer: ergo similiter si Deus absolutè aliquid velit, quod non possit fieri, nisi me liberè cooperante, teneor cooperari. Tertiò, Si voluntas diuina dum vult nos velle, obligat, etiamsi non absolutè & efficaciter velit fieri, quomodo nō multò magis censebitur obligare, si absolutè velit fieri, & hanc voluntatem significet?

104 *Soluuntur argumenta Medinæ.*

Ad primam rationem Medinæ, Respondeo Negando Consequentiam. Si enim Superior absolutè vult vt ego aliquid faciam, potest & debet præcipere; alioqui non efficaciter vult: est ergo consilium, non præceptum, illi voluntati se conformare. Deus verò potest absolutè & efficaciter velle vt faciam, etiamsi nullo præcepto positiuo id præcipiat; quia potest sine tali præcepto mandare executioni, homini ità inspirando, sicut nouit facturum. Itaque si sciam eius absolutam voluntatem, debeo me illi conformare illam implendo; cùm eius impletio sit necessaria, vt diuinum propositum non frustretur. Adde, si Superior significaret mihi se omnino velle vt faciam; hæc significatio haberet vim præcepti; vt rectè Durandus in 1. dist. 47. q. 2. nisi expresè diceret se nolle obligare: ergo multò magis illa illuminatio, quâ Deus mihi panderet suum decretum, præcepti vim haberet.

Ad secundam rationem, Non omne quod fit, Deus vult absolutè vt fiat, vt quidam imaginantur; sed multa solùm permittit, vel solùm sub conditione vult, scilicet si nos velimus. Vnde nullo modo tenemur ea velle.

105 Dico Tertiò, Quod ad secundum modum attinet. Semper tenemur voluntatem nostram conformare diuinæ in aliqua ratione volendi.

Vbi nota, Posse distingui varias rationes, propter quas Deus aliquid velit: vt, quia consentaneum naturis rerum; quia consentaneum rationi vel legi æternæ; quia hominibus salutare; quia consentaneum iustitiæ, vel misericordiæ, vel alicui alteri perfectioni diuinæ declarandæ.

In ratione volendi dupliciter Deo conformamur.

Dupliciter autem voluntas nostra potest esse conformis in ratione volendi.

Primò negatiuè. Hoc modo semper debet esse conformis in ratione volendi; quia id quod Deus vult, nunquam potest nobis sub aliqua ratione displicere sub qua illud vult; quamuis sub alia possit displicere. Ratio est; quia causa, cur Deus aliquid velit, semper est ingens bonum; scilicet bonum commune, quod secundùm se non potest esse ratio displicendi absque grauissimo peccato; hoc enim nihil esset aliud quàm odisse bonum, quod Deus intendit.

Secundò, positiuè. Hoc modo non necessariò debet esse conformis in omni ratione volendi; sed satis est esse conformem in aliqua ratione, quæ reliquis non repugnet; id est, ratio honesti, vel commodi naturalis.

Dico

106 *Non tenemur cõformari in re materialiter volita.* Dico Quartò, Quòd ad primum modum attinet, certum est Primò, Nos non obligari vt voluntas nostra sit conformis diuinę in obiecto materiali, quando ignoramus quid Deus velit. Patet exemplis Scripturæ: Dauid enim bona voluntate volebat ædificare templum Domino, quod tamen Deus per ipsum nolebat fieri. Paulus volebat carere stimulo carnis, quo tamen Deus illũ carere nolebat. Idem accidit interdum Beatis. Vt patet Danielis 10. vbi Angeli Dei, diuinam voluntatem nescientes circa populum Iudaicum, contraria volebant & petebant; vt multi Patres & DD. Scholastici explicant.

1. Paralip. 28.

Dan. 10.

Hinc sequitur, Quamdiu non constat Deum absolutè velle aliquod malum, siue nostrum, siue aliorum (eò quòd fortasse tantùm se permisiuè habeat, vel solùm sub conditione velit) posse nos non solùm illud nolle, sed etiam omni conatu impedire.

Secundò, Certum est, etiamsi cognita nobis sit 107 diuina voluntas, sæpè tamen posse nos laudabiliter contrarium velle.

Imò sæpe possumus laudabiliter contrarium velle. Genes. 18. 2. Reg. 12. Roman. 9. Luc. 19. Matth. 26.

Probatur Primò, Exemplis Scripturæ. Sciebat Abraham Deum velle subuertere Sodomam, & vrbes finitimas; & tamen quantum in se erat, id nolebat, & rogabat ne fieret. Sciebat Dauid velle Deum vt infans ex adulterio susceptus moreretur; & tamen vehementer de hoc dolebat. Sciebat Apostolus Deum velle deserere gentem Iudaicam; & tamen de hoc ita dolebat, vt optaret fieri anathema à Christo ne desereretur. Sciebat Christus Deum velle gentem Iudaicam & vrbem euertere; & tamen fleuit super eam. Sciebat Deum velle vt mortem subiret; & tamen de illa tristatus est grauissimè.

108 *Eadem res aliter à Deo, aliter ab homine approbari aut improbari potest.* Secundò Probatur allata ratione ex D. Augustino Enchiridij cap. 101. *Multum interest quid velle homini, quid Deo congruat, & ad quem finem suam quisque referat voluntatem, vt aut approbetur, aut improbetur.* Cum enim Deus sit auctor & gubernator vniuersi, congruit illi vt ea procuret, quæ ad bonum commune vniuersi secundùm modum mensuram & ordinem ab ipso intentum pertinent; ac proinde vt quamque rem, & rei dispositionem velit, quatenus ad hunc ordinem spectat; etiamsi alteri rei inde incommodum proueniat. Sicut Rex qui spectat bonum sui regni, omnia vult vt ad hoc bonum expediunt; etiamsi aliqui particulares inde damnum ferant. Homini verò, cui gubernatio sui, & suorum dumtaxat commissa est, congruit vt velit ea, quæ sibi & suis sunt cõmoda, & incommoda auersetur. Sic Deus vult parentem meum mori, quia ita congruit ordini rerũ à se instituto, postulante id naturâ vel culpâ: filius dolet de eius morte, eamque conatur impedire; quia vel pietas naturalis, vel commodum proprium id postulat. Atqui velle sibi congruentia, & dolere de contrarijs, non est malum: ergo &c. Quod confirmatur, tum quia etsi talis volitio non sit conformis diuinæ voluntati in obiecto materiali; est tamen aliquo modo conformis, scilicet effectiuè iuxta tertium modum; quia Deus singulis rebus proprias inclinationes, vt sibi congruentia appeterent, dedit: tum quia ipse Deus id quod vna ratione vult, altera ratione non vult; displicet enim illi perditio hominum, quatenus sunt eius creaturæ; quamuis placeat quatenus sunt peccatores.

Quod Deus vna ratione vult, altera ratione non vult.

Dices Primò, Qui optat vt id non fiat, quod 109 Deus vult fieri, optat implicitè diuinam voluntatẽ non impleri: atqui hoc est impium; satius enim esset omnem perire creaturam, quàm minimam Dei voluntatem, vel prædictionem non impleri.

Soluuntur obiectiones.

Secundò, Qui conatur impedire id, quod Deus vult fieri, seipsum Deo opponit, suoque facto significat se diuinæ potentiæ posse obsistere; quod etiam est impium: ergo, &c.

Ad primũ Respondeo. Ille nullo modo optat diuinam voluntatem non impleri; non enim cupit vt diuina voluntas, postquam aliquid absolutè decreuit, non assequatur intentum; hoc enim esset impium: sed optat vt tale decretum numquam in Deo fuerit; vtque malitia humana ei occasionem non dederit; vel si dederit, vt Deus benigniùs in illos consuluerit; quod sine omni iniuria in Deum, imò ex perfecta charitate optari potest; vt patet in Apostolo ad Rom. 9. qui grauissimè dolebat de diuino decreto reiectionis Iudæorum. Nec obstat quòd hoc decretum fuerit æternum; quia pendet suo modo ex hominum malitia, quæ est in tempore.

Quid prius optet, qui optat diuinam voluntatem non impleri.

Ad secundum. Non omnia quæ Deus vult 110 fieri, vult ineuitabili necessitate fieri; sed multa tantùm vult suppositis præuisione causarum secundarum, quæ impediri possunt: neque posita tali præuisione, semper absoluta voluntate vult, sed sæpè sub conditione, quæ vel industria humana, vel precibus posit auerti. Quòd si quis id, quod absolutè decretum esse nouit, conaretur impedire, id sanè impium esset; quia id fieri nequit, nisi ex opinione, quòd diuinum decretum posit frustrari, & ex voluntate illud frustrandi. Sicut fecit Herodes, qui putauit se prædictiones diuinas & diuina decreta posse irrita reddere, impediendo regnum Messiæ.

Impiè ageret qui absolutũ Dei decretum vellet impedire.

DVBIVM II.

Vtrùm sit laudabile in omnibus idem velle, quod vult Deus?

ALphonsus Tostatus in cap. 2. Iosue qu. 38. 111 docet aliquando esse peccatum mortiferũ, si idem obiectum materiale velis, quod Deus vult: vnde si sciam per reuelationẽ Deum velle vt parens occidatur à latrone, nihilominùs tamen sub peccato mortali teneri me parentem defendere. In quam sententiam propendet Victoria, vt refert Medina; & ipse quoque Medina dicit non esse laudabile se conformare in huiusmodi. Quod

Negat Tostatus.

Victoria.

Medina.

Probatur Primò, Quia Deus vult vt tu in peccato mortali existens, careas gratiâ; & vt parens tuus, quem scit moriturum in peccatis, damnetur; tu tamen non potes hoc velle: non enim potes hoc velle vt finem, neque vt modum: ergo, &c.

Secundò, Si vides vrbes incendi, homines occidi, vides esse diuinam voluntatem vt hæc fiant; tibi tamen hæc non possunt placere; hoc enim charitati repugnat.

Contrarium tamen est verius; vnde

Respondeo & Dico Primò, Posse nos laudabiliter velle id omne, quod Deus vult fieri; siue id 113 velit voluntate Antecedente, quæ ex ipso duntaxat ortum habet; siue voluntate Consequente, quæ occasionem accipit ex nobis.

Possumus velle quidquid Deus vult.

1.Machab. 3. Probatur Primò, Ex Scriptura 1. Machab. 3. *Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat.* Vbi Iudas euentum belli, & proinde internecionem gentis ad diuinam voluntatem reijcit; præstans interim, quod in se erat. Matth. 6. *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* quem locum generatim de omni voluntate Dei accipiendum esse ostendit Maldonatus: & meritò; quia magnæ perfectionis est optare nõ tantùm, vt id fiat quod Deus præcipit, sed etiam vt in omnibus fiat quod Deo est gratissimum. Lucæ 22. Cùm Dominus precatus esset, vt calix à se transiret, subiecit, *Non tamen mea, sed tua voluntas fiat*; ostendens quo modo etiam in summa calamitate voluntas nostra diuinæ sit accommodanda.

Maldonatus.

Luca 22.

Quæ vult Deus, vult ob iustissimas causas.

Secundò Probatur, Quia in omnibus quę Deus vult, habet iustissimas & decentissimas causas, cur velit: ergo ob easdem causas possumus & nos eadem affectu complacentiæ velle. Consequentia patet, quia complacentia honesti, quâ honestum, est laudabilis: atqui hæc est talis: ergo, &c.

Deus & Beati idem in omnibus volunt.

Tertiò, Beati in omnibus idem volunt, quod Deus vult: ergo etiã viatores idem velle possunt. Consequentia probatur, quia viatorum est aspirare ad illam perfectionem & animi tranquillitatem, qua Beati fruuntur.

Dices, Beati norunt rationes in particulari cur Deus singula velit; & ideo hæc illis placere possunt: nos autem rationes illas ignoramus.

Respondeo, Etsi illas ignoremus in particulari, tamen in genere, scimus esse honestissimas: quod sufficit, vt possimus nos conformare. Adde, nec Beatos semper scire causas in particulari, cur Deus velit; quia nec semper sciunt, quid velit. Quòd autem ipsi malis non perturbentur, nos autem perturbemur, parùm refert; quia conandũ est, vt minùs perturbemur. Deinde etsi perturbemur, tamẽ cũ hoc stare potest, vt idipsum quod nos perturbat, nobis placeat, etsi sub alia ratione.

113 *Sæpè tamẽ teneor displicentiam & dolorem concipere.*

Dico Secundò, Sæpè tamen charitas postulat, vt præter hunc affectum, excitemus affectum displicentiæ & doloris; quatenus ea res, quam Deus vult, est nobis vel alijs noxia. Sic debet homo dolere, quòd gratiâ Dei careat, & curare vt non careat, &c.

114 *Responsio ad argumenta Medinæ.*

Ad primum argumentum. Respondeo, Posse me velle affectu complacentiæ, vt caream gratiâ, quamdiu sum in peccatis; vt damner, si in peccatis moriar: peccatorem enim priuari gratiâ, & morientem in peccatis damnari, est iustum, honestũ, laudabile, consentaneũ rationibus æternis, Deoque dignum. Itaque sub hac ratione potest mihi & omni affectui benè ordinato placere: si enim affectui diuino placet, qui per se ordinatissimus est, atque adeò exemplar & regula omnis affectus creati; cur nõ posset etiam placere affectui creato, qui est eius imago? Fateor tamen, eamdem rem sub alia ratione mihi debere displicere, cùm etiã Deo sic displiceat. Etsi enim placeat Deo, peccatorẽ quà peccator est, carere gratiâ, & damnari; displicet tamen ei, peccatorem quà homo, & imago ipsius est, hęc perpeti; vt insinuatur Isaię 1. *Heu! consolabor in hostibus meis.* Vide D. Hieronymum in istum locum.

Peccator quà peccator, Deo displicet; quà homo, placet.

Ad confirmationem. Qui vult se carere gratiâ, quamdiu est in peccato; potest hoc velle, vel per modum finis, vel per modum medij: Per modum finis; quia est honestum, ac proinde per se expetendum: itaque est finis, non quidem operantis, sed operis & affectûs: Per modum medij; quia est quiddam vtile ad declarandam Dei iustitiam.

Quo modo peccator quamdiu in peccato est, possit rectè velle se carere gratiâ.

115 *Non omne quod fit, est volitũ à Deo, vt fiat.*

Ad secundum argumentum Respondeo, Non omne quod videmus fieri, est volitum à Deo, vt fiat; sed sæpè tantùm est permissum in vindictam peccatorum; vnde non est laudabile illud velle, nisi aliundè constet Deum illud velle: sufficit vt placeat nobis, vel certè vt non displiceat diuina prouidentia, & iustitia, quæ ob causas iustissimas hæc permittit; id est, cùm facilè possit, non impedit.

116 *Responsio ad exemplum Abulensis.*

Ad exemplum Abulensis, Respondeo: Si mihi constet diuina reuelatione parentem meum à Petro interficiendum, non teneor illum tueri; quia frustrà esset ille conatus ad saluandũ eius vitam: possem tamen, nisi constaret Deo id displicere, ad declarandum affectum, quem decet habere filium in parentem. Simili modo excusat Abulensis Rahab, quòd exploratores absconderit, quos alioqui iure naturali, seu gentium debuisset prodere: frustrà enim fuisset illa proditio; nam constabat illi diuino decreto vrbem debere perire. Vtrùm autem potuerit prodere tamquam hostes, vt ibidem docet Abulensis, alia quæstio est. Puto non potuisse; quia sciebat Iudæos diuina auctoritate hæc facere. De quo plura in Tractatu de Bello.

Rahab benè abscondit Iudæos.

Neque eos poterat prodere.

QVÆSTIO XX.

De Bonitate & malitia actuum exteriorum.

ARTICVLVS I.

Vtrùm bonum & malum priùs inueniantur in actu exteriori quàm in interiori?

1 *Ex fine.*

PRima Conclusio. Ratio boni & mali, quam actus exterior habet in ordine ad finem, priùs est in actu voluntatis, & ex eo deriuatur ad opus externum. Ratio est, Quia actus voluntatis immediatè & essentialiter tendit in finẽ (quia finis est proprium eius obiectum;) opus verò externum, solùm per accidens, & mediante actu interno tendit in finem: ergo bonitas & malitia ex fine priùs conuenit actui interno quàm externo.

Secunda Conclusio. Bonitas & malitia actûs exterioris quam habet ex obiecto & circumstantijs, si consideretur vt est in apprehensione rationis, est prior, quàm bonitas & malitia actûs voluntatis. Si verò consideretur vt est in executione operis, est posterior bonitate & malitia voluntatis.

Ex obiecto & circumstantijs.

Prior

Prior pars probatur, Quia actus exterior vt est in apprehensione intellectûs, est obiectum actûs interioris, ac proinde est eius causa: atqui conditio quam habet effectus à causa, priùs conuenit causæ quàm effectui: ergo bonitas & malitia priùs conuenit actui exteriori tamquam obiecto, quàm interiori.

Altera pars probatur, Quia si actus exterior consideretur vt est in executione, sic actus interior est causa efficiens ipsius, & etiam modo quodam forma: ergo eius bonitas & malitia pendet à bonitate & malitia voluntatis.

2 Notandum Primò, *Actum interiorem* hîc vocari actum voluntatis; *exteriorem*, eum qui est alterius potentiæ: Nam actus aliarum potentiarum habent esse morale à solo actu voluntatis.

Notandum Secundò, D. Thomam in his articulis semper distinguere finem à circumstantijs, ac proinde nomine circumstantiarum non comprehendere finem, sed reliquas circumstantias; vt ostensum est suprà qu. 18. art. 4. quod quia non aduertit Caietanus, frustrà laborat vt hæc conciliet.

Bonitas, malitia, veritas, &c. dupliciter deriuatur ex vno actu in alium.

Notandum Tertiò, Bonitatem, malitiam, veritatem, & similes conditiones dupliciter posse deriuari ex vno actu in alium. Primò, Per solam denominationem extrinsecam; quomodo conditio effectûs redundat in causam, eamque denominat: & contrà, conditio causæ in effectum. Medicina enim dicitur sana per denominationem extrinsecam ab effectu suo, scilicet à sanitate, quam efficit in homine: vrina verò dicitur sana à causa sua, quia est effectus & signum sanitatis. Secundò, Per participationem intrinsecam; siue illa conditio sit eiusdem rationis in vtroque, siue diuersa: quomodo veritas ex cognitione principij deriuatur in cognitionem conclusionis.

DVBIVM I.

Vtro modo deriuetur bonitas & malitia ab actu externo ad internum, vel contrà?

3 *1. Conclusio.* REspondeo & Dico Primò, Bonitas & malitia actûs interioris ita deriuatur ab obiecto, vt ipse actus propriam & intrinsecam bonitatem vel malitiam accipiat distinctam à bonitate vel malitia obiecti: Patet ex dictis qu. 19. art. 1. Alia enim est conformitas rectæ rationis in actu interno, alia in externo, qui est obiectum: alia, inquam, non moraliter, sed physicè.

2. Conclusio. Dico Secundò, Bonitas & malitia quam habet actûs exterior ex ordine ad finem, deriuatur ab actu interiore ad exteriorem per denominationem extrinsecam, ita vt eadem numero bonitas vel malitia, quæ actui interiori conuenit primariò, immediatè, & intrinsecè; tribuatur actui externo secundariò, mediatè, & extrinsecè. Colligitur ex D. Thoma hoc loco.

Probatur & explicatur. Si des eleëmosynam, vt satisfacias voto; ista largitio ex ordine ad talem finem, est actus religionis, habetque religionis bonitatem: verùm hæc bonitas primariò & immediatè conuenit voluntati interiori; & tantùm secundariò, mediante interna volitione, per denominationem extrinsecam tribuitur actui externo; qui ideò dicitur actus religionis, quia subest actui interno religionis à quo procedit; quod nihil ponit in actu externo, præter denominationem extrinsecam.

Dico Tertiò, Bonitas & malitia quam habet actus exterior secundùm se, id est, ex obiecto & circumstantijs, duplici modo deriuatur in actum internum voluntatis, obiectiuè, & effectiuè. Colligitur ex D. Thoma, & docet expressè Caietanus a. 2. dub. 4. Quod vt meliùs intelligatur. 4 *3. Conclusio.*

Notandum, Interiorem actum habere duplicem habitudinem ad exteriorem; scil. tamquam ad obiectum, & tamquam ad effectum. Eleëmosyna enim exterior est obiectum voluntatis internæ, & etiam effectus. Prior habitudo tribuit actui interno speciem, ac proinde intrinsecam bonitatem vel malitiam: altera habitudo est quid consequens speciem (sicut vis efficiendi sequitur naturam rei) & facit vt actus interior dicatur bonus vel malus denominatione extrinseca, iuxta Caietanum, sicut medicamentum dicitur sanum à sanitate, quam efficit. *Bonitas actûs externi dupliciter deriuatur in voluntatem.*

5 *1. Obiectio.* Dices Primò, In actu interiore est vis intrinseca causandi suo modo actum externum: ergo dicetur intrinsecè bonus vel malus ab hac vi, & non tantùm denominatione extrinseca.

Soluitur. Respondeo, Verum est, Si rem ipsam spectemus; quia ratione huius efficaciæ est consentaneus vel dissentaneus rationi; vnde est quædam bonitas actûs interni, & non solùm causa bonitatis actûs externi. Secùs est de medicamento; quia vis medicamenti non est sanitas, sed est causa sanitatis: vnde medicamentum non dicitur intrinsecè sanum, sed solùm denominatione extrinseca, ac proinde est dispar ratio. Si tamen spectetur deriuatio nominis, est similitudo: Sicut enim hoc nomen *sanum* primò dicitur de homine, & deinde deriuatur ad medicamentum: ita actus exterior primo vocatur bonus vel malus, quia notior est; & inde deriuatur hoc nomen ad causam internam, quamuis hæc etiam intrinsecam bonitatem habeat.

2. Obiectio. Dices Secundò, Si actus interior habet duplicem habitudinem ad actum externum: ergo habet duplicem bonitatem vel malitiam: nam vtraque habitudo aliquam bonitatem tribuit.

Soluitur. Respondeo Primò, Neg. Conseq. Quia bonitas quam habet actus exterior vt obiectum, & ea quam habet vt effectus, non est diuersa, sed eadem omnino: sicut idem est *esse rei* quod ante erat obiectiuè in intellectu, & nunc est actu in rerum natura.

In actu efficaci est duplex ratio cur dicatur bonus vel malus. Respondeo Secundò, Si loquamur de actu voluntatis efficaci, posse concedi quod infertur; quia in tali actu est duplex ratio cur dicatur bonus vel malus; est enim bonus ex ordine ad obiectum, & ex ordine ad effectum; nempe vt affectus boni, & vt causa boni: actus autem qui naturâ suâ est inefficax, solùm est bonus ex obiecto, quia tantùm est affectus boni, non causa.

Quid voluntas efficax & inefficax. Hinc sequitur, ceteris paribus, actû qui naturâ suâ efficax est, esse multò meliorem magisq; meritorium actu inefficaci. Dicitur autè *naturâ suâ efficax*, qui efficit opus externû; vel saltè ex parte sua talis est, vt efficeret, si facultas adesset. *Inefficax naturâ* sua est, qui nõ efficeret, etiãsi facultas adesset.

6 *4. Conclusio.* Dico Quartò, Tota bonitas & malitia moralis quam actus interior habet ex obiecto & circumstantijs, redundat in actum extetiorem per denominationem extrinsecam. Colligitur apertè ex D. Thoma, &

Probatur, Hæc largitio eleëmosynæ est bona, non solùm secundùm se, sed etiam quia ex bona voluntate proficiscitur tamquã eius complementum. Et furtum est malum, non solùm per se, sed quia malæ voluntatis est germen. Quod confirmatur, quia talis mala voluntas inficeret opus etiam secundùm se indifferens, communicando ei suam malitiam: cur non etiam inficiat opus malum? Non enim malitia operis quam per se habet, impedit quin malitia voluntatis possit ei communicari.

Obiectio. Dices, Malitia quam opus externum secundùm se habet, deriuatur in actum internum voluntatis: ergò fieri nequit vt malitia actus interni deriuetur in opus externum: esset enim circularis deriuatio, in qua idem esset sibi causa & effectus.

Soluitur. Respondeo Negando Consequentiam, Quia ex actu externo deriuatur malitia in actum internum, tamquam ex obiecto habente esse in apprehensione intellectûs ante actum internum: ex interno verò deriuatur in externum, tamquam ex causa efficiente in effectum. Neque hoc mirum videri debet; quia efficiens & finis sunt sibi vicissim causa. Imò finis vt est in apprehensione, est sibi ipsi causa, vt est in rerum natura. Simile videmus in artibus, quæ omnes efficiunt sua obiecta.

7 *Bonum & malum primò inueniuntur in obiectis, secundò in actu voluntatis, tertiò in opere externo.* Ex his patet, bonum & malum primò inueniri in obiectis, siue illa obiecta sint actus externi, vt dare eleëmosynam, furari, &c. Siue res aliquæ, vt bonum Dei vel proximi: Siue priuationes, vt malum Dei & proximi. Secundò, Ex obiecto deriuari in actum voluntatis. Tertiò, Ex actu voluntatis in opus externum, quatenus est in executione. Itaque priùs naturâ voluntas habet bonitatem vel malitiam suam, quàm actus externus, vt est in executione, habeat suam. Quamuis idem actus vt est in apprehensione intellectûs, priùs naturâ habeat suam bonitatem vel malitiam, quàm voluntas suam.

DVBIVM II.

Vtrùm actus exteriores secundùm se & immediatè sint boni vel mali moraliter?

8 *Sententia quorundam.* QVidam putant actus externos secundùm se esse formaliter malos, nullos tamen secundùm se, esse formaliter bonos, sed habere hanc bonitatem formalem ab actu interno. Ratio est, Quia vt actus exterior sit peccatum, non requiritur vt aliquo actu interno sit expresè volitus; sed sufficit voluntas implicita, quæ potest esse absque omni actu reali voluntatis: ergo actus exterior non habet malitiam formalem ab actu interno. Vt autem actus exterior sit formaliter bonus, requiritur vt sit expresè volitus, idque propter bonum virtutis. Vt patet suprà qu. 18. art. 2. dub. 4. & qu. 19. art. 3. dub. 2.

Sententia Medinæ. Medina verò art. 3. huius quæstionis docet, non solùm quosdam actus externos secundùm se esse formaliter malos, sed etiam quosdam esse formaliter bonos. Sunt enim triplices actus externi (id est, non eliciti à voluntate.) Quidam sunt intellectûs, alij appetitûs sensitiui, alij potentiæ exequentis per membra corporis. Actus potentiæ exequentis fatetur non esse secundùm se formaliter bonos vel malos, eò quòd in ipsis nulla sit libertas. Actus tamen intellectûs & appetitûs sensitiui, vult per se esse bonos vel malos formaliter; quia non solùm velle credere, & velle vouere est bonum; sed etiam ipsum credere, & ipsum vouere per se bonum est. Neque solùm velle errare contra fidem, & velle temerè iudicare est malum; sed etiam ipse error, & temerarium iudicium, formaliter malum est. Ratio ipsius est; quia his actibus secundùm se competit ratio voluntarij.

Actus externus est triplex.

Pro solutione. Notandum, Actum dupliciter dici bonum vel malum, *obiectiuè* & *formaliter*. *Obiectiuè bonus* dicitur, qui secundùm se dignus est vt appetatur & fiat ab homine ratione vtente; vt largitio externa eleëmosynæ. *Formaliter bonus* dicitur, qui secundùm se & immediatè est laude dignus, redditque hominem laude dignum; siue qui liberè tendit in obiectum honestum, quâ honestum; vt affectus dandi eleëmosynam. *Obiectiuè malus* dicitur, qui secundùm se talis est vt non possit secundùm rectam rationem appeti, vel fieri ab homine ratione vtente; vt sunt praui motus concupiscentiæ, furta, &c. *Formaliter malus* dicitur, qui per se immediatè reddit hominem vituperio dignum, siue qui liberè tendit in obiectum rationi repugnans. His positis

9 *Actus dupliciter dicitur bonus obiectiuè & formaliter.*

Dico Primò, Nullus actus externus secundùm se seu immediatè habet formaliter bonitatem vel malitiam moralem. Est communis Doctorum. Durandi in 2. dist. 42. quæst. 1. nu. 6. & 7. Occam Quodlib. 1. quæst. 20. & alibi. Gabriel in 2. dist. 42. art. 1.

10 *Nullus actus exterior secundùm se est formaliter bonus bonitate morali.*

Probatur Primò, Quia nullus actus externus secundùm se seu immediatè habet esse liberum, sed solùm mediante actu voluntatis: atqui esse liberum est necessarium ad bonitatem vel malitiam moralem formaliter: ergo.

Secundò, Nullus actus exterior secundùm se, reddit hominem laude vel vituperio dignum, sed hoc totum habet ab actu libero voluntatis.

Tertiò, Etsi vt actus exterior sit malus, non requiratur actus interior explicitus, requiritur tamen actus interpretatiuus, id est, tacitus consensus, in quo est tota culpa, totumque demeritum. Nec refert, quòd hic tacitus consensus non sit aliquid reale: sufficit vt sit aliquid morale. Si enim in nuda omissione potest esse culpa, & quidem primariò, cur non etiam in consensu interpretatiuo?

Dices, Actus exterior non habet malitiam à libertate, non enim ideò malus est, quia liberè fit: ergo à seipso: Libertas autem est solùm conditio quædam.

Actus exterior habet malitiã formalẽ à libertate.

Respondeo, Etsi non habeat malitiam obiectiuam & fundamentalem à libertate, habet tamen malitiam formalem; quia non est vituperio vel supplicio dignus, nisi ratione libertatis.

11 *Medina refellitur:*

Quod verò Medina excipit actus intellectûs, & appetitûs sensitiui, sine ratione facit: Nam eadem omnino est ratio actuum potentiæ exequentis, atque intellectûs & appetitûs inferioris. Nulli enim actus sunt liberi nisi per denominationem extrinsecam ab actu voluntatis; vt patet ex dictis suprà quæst. 6. art. 2. Nam à suis potentijs necessariò procedunt, positis omnibus prærequisitis.

Actus intellectus & appetitus sensitiui nõ sunt liberi nisi per denominationem extrinsecam.

Experien-

Experientiâ etiam constat, credere, iudicare, & motus appetitûs non esse magis voluntarios aut in nostra potestate, quàm motus membrorum: quin potiùs motus membrorum esse magis in potestate; quia membra ad nutum obediunt, non autem appetitus sensitiuus, vt suprà qu. 17. Hinc fit vt credere non sit meritorium vel laudabile, nisi ratione voluntatis credendi. Neque temerè iudicare vel errare in fide, esse demeritorium, nisi ratione voluntatis, quâ hæc expressè vel implicitè sunt volita.

12 Dico Secundò, Actus tamen externi secundùm se habent bonitatem vel malitiam obiectiuam. Patet ex notatione suprà positâ num. 9. Solùm notandum, hanc bonitatem vel malitiam priùs cõuenire actibus externis, quàm bonitas formalis actibus internis; quia obiecta sunt priora ratione, quàm actus quorum sunt obiecta.

13 Dico Tertiò, Actus externi non solùm vt obiecta habent per se bonitatem vel malitiam, sed etiã vt actus, seu vt fiunt in executione. Verùm hæc bonitas & malitia non est distincta à bonitate & malitia obiectiua, estque solùm materialiter moralis, non autem formaliter.

Probatur, Quia furari non tantùm est malum obiectum, quod non liceat appetere, sed etiam est malus actus; quia ab homine ratione vtente non potest nisi malè fieri. Quòd autem hæc malitia solùm sit materialis in genere moris, patet: nam in amente non esset, nisi materiale peccatum, tamẽ in amente habet omnia, quæ ipsi secundùm se competunt. Nec obstat quod actus externi sint conformes vel difformes rationi; quia hinc tantùm sequitur quòd secũdùm se sint boni vel mali obiectiuè & materialiter: hæc enim conformitas & difformitas non est per se laude vel vituperio digna, sed solùm ratione actûs voluntatis, à qua pendet & moraliter informatur.

14 *1. Obiectio.* Dices Primò, Actus externi secundùm se prohibentur legibus, non solùm humanis, sed etiam diuinis; vt, non furtum facies, &c: ergo secundùm se habent malitiam moralem. Consequentia patet, quia sicut leges non puniunt nisi malitiam moralem, ita neque prohibent.

Soluitur. Respondeo, Actus exteriores prohiberi quidem secundùm se, id est, non tantùm ratione malæ voluntatis, sed etiam ratione propriæ turpitudinis quam immediatè habent. Hinc tamen non sequitur, hanc turpitudinem esse malitiam moralem formaliter: sufficit enim vt sit moralis obiectiuè vel materialiter.

Dices: Ergo prohibetur etiam in amente, quia habet illam malitiam obiectiuam & materialem in illo.

Quomodo actus externi prohibeantur. Respondeo Negando Consequentiã, Quia id, quod prohibetur, non est præcisè actus simplex, sed complexum quiddam: scilicet, talem actum externum fieri ab homine ratione vtente: hoc enim est adæquatum obiectum prohibitionis. Ipsum autem fieri ab amente, non prohibetur; non quòd ibi non habeat suam malitiam: sed quia operans non est capax prohibitionis.

2. Obiectio. Dices Secundo, Furari non est malũ, quia velle furari malum est; sed contrà, velle furari est malum, quia furari est malum: ergo actus exterior secundùm se habet malitiam moralem.

Soluitur. Respondeo, Hinc tantùm sequi, actum exteriorem secundùm se esse malũ obiectiuè & materialiter in genere moris. Nam furari, non est malum formaliter in genere moris, nisi quia velle furari est malum: Ideò enim actus ille externus reddit hominẽ vituperio & pœna dignum, quia voluntas à qua procedit, talis est. Simile est in actu cognitionis & obiecti: Cognitio enim est vera, quia obiectum est verum; & tamen obiectum non est per se verum, nisi fundamentaliter; formaliter autem dicitur verũ à cognitione cui subest. Pari modo voluntas furandi est mala, quia furtum externum est malum, & tamen furtum externum non est per se malum nisi fundamentaliter: formaliter autem dicitur malum à voluntate cui subest.

ARTICVLVS II.

Vtrùm tota bonitas & malitia actûs exterioris pendeat ex voluntate?

15 PRima Conclusio, Tota bonitas quam actus exterior habet ex fine, ad quem destinatur, pendet ex intentione voluntatis. Patet ex art. 1.

Secunda Conclusio, Tota bonitas quam actus exterior habet ex obiecto & circumstantijs, pendet ex ratione, & per rationem deriuatur in actum voluntatis.

Quo modo bonitas actûs exterioris quã habet ex obiecto, pendeat tantùm à ratione. Notandum, Bonitatem actûs exterioris, quam habet ex obiecto & circumstantijs, v. g. bonitatẽ eleëmosynæ dici pendere à ratione, quia tantùm à ratione pendet, ita vt non ab alio aliquo actu deriuetur: tantùm enim consistit in conformitate cum ratione, & mediante ratione deriuatur in actum voluntatis. Dare enim eleëmosynam bonum est, quia immediatè conforme est rectæ rationi. Et hanc conformitatem non accipit ab alio aliquo actu. Quãuis quod hæc bonitas, fiat bonitas moralis, formaliter habeat ab actu voluntatis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm bonitas & malitia sit eadẽ actûs exterioris & interioris?

16 PRima Conclusio, Quando actus exterior solùm est bonus vel malus ex fine, tunc est eadẽ numero bonitas & malitia actûs interioris & exterioris. Vt, si facias iter, vt des eleëmosynam. Ratio est, Quia tunc actus exterior secundùm se est indifferens: vnde non habet vllam bonitatem vel malitiam, nisi ex intentione voluntatis.

Si actus exterior sit solùm bonus vel malus ex fine.

Secunda Conclusio, Quando actus exterior secundùm se est bonus vel malus; tunc est alia bonitas & malitia in actu interno ex fine, alia in actu externo secundùm se considerato: Vt, si des eleëmosynam propter Deum. Actus enim interior est affectus charitatis in Deum: exterior verò secundùm se est actus misericordię in proximum.

Si talis sit ex se.

Tertia Conclusio, Semper tamen bonitas & malitia voluntatis quam habet ex fine, redundat in actum externum. Similiter bonitas & malitia quam actus exterior habet secundùm se, redundat in voluntatem.

DVBIVM.

Vtrùm actus interior & exterior sint vnum numero peccatum?

17 *Scotus docet esse duo peccata.*

SCotus Quodl. 18. art. 3. docet propriè esse duo peccata. Eadem est sententia Gabrielis in 2. dist. 42. art. 2.

Primò, Quia sunt duo actus distincti, quorum vterque secundùm se habet propriam repugnantiam contra rectam rationem, & legem diuinam.

Secundò, Quia diuersis præceptis prohibentur furtum externum, & voluntas furandi; adulterium externum & concupiscentia vxoris alienæ, vt patet in præceptis Decalogi.

Tertiò, Quia actio externa punitur: ergo per se est peccatum.

Actus interior & exterior physicè sunt duo actus.

Respondeo & Dico Primò, Voluntas interna & opus externum sunt actus distincti, habentque distinctas bonitates & malitias, si physicè loquamur. Vnde & physicè dici possunt duo mala opera, & duo peccata. Et hoc tantùm probat prima ratio.

18 *Moraliter vnus.*

Dico Secundò, Moraliter tamen sunt vnus numero actus & vnum peccatum. Est communis sententia Doctorum.

Ratio est primò, Quia voluntas interior, & actus exterior habent eamdem numero libertatem; vt patet ex supradictis, quæst. 17: atqui libertas tribuit esse morale actui: ergo habent idem esse morale, ac proinde sunt vnus actus in genere moris: sicut anima & corpus sunt vnum viuens, vnum sentiens, quia habent vnam vitam & eundem sensum: corpus enim eodem sensu sentit, quo anima, & eâdem vitâ viuit. Pari modo actus externus eâdem bonitate est laudabilis quâ actus internus.

Secundò, Quia vnitas moralis sicut & artificialis, non postulat tantam simplicitatem & partium coniunctionem, quantam vnitas naturalis: sicut enim vt opus artificiale sit vnum, v. g. vna domus, vna vestis, non requiritur nisi certa partium dispositio & cohærentia; ita vt actio sit vna moraliter, sufficit dependentia exterioris ab interiore, & habitudo ad vnum terminum.

Tertiò, Quia actus exterior naturâ suâ pendet ab interiore, estque eius veluti complementum & terminus: ergo in ratione moris non debet censeri opus distinctum.

Omnes actus qui ordine quodam ex vi vnius intentionis sequuntur, censentur vnus actus

Hinc fit vt omnes actus qui ordine quodam ex vi alicuius intentionis sequuntur & ad vnum terminum tendunt, censeantur moraliter vnus numero actus; quia habent inter se connexionem, & dependentiam, & ordinem ad vnum terminum: vt *intentio*, *consilium*, *iudicium*, *electio*, *imperium*, *vsus*. Et quamuis *intentio*, *electio* & *imperiũ*, habeant diuersam libertatem, tamen propter connexionem & dependentiam in ordine ad eundem terminum, censentur moraliter vnus actus. Maior tamen est vnitas moralis, vbi tantùm est vna libertas.

Ex dictis patet Responsio ad primum argumentum.

Soluuntur Argumenta Scoti.

Ad secundum, Illi actus diuersis præceptis prohibentur, non quòd diuersa sint peccata, sed vt populus ille intelligeret, non solùm opus externum, sed etiam internam cupiditatem, peccatum esse. Itaque ob illius populi ruditatem hoc factum.

Ad tertium, Numquam actio externa secundùm se punitur, id est, præcisa voluntate interna. Sed sicut sola bona voluntas meretur laudem, ita sola mala voluntas meretur pœnam.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm actus exterior aliquid bonitatis vel malitiæ addat actui interno?

19 PRima Conclusio. Actus exterior quatenus est bonus ex ordine ad finem, nihil bonitatis addit actui interno. Ratio est, Quia tota hæc bonitas est in solo actu interno, & solùm denominatione extrinseca tribuitur externo.

Secunda Conclusio. Actus exterior vt est bonus ex materia & circumstantijs, aliquid addit actui interno. Ratio est, Quia talis actus exterior secundùm se habet bonitatem obiectiuam, quæ formaliter terminat actum voluntatis, & hanc bonitatem addit actui interno.

Tertia Conclusio. Si desit facultas operandi, & voluntas alioqui ex se sit perfecta, actus interior solus tam est bonus moraliter, quàm interior & exterior simul. Probatur, Quia tunc defectus actûs externi est omnino inuoluntarius: atqui inuoluntarium sicut non meretur præmium, ita neque de præmio vel pœna quicquam detrahit.

20 *Opus externum ad multa valet vi suæ*

Notandum, Opus externum per se multis modis aliquid commodi vel incommodi adferre, quod opus internum solùm præstare non potest.

Primò, Quia scandalum & ædificatio proximorum, damnum & restitutio, pax & perturbatio generis humani, ex operibus externis prouenit.

Secundò, Quia sanctificatio per Sacramenta & per sacrificia fit operibus externis. Ipsum quoque externum martyrium habet vim sanctificandi, iuxta probabiliorem sententiam, quam interna voluntas sola non habet.

Tertiò, Quia actus externi valent ad satisfactionem pro pœna temporali, vt alibi ostensum est.

Quartò, Quia actibus externis incurruntur censuræ Ecclesiasticæ; vt excommunicatio, suspensio, interdictum, & irregularitas; non tamen nudis actibus internis quantumuis prauis.

Quintò, Quia actibus externis efficimur habiles ad rectè operandum: crebrò enim ieiunando, orando, officia charitatis obeundo, reddimur faciles & expediti: non similiter solo interno affectu, qui in opus externum exire non potest: hic enim affectus non ita vincit difficultates, quæ in opere sentiri solent. Passionum quoque moderatio & mortificatio maximè perficitur actibus externis.

Tripliciter affectus internus fit melior ratione operis externi.

Sextò, Actus externi sæpè sunt occasio cur affectus interior in seipso fiat melior vel peior: hoc autem fit tripliciter, vt colligi potest ex D. Thoma. Primò, Quia dum versamur in opere externo, vel spes est eius perficiendi, actus interiores multiplicantur. Secundò, Quia ratione operis externi diutiùs continuantur. Tertiò Quia,

Quia ratione operis externi affectus interior accenditur, fitque intensior; idque vel vt impedimenta occurrentia vincat, sicut cùm quis pugnat cum hoste, animus in opere accenditur; Vel quia ex opere voluptatem percipit; vt patet in meditatione, oratione, &c. His positis supereſt

DVBIVM.

Vtrùm actus exterior aliquid bonitatis vel malitiæ moralis addat ſupra internum, ita vt vterque ſimul ſit magis laudabilis vel vituperabilis, meritorius vel demeritorius, quàm internus ſolus?

21 *Scotus affirmat.* NOtandum, Nos hîc loqui de actu interno voluntatis, qui ex parte ſua eſt efficax, ita vt, vel re ipſa ex vi ipſius ſequatur opus externum; vel certè, ſi non ſequatur, id ſit non ex defectu voluntatis, ſed facultatis.

Scotus Quodl. 18. art. 3. tenet partem affirmatiuam. Sed contraria ſententia eſt D. Tho. & communis, pro qua

Negatur. Reſpondeo & Dico Primò, Opus externum nihil addere bonitatis meritoriæ, vel malitiæ demeritoriæ voluntati internæ. Ita D. Thomas hoc loco cum ſuis. Durandus in 2. diſt. 42. q. 1. nu. 8. & 9. Bonauentura eâd. diſt. art. 1. qu. 2. Gregorius ibid. quæſt.1. Gabriel ibid. quæſt.vn. art.1. & 2. Occam Quodl.1. quæſt.20.

Explicatur locus 2. Corint.8. Probatur Primò, Ex Scripturis 2. ad Cor. 8. *Si voluntas prompta eſt, ſecundum id quod habet, accepta eſt, non ſecundùm id, quod non habet*; id eſt, ſi voluntas prompta eſt in dando pro ſua facultate, accepta eſt Deo, ſecundùm proportionem facultatis. Vnde ſequitur, voluntatem pauperis dantis ſecundùm ſuam facultatem, non minùs eſſe gratam, quàm voluntatem diuitis dantis ſecundùm ſuam, ſi cetera ſint paria. Vnde vlteriùs infertur: ſi cui nulla omninò ſit facultas, par tamen ſit voluntas; eam æquè gratam futuram. Ita ferè exponunt Patres hunc locum. *Gloſſa.* Gloſſa ſic habet: *Acceptio diuina non menſuratur ſecundùm quantitatem eleëmoſynæ, quæ non eſt in poteſtate dantis, ſed ſecundùm promptitudinem voluntatis, quæ ſtatim exiret in actum habita facultate. Vnde impedimentum, quod eſt inuoluntarium, nihil tollit de merito.* *Theodoretus.* Theodoretus, *Ea quæ offeruntur, viribus ſingulorum metitur Deus; non enim quantitatem, ſed mentis qualitatem reſpicit.* *Anſelmus.* Anſelmus, *Omnes æqualiter dant, ſi quiſque ex tanto dat, quantum habet.* *Theophylactus.* Theophylactus, *Qui non habet, ſiue qui non poteſt, quod ad voluntatem attinet, opus impleuit.*

Marci 12. Confirmatur Marci 12. *Vbi vidua duo minuta offerens laudatur præ ceteris, quia plus dedit pro ſua facultate.* Vnde ſic argumentor. Si is qui plus dat pro ſua facultate, plus eſt laudabilis ceteris paribus; ergo qui dat æquale pro ſua facultate, æqualiter eſt laudabilis: atqui is qui nihil habet, reipſa tamen æquali affectu deſiderat dare, dat æquale ſecundùm ſuam facultatem; quia non poteſt dare, niſi affectu: ergo æqualiter eſt laudandus.

22 *Ex Patribus.* Secundò probatur ex Patribus. D. Auguſtinus *Auguſt.* lib. 1. de libero arbit. c.3. *Vt intelligas libidinem in adulterio malum eſſe, ſi cui etiam non contingat facultas concumbendi cum coniuge aliena, planum tamen aliquo modo ſit eum id cupere, & ſi poteſtas detur, facturũ eſſe; non minùs reus eſt, quàm ſi in ipſo facto deprehenderetur.* Epiſt.49. q. 4. exponens illud Matth. 7. *In qua menſura, &c. Ibi quiſque ſit beatus, vel miſer, id eſt, in ipſo ſuæ voluntatis affectu, quæ omnium factorum meritorumque eſt menſura.*

Chryſoſt. hom.27. in Matth. docet *ſolam voluntatem remunerari pro bono, & condemnari pro malo: opera verò externa eſſe ſolùm ſigna huius voluntatis.* *Chryſoſt.*

S. Marcus Eremita lib. de lege Spiritali c. 15. *Cui eſt animus aliquid faciendi, nec poteſt; perinde eſt apud Deum cordis cognitorem, ac ſi feciſſet.* *Marcus eremita.*

Bernard.Epiſt. 77. *Quid planius, quàm quòd voluntas pro facto reputetur, vbi factum excludit neceſſitas?* *Bernardus.* Aduerte tamen, hoc teſtimonium non videri efficax, vt patet intuenti ſcopum Bernardi: vult enim probare Baptiſmum externum, non eſſe neceſſarium, quando haberi non poteſt; ſed tunc ſufficere voluntatem. Hinc tamen inferre non licet, baptiſmum externum nihil addere.

Hugo lib. 2. de Sacram. parte 14. cap. 6. fusè probat, *Totum meritum eſſe in voluntate; & vbi eſt par voluntas, par eſſe meritum, etiamſi in altero ob impotentiam deſit opus.* *Hugo.*

23 *Ex Ratione.* Tertiò Probatur ratione. Primò, Quia actus externus ſecundùm ſe non habet bonitatem vel malitiã moris formaliter: ergo non addit eã actui interiori; non enim dare poteſt, quod non habet.

Secundò, Actus externi, poſita voluntate interna, omninò naturaliter & neceſſariò procedunt à potentijs naturali modo operantibus: atqui propter ea quæ naturaliter fiunt, non ſumus laude vel vituperio digni: ergo propter actus externos non ſumus laudandi vel vituperandi, niſi ratione voluntatis.

Tertiò, Quia alioqui facultas merendi vitam æternam in iuſtis, magna ex parte non eſſet in ipſorum poteſtate (actus enim externi multis modis vel cauſis naturalibus vel hominum violentiâ poſſunt impediri;) quod non eſt conſentaneum diuinæ prouidentiæ, cuius erat rem tantam ponere in poteſtate cuiuſque, ita vt ab alijs non poſſet dari vel auferri.

Quartò, Quia alioqui qui per famulum dat eleëmoſynam, ſi iſte fraudet; amittet partem ſuorum meritorum; quod nemo dixerit.

24 *Actus externus addit aliquã malitiam materialẽ in genere moris.* Dico Secundò, Actus exterior addit aliquam bonitatem vel malitiam obiectiuam & materialem in genere moris, quia opus externum ſecundùm ſe eſt bonum vel malum obiectiuè & materialiter. Hoc modo intelligendum quod quidam dicunt, hominem qui peccat voluntate & opere; magis peccare extenſiuè, quàm qui voluntate tantùm: non quòd maior ſit malitia formalis in vtroque, quàm in voluntate ſola: ſed quia malitia voluntatis extendit ſe ad opus externum, eique communicatur; ſicut anima in corpore magis viuit extenſiuè, quàm in ſe ſola.

25 *Obiectio.* Obijcies Primò ex D. Auguſtino lib. 13. de Trinit. cap. 5. *Mala voluntate vel ſolâ quiſque miſer efficitur, ſed miſerior poteſtate, quâ malè voluntatis deſiderium impletur.*

Soluitur. Reſpondeo, Id verũ eſſe, ſed per accidens. Nam qui poteſt malam voluntatẽ implere, in ea diutiùs perſeuerat, ſæpiùs eam repetit, & in executione operis eam intendit, facitque vehementiorem; vt patet in eo qui homicidium vel adulterium perpetrare intendit; qui verò videt ſe non poſſe implere, eam deponit.

2. *Obiectio.* Obijcies Secundò, Bonitas moralis consistit in integritate omnium eorum, quæ recta ratio dictat actui debere conuenire: atqui alia est integritas eorum, quæ debent conuenire actui interno, alia quæ externo: ergo alia est bonitas actûs externi, alia interni. Si alia bonitas, etiam alia est malitia: ergo actus exterior addit aliquid bonitatis vel malitiæ moralis supra interiorem. Ita Scotus.

Soluitur. Respondeo, Si loquamur de integritate quæ necessaria sit ad formalem bonitatem moris, nego minorem: Illa enim integritas, quæ requiritur ad bonitatem actûs interioris, requiritur etiam ad bonitatem actûs exterioris. Nam sine illâ, actus exterior non erit formaliter bonus bonitate moris. Sicut vita animę necessaria est ad vitam corporis, cùm sit vna eademque. Si verò loquamur de bonitate obiectiua vel materiali in genere moris; sic admitto diuersam esse integritatem actûs exterioris & interioris. Sed hoc non est contra nostram doctrinam, vt suprà dictum.

26 3. *Obiectio.* Obijcies Tertiò, Quando deest facultas operis, non potest actus interior esse tam perfectus, quàm ille qui efficaciter causat opus: non enim potest homo tunc habere actum absolutum, *volo*, sed solùm conditionatum, *vellem*, qui actus est imperfectus respectu alterius: ergo semper quando fit opus externum, est maius meritum vel demeritum.

Soluitur. Respondeo Primò, Etiamsi totum esset verum, hinc tamen non sequeretur, opus externum secundùm se aliquid bonitatis addere; sed tantummodò actum internum esse in se perfectiorem & meliorem quando opus fit.

Secundò, Si ille cui deest facultas operis, id ignoret, poterit habere actum voluntatis absolutum æquè perfectum, atque is qui operatur; vt patet in eo qui vult dare eleëmosynam, & in executione videt se carere pecunia.

Vellem *aliquando est tam perfectũ quàm volo.* Tertiò, Etsi actus, *volo*, physicè habeat aliquam perfectionem, quâ caret, *vellem*; tamen secundùm æstimationem moralem, *vellem*, non est minùs perfectum quàm *volo*, si illud *vellem* sit tale, vt ex vi ipsius sequeretur, *volo*, & opus ipsum posita operis facultate; quia tunc, *vellem*, virtute continet, *volo*, & opus; vt suprà dictum. Quòd autem hæc voluntas non exeat in actum, causa est, non imperfectio affectûs interni, sed extrinsecus defectus materiæ. Vnde patet, pauperem tantum posse mereri affectu eleëmosynæ, quantum diuitem dando eleëmosynam. Secùs est, quando quis habet facultatem operis: tunc enim, *vellem*, non est tam perfectum quàm *volo*, quia ex vi ipsius non potest opus sequi. De quo vide Hugonem suprà lib. de Sacram. p. 14. c. 6.

Obijcies Quartò, Si effectus nihil addit interiori voluntati: ergo qui tantum vult mereri 27 4. *Obiectio.* quantum S. Paulus re ipsa meruit, tantumdem habebit meriti. Similiter qui tantum vellet peccare quantum Antichristus, tantumdem habebit demeriti.

Soluitur. Respondeo Negando consequentiam. Primò, Quia nos hic loquimur de actu vel affectu externo, id est, qui non sit actus vel effectus voluntatis: hunc enim dicimus nihil addere internæ volitioni. Secùs est si effectus vel actus volitus, sit actus internus voluntatis: hic enim addit propriam bonitatem vel malitiam actui, quo volitus est; vt sit in proposito. Velle enim mereri, est velle actum voluntatis, vel aliquid quod ex illo pendeat.

Sola volitione non possumus æquare quamlibet sanctitatẽ, vel malitiam.

Secundò, Quia hîc comparamus actum internum voluntatis cum actu vel affectu, qui natus est sequi ex vi internæ volitionis. Atqui sanctitas Pauli non est nata sequi ex tali volitione, sed solùm ex alijs præstantissimis virtutum actibus. Ob eamdem causam is qui optat toto affectu alere infinitos pauperes, non meretur infinitè, vt argumento quodam calculatorio videtur probari; quia opus non est tale naturâ, vt ex vi alicuius affectûs sequi possit; nam vel contradictionem implicat; vel certè est omni naturæ creatæ impossibile. Sic qui optat conuertere totum mundum, non tantum meretur, quantum si reipsa conuerteret; quia opus non est aptum sequi ex vi vnius talis affectûs; sed opus est innumeris alijs bonis affectibus.

Obijcitur Quintò, Si actus externus non addit nouam malitiam: ergo non debet exprimi 28 5. *Obiectio.* in confessione; nam tota malitia peccati satis intelligetur, si dicas te voluisse.

Soluitur. Respondeo Negando consequentiam. Primò, Quia totum peccatum debet explicari, ac proinde etiam opus externum, quod est pars peccati, *Cur opus externum exprimendum in Confessione.* etsi materialis, & complementum voluntatis.

Secundò, Quia confessio iure diuino positiuo introducta est. Vnde credendum est, eam instituisse modo commodissimo & saluberrimo: talis autem est, in quo explicantur opera externa. Primò, Quia sic facillimè & breuissimè malitia voluntatis & à pœnitente explicatur, & intelligitur à Sacerdote. Secundò, Quia plebs vix potest aliter se explicare. Tertiò, Quia id sæpè necessarium, vt præscribatur idoneum remedium vel restitutio, vel satisfactio; vel vt vitetur scandalum; vel vt absoluatur à censura. Quartò, Quia peccatum externum cum interno simul est maius peccatum extensiuè; & turpitudo peccati in vtroque simul magis cognoscitur,

ARTICVLVS V.

Vtrùm idem actus exterior possit esse simul bonus & malus?

PRima Conclusio. Idem actus non potest simul esse bonus & malus. Ratio est; quia contraria non possunt esse in eodem. 29

Secunda Conclusio. Actus manens idem secundùm esse naturæ, potest successiuè esse bonus & malus; non autem si maneat idem secundùm esse moris.

DVBIVM I.

Vtrùm nullo modo fieri possit, vt idem actus exterior eodem temporis momento sit bonus & malus?

RAtio dubitandi est in duobus casibus. Prior est, quando executio operis pendet à duabus voluntatibus, quarum altera bonam intentionem habet, altera malam: vt cùm Dominus bona intentione iubet dari eleëmosynam, & famulus mala intentione exequitur. Alter est, quando executio 30

do executio pendet ab vna voluntate, mediantibus duabus intentionibus, alterâ bonâ, alterâ prauâ: vt si des eleëmosynam ob duos fines in solidum; vt ob laudem humanam, & ob satisfactionem peccatorum: hoc enim fieri posse patet ex dictis suprà, qu.12. art.3.

Idem actus exterior pendens à duabus voluntatibus, potest simul esse bonus & malus.

Respondeo & Dico Primò, In priore casu idem actus exterior simul est bonus & malus, meritorius vitæ æternæ, & mortis æternæ.

Probatur, Quia illa largitio, vt est actus Domini, est meritoria; proficiscitur enim ex bona intentione; neque Dominus ei aliquid apponit, quod meritum impediat. Vt verò est actio famuli, est demeritoria; facit enim illam mortiferâ intentione, vti suppono.

Respondent quidam; illam actionem non esse moralem respectu Domini, sed solùm respectu famuli; proinde Dominum non mereri per illam, sed solùm per imperium quo iubet illam fieri, quia non est in potestate Domini nisi remotè.

Sed contrà, Is qui mandat, propriè est causa moralis effectûs secuti; vnde in vtroque foro incurrit pœnas iuris, non secùs, ac si per se fecisset. Nec refert, quod effectus non sit immediatè in eius potestate: quia dum quis occidit sagittâ, effectus non est immediatè in sagittarij potestate; tamen occisio illa propriè est opus eius, ac peccatum. Pari modo dum quis per famulum agit; imperio enim suo ei veluti impetum quemdam ad opus imprimit, ex quo moraliter sequitur operatio; sicut sagittarius imprimit sagittæ impetum, ex quo sequitur motus & percussio.

Dices, Contraria non possunt esse in eodem: atqui bonum & malum sunt contraria.

Respondeo, Non posse esse in eodem respectu eiusdem, sed benè respectu diuersorum; sicut simile, dissimile; æquale, inæquale: bonum enim & malum dicunt relationem sicut simile & dissimile; quod enim vni bonum, est alteri malum. Adde, bonitatem & malitiam non esse in actu exteriore intrinsecè vel immediatè, sed solùm per denominationem extrinsecam, à diuersis actibus interioribus.

31 *Idem actus exterior pendens ab vna voluntate mediante duplici intentione, vna bona altera mala, est absolutè malus.*

Dico Secundò, In altero casu probabilius videtur, idem opus externum non esse simul bonum & malum, sed absolutè malum.

Probatur; Quia vt actus dicatur bonus, nihil debet habere mali respectu subiecti cui bonus dicitur: Bonum enim est ex integra causa. Atqui talis actus exterior habet aliquid mali, scilicet quòd procedat ex intentione vanæ gloriæ in eâdem voluntate: ergo non est bonus.

Dices, Iste actus procedit etiam ex bona intentione.

Respondeo, Hinc tantùm sequi esse bonum secundùm quid, seu vt præcisè ab illa intentione pendet; non autem esse bonum absolutè. Et ratio est, quia bona intentio interior, non potest opus externum facere simpliciter bonum respectu operantis, si ipse operans vel per negligentiam, vel per prauam aliam intentionem illam contaminet: Nam hoc ipso veluti maculam contrahit, quæ impedit ne bona intentio ipsum absolutè bonum & pulchrum reddat. Secùs res habet, quando opus à diuersis voluntatibus procedit; tunc enim is qui facit opus bona intentione, non apponit ei labem per malam intentionem, vti supponimus.

Hinc sequitur, idem opus externum non esse simul meritoriũ & demeritoriũ; quia etsi in bona intentione sit meritum, hoc tamen non potest operi externo communicari, eò quòd per infectionem quam trahit à mala intentione, reddatur incapax. 32

Contrariũ tamen est probabile.

Dixi, *esse probabilius*, quia contrarium etiam est probabile, vt docet Almainus tract.1. Moral. cap.12. Adam in fine 2. Sent. dub. vlt. Medina hoc loco, & alij quidam. Ratio est; quia opus externum procedens ex duabus intentionibus, etsi physicè sit vnum; tamen moraliter est duplex; vtpote duplici intentione informatum; & ita mirum videri non debet, si simul sit bonum & malum; meritorium & demeritorium; præsertim cùm hæc solùm per denominationem extrinsecam ei conueniant.

Dices: ergo idem in eodem opere poterit simul mereri vitam æternam, & damnationem.

Probabile est, idem opus externum, vt subest diuersis intentionibus, esse simul bonũ, & malum veniale.

Respondeo Negando consequentiam. Repugnat enim vt hæc simul fiant, non solùm eodem actu, sed etiam diuersis; quia repugnat vt idem subiectum operans sit dignum vitâ æternâ, & morte æternâ. At non repugnat vt idem operans sit dignum vitâ æternâ, & pœnâ temporali; vt sit in statu gratiæ, & peccati venialis. Nihil ergo incommodi, si concedamus hominem eodem opere externo propter diuersas intentiones mereri simul vitam æternam, & peccare venialiter: Hoc enim meritum immediatè conuenit intentionibus; mediatè verò & extrinseca denominatione operibus externis.

Dico Tertiò, Idem opus externum potest successiuè esse bonum, & malum; meritorium vitæ æternæ, & mortis æternæ. Est communis sententia Doctorum. 33

Idem actus externus potest successiuè esse bonus & malus.

Probatur Primò, Quia quæuis externa operatio successiua, potest inchoari bona intentione, & sic erit meritoria; & paulò pòst continuari mala intentione; & tunc incipit esse demeritoriâ: erit tamen vna & eadem actio continua, quamuis secundùm aliam partem futura sit bona, secundùm aliam, mala.

Secundò, Idem probatur de actione indiuisibili, quæ non habet partem post partem; quia fieri potest vt eadem consideratio intellectûs, imaginationis, oculorum, primò fiat bona intentione; deinde mala intentione continuetur, nulla facta mutatione in ipsa consideratione: Vt si cogites de materia turpi, initio quidem animo iuuandi proximi, postea animo te oblectandi.

DVBIVM. II.

Vtrùm idem actus internus possit esse simul bonus & malus?

QVidam Parisienses affirmant teste Almaino, tract.1. c.12. Et probant Primò, Ex voluntate mentiendi obstetricum ad saluandos infantes Hebræorum. Exodi 1. Secundò, Quia potest aliquid eligi ob duos fines, alterũ bonum, alterum prauum: atqui talis electio simul est bona & mala. Tertiò, Quia potest quis velle temperatè comedere eo tempore, quo est contra votum: atqui hæc voluntas videtur bona, quia tendit in bonum temperantiæ; & praua, quia est contra votum. 34

Quidam Parisienses affirmant.

Respondeo,

Negatur.

Respondeo, fieri nullo modo posse vt idem numero actus interior voluntatis simul sit bonus & malus, meritorius & demeritorius. Est communis sententia Doctorum, & probat Gregorius in 2. d. 28. & Almainus suprà.

Probatur Primò, Quia actus interior non dicitur bonus vel malus denominatione extrinseca ab alio actu, sicut exterior; sed per se & immediatè: atqui fieri nequit, vt per se sit conformis rectæ rationi, & simul eidem repugnet: ergo, &c.

Secundò, Vt actus interior secundùm se sit bonus, oportet vt nihil habeat mali: implicat ergo vt secundùm se sit bonus & malus.

35 Responsio ad argumenta.

Ad primam rationem. In obstetricibus illis erat duplex voluntas, scilicet saluandi infantes, quæ voluntas proficiscebatur ex timore Dei, & erat bona; eamque Dominus mercede temporali compensauit: & mentiendi, vt euaderent pœnam violatæ iussionis regiæ: hæc fortassis erat mala.

Probabile est, obstetrices non peccasse mentiendo. Exodi 1.

Dico fortassis; quia probabile est, illas mentiendo non peccasse, quòd putarent errore inculpato id esse licitum in tam graui causa. Quod etiam in Rahab, Iudith, multisque alijs veteris Testamenti videtur locum habuisse. Si enim viri doctissimi putarunt aliquando esse licitum mentiri, quantò facilius id homines simplices absque culpa existimare potuerunt?

Ad secundam rationem. Dum aliquid ob duos fines seorsim eligitur, est duplex electio: altera bona, altera mala; vt patet ex dictis q.12.a.3.

Ad tertiam rationem. Illa voluntas temperatè comedendi, est praua, quia est contra votum; nec vllo modo est bona, cùm per se & immediatè mala sit. Neque verum est, eam tendere in obiectum honestum; quia opus externum cùm suis circumstantijs non est honestum. Et quamuis omnes positiuæ circumstantiæ virtutis temperantiæ adsint, hoc tamen satis non est ad bonum temperantiæ: requiritur enim vt non adsit etiam vlla circumstantia contra aliam virtutem, quæ bonum temperantiæ in opere impediat. Et ratio est, quia omne opus virtutis debet eo modo quo fit in re, esse consentaneum rectæ rationi. Vnde omnis circumstantia quæ facit, vt opus sit contra rectam rationem, ad quodcumque illa vitium pertineat, facit vt non sit opus virtutis, sed vitij.

DVBIVM III.

Vtrùm idem actus interior voluntatis possit successiuè esse bonus & malus?

36 Durandus affirmat.

DVrandus in 2. d. 40. q. 3. nu. 4. affirmat. Adfert exemplum in eo qui vult celebrare Missam, & continuat illam volitionem superueniente interdicto: hæc enim volitio ante interdictum, est bona, post interdictum, est mala. Idem docet Caiet. hoc loco, & Medina suprà, q. 19. art. 1. Et quæst. 18. art. 9. ait; *Certissimum est, quòd omnis Bona operatio, etiam dilectio Dei, potest esse mala per appositionem alicuius circumstantiæ.* Idem docet Maior in 3. d. 37. quæst. 8. de omni actu bono: putat enim, Deum posse prohibere etiam ipsum amorem Dei, & ita amorem Dei posse fieri malum.

Caiet. Medina.

Maior.

Respondeo & Dico Primò. Verius omnino, esse, eumdem actum interiorem voluntatis non posse successiuè esse bonum & malum formaliter. Ita Occ. in 3. qu. 10. & 12. Gabriel in 3. d. 23. qu. 1. art. 1. cor. 2. Conradus in hunc art. qui id probat ex D. Thoma.

Idem actus internus voluntatis non potest successiuè esse bonus & malus.

Probatur Primò, Quia si actus virtutis posset esse malus, possemus virtute malè vti; Nam virtus esset principium eliciens prauæ operationis: atqui virtus talis est naturæ, vt nemo eâ malè vti possit: vt docet D. Thomas infrà, q.56.art.4. ex D. Augustino, & consentiunt passim Theologi, & Philosophi.

Occam. Gabriel. Conradus.

Secundò, Sequeretur Deum auxilio speciali gratiæ, & virtutibus infusis ad actus peccatorum cooperari: imò propriè esse causam multorum peccatorum, & ad ea excitare; sicuti propriè est causa operum bonorum, & ad ea excitat. Quæ omnia à veritate sunt aliena, & repugnant Concilio Trid. Sess. 6. c. 6.

37 *Deus sic esset causa multorum peccatorum. Trident.*

Hoc sequi probatur Primò, Quia si ille actus manet idem specie & numero, nec accipit vllam intrinsecam mutationem (vt supponimus:) ergo quando erit malus, pendebit ab ijsdem causis, à quibus pendebat initio, cùm esset bonus: atqui initio pendebat ab auxilio diuino tamquam à propria causa: ergo & posteà pendebit ab eodem auxilio. Secundò, Quia si potest initio elici bonus & posteà fieri malus, etiam potest initio elici malus, & posteà fieri bonus, vt manifestè patet exemplo Durandi: potest enim quis velle celebrare tempore interdicti, & continuare illam voluntatem interdicto reuocato: atqui tunc Deus per auxilium gratiæ, non minùs est causa illius actûs, quàm si esset bonus (est enim actus supernaturalis:) ergo non minùs propriè erit causa actus mali quàm boni.

Tertiò Probatur à priori. Obiectum tribuens speciem bonæ volitioni, est bonum honestum, non quouis modo, sed prudenti iudicio propositum: ergo si hæc propositio mutetur, & desinat esse prudens, non manebit idem specie actus. Patet consequentia, quia mutato obiecto vel propositione necessariâ, mutatur actus. Antecedens probatur, quia alioqui si quis imprudenter & ex ignorantia crassa vel affectata iudicaret aliquid esse honestum, Deoque gratum, illudque vellet; illa volitio esset eiusdem speciei; atque volitio eius, quod verè honestum est. Et ita zelus ille Iudæorum, quo zelabant pro lege sua, persequentes Christum & Apostolos, esset eiusdem omnino speciei & virtutis, cuius est zelus Catholicorũ in hæreticos & blasphemos; & consequenter esset actus charitatis vel religionis, quod planè falsum est. Confirmatur, quia actus charitatis habet suam speciem ab obiecto non nudè considerato, sed vt ab intellectu proponitur & applicatur: atqui longè aliter applicatur iudicio prudenti, aliter imprudenti (iudicium enim prudens est euidens & certum, imprudens est obscurum & incertum:) ergo hæc iudicia efficiunt diuersitatem specificam in actibus voluntatis.

38 *Prob. à Priori.*

Differentia inter zelum Iudæorum in Christum, & Catholicorum in hæreticos.

Dices, hanc sententiam non habere locum in actibus supernaturalibus, sed solùm in naturalibus.

Sed contrà. Primò, Hoc est contrà mentem illorum auctorum: nam ponunt exemplum in voluntate celebrandi sacri, quæ voluntas est actus supernaturalis religionis. Secundò, Ratio cur putent eundem actum naturalem successiuè esse posse bonum

se bonum & malum, etiam locum habet in actu supernaturali: sicut enim honestum naturale potest initio proponi prudenter, posteà mutatâ circumstantiâ imprudenter; ita etiam honestum supernaturale: neque vllũ hac in re videtur esse discrimen inter actus naturales & supernaturales: & tamen hoc est totum fundamentum, cur putent eamdem voluntatem posse successiuè esse bonam & malam.

39 *Responsio ad exemplum Durandi.*

Ad exemplum Durandi, Respondeo, Voluntas celebrandi ante tempus interdicti, est per se & intrinsecè bona, id est, conformis rectæ rationi; quia tendit in obiectum honestum prudenter propositum, quod est, celebrare hoc tempore, quo nulla est interdicti suspicio: quando autem superuenit interdictum, tunc is qui volebat celebrare; vel illud aliquo modo nouit, vel non nouit. Si nullo modo nouit, voluntas eius continuata manet bona: si verò aliquo modo nouit, ita vt habeat saltem rationem de eo dubitandi, non potest illa prior voluntas eadem numero continuari: quia etsi possit persistere in volendo eodem opere quod antè volebat; tamen ratio volendi non est eadem, quæ erat antè: si enim dubitat an sit interdictum, non potest iudicare esse bonum & Deo gratum, vt celebret; ac proinde non potest ob hanc causam velle celebrare: vnde non potest prior voluntas continuari.

Dices, Potest illud dubium reijcere.

Respondeo, Non potest prudenter reijcere, ac proinde non poterit prudenter iudicare esse bonum tunc celebrare. Iudicium igitur necessariò mutatur ex prudenti, in imprudens; ex euidenti & certo, in obscurum & incertum: vnde non est mirum, si etiam volitio mutetur, quamuis eadem esse videatur; nam vitia sæpè virtutibus sunt similia.

Dices Secundò, Non est opus iudicio quo iudicet esse honestum tunc celebrare; sufficit enim apprehensio, qua illud instar honesti apprehendat.

Respondeo Negando sufficere apprehensionem, nisi implicitè includat iudicium prudens. Alioquin Iudæi apprehendentes animo occisionem Apostolorum esse Deo gratam, potuissent illam velle vero actu supernaturali charitatis aut religionis: quòd constat esse falsum.

40 *Responsio ad argumentum Maioris.*

Ad rationem Maioris. Nullo modo potest Deus amorem sui prohibere. Primò, Quia quòd homo suppositâ naturæ humanæ existentiâ teneatur Deum diligere, non pendet ex libera Dei voluntate, sed ex ipsa essentiali conditione naturæ humanæ, & excellentiæ diuinæ; quatenus obiectiuè prior est omni voluntate libera: ergo non potest vllo modo tolli per voluntatem Dei liberam. Consequentia patet, quia quod nullo modo à libera Dei voluntate pendet, non potest per eam tolli. Secundò, si prohiberet sui amorem, esset sibi contrarius; adimeret enim sibi dignitatem summi boni: sicut si vetaret ne quis ipsi crederet, adimeret sibi laudem primæ veritatis.

Aliquando illicitum est excitare in se amorem Dei.

Aduerte tamen, fieri posse aliquo casu, vt homini non liceat intendere amori diuino in se excitando; vt si per hoc negligeretur aliquod opus præceptum: vt si esset aliquis moriturus sine confessione, vel sufficienti fidei instructione. Verùm tunc, si quis vellet amare, neglecto illo opere, nõ esset verus amor Dei super omnia; quia hic includit omnium præceptorum obseruationem, neque potest cum peccato mortali, quòd tunc committitur, consistere; sed esset affectus amori similis.

41 *Idem actus interior potest successiuè esse indifferens & malus, non tamen bonus.*

Dico Secundò, Idem tamen actus interior voluntatis potest esse indifferens & malus successiuè; Vt si quis feria quinta sub horam duodecimam noctis velit comedere carnes ob delectationem vel naturæ commodum; & continuet hanc voluntatem post duodecimam ob eumdem finem. Hæc voluntas ante duodecimam erit indifferens, post duodecimam erit mala. Posse autem hanc voluntatem continuari eamdem numero, patet; quia est idem obiectum, & eadem ratio appetendi ante & post duodecimam. Confirmatur, quia idem obiectum potest fieri ex indifferenti malum, sine vlla sui mutatione, solo temporis lapsu adducentis prohibitionem; manente eâdem ratione appetendi.

42

Dico Tertiò, Idem actus interior ex indifferenti non potest fieri bonus successiuè. Ratio est; quia etsi possit esse idem obiectum materiale voluntatis indifferentis & voluntatis bonæ; tamen non potest esse eadem ratio volendi: nam ratio volendi in voluntate bona, est honestum; in voluntate indifferenti, est delectabile vel commodum naturæ. Potest tamen esse idem obiectum & eadem ratio volendi, in voluntate indifferenti & in voluntate praua; vt patet ex dictis: quia ratio volendi in voluntate praua; potest esse aliquod bonum per se indifferens.

QVÆ-

QVÆSTIO XXI.

De his quæ consequuntur actus humanos, quatenus boni sunt vel mali.

Sex affectiones Actuum humanorum.

AGit D. Thomas hac quæstiones de sex veluti affectionibus, quæ consequuntur actus humanos, quatenus boni vel mali sunt: quæ sunt, *rectum*, *peccatum*; *laudabile, culpabile*; *meritorium, demeritorium.*

Vt autem intelligatur quomodo hæc possint distingui, Notandum est, *bonum* & *rectum*, *malum* & *peccatum*, parum differre: Nam passim pro eodem à Patribus & Doctoribus vsurpantur.

Quis Actus bonus & malus,

Videtur autem hoc modo posse optimè distingui, vt actus dicatur *Bonus*, quatenus est consentaneus naturæ rationali. *Malus*, quatenus eidem naturæ est dissentaneus. *Bonum* enim & *malum* dicunt ordinem ad aliquod subiectum, cui aliquid commodi vel incommodi adferant.

Quis Rectus & Peccatum.

Rectus verò, quatenus est conformis suæ regulæ, siue hæc sit ratio recta, siue lex æterna. *Peccatum* autem quatenus aberrat à sua regula. Quod confirmatur à simili in artibus. Dicitur enim quis *rectè operari*, si iuxta præscriptum & regulam artis operetur: *peccare* verò dicitur *in operando*, si à præscripto artis discedat. Vnde D. Augustinus & Ambrosius definiunt peccatum ex ordine ad legem diuinam, vt infrà patebit.

Quis laudabilis & culpabilis.

Dicitur *laudabilis*, quatenus est bonum liberum. *Culpabilis*, quatenus est malum liberum. Itaque *laudabile* & *culpabile* supra rationem *boni* & *mali*, *recti* & *peccæti*, includunt libertatem, quam illarum ratio generatim considerata non includit, sed solùm si consideretur quatenus formaliter habet esse morale.

Quis meritorius & demeritorius.

Denique dicitur *Meritorius*, si fiat in commodum vel obsequium alterius. Ideò enim opus meretur aliquod præmium ab aliquo, quia cedit in ipsius commodum vel obsequium: hinc enim fit, vt ille vel ex iustitia, vel certè ex gratitudine aut fidelitate teneatur compensare. *Demeritorius* dicitur, quatenus in alterius cedit iniuriam seu offensionem. Itaque ratio *meriti* & *demeriti* aliquid addit supra rationem *boni* & *mali*, *laudabilis* & *vituperabilis*, scilicet, quòd fiat in commodum vel incommodum alterius.

FINIS.

AVCTARIVM

R. P. LEONARDI LESSII AVCTARIVM ad I. 2. COMPLECTENS. VARIORVM CASVVM CONSCIENTIÆ RESOLVTIONES.

PROLOCVTIO AD LECTOREM.

CLara, breuis, & distincta illa methodus, qua perplexam de Conscientia *materiam*, Auctor noster, *ad quæstionem* XIX. *superiore libro complexus est, me excitauit, vt hîc nonnullas è multis* Casuum conscientiæ resolutiones AVCTARII *in modum adjcerem, quas ipse iam inde ab anno præcedentis seculi millesimi quingentesimi nonagesimo quarto, vsque ad annum nunc currentis vigesimum tertium, vitæ suæ postremum, è variis mundi regionibus consultus, in aduersarijs annotauit. Scio quidem hæc omnia festinanter, & primâ, vt aiunt, manu, ab homine plurimis negotijs distracto, valetudine infirma, vrgentibus responsum nuntijs conscripta, non ea mente vt lucem aliquando viderent, sed vt perplexis mentibus affusas tenebras dissiparent. Vnde præmonitum Lectorem velim, ne hîc* Viuum Lessium *in* posthumo *requirat: sed vel hinc gratum laborem meum habeat, quòd* De tanti viri laboribus (*verba sunt Reuerendi admodum P. N.* MVTII VITELLESCI *Societatis nostræ Præpositi Generalis*) quàm minimum perire patiar. *Vt verò compendio tuo seruirem, totam hanc materiam à* LESSIO, *vt fors & tempus obtulerant, absq; ordine, plerumque etiam sine interrogatione conscriptam, per verba ordine alphabetico digessi; quò cuiusque responsi breuior clariorque vtilitas ad te perueniat; & ne, quod de Sibyllinis oraculis Poëta canit, hæc* Rapidis fiant ludibria ventis. *Tu affectum benignè consule.*

ABSOLVTIO.

Absolutio absque signo doloris.

CASVS I.

Titius inopinatò incidit in articulum mortis, adeò vt nullum tunc signum doloris vel contritionis dare possit: nec verò anteà vllam dedit significationē, eò quòd vis morbi subitò vsum rationis impedierit.

QVÆRITVR, *An liceat ei beneficium Sacramentalis absolutionis impendere?*

1 HOc licitum esse, videtur probari posse. Primò, Auctoritate Cordubæ qu. 36. de Indulg. vbi id docet. Secundò, Quia in tali casu licitum est ei impendere Sacramentum extremæ Vnctionis, & Eucharistiæ, & beneficium absolutionis à censuris, vt patet ex praxi Ecclesiæ, & communi sententia Doctorum. Cur non etiam à peccatis? Tertiò, Quia parum videtur referre vtrùm edat signa contritionis in genere, an non; cùm huiusmodi signa non sint confessio peccatorum. Si ergo absolutio potest dari editis signis contritionis, poterit etiam dari non editis, quando putatur infirmus esse in statu idoneo.

His tamen non obstantibus, omnino tenendum videtur contrarium. Primò: Quia solus Corduba id docet, idque nullâ allatâ ratione, & obiter duntaxat, his verbis: *Absoluat eum à censuris, si quibus ligatus teneatur; & etiam dicat: Absoluo te à peccatis: valeat quod valere potest.* Hæc ille. Ceteri Auctores vel docent non posse dari absolutionē Sacramentalem, etiamsi adsint signa contritionis, nisi aliquid in particulari possis confiteri; vt Sotus, Canus, Nauarrus: vel certè requirunt signa contritionis; vt Ioannes Medina, & alij recentiores. 2 *Sententia negatiua tenenda.*

Secundò: Quia de essentia Sacramenti Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis; vt colligitur ex Cõcilio Florentino in instructione Armenorum; & Tridẽtino sess. 14. cap. 3. & can. 4. Atqui hîc nullus est actus pœnitentis: ergo non potest hîc esse Sacramentum Pœnitentiæ: ergo neque sacramentalis absolutio.

Tertiò, Si absolutio esset valida absque vllo actu pœnitentis, totum Sacramentum essentialiter consisteret in actu absolutionis; quod est contra communem sententiam Doctorum, exceptis paucis; & videtur esse contra Cõcilium Florentinum & Tridentinum locis citatis. Neque solùm consisteret in absolutione, sed etiam non supponeret necessariò actus pœnitentis; quod est contra omnes Doctores.

3 *Responsio ad argumenta contraria.* Ad Argumenta contrariæ sententiæ. Ad primum, Patet ex dictis. Ad secundum, Est dispar ratio: nam Sacramentum extremæ Vnctionis & Eucharistiæ non necessariò postulat vllum actum suscipientis. Similiter neque absolutio ab excommunicatione; quia etiam inuito dari potest. Ad tertium, Ad rationem Sacramenti Pœnitentiæ sufficit generalis confessio, quando particularis præstari non potest. Generalis autem confessio fit quouis signo externo, quo quis significat se peccasse, vel etiam peccatorem in ordine ad absolutionem Sacerdotis. Qui autem nullum potest signum edere, nec anteà edidit in ordine ad absolutionem obtinendam, quo significet se peccatorem, nullo modo generaliter confitetur, vnde non potest absolui.

4 *Notabile.* Aduertendum tamen est, si quis dum sanus est, aliquod peccatum confiteretur, vt obtineat absolutionem Sacerdotis quando iam est expiraturus, is verè absolueretur, etiamsi nec ante, nec in morte aliud contritionis signum daret.

Absolutio à reseruatis.

CASVS II.

Vtrùm Parochus possit absoluere à quouis casu reseruato infirmum, ad cuius confessionem audiendam vocatus est, etiamsi non sit ita salutis desperatæ, quin alius haberi possit?

5 REspondeo, Non esse dubitandum quin possit, modò tanta sit infirmitas, vt videatur esse in periculo mortis. Ratio est, quia Concilium Tridentinum sess. 14. c. 7. expressè ait, *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis.* Quòd si tunc nulla est reseruatio: ergo Parochus potest absoluere ab omnibus; quia parem quo ad omnia habet iurisdictionem. (Suppono autem iuxta veriorem sententiam inter articulum mortis, & periculum mortis, non esse faciendam hîc distinctionem, vt plerique Doctores docent cum Nauarro.)

6 Neque dici potest Concilium intelligi *nullam in articulo mortis esse reseruationem*, nisi, videlicet, possit haberi aliquis, qui iure ordinario vel delegato possit ab illis absoluere: quia violenta est hęc restrictio, & contra vim verborum: nam dicit absolutè, *In articulo mortis nullam esse reseruationem; & ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes tunc posse absoluere ab omnibus casibus & censuris.* Vbi Concilium non limitat, quando non adest Superior vel alius habens potestatem; sed generaliter indulget vt omnes possint, ne quis infirmus ob reseruationem pereat.

Vnde etsi deceat vt in absolutione reseruatorum Superior præferatur inferiori, & proprius alieno non habenti aliàs potestatem; tamen non est necessarium: sed potest pœnitens tunc eligere quemuis idoneum, prout sibi magis expediens visum fuerit: sicut qui habet Bullâ vel priuilegium eligendi Confessorem, qui ipsum ab omnibus absoluat. Vt docet Henriquez lib. 3. c. 11. 7 *Potest quilibet Sacerdos tunc præferri superiori.*

Et sanè quin Parochum suum possit eligere prætermisso priuilegiato, nullo modo est dubitandum: quia Parochus propriè & ex officio obligatur tunc maximè ei omnia Sacramenta saluti opportuna ministrare. Vnde etsi priuilegiatus tunc haberi possit, non tamen est dubitandũ quin Concilij mens sit, vt etiam Parochus tunc omnem potestatem habeat. Plura adferri possent, sed nulla mihi videtur ratio dubitandi. 8 *Maximè Parochus.*

CASVS III.

Absolutio à reseruatis.

Vtrùm reseruatio tollatur si irrita sit confessio defectu doloris? & quomodo oblitorum reseruatio tollatur.

9 REspondeo, Confessarius absoluens eum qui confitetur reseruata, tollit reseruationem, etiamsi confessio ob defectum contritionis irrita fuerit. Oblitorum autem reseruatio non tollitur, nisi pœnitens eo fine confessionem illã instituerit, vt se ab omnibus reseruatis, atque adeò ab omni onere peccatorum liberaret, ad plenam tranquillitatem consequendam, idque Confessario indicauerit. Hoc enim casu valdè probabile est Confessarium tollere omnem reseruationem. Qua de re videndus Suarez disp. 31. n. 15. & sequent.

CASVS IV.

Absolutio à reseruatis.

Incidit quidam in casum Episcopo reseruatum quem in Confessione exponit.

QVAERITVR I. *An aliquâ ratione absolui possit à Parocho?*

QVÆRITVR II. *An ab eo absolutus, possit communicare, vel celebrare.*

10 REspondeo *ad Primum*: Dupliciter potest fieri reseruatio casuum. Primò, Substractione iurisdictionis. Secundò, Imponendo solùm onus cõparendi coram superiore. Plerique Doctores ante Concilium Tridentinum intellexerunt eam fieri secundo modo. Itaque sentiebant pœnitentẽ qui in casum reseruatum incidisset, non solùm in necessitate, sed ordinariè quando non patebat commodè accessus ad Superiorem, posse absolui à Parocho suo, cum onere posteà primâ opportunitate se præsentandi Superiori, & ei casum reseruatum explicandi siue in confessione, siue extra sub sigillo secreti, & acceptandi satisfactionem ab eo imponendam. Et sanè hic modus sufficiens est ad intentionem Ecclesiæ, & ad finem reseruationis casuum, estque aliàs commodior & vtilior ipsis pœnitentibus. Hanc sententiam etiam post Concilii Tridentinum sentio probabilem, ac proinde in casu proposito posse seruari; nimirum quando pœnitens post longam confessionem exponit aliquem casum reseruatum, & ægrè posset induci ad totam confessionem repetendam, & metueret fortè notari ab alijs, si tunc Superiorem adiret, eique confiteretur.

Addo

11 Addo Episcopum eiusque Vicarium posse suis Parochis significare se hoc modo reseruationem casuum intelligere & accipere; id enim est in eorum potestate; nempe vt hoc vel illo modo casuum reseruationem faciant: ac proinde quando pœnitentes cum huiusmodi casibus ad Parochos veniunt, posse absolui, si non possunt tunc commodè induci vt Superiorem adeant, modò promittant se primâ opportunitate Superiorem adituros, & casum illum explicaturos: & ita cessat omnis difficultas.

12 *Respondeo ad Secundum*, Qui absolutus est cum onere solùm comparendi modo iam explicato, potest communicare & celebrare quoties occasio feret, etiamsi Superiori nondum se stiterit; quia reuerà directè est absolutus. At verò cùm quis absolutus est indirectè tantùm, eò quòd casus esset reseruatus per iurisdictionis subtractionem, maior est difficultas. Ac primùm, quando casus est sic reseruatus, sentio non posse pœnitentem absolui ab inferiore, nisi causa aliqua grauis subsit; vt si absque periculo infamiæ, vel notâ & suspicione criminis alicuius nō posset tunc abstinere à communione vel confessione; vt benè probat Suares disput. 31. sect. 3. Postquam tamen sic absolutus est, & expectat commoditatem adeundi Superiorem vt directè absoluatur à reseruatis; non requiritur tanta causa vt celebret, vel communicet. An autem sola deuotio sufficiat, dubitari potest. Probabile sentio sufficere; quia probabile est præceptum de præmittenda confessione non esse diuinum, sed solùm Apostolicum, nec tanto rigore accipiendū. Deinde ille confessionem præmisit qualem potuit, & absolutionem obtinuit.

Absolutio à reseruatis.

CASVS V.

Gregorius XIII. petente Philippo II. tempore Ducis Parmensis cùm ciuitates Belgij reducerentur ad obedientiam Regis, concessit Episcopis, vt facta huiusmodi reductione, possint absoluere subditos participes rebellionis à quibus suis criminibus etiā Sedi Apostolicæ in Bulla Cœnæ Domini reseruatis.

QVAERITVR Primò, *Vtrum vi huius priuilegij possint absoluere subditos suos participes illorum tumultuum & rebellionis, qui tamen non sunt subditi ipsius Regis, sed alterius Principis. Contingit enim Episcopum Belgicum habere iurisdictionem spiritualē extra Belgium, v. g. in locis Regi Galliæ, vel Principi Leodiensi subiectis; sicut patet in Archiepiscopo Cameracensi, cui subest Lobium in ditione Leodiensi, & multi pagi in Gallia.*

13 RES vtrimque videtur satis ambigua. Probabiliorem tamē iudico partem affirmantem. Quia nō videtur consentaneum Episcopis Belgij concedi potestatem absoluendi ex suis subditis eos qui grauius longè peccauerunt, vtpote rebelles suo legitimo Principi, & reos læsæ maiestatis; non autem eos, qui in eodem opere leuiùs peccauerunt; in quibus cooperatio ad bellum nec erat rebellio, nec crimē læsæ maiestatis, sed solùm bellum iniustum. Qui enim Regi non erant subditi, non fuerunt rebelles, nec crimen periurij, felonniæ aut læsæ maiestatis commiserunt, etiamsi rebellibus se coniunxerint, ijsque militauerint. Itaque censendum est, Pontificem fecisse potestatem indifferenter absoluendi omnes subditos culpabiles, nulla facta exceptione. Nec obstat quòd Rex Philippus de his non cogitauerit, nec pro his petierit; sed solùm pro subditis suis, vt illis consuleret. Primò, Quia etsi ipse non petierit expressè, Pontificis tamē erat generatim cōcedere pro omnibus subditis Episcoporum, ob rationem dictā. Deinde, quia si Rex rogatus fuisset, valdè credibile est quòd noluisset tales ab hoc beneficio excludi. Intendebat enim omnes allicere ad obedientiā & pacem. Denique, Principes suorum Episcoporum subditos non omnino reputant vt extraneos, etsi alteri Principi in temporalibus subsint. Hanc sententiam, cùm valdè probabilis sit, iudico securam in praxi. Idem censet P. Ægidius de Koninck.

QVÆRITVR Secundò, *Vtrùm illud priuilegium absoluendi, solùm pertineat ad ea oppida, & eos subditos qui rebelles suo Principi fuerunt, vel rebellibus iuncti?*

RESpondeo, Existimo illud priuilegium absoluendi solùm pertinere ad ea oppida, & eos subditos qui rebelles suo Principi fuerunt, vel rebellibus iuncti; non autem ad ea, quæ semper in obedientia perstiterunt. Finis enim petitionis Regiæ in his cessat, qui erat facilior reconciliatio cum Deo & suo Principe. Hoc dico, spectato eo scripto, quod ego legi. P. Ægidius tamē asserit sibi exhibitū aliud scriptū ab Archiepiscopo Cameracē si Vander Burch cū adhuc ageret Mechlinię, quo omnino videbatur concedi hæc potestas pro omnibus subditis, absque limitatione ad ciuitates reductas: cui hac in re credi potest. 14

CASVS VI.

Absolutio à reseruatis.

Vtrum reseruatio casuum possit tolli extra confessionem Sacramentalem?

RESpondeo, Habens potestatem delegatam, non potest absoluere à reseruatione casuum extra confessionem sacramentalem: id enim solus Superior potest qui casum reseruauit, & eius successor, & Superior. Si tamen reseruatio esset solùm ratione censuræ, vt in casibus Pontificijs, is qui potest tollere censuram, potest tollere reseruationem. Sed Confessarius habens solùm potestatem delegatam, non potest tollere censuras Pontificias extra confessionem sacramentalem. 15

CASVS VII.

Absolutio à reseruatis Papæ.

Vtrum crimen sit reseruatum, quod habet annexam excommunicationem Papalem?

RESpondeo, Crimen habens annexā excommunicationem Papalem (si excommunicatio illa, seu lex pœnalis, qua excommunicatio infligitur, nullo modo est recepta quo ad pœnam) non manet reseruatum: cùm reseruatio Papalis non constet nisi ratione censuræ, vt communiter Doctores tradunt: adeoque de eo absolutio dari potest, tanquam de non reseruato. 16

Absolutio à Cēsuris.

CASVS VIII.

Vtrùm Mendicantes qui habent potestatem absoluendi à Censuris in foro conscientiæ, possint id facere extra Sacramentū Pœnitentiæ?

Item, *An absolutus ab excommunicatione in foro interno, possit se exteriùs gerere tamquam non excommunicatum?*

17 REspondeo ad primum: Potestas absoluendi à censuris nō est ita Mendicantibus religiosis concessa, vt non possint ea interdum vti extra Sacramentum Pœnitentię. Neque enim absoluere in foro interiori, idem est quod absoluere in foro Pœnitentię; sed absoluere ita vt non habeat necessariò vim in foro externo si lis moueatur: vt docet Emanuel Sà, & multi recētiores apud Henriq. lib. de Indulg. cap. 13. nu. 2. vt Victoria, Penna, Barthol. Medina, & alij.

Forum interius & forum Pœnitentiæ quomodo differant.

18 Respondeo ad secundum, Qui absolutus est in foro interno (nisi fuerit nominatim denuntiatus) non tenetur se foris gerere tanquam excommunicatum, præsertim si constet illum sic absolutum. Neque id in Belgio tantùm locum habet, ob consuetudinem præscriptam, sed etiam in Italia & Hispania. Vbique enim possunt Religiosi Mendicantes absoluere etiam publicè excommunicatos à Iure vel ab homine generatim, modò denuntiati non sint nominatim. Et hoc illis valet ad publicè versandum cum hominibus, & ad diuina officia & Sacramenta frequentanda. Absolutio enim in foro interiori valet ad omnia, præterquā quando lis mouetur in iudicio. Tunc enim Iudex secundùm Iuris rigorem posset nō habere rationem huius absolutionis, eumque condemnare: tamen secundùm æquitatem deberet hęc absolutio etiam ibi valere; vt docet Henriq. c. 27. de Excommunicatione, & de Indulgent. c. 13. vbi citat alios.

Ita celebrans non potest condemnari, vt irregularis.

19 Non tamen existimo eum qui post absolutionē in foro interiori factam celebrauit, posse iure tanquam irregularem condemnari: quia hæc irregularitas non contrahitur sine culpa letali, quæ hīc præsumi non potest.

Absolutio à censuris.

CASVS IX.

Sixtus IV. Pontifex concessit cuidam Abbati priuilegium absoluendi Monachos sibi subditos ab omnibus censuris.

QVÆRITVR, *Quinā hoc priuilegio gaudeant? seu, Ad quos priuilegium illud se extendat?*

20 REspondeo Primò, Ex priuilegio Sixti IV. Abbas ille potest absoluere Priorem, & omnes ac singulos Monachos sibi subiectos, ab omnibus censuris etiam Sedi Apostolicæ reseruatis. Et dispensare in omni irregularitate, præter eam quæ ex homicidio voluntario; ita vt etiam ad sacros Ordines promoueri possint, & in susceptis ministrare.

Absente vel non existente Abbate, hæc potestas deuoluitur ad Priorem.

Si Abbatē contingeret in censurā vel irregularitatē incidere, potest absolui & restitui à Priore.

Hæc absolutio & dispēsatio solùm valet in foro conscientię: vnde in foro externo, si fortè causa ad illud forum deuolueretur, non prodesset.

Nomine *Monachorum* intelliguntur Monachi vel coniunctim, vel seorsim: nomine *Personarum* singuli seorsim.

Hoc priuilegium etiam ad Nouitios extendendum: quia sunt participes priuilegiorum religionis, sicut religiosi: si tamen casus ante Nouitiatum non est commissus. Tunc enim credibile est non posse vi huius priuilegij absolui, quia nōdum Abbati suberant, sed Episcopo: & priuilegiū expressè agit de religiosis sub Abbate degentibus.

Respondeo Secundò, Hæc potestas cùm sit annexa officio Abbatis, est ordinaria, ac proinde potest delegari. Simili modo Prior absente vel non existente Abbate, potest eam delegare. 21

Absente Abbate & Priore, hæc potestas deuoluitur ad eum qui in locum eorum in gubernando monasterio succedit, siue is secundus Prior sit, siue tertius, siue alius; modò cum verā iurisdictione in absentiā vel defectu aliorum præsit. Ac proinde hic quoque subdelegare ad factum aliquod particulare poterit.

Absolutio per delegationem.

CASVS X.

Ad caput 6. sess. 24. Concilij Tridentini quod sic habet: *Liceat Episcopis in Irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, exceptā eā, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum cōtentiosum, dispensare; & in quibuscumque casibus occultis, etiā Sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in diœcesi suā per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absoluere, impositā pœnitētiā salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm, non eorum Vicarijs, sit permissum.*

QVÆRITVR Primò, *An Episcopus possit delegare ad omnia quæ hoc Capite cōtinentur? Et quis hic per Vicarium intelligatur?*

REspondeo, Episcopus potest quemuis idoneū delegare ad ea quæ ipsi hoc c. 6. sess. 24. conceduntur, excepta absolutione ab hæresi. Quia datur ei potestas ordinaria; quæ semper delegari potest, nisi expressè prohibeatur, sicut prohibetur in absolutione hæreseos. Idem satis patet ex ipsis Concilij verbis, dum ait, *Per seipsum, aut Vicariū ad id specialiter deputandum*: vbi tamen non excluditur Vicarius Generalis, nec Pœnitentiarius; vt Congregatio Cardinalium respondit. 22

QVÆRITVR Secundo, *An eandem potestatē delegandi habeat Capitulum Sede Vacante?*

REspondeo, Eandem potestatem Sede vacante habet Capitulum. Vnde similiter potest Vicarium specialē deputare: quia succedit Episcopo in omnibus quæ sunt iurisdictionis ordinarię, exceptis casibus in Iure expressis; vt docet Nauarrus l. 1. Consil. p. 50. nusquam autem hi casus in Iure excipiuntur. 23

QVÆRITVR Tertiò, *Quam delegandi potestatem habeat Episcopi Vicarius?*

REspondeo Primò, Vicarius temporalis delegare non potest, quia potestatem ordinariam non habet, sed solùm delegatam; atqui delegatus non potest subdelegare. 24

Respondeo Secundò, Vicarius perpetuus delegare potest; quia ordinariam potestatem habet. Vide Siluestrum Verbo *Vicarius*, qu. 5.

Cæterum

portio, quæ hîc facilè seruari potest si Magistratus curent vt sumptu publico sufficiens pabulum aduehatur modico pretio; sicuti à prouido Principe & Republicâ benè ordinatâ fieri & ordinari debet.

11 Dices, Ex consuetudine videtur hoc esse onus prædiorum, quando bellum geritur pro bono Prouinciæ. Quæ consuetudo non videtur contra rationem; nam damnum potissimùm in diuites redundat, quorum sunt ea prædia, respectu quorum non est enorme ordinariè. Et meritò videntur hoc onus posse ferre, cùm ex prædijs magna quoque emolumenta alijs omnibus temporibus accipiant. Quod confirmatur, Quia ea vectigalia censentur iustissima quæ imponuntur rebus pretiosis, quibus diuites potissimùm vtuntur; vt ipsi soli, quibus facilè est perferre, sentiant hinc detrimenta.

Respondeo, Propter hanc rationem non ausim condemnare hanc sententiam, modò constet Principem fecisse potestatem liberè vbiuis accipiendi sine compensatione; vel talis sit consuetudo legitimè præscripta, & ab omnibus passim vsurpata; vel sit recepta iam olim consuetudo Principe permittente: & si qui pauperes graue damnum percipiant, eis fiat, re cognitâ, compensatio.

An autem Princeps hanc potestatem fecerit, est quæstio facti. Certè non videtur fecisse, dum permittit Magistratibus vti potestate ordinariâ in huiusmodi pabulatores. Et consuetudo quoque talis nō videtur esse, præsertim apud probos: quia domino præsente non acciperent absque compensatione; cur ergo absenti adimant?

BENEFICIVM.

Institutio beneficiati.

CASVS I.

An semper ius instituendi & electio eius qui instituendus est pertineat ad Episcopum?

1 QVòd Archidiaconus sua auctoritate nō habeat ius instituendi, sed solùm ex Episcopi mandato, expressè definitū est ab Alexandro III. Cap. *Cùm solis*, de Officio Archidiaconi. Vnde manifestum est cùm Archidiaconus instituit aliquem in cura animarum, id eum non facere posse nisi Episcopi auctoritate; & ipsum Episcopū censeri illam institutionem facere, quia facit per Archidiaconum, tanquam per suum instrumentum. Itaque ius instituendi per se & propriè tunc residet in Episcopo, & ad eum pertinet qui iure proprio potest illum actum institutionis facere, sicut potest committere.

2 Ex quibus vlteriùs manifestè sequi videtur, electionem instituendi, quando patronatus est Ecclesiasticus, pertinere ad patronum, non ad Episcopum, iuxta Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 18. Quia institutio in casu proposito ad nullum alium proprio iure pertinet, quàm ad Episcopum. Episcopus enim illa commissione factâ Archidiacono, non facit vt ius instituendi ad aliū, quàm ad seipsum pertineat; aut *vt institutio ab alio, quam ab Episcopo facienda sit*, vt Concilium requirit; quæ verba benè notanda sunt, quia apertè requirunt vt ad alium proprio iure pertineat, sic vt Episcopus eam facere per se non possit. Accedit quòd alioquin Episcopus semper posset sibi reseruare electionem instituendi, & sic eludere ius patronorum, contra apertam Concilij dispositionē.

CASVS II.

Denominatio ad Beneficiū ex priuilegio Vniuersitatis.

Titius ex denominatione Vniuersitatis N. cuius Priuilegium requirit vt nominandus tempore vacationis beneficij habeat legitimam ætatem, accepit beneficium quod requirebat vt denominandus esset Sacerdos, cùm Titius tunc solùm egerit annū vigesimum tertium.

QVÆRITVR, *An Titius fuerit capax denominationis ad illud beneficium?*

1 RESpondeo breuiter; Cùm ipsa Bulla Priuilegij Vniuersitatis expressè requirat, vt nominandus tempore vacationis beneficij ætatem legitimam attingat, quam beneficium tale requirit, & solùm concedat dilationem Ordinis illi annexi; non videtur dubitandum quin Titius fuerit incapax denominationis; quia tempore vacationis ætatem legitimam, quam beneficium postulabat, nō attingebat: Beneficium enim ex suâ fundatione requirebat vt denominandus iam esset ad Presbyterium promotus: ac proinde iure communi postulabat ætatem 25. annorum saltem inchoatorum: at denominatus solùm agebat annum 23.

2 Secùs fortè esset si nullam ætatis mentionem fecisset. Nam cùm ipsum beneficiū non postulet illā ætatem nisi ratione Ordinis, adeò vt si adsit Ordo ante illam ætatem (vt si quis esset factus Sacerdos anno 22. ætatis) etiam adsit capacitas denominationis; hoc ipso quo dispēsatur circa Ordinem, etiam dispensatum censetur circa ætatem. Accessorium enim sequitur suū principale, & sublato fine tollitur ratio mediorum. Hoc tamen in nostro casu locum non habet, quia expressè talis ætas requiritur. Vnde non se habet per modum accessorij.

CASVS III.

Beneficiū collatum ab Episcopo solùm confirmato.

Postquam Episcopus sedi Apostolicæ præsentatus, ab eadem confirmatus est, vacat beneficium; ille hoc Titio confert ante captam possessionem sui Episcopatus.

QVÆRITVR, *An collatio illa per Regulas Cancellariæ Romanæ reddatur inualida?*

1 RESpondeo, Probabile est Regulas Cancellariæ Romanæ non obligare in externis prouincijs, nisi sint ibidem promulgatæ & receptæ. Primò, Quia id est probabile de alijs constitutionibus Pontificis & Conciliorum: cur non etiam de Regulis Cancellariæ. Antecedens docet Angelus V. *Lex*, n. 13. Sotus l. 1. de Iustitia, q. 1. a. 4. Caietanus & Barth. Medina 1. 2. q. 90. alijque recentiores non pauci.

Regulæ illæ an obligent alias Prouincias.

Secundò, Quia istæ regulæ potiùs pertinent ad Iudices Cancellariæ & Rotæ, vt secundùm eas Romæ causas beneficiarias decidant, quàm ad totius orbis beneficiarios, ac proinde nō obligant eos ante sententiam Romæ latam. Quod Confirmatur, Quia ante Ioannem XXII. nullæ erant Regulæ scriptæ secundùm quas iudicaretur, sed solùm consuetudo & praxis, teste Ludouico Gomez. in Regulas Cancellariæ, in principio: quod signum est eas non pertinuisse ad alias Prouincias. Quod ipsum etiam nomen Regulæ indicat. Dicuntur enim Regulæ Cancellariæ, quòd secundū

Ceterum ad vitandos scrupulos, nisi constet de contrario, præsumendum est similes Vicarios legitimè facere quæ faciunt. Solent enim Episcopi dare varias commissiones suis Vicarijs, quæ essent inspiciendæ.

Absolutio delegata excommunicato.

CASVS XI.

Titius inculpatè ignorat suam excommunicationem. Delegatur ipsi potestas audiendi confessiones.

QVÆRITVR, *An hæc delegatio sit valida?*

25 REspondeo, Valdè probabile est quando quis ignorat suam excommunicationē inculpatè, validè ipsi delegari potestatem audiendi confessiones; ita vt eâ licitè vti possit post absolutionem absque noua delegatione. Idem multò magis dicendum est de facultate legendi libros prohibitos tali excommunicato collata. Certissimum autē est actus eius qui sic accepit iurisdictionē, esse validos.

BAPTISMVS.

Baptismus ab hæretico collatus.

CASVS I.

An liceat Infantem deferre ad Ministrum hæreticum, vt ab eo baptizetur?
Vel adstare instar Patrini?
Vel interesse causâ honoris?
Vel dare nomen inscribendum Ministro?
Vel suscipere infantem per interpositam personam?
Vel in illo Baptismo admittere nomen Patrini?
Vel dare munusculum seu eleëmosynam?

1 REspondeo, Non videtur quidquam istorum permittendum. Quia sunt actus Religionis, quibus tacitè secundùm vsum populi Christiani profitētur illos esse legitimos Ecclesię Ministros. Confirmatur, Quia ideò præcipitur, vt adeāt Ministrum, & ab illo petant baptismum, vt hac ratione profiteantur illum esse verum Ministrum Ecclesiæ: ergo non est licitum parere. Sicut enim nō licet parere dum aliquid præcipitur in odium religionis verę, ita neque dum præcipitur aliquid in confirmationem & professionem religionis falsæ.

2 Vnde primò, Nefas est suis manibus infantem Ministro offerre.

Secundò, Adstare instar Patrini; nam & hic approbat suo facto & honorat illud Ministerium. Sed dices; Honorat baptismum, non officium Ministri. Respondeo, Imò vtrumque suo facto honorat. Non enim aditur Minister ob extremā necessitatem, sicut laicus: sed tanquam ordinarius & publicus Minister populi. Accedit, quòd Patrinus illi cooperetur, infantem tenendo, & supponendo actioni Ministri.

Tertiò, Interesse causa honoris. Nimirū si adstas, vt alij, externo habitu & gestu honorem habens illi actioni. Secùs si comiteris causâ honorandi infantem vel parentes, & baptismo non interfis: vel certè nō vt alij specie venerationis. Nec refert quòd rogati in genere à Ministro, an fateātur hanc esse sinceram doctrinā de baptismo, aliqui ex istis nihil respondeāt: quia suo facto, & honore exhibito id videntur fateri, & silentio illo id quodammodo confirmare: saltem alijs videri possunt confirmare, & ita res non caret scandalo.

Quartò, Dare nomen inscribendum Ministro: hoc enim est consentire in cooperationem cum Ministro ad baptismum, etiamsi exteriùs illa cooperatio non sequatur.

Quintò, Suscipere per interpositam personam: nimirū si intendat esse susceptor in tali baptismo; hoc enim est in illum baptismum consentire.

Sextò, Admittere Nomen Patrini: intellige in illo baptismo. Secùs si in genere, non intendendo esse Patrinus in tali baptismo.

Septimò, In dando munusculo seu eleëmosyna non est difficultas, modò non detur Ministro, sed infanti: est enim munus honorarium & politicum dari consuetum, non eleëmosyna propriè.

CASVS II.

Rebaptizatio.

Vtrùm Infans quē alter parentum vult à Ministro post aliquot menses baptizari, possit ante à Catholico Sacerdote ritè baptizari?

3 REspondeo, Expedire vt talis infans ante à Catholico Sacerdote ritu Ecclesiæ baptizetur. Alter enim parens ius habet vt sic curet baptizari. Nec refert quòd secundò baptizabitur iussu alterius; quia ad hoc alter permissiuè se habet.

CASVS III.

Instructio ad baptismum.

An valdè rudes ante plenam instructionem nō possint baptizari, si periculum sit ne fortè non redeant; posito quod aliquis fideiubeat pro illis, quòd curabit eos plenius instrui?

4 REspondeo, Si norunt ea quæ necessaria sunt ad iustificationem, & doleant de peccatis cum proposito emendationis; possunt eo casu baptizari. Sed oneranda conscientia fideiussoris vt præstet quod promisit.

BELLVM.

CASVS I.

Fraus ex numero militum.

Commissarius, Capitaneo id petente, annotauit plures milites, quam re vera sub signo erant: hinc plus Capitaneo solutum, quàm ipsi debebatur.

QVÆRITVR, *Vtrùm Capitaneus, an verò Cō-missarius Regi restituere debeat?*

1 REspondeo, Commissarij obligationem pendere ab obligatione Capitanei, cui pecunia numerata: non enim tenetur nisi secundariò, & in subsidium seu defectum ipsius.

Capitaneus autem duplici ex capite excusari potest: Vel quia stipendia ordinaria, iudicio bonorum & intelligentium, non sufficiunt (quod tamen non facilè credendum, cùm apud hostem sufficiant minora:) & tunc posset ex furto illo supplere ad eam summam, quę iudicaretur æqua; reliquo, quod superat, restituto. Vel quia illa vtiliter in negotium Regis expendit, v.g. ad iuuandos milites, qui defectu solutionis vel perirent miserijs, vel fugerent, vel seditionem mouerent: Tunc enim, quia negotium sui Principis vtiliter gessit, non tenetur; vt colligitur ex l. 2. ff. *De negotijs gestis*; & ratio naturalis dictat. Aliud caput excusationis esse posset, si Capitaneus remitteret Regi tantumdem ex ijs quæ nomine iusti stipendij ipsi debentur.

2 Si nihil horum ex parte rei interueniat, Commissarius tenetur de suo non solùm ad id, quod primò solutum est; sed etiam ad id, quod posteà solutum est ex vi falsæ scripturę, cuius ipse auctor extitit.

CASVS II.

Militare stipendium.

Princeps assignat Militi stipendium decem aureorum in singulos menses: Capitaneus qui militem conscribit, paciscitur cum singulis de nouem aureis, quia loco commodo sunt dispositi.

QVÆRITVR, *An possit decimum illum aureũ sibi reseruare?*

3 *Si militũ est, restituatur militi.*

REspondeo, Decimum illum aureum esse vel Principis, vel militis. Est militis, si Princeps tanti taxauit menstruum obsequium. Sicut enim reliquis rebus potest pretium legitimum imponere, ita etiam obsequio militum & famulorũ: & eo casu debitum est militi. Hoc modo videtur Princeps hic facere. Nam non datur Capitaneo auctoritas vt pactũ ineat, sed vt militem conscribat, cui non ipse, sed Princeps per alium ministrũ satisfacit. Accedit, quòd Princeps in singula capita præparet decem aureos, eosq; accipit Commissarius vel Capitaneus distribuẽdos in milites. Sicut ergo Oeconomus iniquè ageret, si pecuniam vel partem pecuniæ quam accepit ad soluendum operarijs, sibi retineret: ita etiam Capitaneus vel Commissarius retinens sibi decimum illum aureũ. Prætereà militibus fit iniuria; nam non datur illis pretium legitimum sui obsequij.

4 *Si Principis, (quod verius) restituatur Principi.*

Est Principis illa pecunia, si Princeps non assignauit veluti pretium legitimum obsequij, sed tanquam id, quod dari possit: relictâ tamen libertate paciscendi minoris, si occasio se offerat ex loci vel vrbis opportunitate: tunc enim si Capitaneus paciscatur minoris, id quod supereſt, pertinet ad Principem. Sicut si dominus det Oeconomo pecuniam vt operarios conducat, & ille conducat minoris quàm dominus putabat conducendos, id quod supereſt, ad dominum pertinet. Valdè credibile est Principẽ hoc modo assignare stipendium, præsertim pro militibus qui in locis commodis militant, vbi aliæ quæstûs occasiones se offerunt. Quia credibile est illum velle vt quâ vtilissimo modo omnia administrentur. Et sanè, tali loco melius est habere nouem aureos, quàm alibi decem. Deinde, si Princeps sciret magnam summam tali modo retentam, eam sibi vsurparet tanquam suam, nec agnosceret esse militis, cùm militi rationabiliter sit satisfactum.

CASVS III.

Militare stipendium.

Vtrùm Capitanei possint aliquo artificio aliquid amplius accipere à Principe, quando stipendia non sufficiunt?

1 *Officialibus & militibus debetur moderata sustentatio.*

REspondeo, Olim fuisse assignata stipendia, quæ illis temporibus sufficiebant ad officiũ militare decorè præstandum; quæ posteà, vbi pecunia facta est vilior, & res cariores, non sunt aucta iustâ proportione. Officia tamen militaria merentur sustentationem moderatam, quodque in suo ordine. Nam si quis benè ea obire velit, non suppetunt ei rationes & tempus aliter lucrandi. Itaque putarem Capitaneis & singulis militibus tantum deberi, quantum præcisè necessarium est ad sustentationem moderatam, & ad officium illud decorè præstandum. Quòd autem non tantũ eis assignetur, in causſa est, quia Principes norunt si amplius detur, fore augendum luxum; nam non ideò à fraudibus plerique abstinebunt: & tandẽ stipendia fore tam magna vt non possint satisfacere. Quia tamen norũt id quod datur sufficere, & ferè omnes varijs artibus fraudare, videntur tacitè consentire & permittere, vt ita fiat. Vnde Princeps Parmensis aliquando respondit Societatis IESV Patribus regia castra sequentibus, non esse faciendum scrupulum Capitaneis, ob quinque vel sex *pagas muertas*, vt vocant.

6 *Princeps videtur tacitè consentire, vt fiant fraudes.*

CASVS IV.

Pabulatio.

Vtrùm Militibus, ceterisque stipendiarijs iusta castra sequentibus licita sit Pabulatio?

DIco Primò, Pabulatio est licita in locis hostium stipendiarijs omnibus iusta castra sequentibus, sicut & alijs militibus; quia cùm seruiant Principi in exercitu, iure militum vtuntur in omnibus illis, in quibus ipsorum & militum eadem est ratio, qualis est Pabulatio.

7 *In terra hostili.*

Dico Secundò, Pabulatio non videtur licita in locis amicorum subditorum Principi, si satis pabuli ad castra aduehatur, & possis tibi comparare etsi magno pretio: sicut patet de carne, pane, & alijs esculentis & poculentis. Quia nec auctoritas Principis, nec naturæ ius suffragatur: qui duo tituli soli videtur posse tribuere potestatem in vindicandâ re alienâ.

In locis amicorum subditorum.

Dico Tertiò, Si pabulum non aduehatur, nec possis comparare per inopiam, videtur licita pabulatio: quia est extrema vel grauis necessitas: quo casu pabula debent censeri communia.

8 *In necessitate.*

In hoc tamen casu si quis enormiter lædatur, facienda ei videtur compensatio ab ijs qui habẽt: sicut passim DD. docent de rebus magni pretij acceptis in extremâ necessitate. Si enim quando domini sunt præsentes, non audent accipere ijs inuitis, & soluunt; cur non etiam teneantur absentibus?

Tunc tamẽ facienda compensatio.

Nec obstat quòd quando paucæ turmæ alicubi considunt, fiat distributio per pagos & loca quæ pabula suppeditent; ac proinde cùm hoc in exercitu iuncto fieri nequeat, videatur Princeps permittere liberam pabulationem. Primò, Quia ideò fortè non assignantur singulis turmis sua loca, quòd tunc pabula aduehantur ad castra, sicut annona. Deinde, Quia etiamsi Princeps permitteret liberam pabulationem ob necessitatem; tamen non censetur dare auctoritatẽ lædendi enormiter absque compensatione, sed proportione quadam: nam Princeps in oneribus subditorum tenetur seruare iustitiam distributiuam, quantum fieri potest. Quòd si aliqui excedant modum, est præter voluntatem Principis; vnde cẽsetur id relinquere conscientijs ipsorum, iuxta naturę leges; vt in multis alijs necesse est.

9

Similiter non obstat quòd Prouincia, pro qua bellum geritur, debeat iuuare subsidijs quantum opus est ad belli finem: quia hoc non tribuit militi potestatem grauandi enormiter hunc prę illo: imò nec Principi, nec Magistratibus patriæ: quia in oneribus debet seruari iustitię distributiuę proportio,

10

portio, quæ hîc facilè seruari potest si Magistratus curent vt sumptu publico sufficiens pabulum aduehatur modico pretio; sicuti à prouido Principe & Republicâ benè ordinatâ fieri & ordinari debet.

11 Dices, Ex consuetudine videtur hoc esse onus prædiorum, quando bellum geritur pro bono Prouinciæ. Quæ consuetudo non videtur contra rationem; nam damnum potissimùm in diuites redundat, quorum sunt ea prædia, respectu quorum non est enorme ordinariè. Et meritò videntur hoc onus posse ferre, cùm ex prædijs magna quoque emolumenta alijs omnibus temporibus accipiant. Quod confirmatur, Quia ea vectigalia censentur iustissima quæ imponuntur rebus pretiosis, quibus diuites potissimùm vtuntur; vt ipsi soli, quibus facilè est perferre, sentiant hinc detrimenta.

Respondeo, Propter hanc rationem non ausim condemnare hanc sententiam, modò constet Principem fecisse potestatem liberè vbiuis accipiendi sine compensatione; vel talis sit consuetudo legitimè præscripta, & ab omnibus passim vsurpata; vel sit recepta iam olim consuetudo Principe permittente: & si qui pauperes graue damnum percipiant, eis fiat, re cognitâ, compensatio.

An autem Princeps hanc potestatem fecerit, est quæstio facti. Certè non videtur fecisse, dum permittit Magistratibus vti potestate ordinariâ in huiusmodi pabulatores. Et consuetudo quoque talis nō videtur esse, præsertim apud probos: quia domino præsente non acciperent absque compensatione; cur ergo absenti adimant?

BENEFICIVM.

Institutio beneficiati.

CASVS I.

An semper ius instituendi & electio eius qui instituendus est pertineat ad Episcopum?

1 QVòd Archidiaconus sua auctoritate nō habeat ius instituendi, sed solùm ex Episcopi mandato, expressè definitū est ab Alexandro III. Cap. *Cùm solis*, de Officio Archidiaconi. Vnde manifestum est cùm Archidiaconus instituit aliquem in cura animarum, id eum non facere posse nisi Episcopi auctoritate; & ipsum Episcopū censeri illam institutionem facere, quia facit per Archidiaconum, tanquam per suum instrumentum. Itaque ius instituendi per se & propriè tunc residet in Episcopo, & ad eum pertinet qui iure proprio potest illum actum institutionis facere, sicut potest committere.

2 Ex quibus vlteriùs manifestè sequi videtur, electionem instituendi, quando patronatus est Ecclesiasticus, pertinere ad patronum, non ad Episcopum, iuxta Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 18. Quia institutio in casu proposito ad nullum alium proprio iure pertinet, quàm ad Episcopum. Episcopus enim illa commissione factâ Archidiacono, non facit vt ius instituendi ad aliū, quàm ad seipsum pertineat; aut *vt institutio ab alio, quam ab Episcopo facienda sit*, vt Concilium requirit; quæ verba benè notanda sunt, quia apertè requirunt vt ad alium proprio iure pertineat, sic vt Episcopus eam facere per se non possit. Accedit quòd alioquin Episcopus semper posset sibi reseruare electionem instituendi, & sic eludere ius patronorum, contra apertam Concilij dispositionē.

CASVS II.

Denominatio ad Beneficiū ex priuilegio Vniuersitatis.

Titius ex denominatione Vniuersitatis N. cuius Priuilegium requirit vt nominandus tempore vacationis beneficij habeat legitimam ætatem, accepit beneficium quod requirebat vt denominandus esset Sacerdos, cùm Titius tunc solùm egerit annū vigesimum tertium.

QVÆRITVR, *An Titius fuerit capax denominationis ad illud beneficium?*

1 RESpondeo breuiter; Cùm ipsa Bulla Priuilegij Vniuersitatis expressè requirat, vt nominandus tempore vacationis beneficij ætatem legitimam attingat, quam beneficium tale requirit, & solùm concedat dilationem Ordinis illi annexi; non videtur dubitandum quin Titius fuerit incapax denominationis; quia tempore vacationis ætatem legitimam, quam beneficium postulabat, nō attingebat: Beneficium enim ex suâ fundatione requirebat vt denominandus iam esset ad Presbyterium promotus: ac proinde iure communi postulabat ætatem 25. annorum saltem inchoatorum: at denominatus solùm agebat annum 23.

2 Secùs fortè esset si nullam ætatis mentionem fecisset. Nam cùm ipsum beneficiū non postulet illā ætatem nisi ratione Ordinis, adeò vt si adsit Ordo ante illam ætatem (vt si quis esset factus Sacerdos anno 22. ætatis) etiam adsit capacitas denominationis; hoc ipso quo dispēsatur circa Ordinem, etiam dispensatum censetur circa ætatem. Accessorium enim sequitur suū principale, & sublato fine tollitur ratio mediorum. Hoc tamen in nostro casu locum non habet, quia expressè talis ætas requiritur. Vnde non se habet per modum accessorij.

CASVS III.

Beneficiū collatum ab Episcopo solùm confirmato.

Postquam Episcopus sedi Apostolicæ præsentatus, ab eadem confirmatus est, vacat beneficium; ille hoc Titio confert ante captam possessionem sui Episcopatus.

QVÆRITVR, *An collatio illa per Regulas Cancellariæ Romanæ reddatur inualida?*

1 RESpondeo, Probabile est Regulas Cancellariæ Romanæ non obligare in externis prouincijs, nisi sint ibidem promulgatæ & receptæ. Primò, Quia id est probabile de alijs constitutionibus Pontificis & Conciliorum: cur non etiam de Regulis Cancellariæ. Antecedens docet Angelus V. *Lex*, n. 13. Sotus l. 1. de Iustitia, q. 1. a. 4. Caietanus & Barth. Medina 1. 2. q. 90. alijque recentiores non pauci.

Regulæ illæ an obligent alias Prouincias.

Secundò, Quia istæ regulæ potiùs pertinent ad Iudices Cancellariæ & Rotæ, vt secundùm eas Romæ causas beneficiarias decidant, quàm ad totius orbis beneficiarios, ac proinde nō obligant eos ante sententiam Romæ latam. Quod Confirmatur, Quia ante Ioannem XXII. nullæ erant Regulæ scriptæ secundùm quas iudicaretur, sed solùm consuetudo & praxis, teste Ludouico Gomez. in Regulas Cancellariæ, in principio: quod signum est eas non pertinuisse ad alias Prouincias. Quod ipsum etiam nomen Regulæ indicat. Dicuntur enim Regulæ Cancellariæ, quòd secundū

eas Cancellaria Romana dirigi debeat. Quare nō videntur alios Iudices Ecclesiasticos in conscientia obligare.

Tertiò, Si istæ regulæ obligant in foro conscientiæ, deberent vbique extare, & curandum esset, vt in omnium Ecclesiarum & Capitulorū deuenirent notitiam, quod non fit. Item quando aliquæ vel reuocantur, vel per non vsum obsolescunt, deberet idipsum omnibus innotescere.

6 Quartò, Leges reuocatorię priuilegiorū, iuxta communem sententiam, non obligant ante promulgationem in diœcesi, vt docet Sotus loco citato; idque ob incommoda quæ possunt euenire, etiam tunc quando quis bona fide suis priuilegijs vteretur. Ergo multò minùs debet cenferi reuocata potestas conferendi talis beneficij (de quo hîc superiùs quæritur) vacantis post confirmationē Episcopi; quandoquidem illa potestas non ex priuilegio competeret Episcopo confirmato, sed iure communi: quod enim sic alicui competit, magis est proprium & intrinsecum, quàm id quod solùm ex priuilegio competit: præsertim cum graue incommodum inde euenire possit; vt si quis titulo talis beneficij sit promotus ad ordines, idque absque vlla culpa Collatoris, vel eius cui facta est collatio. Neque credibile est mentem suæ Sanctitatis esse, vt quando Episcopus bona fide tale beneficium contulit, quod ante captam possessionem, post confirmationem tamen suam vacauit, Collatarius teneatur in conscientia ante latam sententiam tale beneficium resignare: nimis enim id durum videtur, & non consentaneum humanitati Canonum.

Illa collatio non redditur inualida per hanc regulam Cancellariæ.

Collatarius non tenetur istud beneficium resignare ante sententiam.

Quintò, Omnes istæ reseruationes sunt odiosæ limitantes potestatē Episcoporum, quæ ipsis Iure cōmuni & ordinario ineſt, ac proinde sunt restringendæ, quantum commodè possunt. Quare cùm hæc reseruatio, de qua hîc agitur, ita possit intelligi, vt non intendat obligare in conscientia ante sententiam, quid est cur eam sic non restringamus?

7 Sextò, Si Pontifex voluisset in omni tali euentu Episcopi collationem esse nullam, addidisset clausulam irritantem: atqui hoc non fecit. Poterit ergo Episcopi collatio censeri valida donec irritetur.

Denique, Hæc regula hactenus fuit ignorata in Cameracensi Episcopatu, & per decem saltem annos & ampliùs non recepta. Atqui obligatio legis nouæ expirat, iuxtà Nauarrum & alios Doctores, si decem primis annis recepta non fuerit. Hæc & similia faciunt hanc sententiam probabilem.

CASVS IV.

Beneficium diuersis collatum à Papa & Episcopo.

Pontifex non obstante concessione facta Ordinario de beneficijs conferēdis, contulit Iulio beneficium, iam antè à Titio Episcopo loci Caio collatum.

QVÆRITVR I. *Vter dicendus sit verus beneficiarius?*

QVÆRITVR II. *Vtrum Caius se possit tueri beneficio Cap.* Cùm olim.

8 SVppono Sixtum V. & Clementem VIII. summos Pontifices potuisse non obstāte illâ concessione in erectione Episcopatûs factâ, validè illam reseruationem beneficicorum facere: quia secundùm communem sententiam, Papa in beneficialibus habet omnem potestatem. Vnde de iure vbique potest conferre concurrendo cum Ordinarijs, & ipsos Ordinarios præuenire, reseruando sibi huius vel illius collationem, vt omnes Canonistæ docent. Verùm si hæc regula Cancellariæ, seu lex quâ reseruatio ista facta est, decennio non fuit recepta, secundùm probabilem sententiā non obligat: de quâ vide Felinum in c. 1. n. 13. *De Treuga & Pace*, vbi multos adducit Doctores; & Couarruuiam l. 2. variarum, c. 16. n. 6. quem sequuntur multi recentiores.

Itaque cùm fuerit Titius in possessione conferendi; poterit Caius in conscientiā beneficium retinere. Imò poterit se etiam in foro externo tueri ex Cap. *Cum olim*, De causa possess. & Proprietatis. 9 *Caius in conscientia tuto possidet hoc beneficium.*

In foro tamen externo maxima erit difficultas; præsertim si decennium ab vltimâ reseruatione nondum effluxerit. Nec poterit se validè tueri per illud Cap. *Cùm olim*, & similia; quia præsumetur Titius malâ fide contuliſſe. Ignorantia enim Iuris non præsumitur, nec toleratur, maximè in Episcopo. Quare totum erit irritum in foro externo; quamuis in foro conscientiæ, si regula illa in Belgio non seruabatur à Collatoribus, probabile sit valere, etiam decennio non elapso. Vt Titius vtatur contra reseruationem Pontificiam auxilio Curiæ sæcularis, non possum vllo modo probare; cū multi Canones, & ipsa Bulla Cœnæ id apertè reprobent.

Itaque potiùs auctor sum vt Caius transigat cum Iulio optimo modo quo poterit: & quamuis non possit in pactum deducere se curaturum, vt Titius conferat Iulio primam dignitatem vacaturam; tamen Titius ad vitandas lites in suâ Ecclesiâ, poterit Iulio id liberaliter promittere, vt iure suo cedat. 10 *Quid in casu suadendum Caio.*

CASVS V.

Beneficiū collatum adultero.

Titio Presbytero adultero, & de adulterio infamato & punito, facta est collatio præbendæ Ecclesiasticæ.

QVÆRITVR, *An hæc collatio irritari possit & debeat?*

11 REspondeo, Non videtur dubitandum quin collatio facta criminoso, nempe Presbytero adultero, & de adulterio infamato, aut vehementissimè suspecto, irritari possit & debeat. Vt apertè colligitur ex Cap. *Inter dilectos*, de Excessibus Prælatorum. Quod non solùm de dignitatibus, sed omnibus beneficijs Ecclesiasticis Doctores intelligunt, vt patet ex ipso summario quod Capitulo præfixum est, & ex Panormitano in hoc Cap. n. 1. & 6. vbi dicit: *Notat Glossa, quòd aleator clericus indistinctè repellitur à beneficio obtinendo, cum collatio illi facta, sit nulla, si de hoc constabat, tanquam facta vili & indigno. Si non constabat, quia occultus, debet irritari.* Hoc ille. Vilibus enim & indignis nullum beneficium Ecclesiasticum patere debet. Si enim portæ dignitatum sæcularium non debent patere vilibus & indignis, vt Imperator ait l. 2. C. *de Dignitate:* multò minùs portæ beneficiorū Ecclesiasticorum, quæ maiorem requirunt probitatem & honestatem personarum, quàm dignitates seculares. Vnde Glos. in Reg. *Infamibus*, ait dignitatem largè sumi. *Vilibus & indignis nullum Ecclesiastic. cum beneficium patere debet,*

Imò

12 *Collatio ipso iure fuit irrita.*

Imò valdè probabile est illam collationē ipso iure fuisse irritā; vt hîc docet Panormitanus & in hanc sententiam exponit hoc Capitulum. Cui plerique Canonistæ consentiunt. Præsertim cùm hîc accedat infamia, quę sola sufficit. Neque enim punitio illa infamiam abstersit, sed potiùs confirmauit, & immobilem fecit. Quia condemnatus de huiusmodi crimine, ipso iure fit infamis, & cōsequenter beneficij incapax. Ita Panormitanus in Cap. *At si clerici*, de Iudicijs. Colligitur ex Regula *Infamibus*, de Reg. Iuris in 6. & Cap. *Inter dilectos*, suprà.

Beneficiū collatum à Patrono hæretico.

CASVS VI.

Accepit ab hæretico patrono beneficium Ecclesiasticum aliquis Catholicus.

QVÆRITVR I. *An illud retineri possit inscio Episcopo?*

QVÆRITVR II. *An Catholici emere possint ab hæreticis bona Ecclesiastica?*

QVÆRITVR III. *An emere ab illis possint beneficia Ecclesiastica?*

QVAERITVR IV. *Quomodo hæredes se gerere debeant circa Ecclesiastica bona ad ipsos deuoluta?*

13 AD *Primum*, Respondeo; Habens beneficium à Patronò hęretico sine legitimâ collatione ordinarij Collatoris, non potest tutâ conscientiâ illud retinere: quia Patronus non potest conferre ius in re, & dominium beneficij, sed solùm ius ad rem: vnde beneficiatus iste eget collatione seu institutione, quâ conferatur ius in re. Quòd si ille sciens se non habere canonicam institutionem occupet beneficium tanquam eius dominus, eiusque fructus absque legitimâ institutione velit percipere, efficitur intrusus, & fit inhabilis ad idem beneficium: vnde eget dispensatione vt possit illud obtinere. Secùs tamen est si omnino sit ignarus se contra iura agere. Vnde pueri facilè excusantur à vitio intrusionis.

Vt autem tale beneficium bonâ cōscientiâ obtineri possit, petenda est collatio à legitimo Collatore, vel à Nuntio Apostolico, vel à Sede Apostolicâ. Quòd si etiam intrusionis vitium interuerit, id explicandum in supplicatione, vt rehabilitetur instituendus.

14 *Ad Secundum*, Respondeo: Non licet Catholicis emere bona Ecclesiarum vel monasteriorum ab hæreticis occupata & confiscata, nisi cum animo restituendi ea suo tempore legitimis dominis, cum omnibus emolumentis & fructibus, qui inde obuenerunt: quia bona illa in specie sunt aliena, similiter fructus illorū. Atqui secundùm iustitię normam, omne quod vero domino iniustè ablatum est, est restitutioni obnoxiū. Nec obstat quòd si Catholici illa non emerent, & fructus eorum perciperent, hęretici illa obtinerent, & fructus acciperent; quia etiam illi ad restitutionem obligarentur. Possent tamen Catholici agere cum Generali, & ab illo emere, vel conuenire eo modo quo rationi consonum iudicarent. Neque hîc vllum periculum simoniæ. Nulla enim est simonia in venditione domorum vel agrorum Ecclesiasticorum.

15 *Ad Tertium*, Respondeo: Non est licitum emere beneficium Ecclesiasticum ab hæretico. Posset tamen à summo Pontifice occultè peti collatio beneficij, quod ab hæretico possidetur. Deinde ex eiusdem dispensatione agi cum hæretico de fructibus; non simul inuoluendo titulū, sed solùm tractando de fructibus titulo annexis; quia Pontifex non facilè permittet emptionem explicitam ipsius beneficij, v. g. Canonicatus, propter scandalū. Sed obtento ptiùs beneficio seu titulo, erit redemptio fructuum, qui iniustè ab hæretico obtinentur.

Ad Quartum, Respondeo; Hæredes Catholici 16 nō possunt possidere bona Ecclesiastica ipsis à patre relicta, etsi ea ab hæreticis emerit: Nisi cum animo restituendi ea suo tempore cum omnibus fructibus, veris dominis. Quare obtinere debent dispensationem à Sede Apostolica, vel conuenire cum veris dominis, vt dictum est. Aliâ ratione non possunt bona Ecclesiastica iniustè à suis dominis ablata possidere.

Beneficiū collatum excommunicato.

CASVS VII.

Petro ignoranter existenti in excommunicatione collatum est beneficium, quod, errore cognito, alteri datum.

QVAERITVR, *Cuinam fructus à Petro suscepti restitui debeant?*

SIue Petrus verè fuerit dominus beneficij 17 (quod longè probabilius puto, cum ob lectionem librorum Erasmi his locis non censeatur quis excōmunicatus: & quāuis Petrus fuisset excōmunicatus, tamen id ignorabat) siue non fuerit, restitutio fructuum non debetur successori. Hoc enim solùm locum habet in maioribus beneficijs (& quibusdam locis in minoribus) in quibus modò Camera Apostolica habet ius spoliorum. Itaque hi fructus in pias causas expendi debent. Quòd si parens Petri est diues, & factus est locupletior ex illis fructibus, deberet restituere pauperibus, & Petrus deberet eū monere de hoc, si putet suam monitionem profuturam; secùs si non putet. Si verò est tenuis fortunæ, & illud beneficium fuit causa cur Petrū aleret in studijs, aliàs id non facturus; possunt cēseri expensi in alendo Petro, eique tanquam pauperi possunt applicari.

Beneficij veri cum ficto permutatio.

CASVS VIII.

Titius circumuentus permutauit verum beneficium cum ficto in præsentia Collatoris inscij fraudis.

QVAERITVR I. *An hæc permutatio sit permissa?*

QVAERITVR II. *An Episcopus hunc cōtractum possit rescindere?*

QVAERITVR III. *An ille Collator priuandus sit iure conferendi?*

QVAERITVR IV. *An Titio beneficium restitui non possit?*

AD *Primum*, Curia Romana non permittit 18 permutationem veri beneficij cum *Beneficio de pertica* vt vocant, hoc est, cum beneficio ficto vel inani titulo, nullos omnino habente fructus. Gomezius in Regulam *de Infirmis*, q. 19.

Ad Secun-

Ad Secundum, Reuerendissimus potest talem permutationem rescindere, vel potiùs irritam declarare: Tum quia non fuit vera permutatio beneficij cum vero beneficio, sed cum re nullius valoris; ac proinde ex vi contractûs permutationis nihil actum est: Tum quia iste contractus, reipsà nihil aliud est, quàm simplex renuntiatio in fauorem, cum clausula *non aliter, nec alias*, quàm renuntiationem stilus Curiæ non permittit fieri in manibus Ordinarij, sed habet pro simoniaca: Tũ quia hæc resignatio facta est in fauorem cum onere pensionis; qualis etiam non potest fieri nisi in manibus Papæ, excepto casu veræ permutationis, quæ hîc non interuenit.

Ad Tertium, Cùm ordinarius collator planè fuerit ignarus huius simoniacæ cõuentionis inter partes, & permutatio coram ipso purè facta fuerit, non est priuandus iure conferendi. Vnde collatio ad ipsum pertinebit. Poterit tamẽ eam Episcopo concedere, si velit.

Ad Quartum, Cùm Titius in toto hoc negotio, non videatur peccasse, sed simplicitate quadam deceptum se dicat, non video cur ipsi suum beneficium non possit restitui.

CASVS IX.

Beneficij inutilis cum vtili permutatio sub pensione.

Vtrùm in permutatione beneficij iam habentis nullos fructus, cum beneficio mille florenorum, possit constitui pensio ducentorum Florenorum, quamuis ille cum quo fit permutatio, nondum per ætatem integros fructus possit recipere; imò ne sexcentos quidem?

19 REspondeo, Talem permutationem sub tali pensione posse fieri. Ratio est, Primò; quia nullum Ius est quod statuat non posse pensionem quæ imponitur, excedere tertiam partem fructuum, sed solùm est vsus Curiæ. Quando enim Papa imponit pensionem, solet dicere vt pensio tertiam partem fructuum non excedat; vt docet Gigas q. 9. de Pensione, Rebuffus in Praxi de reseruationibus. Nihil tamen hîc præcipitur Episcopis. Secundò, Quando Papa dicit ne pensio excedat tertiam partem fructuum, id non debet intelligi de tertiâ parte fructuum, quos beneficiarius in absentiâ recipiet; sed quos recipiet residens, & per se ministrans, habens plenam ætatem. Itaque cùm iste residens possit recipere sexcentos, non superabit hęc pensio tertiam partem fructuũ.

Tertiò, Quando beneficium speratur post paucos annos amplius daturum, potest in constitutione pensionis haberi eius ratio; vt colligitur ex Nauarro Consil. 49. de Præbendis, l. 3. p. 147.

20 Itaque cùm beneficium quod nullos habet fructus, aliquando tamen habuit, vel habiturum speretur, possit permutari cum beneficio fructuoso, eaq; permutatio sit valida, vt docet Gomez. q. 97. in Regulam *De annali possessore*, & Decius Consil. 220. & Episcopus possit constituere pensionem caussâ permutationis; vt patet ex Cap. *Ad quæstiones*, De rerum permutatione; non video vlli Iuri aduersari vt in præsenti casu imponatur pensio ducentorum florenorum.

21 *Si pensio excedat fructum, non est simoniæ.* Addo, Quando pensio imponitur ab eo qui potestatem habet, etsi debitum modum superet, non tamen censeri simoniã, sed solùm contra æquitatẽ naturalẽ. Æquum enim est vt beneficiarius qui onus beneficij subit, ex eo possit viuere. Quod tamen non semper est necessarium, præsertim quãdo onus est paruum, vel quando anni sequentes compensabunt.

CASVS X.

Resignatio beneficij sub conditione, *Si Episcopus consentiat.*

Titius Parochus senex & panè inutilis suo ministerio, resignat suum beneficium in manus Collatoris, rogans vt conferatur Caio sub onere certæ pensionis, addita tamen hac clausula, Si Reuerendissimo Domino placuerit hæc approbare.

QVÆRITVR, *Vtrùm secutâ collatione sub dicta conditione, propter hoc factum vacet hoc beneficium, & Titius sit eo priuatus, si Reuerendissimus nolit consentire?*

22 REspondeo, Non videre me aliquam solidam rationem, cur hoc beneficium censendum sit vacare. Etsi enim resignatio, collatio, & acceptatio sub onere pensionis facta videatur ante consensum Reuerendissimi obtentum; tamen non est facta absolutè, sed conditionatè & dependenter à futurâ approbatione Superioris, qui supponitur habere auctoritatem approbandi; ac proinde nihil attentatum contra Iura. Licitum enim est priuatim inire tractatum, modò nihil absolutè censeatur effectum ante Superioris approbationem, & totus tractatus ad illum referatur vt eum approbet vel irritum reddat: Quòd si irritum reddiderit, manet resignãs in possessione sui beneficij, quia nec resignatio nec collatio fuit facta absolutè, sed sub conditione futuræ approbationis; qua conditione non secuta, nihil actum censetur, vt per se notum est.

CASVS XI.

Resignatio beneficij sub varijs oneribus.

Titius Canonicus statuit vxorem ducere, adeoque vult resignare suam præbendam 600. florenorum, sub onere pensionis 300. florenorum. Insuper requirit: Primò, Vt apud Mercatorem vel alium, septem anticipatæ solutiones deponantur. Secundò, Vt pensio non possit redimi nisi octuplo, cum ordinariè soleat quintuplo. Tertiò, Vt statim fiat redemptio antequam contrahat nuptias. Quartò, Vt vestem emam eius vxori.

QVÆRITVR I. *An possim talem resignationem acceptare sub tali pensione?*

QVÆRITVR II. *An Episcopus possit talia onera admittere?*

QVÆRITVR III. *An Episcopus possit dare Licentiam extinguendi pensionem?*

QVAERITVR IV. *An de veste vxori danda possit venire in pactum principale?*

23 REspondeo *Ad Primum*: Posse te acceptare illam resignationem Canonicatûs sub onere pensionis, licet resignans, cùm statuerit vxorem ducere, non possit cum tali onere resignare. Et quamuis pensio magna sit, tamen quia relinquit quod satis est ad sustentationem, nempe trecentos florenos ex sexcẽtis, potest concedi. Vt autẽ

pensio

pensio non excedat tertiam partem fructuum, intelligendum est de pensione imposita Episcopatibus, vel beneficijs curatis. Accedit, non pertinere ad conscientiam resignatarij, sed resignantis, vt pensio sit rationabilis. Itaque si pensio sit excessiua, non tua culpa est, sed imponentis.

24 *Ad Secundum*; An Episcopus possit admittere huiusmodi pacta? Respondeo, Quamuis concedi possit Ordinarium causâ resignationis posse imponere pensionem, vbi id iam longo vsu est præscriptum; non tamen potest admittere huiusmodi pacta; nempe, vt septem solutiones anticipatę deponantur apud mercatorem: vt non possit redimi nisi octuplo (cùm ordinariè soleat quintuplo:) & vt pensio statim redimatur. Hæc enim sunt cõtra Ius: sunt enim graues obligationes pretio æstimabiles, quæ iure sunt prohibitæ in rebus spiritualibus: Nec vllus Doctor extat qui admittat Ordinarium in his posse dispensare. Itaque solus Pontifex hoc potest ex plenitudine potestatis.

25 *Ad Tertium*; An Episcopus possit dare licentiam extinguendi pensionem? Respondeo, Quando omnia legitimè sunt constituta, Probabile est Ordinarium posse dare licentiam extinguendi pensionem, modo vsitato. Nullo tamen modo id potest in pactum explicitum vel implicitum deduci. Neque opus est vt diu expectetur, sed potest statim redimi. Quamuis ad vitandam suspicionem simonię expediat aliquamdiu expectare, ne videatur tacitum interuenisse pactum de statim redimendo. Posset tamen hoc euitari addita protestatione. Nec refert etiamsi putes alterius mentem esse vt statim redimas, modò te ad illud nullo modo obliges, maximè si protesteris te nolle ad hoc obligare, sed facturum quod tibi commodum visum fuerit.

26 *Ad Quartum*, An de veste vxori danda possit venire in pactum principale? Respondeo, Id nullo modo in pactum principale venire posse: sed eo absoluto, potes cum illo conuenire pro vt tibi commodius fuerit, commutando videlicet vestẽ vxori dandam cum vestibus ipsius Ecclesiasticis. Si tamen gratis dederis, præsumetur Simonia: non enim is, qui sub tanta pensione resignauit, censetur quidquam fecisse, vt tale quid ex gratitudine mereatur; quia tenebatur absq; omni pensione resignare.

Pensio super nuda resignatione beneficij.

CASVS XII.

An Ordinarius possit constituere pensionem super beneficia causâ resignationis solius?

27 REspondeo, Communis sententia DD. est inferiorem Papâ non posse constituere pensionem super beneficia causâ resignationis solius. Rebuffus in Praxi beneficiorum §. *de Reseruatione*. Nauarrus l. 5. Titul. *de Simonia*, Consil. 6. & alibi. Sotus l. 9. q. 7. ar. 2. & alij. Itaq; Ordinarius non potest pensionem admittere, quando est nuda resignatio. Ratio est, quia stilus Curiæ habens vim legis, id non permittit.

Secùs fortassis est in permutatione: etsi Sotus contradicat. Nam Cap. *Ad quæstiones*, de rerum permutatione, id permittere videtur.

Pensio super resignatione Gratię expectatiuæ.

CASVS XIII.

Vtrùm Ordinarius possit constituere pensionem super resignatione Gratiæ expectatiuæ?

28 REspondeo, In eo casu multò minùs posse Ordinarium permittere, vt resignatio fiat sub onere pensionis soluendæ. Multi etiam Doctores tenent (etsi contrarium non sit improbabile) gratiam expectatiuam non posse permutari cum beneficio auctoritate Ordinarij.

Si per 40. annos vsus hac potestate Ordinarius?

Si tamen Ordinarius bonâ fide per 40. annos fuisset vsus hac potestate constituendæ pensionis in resignationibus beneficiorum, non ausim damnare.

Peccat pensionem petens si statũ Ecclesiasticum deserat.

Qui tamen vult deserere statum Ecclesiasticũ, nec vllam habet iustam causam petendæ illius pensionis, nisi quia beneficium deserit, non est securus in conscientia. Cur enim bonis Ecclesiæ fruatur, eaque detrahat vero beneficiario, cui ea iure debent competere, sine causa quæ ad honorem Dei, vel vtilitatem Ecclesiæ pertineat?

Beneficium litigiosum.

CASVS XIV.

Inter duos litigantes super possessione beneficij, inita est talis concordia, vt qui beneficium retineret, alteri procuraret beneficia simplicia vsque ad certam summam, intra festum S. Ioannis Baptistæ proximum: & quod inde deforet, aliundè superadderet, donec beneficia realiter præstitisset, dato fideiussore in casum mortis de super addendo huiusmodi residuo ad sex, septem, plureue annos: ac illi vicissim cederetur ius alterius, datâ ab eodem cautione de restituendis beneficijs, & præfato additamento, in casum euictionis principalis beneficij.

QVÆRITVR, *An huiusmodi concordia auctoritate Ordinarij ratificari possit, ad euitandas impensas Curiæ Romanæ?*

29 REspondeo, Ordinarium non posse illam concordiam ratificare. Sunt enim in eâ quatuor contractus, vel partes contractuum illicitæ.

Prima est, Cessio iuris beneficij ex vna parte, pro obligatione procurandi beneficia simplicia ad certam summam ex alterâ parte. Hanc Ordinarius ratificare non potest, quia in ea committitur simonia: hæc enim obligatio ex parte, est pretio æstimabilis, sicut obligatio dicendi sacri; requirit enim magnam sollicitudinem & industriam vt impleatur. Itaque non potest suscipi pro iure beneficij. Accedit, quòd hæc obligatio per se parum sit honesta, quasi beneficia concedenda sint importunitati sollicitantium, non meritis & virtuti deferenda. Longè alia est ratio in resignationibus & commutationibus, quas Episcopi etiam cum pensionis impositione admittunt. Pensio enim imponitur beneficio vacanti, & sic confertur cum onere.

Secunda pars est, Quòd is cui ceditur beneficium, aliunde super addet seu soluet, donec beneficia ad certam summam realiter præstiterit. Hìc etiam est simonia. Quia ius beneficij resignatur ex

tur ex parte pro pensione annuâ merò temporali non impositâ beneficio. Secùs est quando pensio à principio imponitur beneficio; & ita transit cũ onere: quod potest facere Episcopus concordiæ caussâ, vt etiam Sotus docet.

Tertia pars est, Vt det fideiussorem de soluendo ad certam summam donec beneficia promissa sint præstita. Hæc obligatio etiam est pretio æstimabilis, nec solet ab Episcopis admtti: neque verò potest. Quia est extranea naturæ contractus resignationis & permutationis: cumque sit pretio æstimabilis, facit simoniam.

Regressus ad beneficia est illicitus.

Quarta pars est, Vt alter qui beneficia simplicia & additamenta accepisset, teneretur illa omnia restituere in casum euictionis beneficij principalis; & daret hac de re cautionem. Hîc seruat sibi regressum ad illa beneficia, quæ in alterum resignauit, vel curauit conferri: qui regressus sublatus est per Concilium Tridentinum sess. 25. c. 7. *de Reformatione*. Vnde Episcopus non potest hoc admittere.

CASVS XV.

Beneficia compatibilia.

Vtrùm Canonicatus Andernacensis, & Decanatus S. Donatiani Brugis, sint beneficia compatibilia?

30 REspondeo Primò, Canonicatum Andernacensem, & Decanatum S. Donatiani Brugis, non esse beneficia incompatibilia primi generis. De quibus Cap. *De multa*, de Præbendis. Quia Canonicatus non est dignitas, nec Personatus, nec beneficium curatum. Vnde Decanatus nullo modo reddit inhabilem ad obtinendum Canonicatum, etiam alterius Ecclesiæ.

31 Respondeo Secundò, Si Canonicatus ille ex consuetudine legitimè præscriptâ, non requirit residentiam personalem (vt in casu refertur) nullo modo est incompatibilis cum Decanatu, modò Decanatus non sufficiat ad decentem sustentationem. Vnde tunc non requiritur vlla dispensatio vt ista simul ab eodẽ obtineri & possideri possint. Patet ex Concilio Trident. sess. 24. cap. 17. *de Reformatione* vbi expresè statuitur *vt habenti vnum beneficium Ecclesiasticum, si hoc non sufficiat ad vitam eius honestè sustentandam, liceat aliud beneficium simplex sufficiens conferre, dummodò vtrumque personalem residentiam non requirat.* Quare cùm generatim statuitur hoc licere, nullâ opus est dispensatione. Neque dici potest Canonicatum non esse beneficium simplex: hoc enim falsum est, vt ostendit Nauar. lib. 5. Consil. tit. de Simonia, Consilio 61. vbi dicit; *Canonicatus est beneficium simplex secundùm cõmunem Doctorum sententiam, quæ probatur* Cap. Statutum. *De rescriptis* lib. 6. &c. Idem docet lib. 3. tit. de Prebendis, Consilio 45. etiam de Canonicatu Ecclesiæ Cathedralis.

Canonicatus est beneficium simplex.

32 Ex quibus patet D. Consulentem non teneri ad resignationem prædicti Decanatus: & posse retinere fructus ex eo perceptos: nec opus habere vllâ dispensatione, vt illa duo beneficia retinere queat, suppositâ veritate eorum quæ narrantur: nempe Canonicatum illum ex consuetudine non requirere residentiam; & Decanatum non sufficere hoc tempore ad honestam sustentationem. Si tamen metuit molestias, suadeo omnino vt obtineat dispensationẽ ab Illustrissimo Domino Nuntio Apostolico.

Consectarium.

CASVS XVI.

Beneficia compatibilia.

Vtrùm is qui obtinet beneficium Curatum in Ecclesia Cathedrali, possit in eadem obtinere Canonicatum?

VIdetur non posse: Primò, Quia hæc beneficia sunt incompatibilia, de quibus Capitulo *De multa*, de Præbendis, vbi statuitur, *Vt quicumque receperit aliquod beneficium curam habens animarum annexam, si priùs tale beneficium habebat, eo sit ipso iure priuatus: & si forte illud retinere contenderit, etiam alio spolietur.* Et Clementina *Gratiæ*, de Rescriptis, vbi dicitur, Tunc videri primo Beneficio, nempe Curato, de quo ibi agitur, aliquis renuntiare, cùm aliud beneficium pacifica possessione assequitur. Neque excusat, si dicas illum non percipere fructus grossos beneficij, sed solùm distributiones; & consequenter non possidere secundum cum effectu & vtiliter; adeoque eum vtrumque possidere posse. Ratio est, quia ille recipiet fructus grossos secundi beneficij post mortem; ac proinde non debet hæc possessio censeri vacua, & sine effectu. Secundò, quia non est licitum habere plura beneficia quando vnum sufficit: sed Curatum sufficit seorsim, & Canonicatus similiter: ergo.

33 *Ratio dubitandi.*

Respondeo breuiter, Hæc duo beneficia simul ab eodem retineri posse, si ille muneri vtriusque satisfacere possit, & aliàs alterum non sufficit. 34 *Responsio.*

Probatur Primò, Quia hæc duo benefica non sunt incõpatibilia, de quibus Cap. *De multa*: Illud enim caput solùm loquitur de Dignitatibus, Personatibus, Officijs curatis, vt patet intuenti, & tenet Glosa & Panormitanus cum communi Doctorum in illud Cap. & in Cap. *Referente eodem*. Canonicatus autem Ecclesię Cathedralis nihil horum est, sed beneficium simplex, vt docet Nauarrus *de Præbendis*, Consil. 45. Itaque dispositio illius Capitis non est extendenda ad nostrũ casum: præsertim cùm sit dispositio pœnalis, quæ non est extendenda vltra suum casum.

Probatur Secundò, Quia potest quis retinere vnam Parochialem cum aliquot Canonijs non requirentibus residentiam, vt docet Nauarrus *de Præbendis*, Consil. 12. ergo etiam potest quis retinere Parochialem cum Canonicâ requirente residentiam, cui residentiæ simul potest satisfieri.

Probatur Tertiò, Quia etsi non possit quis habere duo beneficia vniformia in eadem Ecclesia, v.g. duos Canonicatus, duas Capellanias, nec etiam duas Dignitates; potest tamen in eadem Ecclesia habere duo disformia, quorum alterum sit Dignitas, alterum Canonicatus, etiam absque vllâ dispensatione Episcopi vel Põtificis, vt probat Nauarrus *de Præbendis*. Consil. 29: ergo etiam potest habere Parochiam & Canonicatum sub eodẽ tecto. Consequentia patet, quia quando agitur de pluralitate, Parochiæ & Dignitates æquiparãtur, vt patet Cap. *De multa*. Et confirmatur, quia Iura non minus fauent habentibus curam animarũ quàm habẽtibus alias dignitates siue curas. Quin imò illis eò plus fauoris præstandum, quò plus in Ecclesia laborant.

In eadem ecclesia haberi possunt duo beneficia disformia, non vniformia.

Probatur Quartò, Quamdiu non percipit fructus Canonicatus, censetur possessio inutilis, & sine effectu: ergo potest retinere etiam Curatum

donec

donec sit in plena fructuum perceptione. Nec refert quòd percipiat distributiones, quia hæ dantur ratione obsequij personalis, nec propriè ad fructus pertinent. Nec obstat quod post mortem sit percepturus corpus fructuum: quia hoc non impedit quin saltem pro hoc anno possessio sit illi inutilis; nec eum iuuat ad se sustentandum; ac proinde non impedit quin aliud beneficium simul retinere possit. Et hoc euidenter colligitur ex Cap. *Si tibi cõcesso*, de præbendis in 6. vbi Glossa & Doctores communiter id tradunt.

35 *Corollarium.* Ex his concludo Primò, Beneficium illud curatum non vacare per assecutionem Canonicatus, etiamsi plenè fructum illius Canonicatus perciperet. Secundò, Si neutrum prædictorum beneficiorum per se sufficit ad honestam sustentationem, vtrumque simul retineri posse, saltē cum Episcopi vel Nuntij Apostolici dispensatione. Imò probabile est nullam omnino dispensationem ad hoc requiri. Tertiò, Si alterum sufficit, tenetur beneficiarius alterum resignare, nempe quod ei placuerit, siue Curam siue Canonicatum, quia est contra Concil. Trident. sess. 24. c. 17. habere duo beneficia, quando vnum sufficit. Intelligo debere alterum resignare non statim obtento secundo, sed quando ex altero quod retinere desiderat, fructus integros percipere cœperit. Quartò, Si ex secundo quod retinere desiderat, nondum percipit fructus maiores, neque per illum stat quò minùs nunc percipiat, non tenetur resignare Curam, sed potest eam simul retinere, & ei simul inseruire; nec ad hoc eget vllâ dispensatione; idque tam diu donec fructus illos percipere cœperit, vt dictum est.

36 *Soluuntur argumenta.* Ex dictis patet responsio ad rationes in contrarium obiectas. Nam Cap. *De multa*, non extenditur ad casum propositum. Et Clementina *Gratiæ*, non dicit beneficium præcedens vacare, sed gratiam expectatiuam extingui per impetrationē alterius beneficij: itaque ad rem non pertinet.

CASVS XVII.

Onerare beneficia. *Capitulum statuit vt Canonici qui imposterum instituentur, teneantur soluere tres florenos ad necessariam subuentionem D. Cantoris.*

QVÆRITVR, *Vtrum hoc non aduersetur Concilio Tridentino* sess. 24. cap. 14. de Reformat. *quod vetat in prouisione seu admissione ad possessionē cuiuscunque beneficij aut distributionum, fieri illorum fructuum deductiones conuertibiles in vsus non pios.* &c.

37 REspondeo, Caput illud 14. sess. 24. Concilij Trid. de Reform. non aduersatur illi statuto Dominorum Canonicorum facto ad necessariam subuentionem D. Cantoris, quo singulis Canonicis, qui in posterum instituentur, imponitur onus soluendi D. Cantori tres florenos. Quia manifestū est ibi solùm prohiberi eas solutiones, eaq; onera, quæ non cedunt in pias causas, sed habent speciem sordium, & simoniacæ labis: quæ autem in pias causas cedunt, ea permittuntur. Atqui necessaria subuentio, de qua hic agitur, æquatur piæ causæ; imò illi præfertur, cùm pertineat aliquo modo ad iustitiam: exigit enim iustitia vt dignitatibus & officijs ita prouideatur, vt decorè suum munus præstare possint.

38 Hîc tamen aduertendum, prædictum statutum, etsi Capitulum totum in illud consenserit, robur non habiturum, nisi à Sede Apostolica fuerit confirmatum. Quia Capitulū non potest noua onera præbendis imponere; cùm Iure cautum sit vt beneficia sine diminutione conferantur. Cap. vnico. *Vt Eccles. beneficia* &c. & 1. qu. 3. Cap. *Si quis præbendas* &c. *Nullum onus imponi potest beneficio sine consensu Papæ.*

Quod in statuto illo dicitur, *Hæc danda pro installatione & prouisione*, nō benè sonat; quia simonię imaginem ingerit. Vnde putarem immutandum, vt dicatur, *Hoc onus imponi, & debere solui dum fit installatio vel prouisio præbendæ, ad necessariam subuentionem D. Cantoris.* 39 *Cautela.*

CASVS XVIII.

Beneficiariorū absentia. *Vtrùm D. Adrianus Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ Leodiensis, possit cum bona venia sui Capituli, aliquot annos abesse à suâ Ecclesiâ, & Romæ versari, vt ibi praxi studeat Romanæ, & se aptiorem negotijs Ecclesiasticis gerendis præstet, & simul causam cuiusdam Principis in Curia agat?*

DVo videntur obstare: Alterum est, dispositio Concilij Trident. sess. 24. c. 12. de Reform. quâ sic statuitur: *Præterea obtinentibus in ijsdem Cathedralibus aut Collegiatis dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cuiuslibet statuti aut consuetudinis, vltra tres menses ab eisdem Ecclesijs quolibet anno abesse* &c. 40 *Duæ rationes pro parte negatiua.*

Alterum est, causæ insufficientia. Debet enim subesse causa iusta, & tanti momēti, vt meritò propter illam absentia sit concedenda. Canones autē solùm duas causas exprimunt, necessitatem, & studium ordinarium in aliquâ Vniuersitate.

Nihilominùs verius sentio hoc non obstare, & posse D. Adrianum abesse. Nam illud Cōcilij decretum non videtur vsquam ferè in Belgio moribus receptum: quia passim etiam in Cathedralibus & Metropolitanis, in quibus est accuratior disciplina, & Canonum obseruatio, absunt Canonici Capituli concessu multis annis, nec eâ in re scrupulum sibi faciunt. Extant exempla quotidiana, etiam eorum qui à probitate vitæ & doctrinâ cōmendantur. Lex autem moribus vtentium nunquam recepta, non obligat; vt communiter omnes Doctores tradunt. Imò si post legem latam consuetudo antiqua perstet decennio, planè antiquatur vis legis; adeò vt, nisi nouum præceptum Superioris accedat, communitas non teneatur eam recipere; vt docet Nauar. lib. Consiliorum tit. *de Excommunicatione.* consil. 8. & fusè probat Felinus in cap. 1. *de Treuga & Pace*, n. 13. pro ea adducens multos Doctores. Idem tenet Couar. lib. 2. variarum resol. c. 16. nu. 6; sequitur Azor. lib. 5. Instit. moral. c. 4. q. 3. & alij recentiores. Quòd si absque nouo præcepto Superioris non tenetur communitas talem legem recipere, quāto minùs priuatus quispiam: cùm obligatio legis recipiendæ principaliter ad communitatem pertineat. 41 *Responsio.*

Causa etiam iusta videtur; vt patet ex ijs quæ scribit Nauar. in Enchirid. c. 25. n. 121. Illa enim causa iusta dicitur, quæ probabiliter talis arbitrio boni viri iudicatur. Nec refert quòd Canonibus non sit expressa; quia consuetudo illam approbat, cùm etiam ob minoris momenti causas facultas absentiæ dari soleat. Omitto, sæpè locum Beneficij talem esse, vt longè melius sit ibi non residere, quàm residere. 42 *Quæ iusta absentiæ causa.*

43 *Nisi nouum obstet edictum.*

Hæc dixerim spectata sola obligatione iure Concilij Tridentini inducta. Si enim Romæ de nouo edictum fieret, quó præciperetur, vt omnes beneficiarij ad suas residentias se cõferant, præsertim sub graui aliquâ pœnâ, vt interdum fieri scio, tunc opus esset dispensatione, propter obligationem de nouo impositam.

CASVS XIX.

Beneficiariorũ absentia.

In Ecclesia Cathedrali Gandensi consuetudo est, vt Canonici quotannis per tres menses ob rationabilem & iustam causam possint abesse, & nihilominùs recipere distributiones quotidianas.

QVÆRITVR, *Vtrùm illa consuetudo possit legitimè retineri?*

44 OMnibus consideratis, quæ suprà allata sunt; sentio DD. Canonicos in illa consuetudine suâ sine scrupulo posse perseuerare, quamdiu per aliquem Superiorem contrarium non introducitur. Ratio est, quia ex Cap. finali *De consuetudine*, constat consuetudinem non irrationabilem legitimè præscriptam, posse legi humanæ derogare, eamque tollere, ita vt non obliget eos qui illâ cõsuetudine vtuntur; vt passim Doctores docent. Atqui consuetudo DD. Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis Gandensis, quâ ipsi quotãnis per tres menses, ob rationabilem & iustam causam possunt abesse, & nihilominùs recipere distributiones quotidianas, videtur seclusâ lege prohibente, non irrationabilis; maximè attentis circumstantijs ibi commemoratis: quia nulli iuri naturali aut positiuo diuino repugnat; & in ipsa fundatione posset id statui, vel etiam posteà per Summum Pontificem concedi, vt olim ante Concilium Tridentinum in plurimis Ecclesijs erat in vsu; quod manifestum signum est, id per se non esse rationi aduersum; sed satis rationabile, vt consuetudine possit confirmari. Deinde, hæc consuetudo videtur omnino legitimè præscripta, cùm in ea pluſquam quinquaginta annis fuerint, etiam post erectionem Ecclesiæ in Cathedralem, etiam videntibus Episcopis, & Nuntijs Apostolicis, nec contradicentibus, aut eam tollere conantibus. Ad legitimam autem præscriptionem cõsuetudinis contra legem Canonicam, & Concilij vniuersalis statutum, nullus Doctorum requirit amplius quàm annos quadraginta, etiam quando lex illa fuerat ante recepta. Quando autem nunquam fuit recepta, multi putant sufficere annos decem ad vim eius obligatoriam in conscientiâ eneruandam.

Ad præscriptionẽ contra legem Canonicam sufficiunt anni XL.

Aliquando X.

Quare prædicta consuetudo videtur legitimâ præscriptione ita corroborata, vt vim statuti seu legitimæ concessionis habeat; ita vt Canonicis non sit faciendus scrupulus, modò causa absentiæ verè sit iusta, seu rationi consona. Secùs si talis non sit. Talis autem non videtur sola recreatio.

45 *Reformationi obtemperandum.*

Si tamen per legitimum Superiorem aliquando inducatur reformatio iuxta decretum Concilij, tenentur D D. Canonici acceptare; quia certum videtur eam & à decreto Concilij, & constitutione Bonifacij VIII. quam Concilium innouauit, deuiare.

CASVS XX.

Beneficiũ carens Ordine requisito.

Titius in quadam Ecclesia Cathedrali obtinens Canonicatum, non fuit initiatus sacris. Itaque cùm peteret à Capitulo grossos fructus, qui debentur professoribus disciplinarum in vniuersitate; responsum ei fuit vt ostenderet se sacris initiatum.

QVÆRITVR, *An Titius ius habeat cogendi Capitulum ad fructuum solutionem?*

VIdetur Titius habere tale ius: quia Ius non priuat ipsum nisi voce in Capitulo, & dimidia parte distributionum. Vt colligitur ex Concilio Trident. sess. 22. c. 4. & Clementina *Vt ij qui*, De ætat. & qual. præficiendorum, quam Concilium Trident. innouat. Itaque non videtur posse priuari fructibus. 46 *Ratio dubitandi.*

Contrarium tamẽ videtur verius. Nam Conc. Trident. sess. 24. c. 12. de Reform. iubet omnibus Canonicatibus & Portionibus in Ecclesijs Cathedralibus annecti Ordinẽ Presbyterij, Diaconatus aut Subdiaconatus. Facta autem hac annexione ab Episcopo cum cõsilio Capituli, Episcopus cogere potest Canonicum quemlibet ad susceptionẽ sui Ordinis intra annũ faciendam, etiã sub pœna priuationis ipsius beneficij: imò si monitus neglexerit, poterit declarari priuatus ipso iure per statutum Concilij Cõstantiensi, sess. 43. de dispensat. vt habet Cardinalium declaratio. Idem poterit facere Capitulum si sit exemptum. Vnde sequitur multò faciliùs posse priuari fructibus denegando eorũ solutionem, nisi tempore statuto promotus fuerit. *Responsio.*

Erectio Præposituræ ex Personatu per Episcopum.

CASVS XXI.

An possit Episcopus cum consensu Capituli erigere Præposituram ex Personatu, etiamsi non vacet, etiam inuito possessore?

REspondeo Affirmatiuè. Etsi enim hoc non expresè concedatur, nusquam tamen in Iure prohibetur: imò videtur id ei tacitè concedi per Concilium Trident. sess. 24. c. 15. de Reform. & sess. 21. c. 5. vbi conceditur Episcopis facere vniones quorumuis beneficiorum cum curatis propter eorum paupertatẽ, & in ceteris casibus à Iure permissis: & Capitulo *Sicut vnire*, de excessibus Prælatorum, generatim dicitur, Episcopi esse Ecclesiarum suæ diœcesis vnionem curare. Quòd si potest facere tales vniones, cur non possit etiam erigere & extollere beneficium inferioris dignitatis ad titulum & conditionem superiorem, cùm hoc non cedat in diminutionem præbendarum & seruitij diuini, sicut vniones, sed potiùs in augmẽtũ? Et confirmatur, Quia potest erigere titulum Præposituræ, & tunc ei facere hanc vnionem; sicut potest facere vniones cum præbendis Canonicalibus tenuibus, vt patet ex sess. 24. cap. 15. 47

Quòd autem non requiratur consensus possessoris, colligitur ex ijsdem locis: nam vult Concilium has vniones non posse infringi aut impediri ratione cuiusuis resignationis. Nec obstat quòd cap. 5. sess. 21. dicat *sine præiudicio obtinentium*: quia non loquitur de præiudicio resignationis, sed retentionis beneficij & fructuum integrorũ quamdiu pos- 48 *Non requiritur Consensus possessoris.*

diu possessor viuet: alioquin non cohærerent ea verba cum ijs quæ habentur in fine.

49 *Sed Patroni laici.* Requiritur tamen consensus Patroni si beneficium illud erat patronatus laici, vt insinuat idem Concilium.

CASVS XXII.

Vnio Personatus cum dignitate iam erecta.

Vtrùm possit Episcopus vnire Personatum non vacantem dignitati iam erectæ, sed non sufficienter dotatæ, etiamsi possessor non consentiat?

50 REspondeo, Episcopum id posse. Colligitur apertè ex Cõcilio Trident. sess. 24. c. 15. vbi conceditur Episcopo cum consensu Capituli vt possit simplicia beneficia vnire præbendis Canonicalibus tenuioribus &c. Cur non possit etiam dignitati tenuiori?

Personatus est beneficium simplex. Nec obstat quòd Personatus non videatur beneficium simplex: quia reuerà est simplex, cùm nõ habeat curam animarum: hæc enim est vna distinctio beneficij simplicis à dignitate, quòd hæc habeat curam animarũ, illud non: vnde Canonicatus etiam Cathedralis est beneficiũ simplex. Accedit, quòd Capitulũ *Sicut vnire*, de excessibus Prælatorum, generatim loquatur de cuiusuis beneficij Episcopo subiecti vnione. Idem insinuat Cõcilium Tridentinum cap. 5. sess. 21.

Nõ requiritur consensus possessoris. Neque videtur requiri consensus possessoris: nã Concilium non requirit locis citatis, & apertè insinuat per resignationem non posse talem vnionem impediri.

CASVS XXIII.

Erectio Capellaniæ in dignitatẽ.

Vtrùm possit Capellania per Episcopum erigi in nouam dignitatem Patrono consentiente?

51 REspondeo Affirmatiuè. Sequitur ex dictis. Neque requiritur consensus possessoris, etiãsi per hoc impediatur resignatio, quę sępè ob iustam causam per Superiorem impediri potest; vt colligitur ex Tridentino. Non tamen cogi potest possessor vt ipse dignitatem subeat, &c.

Onera cutanda. Hîc tamen aduerte, Curandum esse vt onera Capellaniæ præstentur, v. c. si certa sacra dicenda sint; quia fundatores priuari non debent, nisi iuxta modum à Tridentino præscriptum sess. 25. c. 4.

CASVS XXIV.

Erectio Capellanię in Pastoratum.

In quadam Ecclesia non habente proprium Parochum, sed dependente ab alia, sunt duæ Capellaniæ, reddẽtes simul circiter centũ quinquaginta florenos; quarum altera debet duo sacra in singulas septimanas; altera nunc quatuor, nunc quinque.

QVÆRITVR, *Vtrùm possint erigi in beneficium Parochiale, adhibita moderatione in onere sacrorum?*

52 *Ratio dubitandi.* RAtio dubitandi est, Quia quãdo Concilium Triden. concedit Episcopis potestatẽ vniendi beneficia Seminarijs, iubet id fieri sine cultũs diuini prędiudicio; vt patet sess. 23. c. 18. hîc autem videtur cultus diuinus minui, quia minuitur sacrorum numerus, quę ex institutione ipsorũ beneficiorum facienda. Deinde, quia Concilium non concedit illis potestatem moderandi, nisi quando onus est communitatis, v. g. monasterij vel Capituli; vel si prouentus non sufficiant; vt patet sess. 25. cap. 4. de Reformat.

Responsio. Respondeo, Non esse dubitandũ: Primò, Quin Episcopus talẽ erectionẽ & vnionem facere possit, quando id bonum Ecclesiarũ postulat, & alia cõmodiore ratione ijs prouidere non potest, v. g. assignatione fructuum ad Ecclesiam matricẽ pertinentium, vel collectis subditorum: id enim ei luculentè conceditur sess. 21. c. 4. & 5.

Requiritur consensus Patroni laici. Hoc tamen nõ debet fieri sine consensu Patronorum, si beneficia sint Patronatus Laici, vt aliàs Congregatio Cardinalium respondit, quia huic Patronatui sine expressa clausula non derogatur.

Potest Episcopus numerum sacrorum moderari. Secundò, Dubitandum non videtur, quin Episcopus etiam possit onus sacrorum moderari: dum enim Cõcilium facit potestatem noui oneris imponendi, tacitè etiam cõcedit moderationẽ prioris, præsertim si vtrumque iunctim iustum modũ & vires excedat, vt in præsenti casu; alioquin non magni momenti esset hæc facultas; neque ad eam opus esset Cõcilij auctoritate, quia solùm esset potestas grauandi, non autem ex æquo & bono statuendi. Deinde, quia onus quod hîc imponitur de nouo, facilè compensat illam moderationem; nam onus Pastorale est maioris momenti, quàm onus aliquot sacrorũ. Tertiò, Quia Episcopus ex causa habet potestatem commutandi vnum pium opus in aliud, si illud æquè vel magis Ecclesiæ & animarum saluti prosit.

Nota pro praxi. In præsenti autem casu censeo illum Pastorem non obligandũ vt omnia illa sacra per se vel alios semper dicat; sed vt dicat quot commodè poterit, prout valetudo, dispositio animi & corporis, negotia & onera pastoralia permittent: nam ordinariè beneficiarij ipsi non aliter solent obligari: & hac ratione valdè ad numerum primitus constitutum accedet.

Soluuntur Argumenta. Ad primam rationem dubitandi, Respondeo: Nulla hîc fiet absolutè cultûs diuini imminutio, sed potiùs accretio per functiones pastorales.

Ad secundam, Etsi Concilium non concedat expressè in alijs casibus, concedit tamen tacitè; idque prudenti iudicio & ratiocinatione colligendum relinquit.

CASVS XXV.

Vnio Beneficij Subdiaconalis cum Præpositura.

Vtrùm Episcopus possit in Ecclesia sibi subiecta, qualis est S. Pharaildis Gandaui, facere vnionem præbendæ Subdiaconalis cum ipsa Præpositura ob illius paupertatem?

55 REspondeo, Mihi dubium non est, quin possit Episcopus in Ecclesia sibi subiecta, qualis est S. Pharaildis Gandaui, talem vnionem facere: nimirum vnire prębendam subdiaconalem ipsi Prępositurę, ob illius paupertatem. Quia sunt multi textus in Iure quibus id satis apertè declaratur: vt Clement. *Si vna*, de rebus Eccles. non alienandis. vbi dicitur: *Si vna Ecclesia alteri Ecclesiæ, vel dignitati alicui, vel præbendæ per Episcopum, suo consentiente Capitulo, vniatur, aut religioso loco donetur, &c. impugnari non poterit.* Et Cap. *Sicut vnire*, Extra. de excessibus Prælatorum. vbi dicitur: *Episcopi est Ecclesiarum suæ diœtesis vnio & subiectio*, &c. Verùm cæteris omissis abundè nobis sufficit Concilium Trident. quod sess. 21. c. 5. de Reform. ita statuit: *Vt etiam Ecclesiarum status, vbi sacra Deo officia ministrantur, ex dignitate conseruetur, possint Episcopi etiam*

Clementina Si vna.

Tridenti.

vt Apostolicæ Sedis delegati, iuxta formam iuris, sine tamen præiudicio obtinentium, facere vniones perpetuas quarumcunque Ecclesiarum parochialium, & baptismalium, & aliorum beneficiorum curatorum, vel non curatorum, cum curatis, propter earum paupertatem; & in cæteris casibus à Iure permissis, etiamsi dictæ Ecclesiæ vel beneficia essent generaliter vel specialiter reseruata aut qualitercumque affecta, &c.

Non obstat mensis Pontificius.

Nec obstat, quòd per talem vnionem vîdeatur Summus Pontifex priuari iure cõferendi suo mẽse, si tunc contingeret tale beneficiũ vacare: Quia si nec generalis nec specialis reseruatio impedire potest talem vnionem, multò minùs ius mensis Pontificij, quod longè remotius est, & generalius, quàm reseruatio.

56

Communicatio iurium conferendi beneficia fieri potest ab Episcopo.

Ex quibus vlteriùs sequitur, Episcopum suâ auctoritate posse confirmare & approbare cõmutationem iuris conferendi inter Sereniſſimũ Principem & Dominum Præpositum; quia hæc iura sunt valdè commutabilia, cùm vtrumque sit spirituale, & ciusdem ordinis, nec vsquam huiusmodi commutatio sit prohibita; & nemini per eã fiat præiudiciũ. Nam quòd Sedes Apostolica amittat suum mensem, non prouenit ex illa commutatione, sed ex vnione. Vnde commutatio illa est planè ad eam rem impertinens.

CASVS XXVI.

Vnio monasterij vnius cum altero per Episcopum.

Vtrùm Episcopus possit monasterium sibi subiectum, consentientibus Monialibus, vnire alteri monasterio, absque pleno Capituli sui consensu?

57

REspondeo: Quòd Episcopus possit hãc vnionem facere, videtur clarè probari Cap. *Consultationibus*, de Donationibus. Vbi Alex. III. *Donationes verò vel concessiones Ecclesiarũ, si quæ fiãt priuatis personis, viuẽtibus illis qui ipsas Ecclesias possident, nullius debent esse momenti. Si religiosis fiant locis ab Episcopo, vel eius auctoritate, ratæ debent haberi: ita quòd personæ, quæ iam dictas Ecclesias possident, sine ipsorum assensu eis in vita sua non debent spoliari.* Potest ergo auctoritate Episcopi, Ecclesia perpetuò vniri monasterio seu loco religioso, etiam viuentibus monialibus, quæ illam possident: & cùm illarum consensu potest fieri executio, & transferri possessio in locum religiosum. Vnde sequitur id posse fieri etiamsi illæ per alia monasteria forent dispergendæ: id enim necessarium est, si priuent se possessione, eaque cedat alteri monasterio vel collegio religioso.

Alexander III.

Canon Si quis.

Idem confirmatur Can. *Si quis*, 16. q. 7. vbi dicitur; *Si quis vult monasterium suum ad meliorandum in alium locum ponere, fiat cum consilio Episcopi & Fratrũ suorum.* Et Can. *Nemini*, eadem qu. vbi dicitur; *Nemini Regum aut cuiquam hominum in propriũ ius liceat monasterium tradere vel conuertere, nisi ad aliud monasterium.* Vbi permittitur Principi cõuertere & tradere vnum monasterium alteri, quando causa iusta subest. Hoc tamen intellige faciendum esse interuentu auctoritatis Episcopi; vt ex alijs Canonibus constat.

Tridentinum.

Idem manifestè confirmari videtur ex Cõcilio Trident. sess. 21. c. 5. de Reform. vbi sic statuitur: *Vt etiam Ecclesiarum status, vbi sacra Deo officia ministrantur, ex dignitate conseruetur, possunt Episcopi etiã tanquam Apostolicæ Sedis delegati, iuxta formam Iuris, sine tamen præiudicio obtinentium, facere vniones perpetuas quarumcumque Ecclesiarum parochialiũ & baptismalium, & aliorum beneficiorum, curatorum, vel non curatorum, cum curatis, propter earum paupertatem; & in cæteris casibus à Iure permissis, etiamsi dictæ Ecclesiæ vel beneficia essent generaliter vel specialiter reseruata, aut qualitercunque affecta. Quæ vniones etiã non possint reuocari, nec quoquo modo infringi vigore cuiuscũque prouisionis, etiã ex causa resignationis, aut derogationis, aut suspensionis.* Hîc Episcopis conceditur vt ad cõseruationem & augmentum cultus diuini, possint facere vniones etiam beneficiorum Curatorũ; quod longè maius est & difficilius, quàm vnire monasterium non exemptum paucarum monialiũ (quæ etiam consentiunt) idque causâ publicâ & necessariâ exigente. Cui autẽ conceditur, quod maius est, eidem concessum censetur quod minus est; præsertim quando hoc est æquè vel magis necessarium ad cultum diuinum & animarum profectum.

Idem colligitur ex illis verbis, *Et in cæteris casibus Iure permissis:* Atqui Ius nusquã prohibet Episcopis talem vnionẽ ob causam necessariam faciendam: imò apertè concedit 16. q. 7. duobus Canonibus suprà citatis, & Cap. *Consultationibus* suprà.

Denique huc pertinent ea quæ idem Concilij Trident. sess. 25. c. 8. statuit de conuertendis quibusdam hospitalibus fundatis ad certũ vsum qui iam ferè cessauit, ad meliorem vsum, & vniendi alijs pijs locis. Vbi etiam mandat Episcopis vt id faciant. Idem manifestè probatur ex Cap. *Sicut vnire*, de Excessibus Prælat. & Clementina *Si vna*, de rebus Eccl. non alienandis.

Ex quibus omnibus satis liquere videtur Episcopo hanc potestatem competere in monasterium non exemptum, concurrentibus suprà dictis circumstantijs.

58

Potest id Episcopus absque consensu Capituli.

Sed difficultas est, Vtrùm ad hoc requiratur cõsensus Capituli. Mihi probabiliſſimum est hunc consensum non requiri; quia nullũ Ius id statuit. Solùm quædam iura requirunt, vt id fiat cum cõsilio Canonicorum. At multum ista differunt *cum consensu*, & *cum consilio*. Cùm enim requiritur consensus, actus est inualidus si contra vel absque cõsensu fiat. Cùm consiliũ, solùm requiritur vt non faciat nisi auditâ illorum sententiâ, nõ tamen absolutè tenetur eam sequi, vt passim Doctores tradunt. Deinde nullus Canon requirit in hoc actu vt adhibeat consilium Capituli: nam Cap. *Consultationibus*, nulla fit mẽtio Capituli, vel Canonicorum, sed solius Episcopi. Concilium Trid. sess. 21. c. 5. solùm dicit posse Episcopum facere vniones iuxta formã Iuris: atqui Ius in vnionibus non requirit consilium Capituli quando ea res ad Capitulum non pertinet. Rursus, quando Concilium agit de Hospitalium applicatione ad alium pium vsum, non requirit consilium Capituli, sed solùm duorum Canonicorũ ab ipso Episcopo eligendorum: idque propter varia ingenia, quæ solent esse in Capitulis, quæ difficillimè in idem conspirant. Denique quando consilium sess. 23. c. 18. de Reformat. agit de ijs quę pertinẽt ad dotandum Seminariũ, datur Episcopo potestas vt cum consilio quatuor Ecclesiasticorũ, omnia peragat, quorum duo sint de Capitulo, duo ex reliquo Clero: ita vt electio duorum sit penes Episcopum, reliquorum duorum vnius penes Capitulum, alterius penes reliquum Clerum.

Consilium & consensus multùm differunt.

Nec obstat Can. *Si quis*, 16. q. 7. quia non dicitur, *Cum consilio Capituli*, sed cum consilio Episcopi & Fratrum

& Fratrum eius, vbi nō est necesse intelligi omnes Canonicos, sed aliquos prudentiores tantùm.

59 *Sufficit ad consensum, maior pars.*

Duo hic aduertenda, quę plurimùm ad rem faciunt. Primò, Etiamsi requireretur consensus Capituli, sufficit vt maior pars consentiat: tunc enim res dicitur fieri ex vnanimi consensu Capituli, vt docet Emanuel Sà V. *Capitulum*, citans Baldum & Tabienam. Idem ipse vsus confirmat: ordinariè enim fit conclusio in deliberationibus ex sententiâ maioris partis, etiamsi vel vno tantùm superet. Idem dicendum quando requiritur cōsilium: sufficit enim iudicium maioris partis.

Consilium non tenetur sequi.

Secundò, quòd quando dicitur, *vt aliquid faciat Episcopus cum consilio Capituli*, teneatur quidem audire eorum iudicium, sed non teneatur sequi. Fumus V. *Consilium*. Panormit. in Cap. *Cùm in veteri*, de elect. Sil. V. *Consilium* n. 4. Emanuel Sà eodem verbo. Estque communis Doctorum sententia.

CASVS XXVII.

Vnio Prioratûs cum alio monasterio.

Virum Summus Pontifex possit derogare iuri Collatoris ordinarij dum vniones facit; idque nominatim in vnione Prioratus cuiusdā monasterij, cum alterius ordinis monasterio?

60 *Papa potest derogare iuri Patronatus Ecclesiastici & Laici.*

Respondeo, Certissimum est Pontificem posse huic Iuri derogare. Primò, Quia potest derogare iuri Patronatûs Ecclesiastici; vt docet Couarruuias lib. 1. qq. Practicarū q. 36. & secundùm veriorem sententiam etiā iuri Patronatus Laici, quando causa subest, & plenitudine potestatis vtitur: cuius signum est, quòd huiusmodi beneficia vacātia in Curiā conferat nō expectata Laici presentatione: ergo multò magis potest derogare iuri Collatoris; nam hoc ius multò minùs est, quàm ius præsentandi: presentandi enim ius oritur ex fundatione vel dotatione; & si ad egestatem deueniat Patronus seu Præsentator habet ius alimentorum. Conferendi verò ius pendet ex voluntate Pontificis: cuius signum est, quòd Pontifex illud sibi reseruet ob varias causas, etiamsi nulla culpa collatoris ordinarij interceserit: & quòd cum Episcopis & alijs menses diuidat.

Plenaria dispositio omnium beneficiorum ad eum pertinet.

Secundò, Quia plenaria dispositio Ecclesiarū, Personatuum, dignitatum, & aliorum beneficiorū noscitur ad Romanum Pontificem pertinere; vt habetur Cap. *De Prębendis*, in 6. Hinc est quòd possit Episcopos & alios Collatores præuenire, vt ait Glossa ibidem.

Non debent vocari habentes interesse.

Tertiò, Quia etsi de alijs beneficijs posset quis dubitare, tamen de Regularibus nullū potest esse dubium, quin liberè possit illa vnire, quando ita expediens iudicabit, nullo collatoris ordinarij (qui hic Abbas est vel saltē Monachus) requisito cōsēsu. Quia Papa est ordinarius superior omnium Regularium, & potest eos pro arbitrio priuare suis beneficijs, & aliò transferre: quamuis probabilius sit non posse transferre in seculares.

Quartò, Quia etsi in vnionibus quas facit Episcopus, debeant vocari omnes quorum interest; nō tamen id fieri debet in ijs, quas facit Papa; vt docet Petrus Rebuffus in Regul. 21. Cancellariæ glossa 11. n. 7. eò quòd ipse in his habeat plenitudinem potestatis: præsertim cùm illud præiudiciū quod fieri videtur Collatori, sit minimum, & non considerabile. Vnde etiam per clausulam generalem ei potest derogari; vt docet Ludouicus Gomezius q. 1. in Regulam *de non tollendo iure quæsito*.

Quintò, Legatus vniendo potest ab Episcopo auferre collationem, vt fatetur Rebuffus titul. de Vnionibus n. 26. citatque Dominos de Rota: ergo multò magis id potest Pontifex.

61 *Quando nam vocari debeant habentes interesse.*

Hinc patet, potuisse hanc vnionem fieri, non vocato prædicto Abbate collatore. Imò quando causa vnionis est tam manifesta, certoque constat Collatorem nihil posse adferre cur non expediat vnionem fieri, non est opus illum vocari: nam ob hanc solam causam vocandus est. Causa enim cognitâ & probatâ superiori, potest fieri vnio, velit nolit Collator, & alij quorum interest; vt rectè Rebuffus Glossa 11. n. 3.

62 *Quando nam censeri debeat derogatio sufficienter esse facta.*

Petes: Quandonam hæc derogatio censeri debeat sufficienter facta esse in Bulla?

Respondeo, Certum esse hanc derogationem sufficientissimè tunc factam censeri debere, quādo varię clausulę adhibentur, quibus id manifestè declaratur; quales sunt: *Prima*, Cùm dicit Pontifex se Prioratum illū isti monasterio vnire, annectere, & incorporare, simul atque primùm vacauerit, (etiamsi vacet mensibus ordinarijs Collatoribus concessis, vel concedendis) ita vt statim possit capi possessio, nullius licentiâ requisitâ. *Secunda*, Cùm decernit omnes alias prouisiones in posterum faciendas de prædicto Prioratu, inualidas, & nullas &c. *Tertia*, Cùm dicit, præsentes litteras non posse impugnari, aut inualidari de vitio subreptionis, obreptionis, vel alio quouis defectu. *Quarta*, Cùm dicit, non obstantibus priori voluntate nostra prædicta, in qua continebatur vt vnio non valeret, nisi vocatis quorum interest: &c. *Quinta*, Cùm dicit, non obstantibus monasterij & Prioratûs & Ordinis prędictorum consuetudinibus, priuilegijs, & indultis, super prouisione vel nominatione personarum ad illa, dum pro tempore vacant: &c. quibus verbis apertè Pontifex derogat iuri conferendi & præsentandi.

CASVS XXVIII.

Vnio Prioratus absque consensu Patroni.

Virum Summus Pontifex possit beneficium conferre, & etiam vnire alicui loco pio absque consensu Patroni, præsertim Ecclesiastici. Et quid si in litteris concessionis non deroget huius iuri?

63 *Priuilegia Patronatûs Laici in quibusdam regnis.*

Respondeo, Cùm Summus Pontifex, omniū Doctorū iudicio, in re beneficiaria plenitudinem potestatis habeat, vt eam dispenset prout Ecclesiæ videt magis expedire; non est dubitandū quin possit beneficia conferre, & etiam vnire alicui loco pio absque consensu Patroni. Ita docet Rochus de Iure Patronatûs V. *Honorificum*, qu. 3. estque communis sententia. Et quamuis cùm beneficium est iuris patronatûs laici, in quibusdam regnis nō admittatur collatio vel vnio absque patroni consensu, vt in Hispania, & Gallia, teste Couarruuia lib. 1. pract. qq. c. 36. tamen nemo dubitat quin id admittendum sit, quando patronus est Ecclesiasticus. Solùm requiritur hic consensus quando vnio faciendæ est auctoritate Ordinarij, vt colligitur ex ijs quæ scribit Couar. suprà, nu. 11. & Panor. in c. 8. de constit. nu. 5. Imò quando est Ecclesiæ necessitas, vel euidens vtilitas, valet etiā Episcopi collatio, & vniò facta absque consensu patroni; vt patet ex additionibus ad Panormit. loco citato, & Felino in dictum, cap. 8. n. 20.

Episcopus potest subinde vnire absque consensu patroni Ecclesiastici.

64 Cùm ergo Pontifex, omnium sententiâ, possit facere talem vnionem absque consensu Patroni Ecclesiastici: supereſt, vtrùm hîc de facto intenderit eam facere, cùm speciatim iuri patronatûs non videatur derogasse.

Vnde constet, An sufficienter derogatum sit Iuri Patronatus.

Ad quod Respondeo, Pontificem intendisse omni modo quo poterat, hanc vnionem ratam & validam efficere; ac proinde hoc ipso generatim satis derogasse iuri patronatûs, præsertim Ecclesiastici. Quòd omni modo intenderit: satis patet, Tum ex eo *quòd nulla alia decreta canonica velit obstare huic suæ dispositioni*, vt patet pag. 4. in fine: atqui omne ius patronatûs est ex decretis Canonum. Tum, *quòd has litteras nolit impugnari de surreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis suæ, alioue aliquo defectu.* Quę sanè verba satis apertè indicant illum omni modo voluisse hanc suam dispositionem esse validam sublatis omnibus impedimẽtis: Nec posse aduersarios obijcere, Pontificem non fuisse satis informatum; aut non intendisse vnionẽ efficere validam absque consensu Patroni. Tum denique, quia in Curia Romana nunquam expediuntur huiusmodi vniones, quin omnia minutim intelligantur, quæ ad conditionem rei vniendæ pertinent; & maximè, an beneficium subsit iuri patronatûs, an verò sit liberum; an patronus sit laicus, an clericus; an sæcularis, an religiosus &c. Accedit, quòd omnes Prioratus S. Benedicti sint dependentes à monasterijs; ac proinde subiecti iuri patronatus. Vnde non potuit Summus Pontifex ignorare hunc Prioratum habere patronum. Quòd autem eius expressa mentio cum derogatione, facta non fuerit, fortasse id factum obliuione vel inaduertentiâ eorum, qui litteras huiusmodi expediunt.

Omnes Prioratus dependentes à monasterijs, sunt subiecti iuri Patronatus.

65 Quòd bella tunc temporis inter Gallos, & Regem nostrum Catholicum vigerent, parum ad negotium propositum facit: quia illa bona confiscata non fuerant, imò nec confiscari poterant, cùm Ecclesiastica sint; & res Ecclesiasticæ ob bella & iniurias Principum confiscari nequeant. Vnde etiam Abbas Gallus non potuit priuari à nostro Rege iure patronatûs &c.

Bona Ecclesiæ non cadunt in fiscum.

26 Verùm Summus Pontifex propter Ecclesiæ bonum, potuit bona illius Prioratûs alijs vsibus applicare, & consequenter priuare Abbatem iure patronatûs. Imò Legatus à latere id poterat, etiamsi patronus non esset illi subiectus, vtpote extra limites ipsius legationis degens; vt docet Rochus suprà.

Legatus à latere potest beneficia vnire absque cõsensu patroni Ecclesiastici.

Scripsit Felinus tractatum, *Quando litteræ Apostolicæ noceant patronis Ecclesiarum*; quem citat Rochus. Verùm nos in opere Felini eum non habemus. Is omnino consulendus est.

BONA ECCLESIÆ.

CASVS I.

Acquisitio Bonorum Ecclesiæ.

Titius cuidã loco religioso donatione inter vivos contulit aliqua bona immobilia, ad ea vel perpetuò possidenda, vel ea vendenda; eamque donationem postea testamento confirmauit.

QVÆRITVR, *Vtrùm hæres ipsius prætextu priuilegij* Læti introitus, *& similium, possit bonâ conscientiâ denegare illi loco non solum prædicta bona, sed etiam illorum æstimationem?*

RESpondeo, Expenso prædicto priuilegio, ejusque qualitate & mente considerata, clarum videri, non posse ex hoc capite sine peccato & graui iniuriâ, æstimationem illorum bonorum denegari. A

Primò, Quia mens illius constitutionis non est irritas reddere huiusmodi donationes seu dispositiones, nisi quatenus per eas transferuntur bona immobilia ad manum mortuam, nempe vt possideantur & retineantur ab Ecclesia, locoue pio, vt ex verbis illius constitutionis diuersis locis, & ex fine illius apertè colligitur. Vnde si donentur ad vendendum, & ea mente acceptentur, donatio non erit irrita. Cùm igitur dicta donatio facta sit alternatiuè ad alterum istorum, poterat à pio loco sic acceptari: censetur autem sic acceptasse, quia intendit acceptare eo modo quo optimè potest.

Explicatur finis seu intentio edicti Carolini.

Secundò, Quia, cùm hæc constitutio videatur valdè dura, & repugnans iuri Ecclesiæ & sacris Canonibus, ac multis Concilijs Oecumenicis, vt Concilio magno Lateranensi sub Innocentio III. cap. 44. & refertur Cap. *Cum Laicis*, de rebus Ecclesiæ non alienandis: & Conc. Constantiensi in articulo de Ecclesiast. libertate: & Conc. Lateranensi sub Leone X. sess. 10. denique Concilio Tridentino sess. 25. de Reformat. cap. 20. cùm inquam videatur manifestè repugnans his Concilijs & Iuri Ecclesiæ, libertatique Ecclesiasticæ; ea interpretatio necessariò adhibenda est quę illam cõstitutionem mitiget, vt quàm minimũ repugnet, non quæ exaperet, vt per se notum est. Quare etsi in eâ constitutione statuatur vt translatio bonorum immobilium facta in pium locum sit irrita, id solùm intelligendum de ipso corpore possidendo, non de illo vendendo, & obtinendo eius pretio. Sic enim obtinetur finis illius constitutionis, & minùs lædtur ius Ecclesiæ. 2

Videtur repugnare iuri Ecclesiæ & SS. Canonibus.

Adhibenda est mitigans interpretatio.

Confirmatur ex doctrina Bartoli quam habet lib. 2. Minoricarum. distinct. 4. cap. 2. & 3. vbi docet etiamsi fratres Minores sint incapaces bonorum immobilium, si tamen aliquid immobile illis legetur, valere legatum; sed illud esse vendendum, vt obtineant ex illo pretium. Sic enim ob fauorem piæ causæ tales dispositiones esse interpretandas, & hanc censeri mentem disponentium. Multò ergo magis idem habebit locum in nostro casu, vbi pius locus ex se non est incapax dominij rei immobilis, sed solùm prohibetur per Principem sęcularem possidere. Idẽ docet Emanuel Rodriges tom. 2. q. 126. a. 1. de alijs Mendicantibus, qui bona immobilia possidere non poterant, nempe illos ex testamento posse capere bona immobilia, non vt illa retineant in proprio vel in communi, sed vt vendant, & eorum pretia in suas necessitates conuertant, vt ait Glossa in cap. 1. v. *Domum.* de Relig. domibus in 6. quam sequitur Calderinus; & testantur esse sententiam communem Alexander & Decius. Non enim dicuntur accipere immobilia, ex quo statim illa vendere, & pretium in suas necessitates cõuertere intendunt, vt post alios resoluit Iulius Clarus lib. 2. sententiarũ, §. Religiosus. Hæc Emanuel Rodriges. His alijsque consideratis, perspicuum mihi videtur sine graui iniuria pretium non posse loco illi denegari. 3

Mendicantes sunt capaces pretij prouenientis ex venditione immobilium.

CASVS

CASVS II.

Reuocatio donationis factæ monasterio.

Princeps bona quædam fisco addicta absolutè dedit cuidam monasterio: posteà ex pacto Induciarum, quo bona eiusmodi ad priores dominos redire debent, amici seu hæredes qui Regi semper fuerunt fideles, ea repetunt.

QVÆRITVR, *Vtrùm Princeps possit illa bona iterum monasterio eripere, & amicis restituere?*

4 PErpensa specie facti. Planè manifestum videtur saluâ conscientiâ Principem non posse illa bona Religiosis absolutè & in perpetuum donata, adimere, vt alijs, quantumuis fidis ministris, gratiam faciat. Idque propter duas causas, quarum quælibet per se sufficit.

Nemo de alterius rebus potest disponere.

Prima causa est, Quia nemo, ne Princeps quidem, potest alteri gratiam facere in re alterius, sed in suâ duntaxat, quam ipse bono iure possidet: quia nemo de re alterius pro suo arbitratu disponere potest, sed quisque tantùm rei suæ est arbiter. Notum est exemplum de vinea Naboth 3. Regum. cap. 21. Constat autem illa bona per talem Principis donationem, translata fuisse in dominium Religiosorum: ac proinde non posse ea principem pro suo arbitratu ampliùs donare. Hoc si in priuatorum rebus, omnium Doctorum consensu certum est, multò magis in ijs quæ Deo consecrata sunt, & locis pijs ad cultum diuinum applicata; quæ absque crimine sacrilegij reuocari non possunt. 17. q. 4.

5 *Quando-nam possit Princeps statuere de bonis priuatorum.*

Nec obstat quòd Princeps de rebus priuatorum statuere possit, quando bonum commune id postulat; quia id locum non habet in præsenti casu, vbi non prætenditur necessitas boni communis, sed petitur gratia & beneficium. Vnde argumentum, quod pro aduersa parte adducitur, nimirum, æquius & iustius esse, vt subditi semper fideles, dicto priuilegio fruantur, quâ rebelles, quibus ius tale datum est; nullius est ponderis: quia id quod rebellibus concessũ est, non est priuilegium liberum & gratiosum, sed dispositio necessaria bono Reipublicæ. Aliter enim periculum erat non obtinendarum Induciarum, neque pernicioso bello finis imponendi. Talis autem dispositio non potest extendi ad alios casus: Iniquum enim est vt quidquid permittitur rebellibus ad redimendam seditionem, concedatur fidelibus subditis, eo nomine quod morigeri & fideles permanserint. Alioqui ciuitates quæ semper in fide perstiterunt, possent simili argumento petere exceptionem vectigalium & liberam administrationem.

6 *Princeps tenetur ex promissa.*

Secunda causa est: Quia Princeps, vt omni modo quo posset, hanc piam donationem ratam & irreuocabilem faceret, promisit se assecuraturum prædictos Religiosos de illis bonis contra omnes & quoscunque: quæ promissio illum obstringit in conscientiâ, vt quamdiu illa donatio viâ iustitiæ defendi potest, non patiatur illam in irritum recidere. Itaque quamuis Princeps, quâ Princeps, seu iustus Iudex, obligetur curare vt nemini, contra ius, quod suum est, adimatur; quia omnibus ius dicere debet: tamen in hoc casu non solùm illâ generali ratione, & vt Princeps tenetur; sed etiam speciali ratione promissionis, quasi patronus, qui totum periculum rei in se suscepit. Hæc promissio talis est naturæ, vt etiam in priuato inducat obligationem iustitiæ; adeò vt, si quis factâ tali promissione, non defendat causam, pro quâ spopondit, & sinat illam euerti, teneatur ad restitutionem. Vnde patet hanc obligationem esse distinctam ab eâ, quâ tenetur Princeps, vt Princeps & Iudex.

Ex quibus manifestè sequi videtur, quod initio proposuimus, in præsenti casu non posse Principem saluâ conscientiâ bona illa Religiosis adimere, vt alicui alteri gratiam faciat.

CASVS III.

Prohibitio acquisitionis bonorum Ecclesiæ.

Vtrum Statutum quo Ecclesiæ & pia loca redduntur inhabilia ad acquirendum possessiones & immobilia sit, contra libertatem Ecclesiasticam?

7 REspondeo, Statutum quo Ecclesiæ & pia loca redduntur inhabilia ad acquirendum possessiones & immobilia, est contra libertatem Ecclesiasticam. Probatur Primò, ex Cap. 1. de Immunit. Ecclesiast. in 6. in fine, vbi apertè id habetur. Secundò, Quia est contra ius concessum Ecclesiæ, l. *Generaliter*, & l. *Iubemus*, & l. *Vt inter diuinum*. C. de Sacrosanctis Eccl. Vide etiã l. *Cassa*, & l. *Priuilegia*, eodem titulo. Tertiò, Quia est contra ius Gentium, & cedit in iniuriam Christi, cuius sunt bona Ecclesiæ.

Qui condunt talia statuta, vel ea exequuntur, sunt Excommunicati, Cap. *Non minus*. de Immunit. Eccl. & Cap. *Nouerit*, de Sententia excommunicationis. Et in Bulla Cœnæ excommunicatione 15. apud Nauarrum n. 69. Concilium autem Trident. renouat omnia Iura antiqua & pœnas illis contentas, sess. 25. cap. 20. de Reform.

CASVS IV.

Prohibitio acquisitionis bonorum Ecclesiæ.

Vtrùm licitè possit fieri constitutio, qua illi, qui volunt ingredi Religionem, vel iam ingressi sunt, prohibeantur bona sua, vel portionem legitimam ipsis obuenturam dare pauperibus, vel conferre in Religionem, præsertim si ea pauper ac tenuis sit?

8 *Rationes, cur id videatur licere.*

VIderi possit alicui talis constitutio licitè fieri posse. Primò, quia dispositio bonorum temporalium pertinet ad Principem, cuius etiam est prouidere ne illa transferantur ad extraneos, & exhauriantur familiæ. Secundò, quia alioquin Religiones nimias diuitias accumulabunt, quæ ipsis posteà erunt in ruinam, dum commessationi & crapulæ Religiosi indulgent. Tertiò, quia Principes habent in hac causa exemplum magni Theodosij, qui constitutionem edidit, qua viduæ vetantur Ecclesiæ bona sua relinquere, vt patet ex C. Theod. leg. 27. Et gloriosæ mem. Carolus V. in diplom. *Læti introitus*, vt vocant, & alijs quibusdam, sanxit ne Ecclesiæ, monasteria, aliaque pia loca possint vllo modo de nouo acquirere bona immobilia, grauiterque vetuit Iudicibus ne illos iuridicè inuestiant; & si contra fiat, totum reddit irritum.

9 His tamen non obstantibus, certum est talem constitu-

Non potest fieri sine graui peccato.

constitutionem, positis illis circumstantijs, absque graui peccato fieri non posse; quod peccatum eò deterius, & periculosius est, quòd assiduè duret & continuetur, nec remitti possit quamdiu talis lex non reuocatur.

Repugnat consilio Christi.

Probatur hæc assertio: Primò, quia directè est contra consilium Christi Domini, & contra Euãgelicam perfectionem, quam Dominus communiter omnibus suasit, cùm ait Matthæi 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Vbi notant sancti Patres Dominum non dixisse, da amicis, & consanguineis; sed, *Da pauperibus.* Vnde alibi dicit: *Vendite quæ possidetis, & date eleëmosynam,* hoc est, date pauperibus. Atqui repugnare consilio Christi, & homines ab eo sectando prohibere, grauis est iniuria in Christum. Etsi enim non sequi consiliũ Christi non sit peccatum, quia consilium est, non præcepum; nec vlli necessitas imponitur, sed liberum cuique Domini nostri benignitate relinquitur: auertere tamen alios, & vi prohibere, graue peccatum est, ad sacrilegium vel impietatem pertinens. Sicut si supremus Princeps suaderet omnibus ad arma ferenda idoneis, vt capessant militiam contra infideles, vel quid aliud in eius obsequium faciant; profectò grauiter Principem offenderet, qui suaderet contrarium, & multò magis qui vi impediret: imò hic reus censeretur læsæ maiestatis, quãtumuis ipse varias causas facto suo prætexeret. Christus autẽ est Rex Regum & Dominus Dominantium, cui infinita reuerentia debetur: qui ergo eius consilijs se opponit, graue crimen committit, & impius vel sacrilegus videtur censendus. Quod sanè maximè locum habet, quando id fit per legem, quæ ad omnia loca, & tempora, & personas se extendit. Nullus esse potest modus se opponendi consilio Christi vel efficacior, vel latiùs patens, vel diuturnior. Vnde si peccat, qui, vel in vno solo, consilium Christi vi impedit; quantò grauiùs peccat qui impedit vi & lege, in tam multis, & tam diuturno tempore?

10 *Est Christo & Religioni iniurioſum.*

Secundò, Talis constitutio non solùm esset iniuriosa Christo, quatenus eius consilium prohibet; sed etiam quatenus impedit augmentum cultus diuini, & salutis animarum. Multi enim per inopiam Religionis ab ea excluduntur, qui si potuissent admitti, gloriam Dei & salutem animarum valdè promouissent.

Tertiò, Fit etiam iniuria Religioni, cuius interest, vt, qui volunt illi benefacere, & cultum diuinum ac numerum seruorum Dei augere, relinquantur suæ libertati, neque vi aut metu prohibeantur. Sed & illi, qui Religionem ingreditur, iniuria irrogatur: Hic enim cùm iure diuino & humano possit sua in causas pias ad salutem animæ suæ expendere, nec teneatur ea hæredibus non necessarijs absque fructu spiritus (præsertim cùm inopia non laborant) relinquere; cogitur cũ detrimento spiritali diuitibus dimittere: quod sanè non parua videtur iniuria, vt ex sanctis Patribus ostendemus. Æquum enim est vt sicut ipse corpus suum Dei obsequio consecrat (in quo à nemine sine graui sacrilegio & iniuria impediri potest:) ita etiam bona sua quibus sæculo seruiuit, vel seruiturus fuisset, possit Deo consecrare, iuxta Domini sui, ipsum à sæculo vocantis, consilium.

11 Quartò, Talis constitutio est contra sanctorũ Patrum doctrinam, qui etiam censent eam esse impiam & sacrilegam. S. Hieronymus epist. 8. ad Demetriadem: *Si vis, ait magister bonus ad adolescentem, perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus; & veni, sequere me. Apostolici fastigij meus est, perfectaque virtutis, vendere omnia, & pauperibus distribuere; & sic leuem & expeditum cum Christo ad cælestia subleuari.* Et infrà: *Da pauperibus*, inquit, *non diuitibus, non propinquis, non ad luxuriam, sed ad necessitatem. Laudent te esurientium viscera, non eructantium opulenta conuiuia.* Et idem epist. 26. ad Pammachium nobilem iuuenem: *Si vis esse perfectus, & desideras esse quod Propheta, quod Apostoli, quod Christus est; vende non partem substantiæ, sed vniuersa quæ possides: cumque vendideris, da pauperibus, non locupletibus, non superbis: da quo necessitas sustentetur, nõ quo augeantur opes. Pars sacrilegij est rẽ pauperũ dare non pauperibus.* Dicit hoc esse *partẽ sacrilegij*, quia eo ipso quo personaDeo se cõsecrat, etiã bona sua cõsecrare videtur. Nã *Accessoriũ sequitur suũ principale*, vt habetRegulaIuris. Quòd si dare talia nõ pauperibus, huic sancto Doctori videtur pars sacrilegij; multò magis legem & constitutionem, qua talia vetantur dari pauperibus, & iubentur relinqui consanguineis opulentis, dixisset esse sacrilegam. Idem epist. 34. ad Iulianum, hortatur ipsum, vt partem filiarum quæ obierant, non in sororum ornamenta, & luxum effundat, sed in pauperum conferat alimenta. *Aduersatur SS. Patribus.* *Hieronymus.*

S. Basilius in quæstionibus fusè disputatis q. 9. cùm proposuisset quæstionem, *Quibus deberent ij qui religionem ingrediuntur, suas facultates relinquere*; ita respondet: *Cùm Dominus noster dixerit, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me. Et iterum, vendite quæ possidetis, & date eleëmosynam: equidem colligo qui hac mente à suis discedit, hunc huiusmodi curam de parte patrimonij sui nullo modo debere negligere; sed contrà illud procurare, vt cum diligentissimè omnia secum abstulerit, tanquã rem Domino consecratã summa religione distribuat.* Et infrà dicit, si cognati naturales iniquiùs se gesserint, & opposuerint, nõ esse cũ illis magnopere litigandum, *Admonendi tamen*, inquit, *qui tales sunt, & sedulò testificandum, sacrilegij scelere se ipsos astringere: idque à nobis faciendũ vt pareamus præcepto Domini, qui dixit; Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum* &c. Idem in regulis breuioribus q. 187. quærit hoc modo: *An ij qui cœnobio se dedunt, debeant à propinquis quæ ad se pertinent accipere?* cui quæstioni ita respondet: *Omnino ijs qui ad Dominum accedunt, necessario quæ ad ipsos pertinent, reddere illorum propinqui debent, neque quidquam subtrahere, ne sacrilegij iudicium incurrant &c.* Idem q. 92. docet ob duas causas bona potiùs pauperibus, quàm amicis locupletibus distribuenda: Primò, quia in pium vsum collata, valent ad redemptionem animæ, & remissionem peccatorum in sæculo admissorum, iuxta illam Domini sententiam, *Quod superest, date eleëmosynam; & ecce omnia munda sunt vobis.* Secundò, quia valent ad obtinendum regnum cælorum, & thesaurum in cælis non deficiẽtem, iuxta illud, *Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis.* *Basilius.*

S. Augustinus in sua regula, quæ habetur epist. 109. *Qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi sunt monasterium libenter velint esse commune.* Idem in regula Clericis tradita: *Si quis venire desiderat ad congregationem fratrum qui in vnum esse videntur, non* *Augustinus.*

non ignoret hæc Euangelij dicta, Vendat omnia sua, & eroget egenis & pauperibus. Similia habet c. 25 de opere Monachorum. Idem Epist. 89. ad Hilarium cùm proposuisset tres gradus diuitum saluandorum, tandem addit: *Ego qui hæc scribo, perfectionem de qua locutus est Dominus, quando ait diuiti adolescenti; Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me; vehementer adamaui, & non meis viribus, sed gratiâ illius adiunctâ sic feci. Neque enim, quia diues non fui, ideò mihi minus imputabitur: Nam neque Apostoli qui priores id fecerunt, diuites fuerunt. Sed totum mundum dimittit, qui, & illud quod habet, & quod optat habere, dimittit. Et ad hoc propositum, quàtis possum viribus, alios exhortor; & in nomine Domini habeo consortes, quibus hoc per meum ministerium persuasum est.* Vbi notandum S. Augustinum non solùm hoc consilium Christi secutum, sed etiam totis viribus conatum persuadere omnibus, quibus id esset integrum, vt sequerentur, omnia sua in pauperes erogando.

Ambrosius. S. Ambrosius lib. 1. Officiorum cap. 30. *Neque enim propterea te Domino dicasti, vt tuos diuites facias; sed vt vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras, & pretio miserationis peccata tua redimas. Putant* (qui à te Religionem ingressuro facultates tuas petunt) *parum se poscere? Pretium tuum quærunt; vitæ tuæ fructum adimere contendunt. Et accusat quod eum diuitem non feceris, cùm, te illi velit æternæ vitæ priuare mercede?* Quibus verbis apertè ostendit quanta iniuria fiat illis, qui non permittuntur res suas in pia opera dispensare.

Omitto reliquos Patres & Doctores Scholasticos, qui omnes docent, eos, qui Religionem capessunt, seseque Deo consecrare volunt, etiam bona sua eidem debere consecrare, conferendo ea in pauperes, vel opera pietatis; non in amicos & cõsanguineos, nisi & hi quoque pauperum numero *Saluianus.* censeri possint. Vnum tantùm adferam Saluianum Massilienſem Episcopum (qui fere coæuus fuit S. Augustino) qui totam hanc rem luculentissimè prosequitur lib. 3. contra Auaritiam Christianorum, ad Ecclesiam Catholicam, vbi fusè ostendit quam impiè faciant parentes, quòd filijs suis, qui Religionem ingrediuntur, subtrahant suam portionem legitimam, & minus relinquant, quàm sæcularibus. Hoc enim nihil esse aliud, quàm Christum exhæredem facere, & prouidere ne quid ad Christum (à quo tamen omnia acceperunt) ex bonis suis perueniat. Inter cætera cùm ostendisset in testamentis condendis etiam pietatis rationem habendam, ita subdit: *At vero nunc diuersissime & impiissime. Nullis à suis minus relinquitur, quam quibus ob Dei reuerentiam plus debetur: nullos pietas minus respicit, quàm quos præcipuè Religio commendat. Denique si qui à parentibus filij offerantur Deo, omnibus cæteris postponantur oblati: indigni iudicantur hereditate, qui digni fuerant consecratione: & per hoc vnà tãtum res viles parentibus fiunt, quia cœperunt Deo esse pretiosi. Ex quo intelligi potest, quòd nullus pæne apud homines vilior est, quam Deus: cuius vtique fit despectione, vt eos præcipuè filios spernant parentes, qui ad Deum cœperint pertinere.* Quibus verbis ostendit id esse impium, & in Dei iniuriam redundare. Vide disputationem nostram *De statu vitæ deligendo*, q. 11. vbi multa longè præclarissima in amentiam multorum testamenta condentium, à viro illo sanctissimo, & deuotissimo adducuntur.

Ex quibus omnibus perspicuum est, talem cõstitutionem Sanctorum Patrum doctrinæ è diametro repugnare.

Quintò, Eadem etiam constitutio repugnat antiquis Christianorum Imperatorum legibus. Nouella enim 123. cap. 38. ita statuit Iustinianus: *Si qua mulier aut vir monasticam elegerit vitam, & intrauerit monasterium filijs non extantibus, monasterio quod ingreditur res eius competere iubemus.* Vbi non solùm permittit, sed etiam lege præcipit, vt res ingredientium tradantur monasterio. Deinde, de ijs qui liberos habent, statuit vt parens Religionem ingressurus relinquat liberis in sæculo manentibus portiones suas, & reliquum in monasterium conferat: nulloque casu vult priuari monasterium portione legitima, perinde ac si ipsum cẽseatur in numero filiorum. Eadem habentur Authent. *Si qua mulier.* C. de Sacrosanctis Ecclesijs. Rursus cap. 41. eiusdem Nouellæ ita statuit: *Nullam damus licentiam aut parentibus filios, aut filijs parentes, sæcularem vitam relinquentes, velut ingratos à sua excludere hæreditate, ob causam quæ religiosam vitam anteceſſerit. Interdicimus autem parentibus, ne filios suos monasticam vitam eligentes, ex sacro monasterijs abstrahant.* Vbi notandum, eam causam quæ sufficiens erat ad filium exhæredandum ante ingressum in Religionem, per ingressum ita extingui & aboleri, vt ob illam non possit sua legitimâ priuari, sed possit illam secum ad Religionem cõferre. Si tantus est fauor ingressûs Religionis, vt eum, qui per crimen iam excideraṭ, in integrum restituat; cuius animi erit filium mihil commeritum, ob solũ ingressum excludere; vel etiam (quod amplius est) lege cauere ne sua secum in Religionem asportet? Idem Iustinianus eadem Nouella cap. 37. statuit in fauorem Religionis, *Vt si fuit alicui relicta hæreditas vel legatum sub conditione nuptiarum, vel liberorum, vel dotis causâ, vel antenuptialis donationis, cum onere substitutionis & restitutionis, & talis Religionem ingrediatur; tales conditiones esse inualidas, & pro non scriptis habendas.* Eadem constitutio habetur Authent. *Nisi rogati*, C. ad S C. Trebellianum, quæ constitutio mirum indicat fauorem, quo olim Monarchæ orbis Religionem sunt prosecuti. Voluerunt enim omnia submouere quæ à Religione possent retrahere. Olim apud Romanos, cùm adhuc essent Ethnici, conditio si non nupserit, adiecta legato, vel institutioni hæredis, habebatur pro non adiecta, eò quòd retraheret à nuptijs, quibus tunc magis faucbatur, quàm castitati. L. *Titiæ.* π. de conditionibus & demonstrationibus. At modò in media luce Euangelica, quãdo pretium Castitatis & Religionis innotuit, Imperatores & Principes fauere cœperunt Religioni, & submouere omnia quæ ab ea capessenda possent retrahere.

Sexto, Talis constitutio apud Catholicos esset plane noua, & repugnans tot sæculorum praxi & consuetudini. Item esset manifestè contra Ecclesiæ libertatem, & cederet in magnam Religionis & Ecclesiæ iniuriam. Vnde Auctores non cuaderent censuram excommunicationis, ipso facto latam in conditores statutorum, quæ Ecclesiasticæ libertati officiunt. Hanc tulit Honorius III. Cap. *Nouerit*, De sententia excommunicationis, estque confirmata à Concilio Trident. sess. 25. c. 20.

Septimò, His addo huiusmodi constitutiones non rarò esse damnosas & perniciosas statui Principũ & Rerumpub. quæ in eas consentiunt. Viuit enim

12 *Repugnat antiquis Christianorum Imperatorum legibus.*

13 *Est contra libertatem Ecclesiæ.*

14

enim Numen Christi, cuius prouidentiâ mundus iste regitur, & iniurias sibi & suis irrogatas inspicit, & sentit; & sæpenumero etiam in hoc mundo vlciscitur. Qui enim Christũ, à quo omnia accepit, exhæredem scribit & intestabilem, meretur etiam ab illo exhæres fieri, & non solùm cælesti, sed etiam terreno regno excidere. Qui illius gloriam & obsequium imminuit, meretur & ipse inglorius fieri: nec solùm meretur, sed plerumque quod meretur, reipsâ accipit. *Quicunque* (inquit, 1. Regum 2.) *honorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Et Paulò antè: *Dominus pauperem facit, & ditat; humiliat & sublevat: suscitat de pulvere egenum, & de stercore eleuat pauperem, vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat.* Ab ipsius prouidentia familiarum exaltatio & depressio, prosperitas & aduersitas, diuitiæ & paupertas, gloria & ignominia pendet. Posset id plurimis exemplis tum veteris, tum noui testamenti, & etiam huius æui, si opus foret, ostendi.

15 *Respondetur argumentis num. 8. positis.*

Ad rationes initio allatas nunc breuiter respondendum. Ad Primam: Pertinet quidem ad Principem temporalium dispositio; ita tamen illâ vtendum, vt nulla Religioni & Pietati fiat iniuria. Neque dicimus familias nobiles esse exhauriendas, aut dominia nobilia ad Religionem transferenda. Hoc tamen olim valdè erat vsitatum, neque idcircò familiæ nobiles tunc concidebant, sed magis, diuinâ prouidentiâ ipsis benedicente, fiebant illustres & opulentæ. Verùm hoc modò non agitur, sed solum vt permittatur libertas ea inferendi in Religionem, quæ familiæ non sunt affecta, sed in quemuis extraneum liberè transferri possent. Quòd si familia pro suo statu pauper sit, illius ratio in primis habeatur.

Ad Secundam: Non agimus modò de locis Religiosis, quibus abundè, vt viuant, est prospectum: Religiosus enim non amplius de rebus tẽporalibus vel optare debet, quàm necesse sit, vt tranquillè & decorè, iuxta instituti sui rationem viuat. Sed agimus de illis quæ suis reditibus & consuetis eleëmosynis viuere non possunt.

Ad Tertiam: Theodosius quidem sanctionem edidit, qua viduæ prohibebantur donare Ecclesijs sæcularibus, ob certam causam, quæ tunc incidit: non tamen vetabantur dare monasterijs. Deinde Theodosius monitus à S. Ambrosio etiam talẽ legẽ esse Deo aduersam, mox eam reuocauit, vt patet ex lege 28. De Episcopis, in C. Theodosiano. Qua de re fusè tractat Baronius ad annum Domini 390. Quòd ad constitutionẽ glor. mem. Caroli V. attinet, de ea modò non disputo. Fortasse melius esset Belgicæ, si talia à suo Principe non extorsissent. Quas enim calamitates, quæ damna ab eo tempore non sustinuit? Notatum est à plurimis Illustrissimam quandam Rempub. ex quo talia attentare cæpit, grauissima damna accepisse. Sæpe iram Dei accendit, & mensuram peccatorũ ab ipso definitam implet, quod à mortalibus parũ vel nullius momenti æstimatur.

Respons. ad cõstitutionem Caroli V.

CASVS V.

Vtrum Politica auctoritate statui possit *ne Religiones excedant certum numerum personarum.* Item, *certam quantitatem reditum.* Item, *ne vel ingredientes, vel alij laici, plura bona mobilia, quàm ad constitutam taxam necessaria sunt, Religiosis conferant: idque solùm certo præmisso examine per deputatos, quo constet, an taxam constitutam non excedant?*

Prohibitio acquisitionis bonorum Ecclesiæ.

QVæstio ista supponit Principem politicum habere ex se potestatem disponendi & statuendi de monasterijs & ecclesiasticis personis, de quantitate bonorum, de numero personarum qui in quouis loco esse debeat: & prohibendi ne plures recipiantur; & ne laici eis bona sua etiam mobilia vel partem eorum vllo titulo donent vel relinquant, nisi certo præmisso examine per deputatos, quo constet an taxam constitutã non excedant; & alia his similia, cum clausulis irritantibus si quid fiat in contrarium. 16

Quæ suppositio varijs modis improbanda est. Primò, Quia manifestè accedere videtur ad errorem Marsilij Patauini damnatum à Ioanne XXII. qui docebat dispositionem bonorum temporalium spectãtium ad Ecclesias & loca pia, pertinere ad Principem sæcularem, non ad Summum Pontificem. De quo Albertus lib. 5. De Eccles. hierarchia cap. 1. & Aluarus Pelagius l. 1. De planctu Ecclesiæ cap. 68. qui etiam ob eam causam eum vocat nouum hæresiarcham. Imò, quod magis est, videtur accedere ad errorẽ schismatis Anglicani; quia non solùm supponit Principem habere ius statuendi de bonis, sed etiam de personis Ecclesiasticis & Religiosis, præscribendo quis numerus possit recipi in quouis loco, quantum singula monasteria habere, quantum eleëmosynarum possint admittere; & si vltra taxam constitutam aliquid datum fuerit, posse auferri tanquam nullo titulo possessum. 17 *Hi articuli accedunt ad errorem Marsilij.* *Et ad schisma Anglicanum.*

Secundò, Articuli isti nouitatem sapiunt, cùm nullo exemplo alicuius Reipub. Catholicæ (quod sciam) defendi queant. Certum enim est in regnis Hispaniarũ Regi subiectis, vel in tota Italia nihil hactenus tale quid constitutũ. Idem credo de locis Catholicis Galliæ, Germaniæ, Poloniæ, Belgij &c. 18 *Videntur alieni ab omni principe Catholico.*

Nec obstat quod Serenissima Respub. Veneta nuper voluerit quædam similia constituere: nam Summus Pontifex Paulus V. mox per graues censuras se opposuit. Et multi Scriptores Catholici doctissimis scriptis ostenderunt, hanc potestatem non cõpetere Reipub. aut Principi sæculari. Vbi notandum est, istos articulos qui hîc in quæstione proponuntur, longè deteriores esse, & magis lædere cultum diuinum, & studium perfectionis, & magis impedire consilia Christi Euangelica, quàm articulos Venetorum, etiamsi forte non magis videantur lædere iurisdictionem externam fori Ecclesiastici. Venetorum enim articuli non statuunt de numero personarum, & de quantitate reddituum; nec prohibent subditis plura donare locis pijs, si sint mobilia; sed solùm prohibent ne absque venia Senatus ædificentur nouæ Ecclesiæ, monasteria, aliaque pia loca; & ne bona immobilia Laicorum, quocunque titulo, ad Ecclesias & pia loca deuenire possent. Quæ certè videntur minùs impedire progressum cultus diuini, & largitionem eleëmosynarum, & consiliorum Christi executionẽ, quàm illi articuli qui hîc proponuntur. Nam bona ista immobilia possunt vendi, & loco illorum haberi pecunia æquiualens. Et venia Senatus non difficulter impetrari potest, quando aliquis *Veneti talia moliũtes, à Papa prohibiti.*

aliquis se offert qui Ecclesiam vel locum pium fundare velit. Nemo impeditur ingredi Religionem, aut res suas Religioni donare, aut legare, modò non sint immobilia; & sic adhuc cultus diuinus potest crescere. At per articulos qui hîc proponuntur, cultus diuinus non potest crescere; quia numerus Religiosorum non potest augeri: nec qui adspirant ad Religionem vt Christi consilia sequantur, possunt id exequi; quia Religio non potest illos admittere, cùm non possit illos alere, nec illi possint res suas illi Religioni donare, vt sic recipi queant absque aliorum incommodo; quia Religio non potest illa bona habere, cùm taxam excedant. Itaq; duplici modo impeditur ille homo ne consilium Christi possit exequi: Primò, quia non potest admitti, eò quòd numerus præstitutus personarum sit completus. Secundò, quia sua non potest donare Religioni ad cultum diuinum & salutem animarum promouendam.

Sunt peiores Venetorum articulis.

Neque solùm in his, qui cupiunt ingredi Religionem, impeditur Christi consilium; sed etiam in omnibus illis, qui tali Religioni ad augmentũ cultus diuini & promotionem salutis animarum cuperent aliquam pecuniam vel supellectilem relinquere.

Ex quibus ritè perpensis satis constat articulos istos Pietati Christianæ parum videri consentaneos.

19 *Non obstat columitati Prouinciæ magnus Religiosorũ numerus.*

Nec obstat quòd talis prouisio prætendatur tãquam necessaria ad consulendum paupertati Prouinciæ, & ne Religiosi omnia absumant si magno sint numero, aut si tam effusæ liberalitates in eos fiant. Quia si quis rem istã sincerè considerare velit, deprehendet ad opulentiam Prouinciæ & familiarum pertinere, vt quàm plurimi ad Religiones se conferant. Sic enim (excepto modico quod alimentis Religiosi sufficit) omnia bona deuoluuntur ad paucos qui manent in sæculo. Hinc passim vbi multæ sunt proles, datur opera vt aliquæ monasteriũ ingrediantur. Quo casu parentes nõ debent esse tã iniqui in suas proles, & ingrati in Religionem, vt non simul conferant congruentia alimenta, quando facultates suppetunt, & Religio tenuiter est dotata. Qua de re præclare differit Saluianus Massilienſis Episcopus, qui ferè ante 1200 annos vixit lib. 3. de Auaritia ad Ecclesiam Catholicam, vbi ostendit huius rei indignitatem: quam etiam Deus sæpè multis calamitatibus in proles sęculares, quæ bona illa retinent, vindicat. Deinde qui in sæculo erat absumpturus in rebus vanis & sæpè illicitis aliquot millia francorum, in Religione vix ducentos vel trecentos, idque ad solam necessitatem, consumit. Itaque sicut parsimonia ciuium non facit ciuitatem aut prouinciã pauperiorem, sed ditiorẽ, cùm facultates familijs saluæ maneant; ita nec Religiosorum multitudo, qui modico in Religione sunt contenti. Nam in sæculo longè amplius, & sæpè in regionibus externis, absumpsissent.

20 *Incolumitas regni potius à Dei prouidentia quã hominum cura pendet.*

Tertiò, Cuiuis bono Catholico persuasum esse debet promotionem & felicitatem Prouinciarum & familiarum longè magis pendere ex diuina prouidentia & benedictione, quàm ex hominũ prudentia, & talium articulorum obseruatione, qui etiam per se & politicè considerati, nihil nisi minutias quasdam continent nihil virium ad bonum publicum habentes. Nam vt 1. Regum 2. dicitur *Dominus est, qui viuificat & mortificat, pauperem facit & ditat, humiliat & subleuat, suscitans de terra inopẽ & de stercore erigens pauperem, vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat:* & Psalmo 126. *Nisi Dominus ædificauerit domũ* (familiam excitauerit, & illustrem fecerit) *in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat qui custodit eam:* & alijs locis innumeris Scriptura nos docet omnẽ huius vitæ splendorem & abundantiam, omnem potentiam Rerumpub. & familiarum à diuina prouidentia pendere: non à minutis quibusdam inuentiunculis politicorum, nec ab industria humana.

Timendum regno quod talia fouet.

Quod si ita est, valdè timendum, ne huiusmodi inuenta humana cum iniuria cultus diuini & famulorum eius coniuncta, Rempub. & familias potiùs euertant, aut multis calamitatibus inuoluant, quàm promoueant, & felices opulentasque efficiant. Nam vt Dominus ait 1. Regum 2. *Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Atqui per huiusmodi articulos Deus censetur contemni seu inhonorari. Nam & cultus eius, & numerus famulorum eius restringitur; & procuratio salutis multarum animarum ad eius gloriam instituta, auertitur; & executio consiliorum Christi in plurimis impeditur. Quid ergo mirũ, si, cùm Princeps & Respub. restingit cultum & familiam Christi, & procurationem negotiorum eius, quæ ad salutem animarum pertinent, ob speciem aliquam tenuem commodi temporalis: quid, inquam, mirum, si Christus vicissim restringat eorum opes, potentiam, felicitatem, permittendo bella & vastationes, immittendo sterilitatem, naufragia, incendia, aliasque calamitates? Quid mirum, cùm tam parci sumus in Deum eiusque cultum, & familiam ac honorem, si Deus vicissim parcus sit in commoda nostra, non solùm spiritualia (quæ ad vitam internam pertinent) sed etiam ad temporalia, ad quę tam auidè inhiamus? Nulli Principes feliciores & potentiores, & opibus affluentiores fuere, quã Constantinus, & Carolus Magnus; nulli etiam magis effusi in Ecclesiam & causas pias. Nullum hoc tempore regnum opulentius & tranquillius Hispaniã, nusquam maior liberalitas in Ecclesiam & monasteria: nusquam maior Ecclesiasticorum & Religiosorum vtriusque sexus copia: nusquam maior veneratio. Omitto referre multas calamitates in quas coniectæ Respublicæ & regna post huiusmodi decreta, etiam nostro æuo.

Illi potentissimi qui Ecclesiã fouent.

Refert Theodorus Balsamon Græcum Imperatorem Nicephorum Phocam, similem quandoque constitutionem edidisse, ne de nouo monasteria vel aliæ religiosæ domus extruerentur. Sed eam constitutionem Basilius Imperator, qui illi post Ioannem Zemiscem successit, reuocauit, cum clara testificatione & assertione, quòd omnes calamitates quibus perturbatum fuerat Imperium, propter Nicephori constitutionem eidem Imperio acciderint.

Quartò, Considerandum hos articulos manifestè esse contra iura Ecclesiæ, & Ecclesiasticam libertatem: ac proinde à summis Pontificibus & Concilijs generalibus sub grauibus pœnis esse prohibitos; quas pœnas ipso facto incurrant tum talia statuentes, tum exequentes.

21 *Hi articuli repugnant iuri & libertati Ecclesiæ.*

Concilium Lateranense sub Innocentio III. longè amplissimum Capite *Cum laicis*, de rebus Ecclesiæ non alienandis, dicit laicis de rebus Ec-

Concil. Lateranẽse magnum.

clesiæ

clesiæ disponendi nullam attributam potestatem, eosque grauiter reprehendit, quòd audeant sibi iurisdictionem Ecclesiasticam, vel circa res Ecclesiæ vsurpare; & eorum statuta de huiusmodi rebus irrita esse decernit; & censuris Ecclesiasticis, eos, qui talia statuta faciunt, compellendos.

Constantiense. Concilium Constantiense sess. 19. confirmat constitutiones Frederici II. & Caroli IV. pro Ecclesiastica libertate, vbi plurima ad hanc causam pertinentia habentur.

Lateranense sub Leone X. Concilium Lateranense sub Leone X. sess. 10. in Bulla quæ incipit *Regimini*, innouat omnes cõstitutiones contra violatores libertatis Ecclesiasticæ olim editas, & nominatim contra eos qui statuta condiderint eandem libertatem lædentia; & contra omnes qui ad hoc auxilium, consilium vel fauorem præstiterint.

Tridentinum. Concilium Tridentinũ sess. 25. de Reformat. cap. 20. innouat omnes Canones, omnia decreta Conciliorum generalium, & omnes Apostolicas sanctiones in fauorem Ecclesiasticarum personarum, libertatis Ecclesiasticæ, & contra eius violatores editas, & præcipit vt ab omnibus exactè seruentur. Deinde addit: *Propterea admonet Imperatorem, Reges, Respub. Principes, & omnes, & singulos, cuiuscunque status, & dignitatis extiterint, vt, quò largiùs bonis temporalibus, atque in alios potestate sunt ornati, eò sanctiùs, quæ Ecclesiastici iuris sunt, tanquam Dei præcipua, eiusque patrocinio tecta, venerentur*, nec à suis ministris vel subditis lædi patiantur; *sed seuerè in eos, qui illius libertatem, immunitatem, atque iurisdictionem impediunt, animaduertant: quibus etiam ipsimet exemplo ad pietatem, religionem, & Ecclesiarũ profectionem existant; imitantes anteriores optimos religiosissimosq; Principes, qui res Ecclesiæ, suâ in primis auctoritate, & munificentiâ auxerunt, nedum ab aliorum iniuria vindicarunt*, &c.

Bulla Cœnæ. Denique Summus Pontifex quotanis renouat excommunicationem latæ sententiæ in eos qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quæuis alia decreta, ex quauis causa, & quouis quæsito colore, fecerint, ordinauerint, publicauerint, vel factis & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas Ecclesiastica in aliquo lęditur, vel deprimitur, vel quouis modo restringitur.

Nec refert quòd huiusmodi articuli essent per Episcopos mandandi executioni: quia nec Episcopi ex se talem potestatem habent, nec Princeps sæcularis potest eam dare, nec huiusmodi statuta condere.

CASVS VI.

Alienatio Bonorũ Ecclesiæ.

Vtrùm Episcopus non faciat contra suum iuramentum quo iurauit non alienare possessiones suæ mensæ inconsulto Romano Pontifice: vel contra dispositionem Extrauag. Ambitiosæ, *De rebus Ecclesiæ non alienandis, si vendat alicui Religioni domum suam in alia ciuitate, eiusque tradat possessionem sub ratihabitione seu beneplacito Summi Pontificis?*

22 REspondeo, Certum est non facere contra iuramentum, autius vllum, & posse licitè ita alienare.

Ratio est Primò: Quia illud iuramentum, sicut & Extrauagans illa, intelligenda est de alienatione absoluta & perfecta, non autem de conditionata: dispositiones enim pœnales, & aliæ restringentes potestatem Ordinariorum, quam alioqui ex vi sui muneris haberent, strictè sunt intelligendæ; vt omnes DD. tradunt: Pœnæ enim & odia restringenda; vt ex Regu. Iuris constat. Atqui hæc alienatio non est absoluta, nec perfecta: ergo ea ibi non comprehenditur.

23 *Quod fit sub alterius beneplacito, nõ fit ipso inconsulto.* Secundò, Quia hęc alienatio confertur in Summi Pontificis beneplacitum: ergo non fit illo inconsulto. Non enim perficitur, nec vim habet nisi ipsius consilium accesserit, idque posteriùs naturâ & dependenter ab illo, adeò vt si consensus eius non accesserit, contractus resoluatur, & ab initio sit irritus. Et Confirmatur, Quia non potest dici inconsulto altero facere, qui totum quod agit, ipsius iudicio subijcit vt ratificet vel irritet pro suo arbitrio. Idem confirmatur ex praxi quotidiana in beneficiorum resignatione & permutatione recepta, & Iure approbata. Nam fiunt huiusmodi actus inter priuatos sub beneplacito Suę Sanctitatis; quamuis alioqui Iure absque huiusmodi conditione fieri nequeant. Pari modo filius familias qui mutuum accipere non potest absque consensu Patris, potest tamen sub parentis ratihabitione, quamuis non obligetur, nisi illa accesserit; illâ verò accedente obligatio retrotrahitur ad tempus contractûs; lege vlt. C. ad Macedon. Prætereà cõmunis sententia Doctorum est, quando res vrget, posse fieri alienationem etiam absolutam absque consensu Superioris, si degat in remotis; vt docet Panormitanus in Cap. vlt. de Eccles. ędificatione: multò magis fieri poterit vbi solum consilium alicuius requiritur. Postremò, Ex vi iuramenti solùm tenetur non alienare inconsulto Romano Pontifice. At multò plus est conferre totum in ipsius beneplacitum & ratihabitionem, quàm petere consilium.

CASVS VII.

Alienatio Bonorũ Ecclesiæ.

Vtrùm Prælatus volens alienare rem Ecclesiæ, satisfaciat Iuramento suo, quo iurauit eam nõ alienare sine consilio Pontificis, si recurrat ad Nuntium Apostolicum, eiusque consilio vtatur?

VIdetur satisfacere. Quia Illustrissimus Nuntius supplet locum Suæ Sanctitatis in prouincia, eiusque personam refert. Deinde, quia cõsilium solùm videtur necessarium quando ambiguum est vtrum alienatio sit vtilis: ergo non est opus quando est perspicua vtilitas. 24 *Ratio dubitandi.*

Sed contrarium videtur omnino tenendum, maximè si res patitur moram. Primò, quia alienatio rerum Ecclesiarum pertinet ad maiores Ecclesiæ causas, quæ ad Summum Pontificem sunt referendæ. *Recursus ad Nuntiũ Apostolicũ hic non sufficit.*

Secundò, si recursus ad Nuntiũ sufficit; vel, id est, quia Nuntius potest in illo iuramento dispensare, vel quia illud iuramentũ ita est interpretãdum, vt consilium Nuntij censeatur esse consiliũ Summi Pontificis. Non primum, quia inferior non potest dispensare in iuramento præstito Superiori, maximè cùm non possit dispensare in iuramento cum præiudicio tertij, etsi ille Superior non sit: at hic dispensatio esset in præiudicium tertij, & quidem Superioris; nam dispensaret in iuramento fidelitatis

fidelitatis præstito superiori. Non secundum, quia consulere Vicarium Episcopi, non est consulere Episcopum: ergo multò minùs consulere Nuntium, est consulere Summum Pontificem. Antecedens probatur, quia quando collatio beneficij pertinet ad Capitulum cum consilio Episcopi, consulendus est ipse Episcopus, nec sufficit consulere Vicarium: alioquin quando Episcopus est in remotis, consulendus esset Vicarius; quod apertè est contra Cap. *Si ad Episcopum.* §. vltimo, *Ne Sede vacante* in 6: ergo quando Ius requirit consilium Episcopi, non possumus interpretari sufficere consilium Vicarij. Consequentia probatur, quia Episcopus & Vicarius cẽsentur vna persona; habent enim idem Consistorium & Tribunal: vnde à Vicario ad Episcopum non est appellatio; sicut à Summo Concilio Regis non est appellatio ad Regem, quia est idem tribunal; Cap. 2. de Consuetudinibus in 6. At Nuntius & Summus Pontifex habent diuersas potestates, siue agatur de Causis in quibus ille habet iurisdictionem ordinariam, siue in quibus solùm delegatã: nam ab omnibus eius sententijs est appellatio ad Summum Pontificem. Confirmatur, quia inter Vicarium & Episcopum tanta est connexio, vt condemnatus vel absolutus à Vicario; in Iure dicatur absolutus vel condemnatus ab Episcopo: & tamen consilium Vicarij non est Episcopi, quando Ius requirit Episcopi consilium: ergò multò minùs consilium Nuntij erit dicendum consilium Summi Pontificis; cùm absolutus vel condemnatus à Nuntio, non dicatur absolutus vel condemnatus à Pontifice, cùm ei competat ad Summum Pontificem appellatio.

A similib⁹ Vicario Episcopi.

25 *Industria in Consiliario requiritur, quæ delegari nequit.*

Tertiò, Quando Ius statuit in aliqua causa requiri consilium alicuius, quæritur industria persona, vt communiter DD. tradunt: ergo non potest id extendi ad ipsius delegatũ. Et sanè in proposito industriam personę requiri, manifestum est; quia dare consilium non est iurisdictionis, sed prudentiæ, quæ maximè censetur esse in Summo Pontifice, vt qui totum Ius in scrinio pectoris sui continere dicatur.

26 *Alienatio bonorum Ecclesiæ refertur inter casus Maiores.*

Quartò, Quia Pontifex habet illam rem inter casus maiores, quos sibi reseruat; iuxtà Cap. *Maiores*, de Baptismo & eius effectu. Nimirũ vt semper in istis alienationibus sit quædam recognitio & depẽdentia ab ipsius auctoritate, qua est supremus bonorum Ecclesiasticorum vbique terrarum existentium dispensator: ergo vicem sui in hac re nõ censetur dedisse Nuntijs. Confirmatur, quia hanc causam tanti facit, vt eam in iuramento fidelitatis, quod Prælati in sua consecratione præstant, voluerit includi, adiunctis grauibus pœnis, in eos qui ipsum non consulerent: nam in Extrauag. *Ambitiosè*, sic habetur; *Alienanti verò bona Ecclesiarũ, monasteriorum, locorumque piorum quorumlibet inconsulto Romano Pontifice, aut contra præsentis constitutionis tenorem, si Pontificali vel Abbatiali præfulgeat dignitate, ingressus Ecclesiæ sit penitùs interdictus:* quam pœnam deinde aggrauat, & totum contractum irritum decernit. Et sanè si consilium Nuntij sufficeret, nunquam ferè opus esset consulere Pontificem; quia ferè semper sunt Nuntij in Prouincijs, per quos minora quædam administrat; & sic maximæ alienationes fieri possent absque Pontificis conscientia.

Plectitur graui pœna.

27 Denique, Potestas gerendi hac in re vices Pontificis, neque iure ordinario competit Nuntio; cùm nullus Doctorũ illam recenseat inter ea quæ Nuntio competunt: neque ex speciali delegatione seu cõmissione; quia id Nuntius in sua delegatione expressum haberet. Ob has rationes iudico contrariam sententiam non esse securam.

CASVS VIII.

Alienatiõ bonorum Ecclesiæ.

Prioratus aliquis ante 40. vel 60. annos vendidit bona quædam immobilia inualidè ob defectum consensus Generalis: & idipsum interè à sæpiùs fecit: neque interim vsus fuit priuilegio rescindendi tales contractus.

QVÆRITVR I. *An possit bona illa repetere, & contractus rescindere?*

QVÆRITVR II. *An priuilegium rescindendi tales contractus amiserit tam Prioratus, quàm Generalis?*

AD *Primum*, Respondeo: Si bona aliqua immobilia illius Prioratus ante 40. vel 60. annos vendita fuere inualidè ob defectũ consensus Generalis, & interim bona fide possessa ab emptoribus, nec repetita intra illud tempus; non possunt elapso illo tempore repeti, nec cõtractus rescindi: quia per vsucapionem translatum dominium. 28

Ad Secundum, Respondeo Primò, Si actum est contra illud priuilegium per 40. vel 60. annos, vendendo bona sine recursu ad Generalem, nec illi se opposuere intra illud tempus, curando irritari talem venditionem, & repetendo bona illa sic vendita; amissa sunt non solùm illa bona, ita vt repeti non possint tanto tempore elapso; sed ipsum etiam priuilegium amissum est, quo tanto tempore non sunt vsi cùm daretur occasio.

Respondeo Secundò, Si in omnibus vel plerisque locis illius Ordinis in prouincia aliqua sitis, non est seruata illa solemnitas recurrendi ad Generalem: sed res sunt venditæ cum consensu Capituli, & auctoritate Episcopi, nec postea curatum est vt illi contractus rescinderentur ob defectum consensus Generalis, si inquam id factum est sæpiùs in plerisque locis, iam videtur amissum priuilegium per consuetudinem contrariam, etiamsi non sint elapsi 40. anni. Quia consuetudo, vt legitimè censeatur præscripta, secundùm veriorem sententiam, non requirit nisi decem annos.

CASVS IX.

Translatio bonorum Ecclesię inquè possessorum.

Vtrùm possim vendere ædes meas Ministro hæretico, qui nullas habet pecunias nisi ex beneficijs Ecclesiasticis quæ iniquè possidet? 29

RESpondeo, Cùm ædes tuas venales habeas, si Minister hęreticus qui ex solis bonis Ecclesiasticis alitur, eas emere velit, non teneris illum repellere; sicut nec alij mercatores qui res necessarias vendunt, id tenentur facere. Non enim Ecclesiã, posito illo rerum statu, inuitã aut repugnante illam pecuniam accipis à Ministro: quia hæc acceptio non est vllo modo causa, cur Minister illam Ecclesiæ non restituat.

Petes, An efficiaris propriè dominus pecuniæ sic à Ministro acceptæ? Respondeo, Te non efficiri propriè dominum illius pecuniæ; quia Minister ille dominium rei alienæ transferre non potest: sed acquiris possessionem, quam Ecclesia, stante hoc rerum statu, concedit. Vbi tamen rebus tuis pecunia ista sic permixta fuerit, vt non possit internosci, iam dominium translatum est: vt constat ex ijs quæ habentur §. *Si dominorum.* Instit. de rerum diuisione; & L. *Si alieni* 71. de solutionibus.

BVLLA PONTIFICIA.

CASVS I.

Clausula Priuatorum Bullis inserta.

Quando Pontifex in Bulla seu Constitutionibus suis priuat Superiores, aliosue Prælaturâ, Beneficijs, Voce actiua & passiua, & inhabiles ad ea reddit hac formula: Eo ipso priuamus, & priuatos ac inhabiles decernimus & declaramus, &c.

QVÆRITVR, *Quid illa verba operentur?*

1 REspondeo, Illa verba, *Eo ipso priuamus, ac priuatos & inhabiles decernimus & declaramus:* non puto habere eam vim vt auferant beneficium, aut prælaturam iam ante iustè possessam, ita vt homo teneatur sponte dimittere ante sententiam declaratoriam Iudicis ferentem secum executionem & priuationem. Ita enim communiter sentiunt Doctores. Quia nimis graue est, nec humanæ infirmitati accommodatum, vt quis seipsum teneatur spoliare bonis iam possessis, nemine exteriùs cogente.

2 Tamen quòd attinet ad inhabilitatem respectu beneficij acquirendi; puto hanc ipso facto irrogari, sicut & irregularitatem, & inhabilitatem ex simonia; vt communiter Doctores tradunt.

Idem puto de priuatione vocis actiuæ & passiuæ: quia hæc non requirunt executionem hominis, sicut nec censuræ: & ipsa censura excommunicationis habet annexam talem inhabilitatẽ.

Fateor tamen, Si quis hinc incurreret infamiam, v. g. quia abstinet ab eligendo, tunc posset vti iure eligendi, sicut & celebrare in irregularitate. Idem dixerim de inhabilitate & priuatione vocis passiuæ.

3 Non tamen condemnauerim sententiam quorundam Doctorum, qui putant etiam hîc requiri sententiam Iudicis declaratoriam criminis. De quo videri potest Sancius lib. 9. disput. 30. Doctores quidam hoc sunt secuti in quibusdam dispositionibus, quę alioqui nimis durę videbantur. Vnde in casu Sixti puto istam sententiam non improbabilem.

Sancius lib. 9. disp. 30.

CASVS II.

Bullæ publicatio & reuocatio.

Pontifex Romæ Bullam publicat quæ vniuersam concernit Ecclesiam, & iubet eam vbique publicari & obseruari.

QVÆRITVR I. *An hoc ipso Bulla illa obliget alias Prouincias?*

QVÆRITVR II. *Ad quem spectet eius alibi promulgatio?*

QVÆRITVR III. *Quid requiratur vt dicatur recepta?*

QVÆRITVR IV. *An si Bulla illa reuocetur Romæ, eo ipso censeatur vbique reuocata?*

AD *Primum*, Respondeo: Probabilis est sententia Bullas Pontificias nõ obligare in alijs Prouincijs, nisi ibi sint promulgatæ; vt diximus in Tract. de Legibus, qu. 91. art. 4. Nisi contrarium expresè dicatur in ipsa Bulla, quod bis tenue fecit Xistus V. 4

Ad Secundum: Episcopi tenentur eas curare promulgari & obseruari, si commodè possint. Quòd si nequeãt sine magna perturbatione, vel difficultate, possunt excusari; modò bona fide faciant quod in ipsis est, vt seruentur.

Ad Tertium: Vt Bulla dicatur recepta, requiritur vt à maiore parte populi vel communitatis seruetur, cùm occasio se offert. Vbi tamẽ promulgata est, censetur recepta; saltem in proposito & acceptatione populi, nisi constet de contrario: vnde in dubio seruanda est. 5

Ad Quartum: Respondeo sub distinctione. In illa Bulla Romæ reuocata, vel agitur de cõtractibus, & similibus ex quibus nata est sequi magna perturbatio: vel agitur de priuilegijs. Si agatur de contractibus & similibus, ex quibus postea sequeretur in Prouincijs magna perturbatio, requiritur vt illa reuocatio solemniter promulgetur more legum præceptiuarum in prouincia, ibidemque recipiatur. Si vero agitur de priuilegijs, nõ requitur solemnis illa publicatio in prouincia, sed sufficit vt Romæ more consueto facta sit, & vt de ea certò cõstet in prouincia. Nam priuilegia cùm leges non sint, multò faciliùs quàm leges reuocari possunt, quandoquidẽ sint gratuitæ concessiones, quales sunt, delegata potestas absoluendi à censuris, à casibus reseruatis, Indulgentiæ &c. Hoc ipso enim quo ad notitiam delegatorũ talis reuocatio perfertur, amittunt delegati omnem iurisdictionẽ &c. Quænam verò leges in particulari obligent in Gallia, colligendum est ex regulis Doctorum.

CASVS III.

Placitum Aulæ.

Vtrùm ad vigorem Bullæ Apostolicæ requiratur Placitum Aulæ *?*

REspondeo, Placitum Aulę est impertinens ad valorem Bullæ. Hoc ipso enim quo recipitur aliqua Bulla, obstringit. Placitum Aulę facit ad promouendam vel impediendam executionem alicuius sententiæ vel mandati Apostolici: quia absque illo non permittunt fieri executionem in præiudicium partis quæ videtur grauata. 6

CASVS IV.

Receptio Bullæ Cœnæ.

Vtrùm Bulla Cœnæ Domini secundùm omnia sua in Belgio sit admissa?

REspondeo, De Bulla Cœnæ Domini non dubito quin sit recepta in Belgio quoad antiquos & ordinarios articulos, quales plerique sunt qui in eâ continentur: vix enim modò in eâ aliquid ponitur quod ab 80. vel 100. annis & ampliùs in vsu non fuerit. Nec refert quòd hic promulgata nõ fuerit: sufficit enim promulgatio Romanâ, & ea receptio, quam monitio & cura bonorum Confessariorum & Concionatorum induxit. De nouis articulis qui interdum inserũtur, maius est dubium; quia cessat illa ratio. 7

Noui articuli in ea inserti.

CASVS

CASVS V.

Bullæ reformatoriæ acceptatio & obligatio.

Bulla quædam reformatoria concernens omnes Religiosos, recepta est in varijs prouincijs vnius Ordinis, non tamē in monasterijs Belgicis eiusdem Ordinis. Item recepta est ab omnibus Ordinibus in vno aliquo regno habitantibus, excepto tamen vno aliquo Ordine vel altero eiusdem regni.

QVÆRITVR I. *An admissio Bullæ in varijs prouincijs vnius Ordinis, obliget monasteria Belgica?*

QVÆRITVR II. *An hoc ipso quo alij Ordines in vno regno Bullam admittunt, etiam vnus ille Ordo eam ibidem teneatur admittere?*

8 AD *Primum*, Respondeo: Etsi Bulla aliqua in multis alijs Prouincijs alicuius Ordinis sit recepta; si tamen in Belgio non est in eo Ordine recepta, probabile est, ibidem non obligare, nec habere effectum; præsertim si ignoretur. Contrarium tamen est plurimorum Doctorum, præsertim quando est constitutio irritans, vel inhabilem reddens. Et iuxta hanc sententiam declarat Xistina etiam eorum qui ignoranter contra formam à se præscriptam admissi sunt vel professi, admissionem, & professionem esse irritam.

Ad Secundum, Respondeo: Etsi non negauerim esse probabile, omnes Religiosos diuersorum Ordinum, in eadem Prouincia habitantium, facere vnum corpus in ordine ad receptionem vel obseruationem constitutionis, quæ generaliter ad omnes dirigitur, sicut prædictæ Xistinæ ad omnes diriguntur. Tamen contrarium puto esse planè verum & probabilius. Quia in hoc Ordine possunt esse rationes recipiendi vel non recipiendi aliquam constitutionem, quæ non sunt in alio. Vario quoque iure & varijs institutis viuunt, adeò vt magis videantur distingui varij Ordines religiosi, quàm variè ciuitates eiusdem regni. Sæpissimè tamen fit vt lex Principis in vno oppido communiter recipiatur, & consequenter obliget singulos eius oppidi ciues; in alio non recipiatur, & ciues ibi non obligentur.

CAMBIVM.

CASVS I.

Fictum Cambiū.

Mercatores secundùm rationem cambij Francofurtensis dant Curiæ Regiæ 100. quasi Curia ibi haberet pecuniam, cum pacto vt soluat recambium secundùm æstimationem currentem; & post terminum solutionis singulis mensibus vnum cum dimidio in 100. nomine interesse.

QVÆRITVR, *An contractus ille sit iustus?*

1 REspondeo, Contractus ille quomodo ab iniustitiâ vindicari queat non video: Primò, Quia communis Doctorum sententia est, Non esse verum cambium, sed vsuram nomine cambij palliatam, quando Campsarius non habet pecuniam actu vel in fide amicorum eò loci, quò cambium destinatur. Atqui Curia vel Rex nullam habet pecuniam Francofurti existentem reipsa aut in fide aliorum. Ergo hîc non potest esse verum cambium, sed solùm fictio cambij. Siue enim dicas cambium esse emptionem, siue permutationem, nihil habet Curia aut Rex Francofurti, cum quo fiat permutatio, aut quod possit censeri emptum in hoc contractu. Quòd si quis contendat Regem ibi posse habere pecunias, & ita iuxta quandam probabilem sententiam, quam quidam Doctores tenent de cambio Bizuntino, posse subsistere naturam cambij, hoc vt gratis demus, non tamen ideò redditur licitum: quia Rex non cupit remitti Francofurtum, cùm sine ingeniti dispendio non possit ibi pecuniam habere. Vnde est saltem contra charitatem: nemo enim vellet sibi, si in necessitate esset, id fieri, & cum tanto damno per tales ambages circumduci.

Secundò, Quia in eodem contractu obligatur Rex soluere recambium, quod etiam omnium iudicio illicitum est: quia nemo potest amplius petere ratione carentiæ pecuniæ suæ, quàm æstimationem interesse, & fortè etiam periculum sortis: ergo non potest præcisè ad recambium, quod plerumque longè maius est, obligari. Deinde, cùm Rex nullam pecuniam Francofurti recipiat, qua specie iustitiæ poterit obligari ad recambium soluendum, perinde ac si rursus ad cambium accepisset? 2 *Nemo potest obligari ad vsu cambium.*

Tertiò, Quia immodicum videtur vt Rex posteà nomine interesse soluat vnum cum dimidio singulis mensibus, id est, 18. in anno: sic enim vno contractu lucrabuntur 33. & quinque septimas in singulos centenarios; quo amplius non lucrantur publici & professi vsurarij.

CASVS II.

Cambij pretium.

Vtrùm Campsor tantum possit exigere, quantum baiulus realiter transferens?

VIdetur posse: Eò quòd, id, quod Campsor præstat, æquiualeat ei, quod præstat baiulus; nam transfert pecuniam virtualiter; quæ translatio tanti est Campsario, atque si realiter transferatur. Confirmatur, quia quòd habeat faciliorem modum traijciendi, non debet ei esse fraudi, sed eius bonæ fortunæ assignandum; sicut si baiulus inueniret aliquem qui similem pecuniam in loco, ad quem fit traiectio, ei offerret, qualem accepit transferendam, non deberet realiter traijcere; tamen posset pretium pactum pro reali traiectione accipere. Quòd autem minus exigant Campsores, id prouenit ex eorum benignitate. 3 *An Campsoris & baiuli pecunias transferētis, eadem sit ratio.*

In contrarium tamen facit quod pretia cambiorum communi ipsorum iudicio sint constituta; ac proinde non possint excedi à particularibus: hæc autem pretia sunt longè minora, quàm ea, quæ baiulo deberentur: ergo saltem nunc non possunt amplius exigere. 4 *Pretium pro cambijs statutum, non est transgrediendum.*

Vnde sequitur non rectè excusari cambium Francofurtense (in quo campsor dans pecuniam quinto mense ante Nundinas, lucratur 5. grossos in singulos florenos; quarto autem mense dans, lucratur 4. in singulos; tertio, tres; secundo, duos; vno mense ante Nundinas dans, lucratur vnum vel nihil) eò quòd campsor dans vno mense ante Nundinas, possit exigere etiam quinque grossos, *Cambium quoddam Francofurtense illicitum.*

sicut exigebat quinto menſe; quia tantum poteſt exigere, quantum baiulus realiter transferens, qui poſſet exigere quinque in ſingulos florenos. Hoc enim fundamentum verum non eſt; cùm pretium cambij vnius menſis, ſeu ad viſas litteras, ſit conſtitutum.

5 *Campſor æſtimare debet operæ ſuæ conditionem, nõ commodum campſarij.*

Ad rationem in contrarium; eſto, id quod præſtat campſor, ſit æquè commodum campſario atque ipſa realis tranſlatio, quam facit baiulus, non tamen idcircò tantum poteſt exigere; quia non debet æſtimare commodum campſarij, ſed conditionem ſuæ operæ; quæ non tanti valet quanti opera baiuli; longè enim minoris æſtimatur virtualis traiectio, quæ reipſa eſt ſolùm permutatio rerum eiuſdem ſpeciei loco diſtantium, quàm realis; cùm hæc ſit difficillima & periculoſiſſima, illa facillima, & exigui periculi; ſicut longè plus exigere poteſt auriga qui curru rem traijcit, quàm nauta qui nauigio; & baiulus qui humeris, quàm qui equis. Ad Confirmationem: Non pertinet hic modus ad bonam fortunam campſoris in re propoſitâ; quia non eſt initus contractus de reali traiectione, ſed de virtuali, quæ ſola campſoribus vſitata. Secùs eſſet ſi contractum eſſet de reali traiectione, & ille alibi ſimilem omnino pecuniam numerare poſſet: Hoc enim ad bonam eius fortunã pertinere cenſeretur. Quò pertinet exemplum baiuli qui recepit in ſe traiectionem realem, & inuenit commoditatem ſimilis pecuniæ in termino.

Cambium eſt permutatio pecuniarum loco inter ſe diſſitarũ.

His addere licet, cambium potiùs eſſe permutationem pecuniarum quæ loco inter ſe diſſitæ ſunt, quàm locationem operarum ad eas transferendas. Vnde non ſequitur eum poſſe tantum accipere, quantum is qui operas locat ad realem tranſlationem. Quod autem de benignitate campſorum dicitur, videtur incredibile, cùm conſtet quàm ingentes opes lucrentur, idque ferè eum euerſione fortunarum illorum qui ad illos crebrò coguntur confugere.

Cambiũ vnum æquiualens 4. cambijs.

CASVS III.

Vtrùm Campſor dans Antuerpiæ 1000. vſque ad proximas Nundinas Francofurdenſes, quæ erunt intra 4. menſes, poſſit tantum exigere, quantum poſſet pro 4. cambijs menſtruis factis ſingulis menſibus illis, ad viſas litteras?

6 *Cambium datum ad 4. menſes æquiualet 4. cambijs datis ad ſingulos menſes.*

VIdetur poſſe, Probatur Primò, Quia cambium 1000. datum ad 4. menſes, videtur implicitè in ſe continere 4. cambia eiuſdem ſortis menſtrua, quæ ſoluuntur in termino menſis cuiuſque: ergo tantum poteſt exigere, quantum pro 4. Confirmatur, quia id commodius eſt campſarijs, qui pecuniam non poſſunt Francofurti, ſtatim viſis litteris, v.g. in fine menſis, reſtituere; & minus ſoluunt, quàm ſi 4. cambia cogerentur accipere; nam non ſoluunt tot prouiſiones pro numeratione pecuniæ. Potuerunt ergo Campſores communi iudicio ſic pretia cambiorum inſtituere, quaſi 4. cambia interueniſſent; nonnihil tamen exigendo minus, quàm iure poterant, habitâ etiam ratione cõmunis curſus Burſæ, id eſt, praxis mercatorum mutuantium pro intereſſe.

Probatur Secundò, Quia in maiori mora maius eſt periculum ſortis.

Tertiò, In maiori termino maior eſt incertitudo pretij futuri cambij, ac proinde maior metus: ergo.

Quartò, Campſor dans ad 4. menſes, cenſetur implicitè velle facere 4. cambia menſtrua, maximè cùm communiori vſu mercatorum ita fiat; quorum vnanimis praxis debet potiùs in iuſtam partem ſumi cùm poſſit, quàm in iniuſtam: illam enim cenſendi ſunt velle mercatores, non hanc.

Quintò, Vbi nullum eſt inuoluntarium, ibi non eſt acceptio vel retentio alieni: atqui hîc nullum eſt inuoluntarium, nec expreſſum nec tacitum, nec formale nec virtuale. Confirmatur, quia cum campſarius in prædicto caſu deberet facere 4. cambia, magno eius commodo 4. contrahuntur in vnum continens virtute 4. idque ex recepto iam vſu communiori mercatorum.

Sextò, Nemo ſic contrahentium cenſetur non velle, quod velle poteſt, cùm velit eo modo lucrari in hac terminorum conceſſione, quo licitiſſimè poteſt: poſſet autem lucrari licitè, ſi in 4. ſupradictorum menſium conceſſione, tria à parte rei faceret diſtincta cambia, etiam in primo horum menſium: ergo etiam poterit, ſi vnum contractum faciat, qui virtute contineat 4. Qui plura de Cambio deſiderat, videat lib. 2. de Iuſtitia & Iure cap. 23. vbi XI. dubitationibus hæc materia fusè tractatur.

CENSVS.

CASVS I.

Cenſus Vitalitius.

Nicolaus acceptурus à Paulo ſummam 2671. florenorum, promittit ei 600. florenos annuos, nullâ factâ mentione de vitâ Pauli, ſed tantùm de vitâ Nicolai. Moritur Paulus.

QVÆRITVR, *An promiſſio illa ſe ad Pauli hæredes extendat?*

1 *Cenſus vitalitius quis dicatur.*

REſpondeo, Conſideratâ formâ propoſiti contractus, non videtur hîc proprie eſſe cõtractus cenſus vitalitij: tùm, quia hic non ſolet conſtitui ſuper vitâ debitoris, ſed creditoris, vel filij, vel alterius perſonæ ipſum contingentis: tùm, quia ſumma capitalis nullo modo ſecundùm rationem cenſus reſpondet tantæ penſioni annuæ; nam deberet ferè eſſe duplo maior. Niſi velimus dicere eſſe cenſum vitalem extinguibilem duplici ratione; nimirum & morte creditoris, & morte debitoris; potuit enim iuſtè hoc apponi propter ſortis exiguitatem.

2 *In caſu videtur eſſe contractus innominatus, nec tranſire ad hæredes Pauli.*

Sed verius puto eſſe contractum innominatum, in quo Nicolaus habitâ ratione beneficiorum acceptorum à Paulo, & ſummæ 2671. florenorum prætereà accipiendorum, promittit eidem ſe ad vitam ſuam daturum illi 600. florenos annuos: vbi manifeſtum eſt bonam huius penſionis partem eſſe donationem, ſeu promiſſionem remuneratoriam pro beneficijs acceptis; quæ promiſſio ſolùm reſpicit perſonam à qua beneficium acceptum eſt, non autem ipſius hæredes, niſi id exprimatur. Sicut cùm Princeps alicui propter multa obſequia conſtituit penſionem annuam; hæc penſio extinguitur non ſolùm morte Principis; ſed etiam ipſius penſionarij, nec tranſit ad hæredes.

Nec ob-

Nec obstat quòd nulla sit facta mentio vitæ pensionarij, sed solùm constituentis pensionem; quia in huiusmodi promissionibus remuneratorijs id per se intelligi videtur; nimirum vt non extendantur vltra vitam eius, quem cupis remunerari; quia solùm ipsius commodum intenditur. Et sanè si Nicolaus constituens non volebat suos heredes obligari post suam mortem, sicut expressè cauit; multò minùs volebat seipsum obligare hæredibus pensionarij post mortem pensionarij; cùm illi nihil cum hæredibus fuerit negotij.

Pensio ex capitali anticipatè detracta.

CASVS II.

Titius dat Caio 100. florenos ad censum 6. & vnam quartã, & statim recipit 6. florenos & 5. stuferos tanquam cessum canonem seu pensionem anni lapsi.

QVÆRITVR, *An deinceps ad rationem 100. florenorum, an verò solùm 93. florenorum & 15. stuferorum pensionẽ recipere debeat?*

3 REspondeo, Cùm pecunia datur ad emendum censum, vel ad societatem, vel causâ mutui sub interesse, iniquum est statim repetere pensionem annuam, vel interesse, cùm reipsa non detur tanta summa quanta fingitur. Qui enim dat centũ causâ censûs, & mox repetit pensionẽ, nimirũ 6. & vnã quartã, reuerà non dat nisi 93. & tres quartas seu 93. florenos & 15. stuferos. Vnde in posterum nõ potest exigere pensionem de 100. sed solùm de 93. florenis, & 15. stuferis. Itaque subducenda est ratio quantum, v. g. 6. annis acciperetur ex censu 93. florenorum & 15. stuferorum: & quod plus acceptum est, restituendum est: vltimus tamen annus etiam est computandus. Porrò ex censu 93. florenorum & 15. stuferorum acciperentur quotannis 5. floreni & 16. vel 17. stuferi circiter.

Pecunia data ad modum census.

CASVS III.

Ex pecunia pupillari mutuo data per modum census vtrimque redimibilis, accepi à te primò quotannis 6. & vnam quartã in centum. Deinde, errore illo correcto, paciscor tecum de iusto reditu.

QVÆRITVR, *An aliquid restituere debeam; & quomodo id commodè possim facere?*

4 REspondeo, Illa pecunia pupillaris quæ ad lucrum dari solet, vel data fuit mercatori, vel alteri: Si mercatori data fuit secundùm vsum receptum, & bonâ fide, non videtur quidquam restituendum; quia censetur data eo modo quo iustè fieri potest, vt Nauarrus & alij docent. Atqui iustè dari potuit ad societatem per tres contractus, exigendo lucrum secundùm rationem censuum, nimirum 6. & vnam quartã in centum.

Si pecunia hæc data mercatori.

Si data non mercatori.

Si autem alteri data sit, qui ea lucraturus non erat, non potest videri data ad societatem lucri, quod nullum est; sed potiùs per modum census redimibilis vtrimque: qui quoniam pluris emi debet quàm census ordinarius, eò quòd emptor obliget venditorem ad redemptionem, quando ipsi placuerit repetere pretium; non sufficit dare 16. florenos pro vno floreno annuo, sed dandi erunt 20; ac proinde pro 100. non recipiet quotannis nisi 5: nam onus istud facilè tanti æstimari potest, nimirum 4. florenis. Vnde sequitur si ex tali contractu acceperis per 6. annos singulis annis 6. & vnam quartam pro centum, & teneri restituere 7. florenos & medium: quia singulis annis reddendus florenus & 5. stuferi. Vide ea quæ tradidimus lib. 2. de Iustitia cap. 22. dub. 10. & quæ Valentia 2. 2. disp. 15. qu. 22. puncto 6. & qu. 25. puncto 2.

Potes tamen, censu iusto iam constituto, exigere quotannis pensiones currentes, etiamsi ratione præcedentium annorum debitori tuo tenearis aliquid restituere. Satis enim est vt postquam scis te ipsi teneri, datâ opportunitate solues, vel tantundem remittas. Nec teneris ad vsuras quanto tempore in bona fide fuisti. 1

Pensio cum iure repetendi sortem.

CASVS IV.

Vtrùm Ciues qui non sunt mercatores, nec possunt obtendere lucrum cessans, vel damnum emergens, vel periculum sortis, possint aliquo iusto titulo accipere 4. vel 5. in centum quotannis, salua sorte, cum facultate sortem repetendi?

6 REspondeo posse per duos contractus. Primò, Si ineant contractum census, emendo censum ad rationem vnius in 15. sicut Leodij; vel in 16. sicut in Belgicis prouincijs Regi subiectis. Deinde, Si conueniat inter eos vt emptor certo pretio possit repetere pretium, nempe remittendo ex annuâ pensione 1. & vnam quartam, vel 2. in 100. Sicut enim si venditor cuperet tale onus suscipere, rogaretque emptorem vt à se tale ius emat (censu iam constituto) posset emptor illud emere: ita etiam vicissim si emptor offerat & cupiat tale onus emere, potest venditor in illud consentire si velit iusto pretio. Potest autem totum simul fieri, si res vtrique sit explicata, & vterque sponte sua in talem contractum consentiat.

Pecunia ad censum destinata, sed alio conuersa.

CASVS V.

Ioannes petenti cuidam Mercatori dedit 100. quos cupiebat apud alterum exponere in censum annuum.

QVÆRITVR, *Vtrùm ab hoc Mercatore potuerit petere 8. in 100?*

7 REspondeo, In rigore Iuris non videtur Ioannes posse exigere 8. in centenarium, cùm non inierit contractum censuarium, sed simplicis mutui, vt videtur. Nisi fortè potens fuerit mercator, & ita possit, ratione triplicis contractus cum mercatore, illud exigere; præsertim si generatim intendit omni titulo iusto illa accipere. Videtur etiam posse exigere ex quâdam æquitate ratione lucri cessantis; nam reliquit contractum censuarium, quem alioquin facere cupiebat cum altero, ad ipsius petitionem. Itaque non cogerem ad restitutionem, sed inberem contractum reformari: vt saltem in foro conscientiæ sit contractus censuarius, etsi in foro externo ad vitandum sumptum vectigalis, non sic vocent.

CONFESSARIVS.

CASVS I.

Appobatio Confessarij.

Quid Nuntius Apostolicus valeat circa Approbationem Confessariorum?

1 REspondeo, Nuntius Apostolicus habet potestatem approbãdi Confessarios, etiam absentes, & per alium designandos. Imò potest Superiori Regularium dare potestatem approbandi; cùm in ipso Nuntio sit potestas ordinaria ad id faciendum.

CASVS II.

Approbatio Cõfessarij.

Vtrùm Capitulum possit sibi assumere potestatem approbandi & designandi Confessarios viuente Episcopo?

2 REspondeo, Aliud est approbare Cõfessarios: aliud nominare vel designare. Approbatio est solius Episcopi per Concilium Tridentinum; neque huic quæstioni potest se Capitulum immiscere. Designatio faciliùs ad eos pro certo loco pertinere potest: nam etiam Parochus in suâ parochiâ Confessarios designare potest, modò ab Episcopo sint approbati. Approbatio per se non tribuit iurisdictionem, sed reddit capacem vt ei detur iurisdictio; quę per nominationem vel designationem dari potest, modò ille sit approbatus.

CASVS III.

Approbatio Cõfessarij.

Confessarijs monasterij datum est priuilegium à Papa audiendi confessiones, etiam sæcularium.

QVÆRITVR, *An nihilominùs indigeant Episcoporum approbatione: aut possint censeri approbati quasi ex parochiali beneficio?*

3 PRiuilegium Summi Pontificis ad confessiones sęcularium audiendas, non supplet approbationem Episcopi iure Concilij Tridentini necessariam. Neque Cõfessarius Monialium habens tale priuilegium, potest censeri habere quasi parochiale beneficium, ita vt non sit ei necessaria approbatio; quia alioquin Confessarij conuentûs apud Mendicantes, non egerent approbatione Episcopi ad audiendas confessiones sæcularium.

Parochiale beneficium respicit curam sæcularium.

Addo parochiale beneficium nõ dici nisi quod primariò respicit curam sæcularium: Hic autem solùm accessoriè habet sæcularium curam, nimirum, quia seruiunt monasterio. Denique Concilium loquitur generatim de omnibus sęcularibus, etiam Sacerdotibus. Itaque non videtur isti Confessarij liberi ab obligatione se præsentandi Ordinario vt approbentur, si velint sæcularium, etiam Sacerdotum confessiones audire, etiamsi fortè habeant priuilegium audiendi omnes sæculares ad eos accedentes.

Non obstãte priuilegio, cedendũ est, vbi Episcopi sese ponunt.

4 Si tamen post Concilium Tridentinũ vsque ad hoc tempus manserunt in illâ consuetudine audiendi confessiones sæcularium, Episcopo non cõtradicente, validè potuerunt absoluere; & propter tam longam consuetudinem videntur posse continuare, donec Episcopus se opponat; qui si se opposuerit, tenebuntur cedere, propter clausulã, *Priuilegijs, & consuetudine quãcunque etiam immemorabili, non obstantibus.*

CASVS IV.

Electio Confessarij.

Superior Religiosus tenetur ex decreto Clemẽtis VIII. vel etiam sui Generalis, constituere duos vel plures, qui præter se, domesticorum suorum confessiones audiãt; ille id facere negligit, aut recusat.

QVÆRITVR, *An subditus possit sibi Confessarium eligere?*

5 REspondeo, Non potest inferior eligere sibi Confessarium, etiamsi Superior ex decreto Clementis VIII. duos vel plures constituere teneatur, idemque Generalis fieri iusserit, & Superior exequi noluerit. Ratio est, quia non apparet vnde iste ita electus possit habere iurisdictionem. Nam in decreto illo Clementis solùm dicitur §. 2. *Non liceat superioribus Regularium confessiones subditorum audire*, &c. & §. 3. *Superiores in singulis domibus deputent duos, vel tres, aut quatuor pro subditorum numero*, &c. quibus verbis Superioribus non aufertur potestas, sed solùm redditur vsus illicitus, & iniungitur vt alijs potestatem dent. Vnde nec alijs conceditur vlla potestas, sed iubetur vt Superiores concedant. Quare si ipsi nolint concedere, non habebunt isti electi potestatem. Et sanè, si alia mens Põtificis fuisset, id aliquo modo explicasset.

Vsus illicitus potestatis, sed validus.

6 Itaque in hoc casu recurrendum iudico ad Generalem; vel, quod facilius & expeditius est, ad Nuntium Apostolicum, vt ipse inferioribus hanc potestatem eligendi Confessorem concedat; vel Superiorem immediatum cogat vt decretũ Clementis VIII. seruet. Interea debent Superioribus confiteri: quia hi soli iurisdictionem habent. Hoc intellige in peccatis mortalibus nunquam anteà confessis. Nam de venialibus alia est ratio.

Quid tali casu agendum.

CASVS V.

Rudes.

Quid faciet Confessarius cum rudibus, qui non habent fidem explicitam & distinctam Trinitatis, & Incarnationis?

7 REspondeo, Probabilis sententia est fidem explicitam & distinctam Trinitatis & Incarnationis non esse necessariam ratione medij, sed solùm præcepti: quam in praxi sequi possumus. Vnde possumus absoluere eos qui hæc ignorant, si promittant se daturos operam vt discant prima opportunitate: maximè quando periculum est ne moriantur antequam possint reuerti, vel putentur non reuersuri. Si enim putarentur reuersuri, melius esset eos absque absolutione dimittere, vt vbi didicerint, reuertantur: sed hoc rarum est. Interdum sunt satis capaces, & subitò instrui possunt vt rem aliquo m.o appehendant: & tales, si tempus ferat, sunt breuiter instruendi, & posteà absoluendi, iniuncto onere meliùs vt eadẽ discant. Expediret etiam Catechismos ante solemnia Festa quibus confiteri & communicare solent, instituti varijs locis, & hæc necessaria breuiter & dilucidè explicari.

Si horum fides explicita non sit necessaria, absolue.

Quando, & quomodo hi sint instruendi.

8 Iuxta alteram sententiam non possunt absolui si sint in peccato mortali: quia fides illa explicita est medium necessarium ad iustificationem. Non tamen est medium necessarium, vt is, qui iam iustus est, saluetur, si contingat illum mori. Nec ob defectum huius fidei amittet iustitiam, nisi, quãdo occasio est discendi illa mysteria, & ex crassa negligentia prætermittit.

Si sit necessaria hæc fides, ne absolue.

CASVS

Pueri.

CASVS VI.

Quandonam Confessarius censebit pueros capaces Absolutionis sacramentalis?

9 REspondeo, Pueri videntur capaces Absolutionis sacramentalis, si sciant quid euenturum sit malè agentibus, quid benè. Tunc enim concipiunt timorem Numinis, & affectum seruitutis erga Deum. Itaque de hoc rogandi. Si dubitetur, potest illis dari bona precatio & benedictio, quæ magni est æstimanda. Nec est quòd Sacerdos hîc se implicet aut vexet.

Crebrò relabentes.

CASVS VII.

Quid Confessario agendum cum his qui in eadem peccata crebrò relabuntur?

10 *Expedit ordinariè eos sine absolutione remittere.*

REspondeo, Qui ita crebrò relabuntur in eadem peccata, si post tres vel quatuor confessiones certis interuallis factas, non apparet vlla emendatio, aut conatus resistendi, expedit ordinariè eos remittere sine absolutione (explicato periculo in quo versentur, & absolutionem ipsis fore noxiam, cùm non videantur habere sincerum propositum) vt conentur resistere, & adhibere remedia quæ præscribuntur. Si non redierint, committat illos Deo, nec se ob id cruciet.

11 *Non est id absolutè necesse.*

Dico, *Expedire ordinariè*: quia absolutè non est necessarium, si dicant se valdè dolere, & promittant emendationem. Quòd autem sæpè cadant vt antè, id infirmitati humanæ, quę sanè maxima est, adscribendum. Vnde etiam Dominus septuagies septies peccatum in fratrem vult ignosci. Fieri etiam potest vt expediat sæpiùs absolui, si putetur id eis fore magis salutare. Hæc enim est regula qua Confessarius vti debet circa Pœnitentem in absoluendo, vel remittendo, in magnis vel paruis pœnitentijs iniungendis, *Vt spectatâ conditione pœnitentis, faciat id, quòd iudicat ei fore magis salutare.* Si dubitet, vtatur nunc hoc, nunc illo modo. Sæpè hæc repulsio est illis saluti; quia sic magis imprimunt animo rei momentum.

Sæpè expedit absolnere.

Regula.

Occasio relapsûs.

CASVS VIII.

Quam occasionem Confessarius censere debeat proximam Pœnitenti ad lapsum?

12 REspondeo, Ea occasio censenda est proxima alicui, in qua dum ille constituitur, plerumque succumbit, & rarò euadit illæsus. Itaque quando post aliquot confessiones deprehensum fuerit Pœnitenti conuersationē aliquam esse causam propinquam peccandi, cogendus est illam relinquere, & efficiendum vt alibi habitet. Si id ob iustas rationes impetrari non possit, cogendus est vitare illam conuersationē, quantum fieri potest. Si promittat se id facturum quantum poterit, præscriptis in particulari aliquot modis, poterit absolui: aliàs est remittendus.

Delectatio morosa.

CASVS IX.

Quomodo inuestigabit Confessarius an delectatio, de qua pœnitens se accusat, fuerit morosa? & an in eam consenserit?

13 *Delectatio, quādo morosa.*

REspondeo Primò, Vt sciatur an delectatio fuerit morosa, quærendum an inhæserint cogitationi turpi postquam aduerterunt esse talē, animo se oblectandi. Si affirmant, satis constat esse morosam; nec opus est rogare an turpes motus sint exorti. Si dicant post perfectam animaduersionem displicuisse, non sunt condemnandi peccati mortalis. Similiter si solū curiositatis causâ, vt scirent, non vt delectarentur re cogitata, dicant se cogitasse; quamuis hoc rarius sit. Non debet Confessarius circa hoc esse anxius: non enim est necessarium vt ipse semper possit statuere, an peccatum fuerit mortale, an veniale hîc & nunc; id enim sæpè impossibile: sufficit vt inquirat circumstantias necessarias, & prout videt pœnitentem esse capacem.

Confessarius ne hîc sit anxius.

Respondeo Secundò: Tunc in delectationem consentis, quando tibi placet ea voluptas, quæ resultat in parte inferiore ex imaginatione actus carnalis, vel turpium contactuum; quæ voluptas est eiusdē rationis, ac ea, quę ex opere nascitur, nā similiter concitatur sanguis & spiritus, & excitantur membra ad rebellionem, & seminis effusionē.

14 *Quādo in delectationem consentiri censetur.*

CASVS X.

Pœnitentia seu satisfactio.

Qualis pœnitentia conuenientissimè pœnitenti imponatur?

REspondeo, Illa pœnitentia conuenientissimè pœnitenti imponitur, quæ omnibus consideratis, iudicatur ipsi pœnitenti fore magis salutaris. Huc enim omnia tendunt, vt iste perducatur ad salutem. 15

Hinc fieri poterit vt pro 10. adulterijs, vel fornicationibus, non imponatur pœnitentia grauis homini simplici; nimirum si non putaretur eam expleturus; vel non habeat commoditatem propter vxorem & familiam; vel si alienaretur in posterum à confessione &c. Tunc enim tali possent imponi quinquies Pater & Aue per medium annum; & vt confiteatur quinquies vel sexies magnis Festis per annum; idque ad tres vel quatuor annos, & similia.

Quòd si persona sit capax, & putetur ei fore vtile, conueniens erit imponere etiam ieiunia, & afflictiones corporis. Verùm quod ad graues pœnitentias attinet, facilè pœnitentes possunt eas redimere per Indulgentias, vti diximus in Tract. de Indulgentijs cap. 3. dub. 2. Vnde magis sunt inducendi vt sponte sua peccata castigent, quàm strictè obligandi, nisi quando Confessor iudicat hoc magis expedire.

Surdaster.

CASVS XI.

Quid faciet Confessarius cum surdastris imperfectè confitentibus in magno populi confluxu?

REspondeo, Non existimo surdastros in magno populi confluxu, qui imperfectè confitentur, posse absolui; sed esse remittendos in aliud tempus quo possint examinari, & instrui de necessarijs; nisi fortè essent in periculo mortis &c. multoque minùs id licet quando præceptum confessionis non obligat. 16

Debitor.

CASVS XII.

Quid faciet Confessarius cum Nobilibus, qui accusantur à suis creditoribus de defectu solutionis?

REspondeo & dico Primò, Non facilè denegāda est Nobilibus illis absolutio ob defectū solutionis respectu suorū creditorum, nisi constet 17

eos in ea re iniquè agere. Suspiciones & dicta creditorum sæpè non sufficiunt.

Respondeo Secundò, Si agatur de solutione edituum personalium, vel etiam realium, faciliùs excusari possunt, etiamsi aliquot annis non soluant; quia ferè consuetudine receptum est, vt in pensionibus annuis non fiat ita prompta solutio.

Respondeo Tertiò, Si ipsi in confessione se non accusant, quòd debita non soluerint, & putentur bona fide existimare, se posse adhuc solutionem differre; posset Sacerdos dissimulare eam inquisitionem, si animus eorum crederetur inde offendendus, & maius bonum quod intenditur, impediendum timeretur. Si tamen non putentur esse in bona fide, vel ignorantia videatur crassa, suauiter sunt monendi, & instruendi.

CASVS XIII.

Peccata oblita.

Vtrùm teneatur Confessarius monere pœnitentem vt confiteatur peccatum mortale quod olim commisit, & per obliuionem prætermisit?

18 Respondeo, Rectè dicitur me non teneri monere Titium vt confiteatur peccatum mortiferum quod olim commisit, & per obliuionem prætermisit confiteri; quia illa omissio præcepti diuini positiui fuit absque culpa, nec obest illi ad salutem aut bonam vitam &c.

CASVS XIV.

Sigillum confessionis.

Confessarius dubitat an malè absoluerit pœnitentem à casu reseruato: de eo, ipse confitetur apud Confessarium istius pœnitentis.

QVÆRITVR, *An ille omnino teneatur cauere, ne iste Confessarius possit conijcere illũ pœnitentem rursus in talem casum incidisse?*

19 Respondeo, Confessarius qui dubitat an malè absoluerit pœnitentem à casu reseruato, tenetur cauere ne ita confiteatur illud suum peccatum, vt Sacerdos possit conijcere illum pœnitentem rursus in talem casum incidisse. Etsi enim sciebat illum aliàs talia commisisse, ignorabat tamen hunc peculiarem lapsum. Nec refert quòd id per accidens conijciat: quia tenetur Confessarius cauere ne vllo modo det occasionem, vnde alius deueniat in notitiam peccati, quod ipse in confessione audiuit. Secùs fortè esset quando idem casus illi Sacerdoti esset notus: tunc enim pœnitens non censetur inuitus, maximè si erat necessarium ad petendum consilium. Si tamen ab alio consilium haberi poterat, non potest conferre cum eo, qui conijciet personam. Expedit in hac materia esse strictum. Vide quæ diximus in Additionibus ad 3. Partem de Pœnitentia q. 11. de Sigillo Confessionis.

CONFESSIO.

CASVS I.

Dispositio pœnitentis.

Qualis dispositio sufficiat ex parte doloris, detestationis, & propositi ad absolutionem sacramentalem?

1 Respondeo, Illa dispositio, qua quis, reuocatis in memoriam suis peccatis, ex consideratione malignitatis eorum, prosilit in hunc actum animi internum: *O maledicta peccata quibus Deum meum offendi, vel quibus animam meam gratia diuina priuaui, & pœnis æternis obstrinxi!* & simul proponit illa explicitè confiteri, & in posterum abstinere, & sic accedit ad confessarium eaque confitetur: illa, inquam, dispositio est sufficiens ad obtinendum beneficium absolutionis, & remissionem peccatorum, etiamsi dum Confitetur, nouum actum internum non eliciat. Imò talis dispositio est valdè bona & perfecta. Est enim abominatio & detestatio vitæ præteritæ quatenus offendit Deum; & sic est vera contritio: vel si tendat in peccata, vt faciunt reum pœnæ æternæ, est attritio supernaturalis, ac proinde sufficiens cum Sacramento. Porrò in ista abominatione expressè continetur illud nolle, quo quis nollet peccasse: Sicut enim amare, est velle; ita detestari, odisse, abominari (quæ omnia idem valent) est nolle. Denique ex hoc actu necessariò oritur dolor, saltem in parte superiore, etiamsi homo non semper id aduertat. Impossibile enim est in se ipso videre aliquod malum ingens, & illud detestari seu abominari, & non dolere de eius præsentia &c. Quare dubitandum non est quin tales cõfessiones validæ fuerint, & nullo modo sint repetendæ.

Detestatio peccati ob Deum offensum, gratiam deperditã, & pœnam æternam commeri. tam.

CASVS II.

An, qui dolet se non satis dolere de peccatis, cum absoluto proposito inposterum abstinendi, sufficienter sit dispositus ad absolutionem?

Dolor.

2 Respondeo, Si res moraliter consideretur, qui dolet se non satis dolere de peccatis, videtur habere sufficientem dolorem, modò adsit propositum absolutum inpostertũ abstinendi. Qui enim dicit se dolere ob defectum sufficientis doloris peccatorum, hoc ipso satis indicat peccata displicere, & nolle se ea commisisse, quamuis illam displicentiam non ita sentiat. Si ergo adsit propositum absolutum emendationis, censeri potest ille dolor sufficiens.

CASVS III.

Dolor.

An dolor pridie excitatus sufficiat vt postridie absolutionem consequar absque nouo dolore?

3 Respondeo, Dolor semel conceptus de peccatis in ordine ad confessionem recogitatis, si quis ex vi illius, & proposito tunc concepto, applicet se etiam postridie ad confessionem, sufficiens est ad fructum Sacramenti, etiamsi quis in actu confitendi nouum dolorem non concipiat. Manet enim iste dolor virtute. Sicut cùm quis ex vi propositi quod hodie facit, crastino die se applicat ad aliquam peregrinationem, illud propositum tendendi ad talem terminum manet virtute. Idem cernitur in alijs bonis operibus.

CASVS IV.

Confessio malè intellecta.

Si Confessarius apprehendat vt scrupulos, quæ verè sunt mortalia: Aut vt non facta à pœnitente,

nitente, quæ tamen reuerâ fecit: An teneatur repetere?

4 REspondeo, Siue Confessarius apud se iudicet pœnitentem quædam non verè patrasse, quæ tamen verè patrauit, & confitetur; aut putet esse scrupulos, (vt interdum fieri potest cùm de consensu interpretatiuo agitur) quæ verè sunt peccata mortifera: bona est absolutio; modò tamen Confessarius conferat absolutionem in omnem euentum, cogitans se posse decipi in hoc iudicio, & ideò tum ratione illorum, tum aliorum quæ constat esse peccata, dandam censet absolutionem. Ratio est, quia pœnitens ex parte sua satis se explicuit, vti suppono; & Confessarius ipsum factum satis intellexit (quamuis priuato errore putauerit illud non esse peccatum, vel non esse à pœnitente commissum) & intendit illum ab omnibus peccatis confessis absoluere.

Confessio malè intellecta.

CASVS V.

Vtrùm valida sit confessio si Confessarius solùm apprehendat vt venialia, quæ tamen sunt mortalia, & ritè à pœnitente sunt exposita?

5 REspondeo, Si Confessarius ex ignorantia putauit esse venialia, quæ erant mortifera, pœnitens tamen ex parte sua satis illa cum circumstantijs explicuit, ita vt Confessarius factum intellexerit, etiamsi putauerit in eo non nisi venialem culpam latere: non ideò confessio est inualida: ac proinde neque repetenda. Nullo enim iure aut solida ratione contrarium probari potest; essetque res plena scrupulis, & valdè grauis pœnitentibus. Sufficit vt pœnitens talem Confessarium non quæsierit, nec eius ignorantiam in confessione aduerterit: si enim aduerteret, deberet illum instruere, vt rectè iudicare posit. Hanc sententiam docent passim hoc tempore Doctores. Vide Suarem disp. 28. n. 14. & sequent.

Confessio malè explicata.

CASVS VI.

An qui explicuit peccatum in proprio gradu malitiæ, vt potuit, putans esse veniale, & postea deprehendit esse mortale, teneatur id iterum confiteri?

6 *Si mortale confessum est vt veniale.* REspondeo, Qui intendit confiteri peccatum in proprio gradu malitiæ, & illud explicat quantum nouit, etiamsi putet illud esse veniale, non tenetur postea repetere cùm intellexerit esse mortale. Quia illa priuata opinio non excluſit intentionem cõfitendi illud secundùm omnem eius malitiam. Secùs est si solùm intenderet confiteri vt veniale, & cuperet ita persuasum Sacerdoti; quod ordinariè non contingit.

Si confessiũ vt dubium quod postea noscis esse mortale. Cùm autem dubitat an commiserit, & tãquam dubiũ confitetur, tenetur postea vbi certus fuerit, iterum confiteri. Ratio est, quia dubium crimen & certum mutant totam iudicij rationem. Longè enim aliter censendus reus & puniendus (si tamen puniri potest) qui dubitat an crimen commiserit; aliter qui certò commisit. Vnde etiam fit vt confessio criminis dubij, non sit sufficiens materia Sacramenti. Loquor de dubio negatiuo, nimirum cùm in neutram partem potest formari probabile iudicium.

Cõfessio Dubiorum.

CASVS VII.

Quomodo dubia negatiua sint confitenda?

7 *Quid agat Scrupulosus in dubijs.* REspondeo Primò, Scrupulosus in multis potest excusari; quia sæpè potest formare iudicium practicum, quod non potest is, qui mente est tranquilla. Vt in præsenti casu potest inducere in animum se tale peccatum, de quo dubitat, non commisisse; sed *Scrupulum esse, qui eum torquet: Scrupulis non esse parendum*, &c.

8 *Dubium negatiuum est triplex.* Respondeo Secundò, Absolutè tamen in dubio negatiuo tenemur confiteri, sed sub conditione. Primò, cùm peccatum est mortale, & dubitamus an illud fecerimus, an non. Secundò, cùm scimus nos commisisse, sed dubitamus sitne veniale, an mortiferum. Tertiò, cùm scimus nos commisisse, & esse mortiferum, sed dubitamus an simus confessi, an non. In hisce casibus manente dubio negatiuo, hoc est, in quo non possumus probabile iudicium in alteram partem formare, tenemur confiteri, iuxta communem Doctorum sententiam.

9 *In tertio, confitendũ.* De Tertio casu, non est dubium; quia obligationi certæ non satisfacimus solutione incertâ.

In secundo similiter. De Secundò etiam patet: quia vt aliquid censeatur materia necessaria confessionis, non est necesse vt constet esse mortale, vel absolutè putetur esse mortale (distinctio enim peccatorum mortalium & venialium semper habita fuit obscurissima:) sed sufficit vt constet esse peccatum, & non habeatur probabilis opinio esse veniale: tunc enim ob rei obscuritatem, suspectum haberi debet malitiæ mortalis. Nec obstat quòd in dubio æquali homo non teneatur ad onus voti: nam si constat illum vouisse, sed dubium est an plenè in illud consenserit, tenetur voti; quia præsumitur habuisse sufficientem consensum, si ætas adsit, nisi constet de contrario. Eodem modo si materia erat grauis, præsumitur habuisse sufficientem deliberationem ad peccatum mortale, ita vt teneatur confiteri.

10 *In primo, nõ tenetur confiteri.* In Primo casu cùm dubitas an commiseris tale quid, an non, probabile mihi est te non teneri confiteri. Ratio est, quia nemo censendus est reus ob crimen dubium, sed in omni Iudicio est absoluendus vt innocens; non enim præsumenda sunt in dubio delicta. Ita puto intelligendos Doctores qui hanc sententiam insinuant, nempe Henriques lib. 8. c. 45. & Sà V. Eucharistia nu. 23. Tenetur tamen tunc confiteri, nisi dubium possit deponere.

Sed dices; Nemo in dubio tenetur ad onus voti: ergo nec ad onus confessionis.

In dubio nõ teneris ad onus voti. Respondeo, Ideò in dubio neminem teneri ad onus voti, præcepti, &c; quia par non est vt tantum oneris imponatur cùm res est dubia, quantum imponitur cùm est certa; quod tamen fieret, si dubius, voto teneretur. At hoc non fit in nostro casu: Non enim in dubio imponitur ei vt confiteatur crimen absolutè, sicut fieri debet cùm res est certa; sed solùm vt confiteatur sub conditione, & sub dubio; quod longè minus est & facilius. Vnde non obligatur ad aliquid quod excedat illam dubitationem, sicuti obligaretur dubius voti, si teneretur votum implere.

CASVS

Confessio speciei & numeri.

CASVS VIII.

Vtrùm in Confessione teneamur explicare species & numerum omnium peccatorum mortalium?

11 REspondeo, Certum est apud omnes, pœnitentem teneri confiteri distinctè omnia quæ nouit: vnde si sciret distinctè species & numerum omnium, teneretur explicare. Nulla enim est ratio cur in quibusdam generibus peccatorum satis sit explicare species subalternas, in alijs etiã oporteat vltimas. Et vnde sciemus in quibus illo vel hoc modo fieri debeat? Vel enim in omnibus sufficeret explicare species subalternas, quod planè falsum: vel in nullis, vel in aliquibus; si hoc vltimum, in quibus, & in quibus non? Itaque nulla certa regula dari poterit. Verùm quia pauci norunt omnes illas specierum distinctiones, solùm obligantur prout commodè possunt, adhibito examine diligenti pro capacitate personæ & causæ grauitate.

12 Hinc tamen non sequitur illos debere esse anxios, quia satis est eos facere quod commodè possunt: nec ad ampliùs tenetur Confessarius.

Sufficit vt Confessarius sciat distinctionẽ venialium & mortaliũ in genere.

Neque hinc sequitur pauciſſimos esse idoneos Confessarios: quia si ille solus esset idoneus qui omnes peccatorum distinctiones nosset, nemo esset idoneus. Quis enim nouit distinctionem mortalis & venialis in casibus particularibus? id tamẽ videbatur maximè necessarium ad hoc iudicium. Vt ergo censeatur idoneus, satis est vt sciat distinctionem venialium & mortalium in genere; & distinctiones specierum passim à Doctoribus traditas, quæ non difficulter ex circumstantijs colliguntur.

13 *Numerus exponẽdus si commodè sciri possit.*

Quòd ad numerum attinet, is aperiendus, si sciatur: si nescitur, vel non facilè in memoriam reduci potest, sufficit dicere numerum verisimilem; vel si hoc non potest, consuetudinem. Sanè in praxi non vidi hac in re tantam difficultatem. Si enim Confessarius est dexter & minimè scrupulosus, facilè & speciem & numerum à confitente eliciet, saltem quantum satis est, vt eius statum cognoscat.

CASVS IX.

Variæ species peccatorum.

Proponuntur variæ peccatorum species, & quomodo hæ in confessione explicandæ?

REspondeo Primò, Osculum libidinosum, si in sola voluptate illius osculi stetur absque desiderio coitus, esse eiusdem rationis sepositò scandalo, siue fiat circa coniugatam, siue circa solutam; nec esse necessarium explicare illam obiecti circumstantiam.

14 *Osculum libidinosum.*

Delectatio morosa.

Secundò, Idem semper sensi de delectatione morosa. Quod etiam docet Vasquez 1.2.

Affectus copulæ.

Tertiò, Non tamen idem sentio de affectu copulæ, etiamsi ob timorem pœnæ, vel alia simili causâ non velis ad actum externum prodire. Desideras enim in corde tuo feminam; ac proinde es adulter coram Deo, iuxta Domini sententiam. Ratio est, quia desiderium illud accipit speciem ab opere desiderato tanquam obiecto, & exiret in opus, nisi impediretur extrinsecùs.

Quartò, Puto omnes hæreses, in ratione hæresis, esse eiusdem speciei: vnde sufficere vt dicat, se negasse vel dubitasse de aliquo articulo fidei. 15 *Hæresis.*

Quintò, Periurium per Deum & Sanctos esse eiusdem rationis. Idem existimo de periurio execratorio & simplici: nam in omni periurio tacitè continetur execratio. *Periurium.*

Sextò, Blasphemiam in Deum & in Sanctos, immediatè esse diuersæ speciei, sicut & laudem & cultum. *Blasphemia.*

Septimò, Probabile est in infamia & iudicio temerario non necessariò explicandã esse speciẽ peccati de quo infamauit, vel temerè iudicauit. Quia probabile est omnes detractiones esse eiusdem speciei: similiter omnia iudicia temeraria, & contumelias. Etsi enim crimina sint diuersa, opiniones tamen hominum de te, quatenus sunt contra famam vel honorem tuum, censentur eiusdem speciei; & solùm differre secundùm magis & minùs: sicut variæ læsiones corporis, vel bonorum fortunæ. Tota enim fama est vna species bonorum, sicut diuitiæ. Vnde sufficit dicere, *Detraxi in materia grani*, nec opus est explicare quid dixeris. Ita etiam docet Sà in Romana magistri S. Palatij correctione. Idem probabile de blasphemijs in Deum, ob eandem causam. *Detractio.* *Iudicium temerarium.*

Octauò, In speciebus diuinationis, materiale instrumentum non mutat speciem moralem. *Diuinatio.*

Nonò, In incestu, excepto primo gradu cum parente & cum sorore, puto probabile cæteros esse eiusdem speciei. *Incestus.*

CASVS X.

Numerus peccatorum.

Quomodo peccatorum numerus in Confessione sit explicandus?

DE numero, Non est magna difficultas. Nam si absque magna molestia non possit exactè numerum attingere, sufficit dicere rudi modo: v. g. fortè vicies, aut circiter, plùs minùs: Si hoc non potest, dicat suam consuetudinem, vt Doctores tradunt. 16 *Numerus.*

Quando autem agitur de opere externo exequendo, sufficit dicere quamdiu ea in re fuerit occupatus: v. g. *Occidi illum, & fui per mensem in eo conatu parando arma, proficiscendo, & captando occasionem.* Eodem modo si conatus fuerit pertrahere feminam ad turpia. *Opus externum.*

Quòd ad interruptionem attinet, si voluntas tendat ad executionem, non censetur interrumpi nisi per retractationem & mutationem propositi: vt si decreuisti manè non audire sacrum, vel non recitare officium, & sequatur omissio exterior, censetur vnum peccatum, etiamsi decies habueris illam voluntatem; & toties illam alijs cogitationibus intermiseris; Si autem non sequatur executio, sunt diuersa numero peccata. Sed si hic numerus ignoratur, satis est dicere *Fui diu in voluntate non audiendi sacri, tamen postea audiui.* *Interruptio.*

Numerus actuum internorum difficulter sciri potest, nisi contrarijs actibus fuerint interrupti, Vnde ordinariè explicandus est per durationem temporis, & hoc satis est. Confessarius mediocriter doctus, qui non est scrupulosus, non habet in his rebus magnas difficultates. Quòd si sit scrupulosus, etsi doctissimus, vbique hærebit, eritq; anxius. 17 *Numerus actuum internorum.*

CONSE-

Consecratio calicis.

CONSECRATIO.

CASVS I.

Cuidam Abbati per bullam Pontificiam concessum, vt posit monasterij sui, siue suorum calices &c. consecrare vel benedicere.

QVÆRITVR, *An posit accedente saltẽ Ordinariorum licentia similiter externorum calices &c. consecrare vel benedicere?*

REspondeo, Verius videri non posse. Quia sicut Ordinarius non potest Abbati dare tale priuilegium (vt communiter Doctores fatentur:) ita neque datum à Pontifice, & restrictum ad certam materiam, nempe ad calices sui monasterij, extendere ad calices suæ diœcesis. Eiusdẽ enim rationis est concedere aliquam facultatem, & limitatè concessam extendere ad aliam materiam. Confirmatur, quia hęc duo priuilegia multum differunt, Posse consecrare calices sui monasterij, &, Posse consecrare quosuis permittentibus Ordinarijs. Accedit quòd in priuilegijs quæ exorbitant à iure communi strictior interpretatio sit facienda: vt docet Panor. in Cap. *Quod dilectio*, de consanguinit. Et affinit. Quam sententiam dicit esse certam & communem. Addo tamen, si talis Abbas ex vi talis concessionis, vel quia vtitur insignibus Pontificalibus, haberet cõsuetudinem consecrandi calices quosuis qui ad ipsum deferuntur, posse eam consuetudinem retinere, modò sit legitimè præscripta; nempe per 40. annorum spatium cum titulo, vel à tempore immemoriali sine titulo.

CASVS II.

Vtrùm Episcopus vel Archiepiscopus ex causa posit committere consecrationem Virginum Abbati vel alteri non Episcopo?

Cõsecratio Virginum.

Videtur posse quia res illa non est tanti momenti; & sæpè grauiores eius occupationes possunt impedire.

2 REspondeo tamen breuiter, non posse. Colligitur ex Cap. *Aqua*, de Consecrat. Eccl. & altarium: vbi Gregorius IX. statuit *Episcopum non posse committere simplici sacerdoti reconciliationem Ecclesiæ pollutæ, etiamsi aqua per Episcopũ sit benedicta: & contrariam consuetudinẽ dicit esse corruptelam.* Rationem subdit: *Quia licet Episcopus cõmittere valeat quæ iurisdictionis existunt; quæ Ordinis tamẽ Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clericis demandare.* Vnde infert Glossa, *non posse etiam illum demandare consecrationem Virginum, quia pertinet ad Ordinem Episcopalem.* Idem docent communiter Canonistæ in illud Cap. & in Cap. *Decretis*, 20. q. 1. & omnes Theologi qui hanc materiam attingunt. D. Thomas in 4. d. 38. q. 1. a. 5. in Corpore ait: *Propter hoc solus Episcopus, cui cura Ecclesiæ committitur, Virgines desponsat, velando, non sibi, sed Christo, tanquam paranymphus & amicus.* Richardus in 4. d. 25. a. 1. q. 1. D. Antoninus 3. p. t. 2. c. 2. in principio Paludanus in 4. dist. 38. & ex illo Siluester V. *Consecratio Virg.* nu. 3. vbi ait; *Velare Virgines nullus potest nisi Episcopus; quia ipse est quasi paranymphus desponsans Virgines Christo. Imò hoc Episcopus demandare non posset nec Episcopo; quia hoc est ordinationis & consecrationis Episcopalis, sicut consecrare Ecclesias, & non iurisdictionis.* Idem tenent cæteri Doctores in suis Summis: Fumus V. *Virginum Consecratio*, n. 1. Rosella eodem V. nu. 1. Angelus V. *Consecratio Virg.* n. 1. Deniq; passim idem docẽt recentiores: Sà V. *Consecratio* n. 4. & 5. Nec vllum legere me memini auctorem, qui diceret hoc ab Episcopo posse committi Presbytero vel Abbati: quia annexum est Ordini Episcopali, & fundatur in ipsâ consecratione, per quam factus est Episcopus, non in Iurisdictione, sicut consecratio Ecclesiarum, altarium, calicum, & similiũ, vt constat ex dicto Cap. *Aqua*. De Consecrat. Eccl. & altar.

Fatentur tamen Doctores posse hæc à Summo Pontifice committi sacerdoti: tum quia non sunt essentialiter annexa Ordini Episcopali; tum quia sunt ex institutione Ecclesiæ. 3 *Potest Pontifex committere Presbytero.*

Nec obstat Cap. *Si iubet*, & sequens, 26. q. 6. ex Concilio Carthaginensi II. & III. vbi apertè dicitur Presbyterum ex commissione Episcopi posse puellas consecrare: quia id correctũ est per Capit. *Aqua*. Vnde Glossa ibidem dicit *illud fuisse locale vel temporale: hodie enim solis Episcopis competere.* Idem clarè colligitur ex Pontificali Romano, vbi habetur formula illius consecrationis, soliq; Episcopo tribuitur.

CASVS III.

Velum Virginitatis & consecrationis.

Vtrùm Puella occultè corrupta, facta professione, & accepto velo virginitatis, posit manere cum cæteris. Item an talis puella posit accipere velum consecrationis?

REspondeo, Posse, & omnino debere: quia verè est professa, cuius professionis vis nõ pendet à velo & formâ qua velum datur. Imò potuit hoc velum accipere, quia non est velum consecrationis, quod datur solùm anno 25. ætatis, idque ab Episcopo cum magna cæremonia; sed est velum professionis. Nullus autem est Canon qui requirat ad hoc integritatem corporis. Accedit quòd hæc sit virgo in foro externo. 4

Verùm probabile est posse etiam velum consecrationis accipere. Hoc tamen limitarem, si non potest commodè detrectare absq; suspicione corruptionis. Sed hæc cõsecratio est modò rarò in vsu.

CASVS IV.

Venditio rei consecratæ.

An vestes benedictæ lapides & ligna monasterij posint vendi in vsus prophanos?

REspondeo, Vt vestes benedictæ vendantur in vsus prophanos, non ausim concedere; quia est contra reuerentiam rebus sacris debitam. De lapidibus & lignis, quia benedictio perijt, non videtur tanta difficultas. Conceditur passim vt impendantur in ædificationem vel reparationem monasterij. Non est tutum in huiusmodi à communi Doctorum sententia recedere. 5

Si tamen alicubi vestes sacræ venderentur in vsus prophanos, deberent antèà dissui, & prorsus dissolui, alioquin res non esset tolerabilis.

Societas hic nullum habet priuilegium præ cæteris monasterijs.

Facile ex vestibus sacris attritis potest aliquid aliud fieri quod Ecclesiæ seruiat: vt ex duabus Albis veteribus & laceris potest fieri vna bona &c.

CONTRA-

CONTRACTVS.

CASVS I.

Contractus illicitus bona fide putatus licitus.

Vtrùm qui bona fide fecit contractum illicitum, credens esse licitum, possit tantundem sibi detinere ex eo, quod super sortem accepit, quantum fuisset lucraturus ex alio contractu licito?

1 OPus est distinctione. Alioquin hoc absolutè falsum esse, patet hoc exemplo: Emisti anticipatâ solutione lanam vel aliam mercem infra dimidium iusti pretij, persuasus ab alijs ita posse fieri, nec habes ratione lucri cessantis aut alterius tituli extrinseci; potuisses tamen per cambia vel alijs industrijs tantundem lucrari: certum est te teneri explere iustum pretium. Quia contractus intrinsecè est iniquus, cùm sit inæqualitas. Similiter si quis persuasus lucrum Bursæ esse iustum, deferat iusta mercimonia; & mutuet eum lucro supra sortem, putans hoc per se iustum, sine vllo respectu ad interesse. Et ratio est, quia non potest quicquam accipi in contractibus ratione lucri cessantis, quando illud non est generatim vel particulatim deductum in æstimationem; quia tunc nõ censetur pars pretij, aut rei quæ venit in cõtractũ.

CASVS II.

Contractus venditionis.

Mercatores ineunt contractum, venditionis pãni cum Rege, quo dant vlnam panni 60. assibus vel 61. ea lege vt nomine recompensæ Rex in singulas vlnas det 27. asses, iuxta proportionem consuetam.

QVAERITVR, *An illud lucrum sit iustum?*

2 REspondeo, Hîc opus est distinctione: Si enim Rex debet illos 27. asses ex iustitia aliunde, licitè potest tale pactum in venditione panni apponi. Verùm non apparet ob quem titulum possit hæc summa determinata esse debita; nisi forsan ratione interesse: quia venditio fit credito, & ad 4. menses differtur solutio vel tota vel ex parte. Sed hoc interesse videtur exorbitans: nam erit 25. in singulos centenarios intra 4. vel 5. menses. Vnde intra annũ facilè lucrabitur 100. in 100. & ampliùs; quod nescio cui non posset videri enorme, & excedens omnem iustitiæ modum. Quòd si non debetur ex iustitia, non potest poni in contractu vt ex iustitia debeatur. Nam tunc re vera, & secundùm æstimationem moralem, habet nomẽ pretij; vt facilè potest explicari exemplis vsuræ, & simoniæ. Vnde reipsa, sepositis nominibus, vlna panni 60. assium vendetur 87. qua ratione lucrabuntur 45. in 100. in quouis contractu.

CASVS III.

Contractus venditionis adiectâ pœnâ.

Titius Iuuenis 23. annorum, egens pecuniâ, agit per amicum suum Caium cum Sempronio, vt ab eo pecuniam accipiat. Sempronius per suum actorem Andream vendit illi ligna ducentis libris Anglicanis soluendis intra sex menses, additâ pœnâ ducentarum librarum, si intra illud tempus non soluerit. Sciebant Titium non fore soluendo. Itaque cùm non solueret elapso termino, incurrit pœnam. Titius per suum amicum Caiũ reuendit ligna Sempronio, seu eius actori Andreæ, pro 120. libris. Pater Titij vocat actorem Sempronij in ius, quòd fraudem videretur fecisse filio. Post multas vtrimque expensas, offert Pater Titij sexto anno post 240. libras in commodum Sempronij.

QVAERITVR, *Ad quid teneatur Sempronius, cùm deductis expensis litis solum lucratus sit decem libras?*

REspondeo, Multa hîc inuolui, quæ seorsim sunt considerandа. 3 *Pretium redemptionis est hic nimis vile.*

Primò, Si ponamus potuisse ligna illa iustè vẽdi 200. libris pretio summo: nõ potuerunt ab eodẽ vẽditore redimi 120. libris. Nõ enim potest esse tanta distantia inter pretiũ summum & infimum, iuxta communem æstimationem. Sed si pretium summum iudicio intelligentium erat 200. librarum, infimum erit 170. vel 160. Quo posito, si Titius soluisset illas 200. libras, deberent ei 30. restitui.

Secundò, Non potuit exigi illa pœna à Titio, cùm scirent illum absque suâ culpâ non fore soluendo. Itaque fuit facta iniuria Titio cùm illa pœna exacta fuit. Non enim potest constitui pœna, neque constituta exigi in contractibus, nisi debitor committat culpam, non soluendo intra terminum elapsum. *Pœna fuit per iniuriã adiecta.*

Hinc sequitur, Sempronium teneri ad restitutionem damni ex lite secuti, si lis intentata fuit à patre Titij ad euitandam solutionem illius pœnę: quia iniustè illam litem sustinuit Sempronius contra patrem Titij ad obtinendam solutionem pœnæ. 4 *Hinc Sempronius tenetur ad expensas litis.*

Excusari tamen posset à restitutione illius damni Sempronius, si bonâ fide putauit se illam litem posse sustinere, ob consuetum ibi vsum fori externi in huiusmodi pœnis, vel ob aliam causam: ita vt non peccauerit, saltem mortiferè, illam sustinendo: quia tunc non fecit formalem iniuriam illam sustinendo. Item, si lis illa fuit intentata ad elidendum totum debitum. Nam Sempronius potuit sustinere litem, saltem quâ parte agebatur de pretio lignorum, & de interesse illius pretij: vt si pro certo illud impendisset ad alia lucra, si tempore debito solutum fuisset. Hæc enim omnia sunt cõsideranda vt aliquid certi de quantitate restitutionis possit statui. *Excipe casus.*

Ex his patet Primò, Sempronium posse ex dictâ summâ 240. librarũ, quas accepit à patre Titij retinere quantũ erat pretiũ summũ & rigorosum lignorum, quæ per Andream Titio vendidit. Quantum autem id sit, à peritis æstimandum. 5 *Sẽpronius retinere potest pretium rigorosum.*

Secundò, Posse etiam retinere vel exigere æstimationem lucri cessantis, vel damni emergentis, ex eo, quòd pretium illud, intra terminum statutum non fuit solutum; & postea per sex annos dilatum. Intellige tamen, si culpâ latâ Titij, vel patris eius, pretium non est solutum, & re verâ Sempronius illud vtiliter impendisset. Itaque facienda erit æstimatio illius lucri cessantis, vel damni emergentis, & tantundem ex illâ summâ detrahi potest & retineri à Sempronio. *Item lucrũ cessans.*

Tertiò, Si nulla culpa commissa est in dilatione solu- *Excipe casum.*

ne solutionis, nihil ex hoc capite potest Sempronius exigere.

Quartò, Si malâ fide sustinuit illam litem, exigendo pœnam 200. librarum; tenetur ad expensas litis, quas pater Titij eo nomine incurrit.

CASVS IV.

Contractus perpetuæ elocationis.

Titius non soluit Canonem ex contractu elocationis perpetuæ.

QVAERITVR, *Vtrùm ex non solutione amittat in hac elocatione vtile dominium?*

6 REspondeo, Cùm iste contractus sit contractus elocationis perpetuæ, qui distinguitur secundum Iura à contractu Emphyteuseos, non potest locator vti iure contractûs Emphyteuseos; ac proinde ex eo quòd Emphyteuta amittat Emphyteusim, non soluendo Canonem per tres annos, non potest concludere etiam in hac elocatione vtile dominium amitti ex non solutione. Neque verba illa, *Quamdiu soluerit Canonem, permittimus illi vsum fructum* &c. sufficiunt, vt à contrario sensu inferamus rem esse commissam, si aliquot annis non soluerit: nimis enim dura est illa interpretatio: sed solum significatur posse retrahi, si monitus absolutè nolit ampliùs soluere.

CASVS V.

Contractus locationis ignorato onere decimarum.

Rusticus conductor agrorum, nescivit alicui parti illorum maius decimarum onus impositum, quàm reliquis: & hactenus bonâ fide non soluit, neque exactum fuit amplius.

QVÆRITVR, *An ad aliquid teneatur in præteritum, vel in futurum? & an possit damnum sarcire à locatore?*

7 REspondeo, Istum rusticum conductorem ad nihil teneri, neque in præteritum, neque in futurum; nisi constiterit re vera tale onus inesse. Vnde, cùm lis ea de re sit mota, ad nihil tenetur, donec lata fuerit sententia, aut aliunde moraliter certum fuerit partē illam tale onus habere. Quod addo: Quia sufficit vt de re constet, etiamsi sententia ob aliquam causam lata nō fuerit, vel actor defectu probationis destiterit prosequi litem.

8 Vtrùm autem possit hoc damnum sarcire à locatore, pendet ex forma contractûs. Si enim locator simpliciter locauit non specificatis oneribus, sed generatim vt conductor solueret omnes decimas soluendas, &c. non tenetur locator sarcire; nec potest conductor vti compensatione. Nisi fortè illud detrimentum sit tantum, vt conductor nollet tanti conducere, si sciuisset. Tunc enim ratione illius deceptionis, posset detrahere de pretio conductionis, quanti minoris conducturus fuisset, si sciuisset. Idem dicendum si in contractu expressè fuisset dictum, vt non teneretur ad alia onera, quàm ad ea, quæ tunc temporis erant nota.

9 *Restitutio in integrum.*

Petes Primò, An possit elocator petere restitutionem in integrum, si ipse solùm recipiat XI. libras Flandricas, cōductor verò recipiat XXVII.

Respondeo, Non videtur dubium quin possit elocator petere restitutionem in integrum saltem pro illis annis quibus conductor recepit XXVII. libras Flandricas, ipse verò solùm XI. Idem credo etiam quando solùm accipit XVI. quia est grauis læsio.

10 *Fructus ex accreta terra.*

Petes Secundò, Si terris ad flumen sitis sensim accrescat terra, fructus ex accretâ terrâ prouenientes, eruntne elocatoris, an conductoris?

Respondeo, Sicuti accreta terra ad elocatorem seu dominum agri spectat, ita etiam ad eundem spectant fructus ex ea prouenientes: vnde potest à conductore exigere pretium pro illis fructibus: hæc enim terra non erit comprehensa in primo contractu conductionis.

CASVS VI.

Retractio fructuum in emphyteusim.

Titius in emphyteusim dedit terras quasdam Caio. Caius illas non colit: ac proinde Titius vt derelictas occupat & excolit.

QVÆRITVR, *An Titius teneatur repetenti Caio fructus restituere?*

11 REspondeo, Cùm Titius sit dominus directus illarum terrarum, easque derelictas videat, probabile videtur quòd possit eas excolere, & fructus retinere. Durum enim videtur dominum directum, quando videt bona sua deserta, non posse ea colere in suum commodum, sed teneri emphyteutæ restituere fructus detractis solùm expensis culturæ, & ijs canonibus qui ipsi erant soluendi. Sic enim non plus posset quàm extraneus nullum ius habens in illas terras. Sanè in pignore non tenetur fructus computare, cùm sit dominus directus: ergo à pari neque hic.

CASVS VII.

Fraus in Retractu.

Titius annis abhinc 20. emit domum à Caio 300. aureis. Veritus ne retraheretur à consanguineis Cai, ad fraudandum retractum, egit cum Caio, & conuenit inter eos, vt in instrumento contractus scriberetur pretium 500. aureorum.

QVÆRITVR, *An Titius teneatur ad aliquam restitutionem?*

12 *Retrotrahendo non peccat contra iustitiam.*

REspondeo, Titium non teneri ad vllam restitutionem. Ratio est, quia non peccauit contra iustitiam commutatiuam: quamuis possit videri commisisse dolum quendam, quem generali nomine vocant *Stellionatum*; etsi non putem hunc adeò fuisse grauem, vt pertigerit ad culpam letalē.

Non peccasse contra iustitiam commutatiuam, patet; quia iustitiæ ratio non postulat, vt in instrumento cōtractûs exprimatur verum pretium, sed potest poni maius vel minus vero, modò id fiat consensu contrahentium. Nec vllum ius id præcipit. Vnde etiamsi lex ciuilis concedat ius Retractûs consanguineis venditoris (nimirum vt reddito pretio quod emptor numerauit, possint rem sui facere mancipij:) emptor tamen, etiam interrogatus, non tenetur eis pretium verum indicare, nisi ex virtute veracitatis: neque lex ciuilis hanc ei obligationem imponit.

Nec contra vllum ius.

13 *Idem dico de venditore.*

Idem dico de venditore (etsi minor de hoc videatur ratio, eò quòd ipsius non tanti intersit retractum non fieri, quanti emptoris) quia nulla talis obligatio inuenitur.

A simili.

Idem confirmatur à simili: quia si quis emens merces certi generis, v.g. pannum argenteum, simulet se singulas vlnas emere 20. florenis, cùm nō

emat nisi 13. vel 14. non facit per hoc iniuriã alijs quibusdã emptoribus paratis emere, si verum pretium sciuissent: nec peccat contra Iustitiam commutatiuam; non enim id facit vt alij pluris emant pannum illum, quàm valet; sed vt ipse solus emat, & alij magnitudine pretij deterriti, nõ ausint emere: qua in re sibi consulit. Idẽ dico etiamsi merces improbet & vituperet coram alijs mercatoribus, vt solus emat omnes. Nemo enim cùm de notabili commodo agitur, tenetur alteri veritatẽ aperire, quâ cognitâ, ille commodum istud impediret, vel ad se pertraheret. Neque mendacium tale censetur pernicioſum, sed officioſum.

Super plus tenetur restituere.

Si quis tamẽ habens ius Retrotractûs refudisset Caio quingentos, putans eum tanti emisse, teneretur Caius ex Iustitiâ restituere ducentos, cùm ipse solùm trecentis emerit. Ille enim ius habet, vt refuso eodem vero pretio, rem sibi vindicet.

14 *Retrotractus eludi potest.*

Deniq; Retrotractus facilè eludi potest hac ratione, nimirum, si conueniat inter cõtrahentes, vt res, v. g. domus, ematur quingentis, & illud pretium scribatur in instrumento; sed simul se obliget venditor ad condonandũ post contractum ducentos. Atqui eo ferè modo videtur accidisse in casu proposito, vel facilè huc reuocari potest: quia in foro externo censetur domus vendita quingentis: & tali instrumento in foro externo posset Titius petere quingentos, & obtineret. Itaque hoc ipso quo promisit se id non facturum, intercedit hîc tacita quædam condonatio. Omitto alia quæ in hanc sententiam adduci possent.

CASVS VIII.

Dubium debitum ex contractu.

Titius à Caio acceperat 100. dato chirographo. Mortuus est Titius & Caius. Huius hæredes reperto chirographo petunt ab hæredibus Titij solutionẽ, qui sese nihil debere affirmant, quòd solutum in libro rationum inueniant.

QVÆRITVR, *Vtrùm iustè negetur & petatur solutio?*

15 REspondeo, Hęredes Titij si omnino credunt parentem soluisse illos 100. florenos (quod meritò credere possunt, cùm inueniant id in libro parẽtis ipsius manu annotatũ assignato die certo) non tenentur soluere nisi à Iudice compellantur. Hæredes tamen Caij, quia reperiunt apud se chirographum seu obligationẽ Titij, si omnino credunt non esse solutum, possunt petere in iudicio. Si propter contrarias probationes inierint compositionem v. g. vt soluatur illis dimidium; non possunt reliquum occulta compensatione repetere; quia compensatio locum non habet nisi vbi certa est iniuria: hîc autem non est certa iniuria.

CASVS IX.

Mendacium mercatorum.

Vtrùm mercator interrogatus ab alio mercatore teneatur fateri scientiam priuatam de pretio mercium aliarum Prouinciarum, si negatio vergat in damnum interrogantis?

16 REspondeo, Mercator qui rogatus ab alio de pretio frumenti in tali Prouinciâ, respondit minus pretium, & dixit ibi esse magnam frumenti copiam, ne alter eò suum frumentum destinaret; sicque contingeret ipsum suum frumentum, quod ibi habebat, minoris vendere; non videtur cogendus ad restitutionẽ. Receptum enim est inter mercatores, vt veritatem in huiusmodi non aperiant; quia id in eorum damnum cederet.

DEPOSITVM.

CASVS I.

Depositi vsus.

Petrus Ædilis depositam apud se habet pecuniam Ecclesiæ.

QVÆRITVR, *An possit eâ vti in suum, vel in publicum commodum?*

REspondeo Primò, Qui pecuniam Ecclesiæ accepit in custodiam per modũ depositi, nõ potest eâ vti in suum vel aliorum commodũ absque consensu Rectoris Ecclesiæ: & tenetur illam restituere quando repetita fuerit. Quòd si non restituerit, & inde lucrum cesset Ecclesiæ, eò quòd illa pecunia fuisset impensa in emptionem censûs, vel rei fructiferæ, tenetur ad interesse, quia est in mora; sicut fur qui alienum detinet. Confirmatur, quia si illa pecunia non esset expensa, sed adhuc extaret apud depositarium, & depositarius nollet illam reddere cum expetitur, teneretur ad interesse: ergo etiam tenetur postquam expensa est: quia quòd sit expensa, hoc non potest præiudicare Ecclesiæ, cùm sine eius consensu id factum sit. 1 *Non potest vti in suũ commodũ.*

Respondeo Secundò, Non refert quòd illa depositа pecunia in publicum commodum expensa sit: quia commodum publicum non debet solius Ecclesiæ expensis, sed publico sumptu procurari. Vnde communitas debet contribuere, vt nõ sola Ecclesia totum onus ferat. Similiter non refert quòd hac ratione communitas fuit defensa à milite, & ita non fuerit coacta cum magno Ecclesiæ incommodo confugere ad Ecclesiam: quia Ecclesia non tenetur gratis illud refugium permittere: imò communitas debet potiùs contribuere ne cogatur Ecclesiam conspurcare. 2 *Neque in commodũ publicum.*

Respondeo Tertiò, Non solùm tenetur ad interesse ex eo tẽpore quo detentio cœpit esse damnosa Ecclesiæ; sed etiam tenetur ad auctarium, si specierum valor auctus est, & ipse promisit se easdem species restituturum. Ratio est, quia absque consensu Ecclesię illam pecuniam expendit, & ita fuit illi causa damni: si enim illam pecuniam custodisset vt depositam, sicut tenebatur ex contractu, creuisset in Ecclesiæ commodum. 3 *Tenetur ad auctarium si species valor est auctus.*

Addo tamen, Ecclesiam quoque pro suâ parte in sumptum venire debere. Et hac ratione posset fortè aliquid detrahi restitutioni, siue quoad monetæ augmentum, siue quoad interesse pensionis.

CASVS II.

Depositi conseruatio & restitutio.

Ex qua culpa teneatur depositarius si fortè depositum deponenti sartum tectum non præstiterit? Item, *An quis possit se obligare ad custodiam depositi cum damno Reipublicæ?*

REspondeo Primò, Quando depositum factũ est in commodũ solius deponentis, & depositarius nihil inde percipit vtilitatis, depositarium nõ teneri nisi ex culpa graui vel dolo, si fortè depositum deponenti sartum tectum nõ præstiterit. l. 1. ff. *Depositi.* Estque communis Doctorũ sententia, Ita- 4 *Si in commodum solius deponentis, tenetur solũ ex culpa graui vel dolo.*

tia. Itaque quando maior vis ingruit, aduersus quã, sine grauissimo damno non potest depositum tueri, extra omnem culpam est si illud à se dimittat: nõ enim cum tanto suo damno videtur illius custodiam voluisse præstare, cùm nullum inde commodum esset percepturus. Actus enim agentium non operantur vltra intentiones eorum, vt Doctores dicunt.

5 Respondeo Secundò, Quemlibet posse se obstringere ad custodiam depositi, etiam cum manifesto periculo & damno rerum propriarum quarũ est absolutus dominus, & liberã habet dispositionem: non tamen cum damno publico, quia non est dominus bonorũ Reipublicæ sed solùm administrator, etiamsi sit Rex aut Princeps in temporalibus superiorẽ non agnoscens. Vnde absque consensu Reipublicæ, seu eorum qui Rempub. repræsentant, vt apud Belgas sunt Status Generales, non potest facere aliquas promissiones in præiudicium boni communis; vel si aliquæ factæ sunt, quas rerum successus ostendit in damnum publicum cessuras, non tenetur eas seruare; imò per se loquendo, nec potest. Sicut enim non potest bona subditorum in suum commodum conuertere, ita non potest ea suis priuatis cõtractibus periculo bellorum vnà cum vitâ ipsorum exponere. Tenetur enim omnis Princeps Rempublicam administrare prout expedit ad bonum commune, & non aliter. Et hic est scopus quẽ in omnibus spectare debet. Hoc enim est discrimen inter Principem iustum & tyrannum, quòd Princeps iustus spectet in omnibus bonum commune Reipubl. cui conseruando & promouendo est præpositus: tyrannus spectet commodum & honorem suæ personæ.

Princeps non potest bona Reip. quorum solum est administrator, enerare.

Ex quibus manifestè consequens est, Principem non teneri coram Deo, & apud Sapientes, promissione quam priuatim fecit, nisi quantum commodè potest absque damno publico.

HÆRETICORVM CVM CATHOLICIS CONVERSATIO.

HABITATIO.

CASVS I.

Habitatio hæretici inter Catholicos.

An liceat Principi seu potestati publicæ concedere hæretico ob artem vel scientiam habitationem in locis suæ iurisdictioni subiectis?

1 REspondeo, Non licere Principi seu potestati publicæ concedere hæretico habitationẽ in locis suæ iurisdictioni subiectis, etiãsi ille præclara arte instructus sit. Nam etsi consistendo intra Iuris naturalis limites nõ videatur illicitum, modò caueatur vt absit periculũ contagij; tamen est apertè contra Ius Ecclesiasticum, & contra iuramentum quod præstare debẽt potestates seculares. In Concilio enim magno Lateranẽsi sub Innocentio III. c. 3. sic dicitur, *Moneantur & inducantur, & si necesse fuerit, per censuram Ecclesiasticam compellantur seculares potestates cuiuscumque officij, vt reputari cupiant & haberi fideles, ita pro defensione fidei præstent publicè iuramentum, quòd de terris suæ iurisdictioni subiectis, vniuersos hæreticos ab Ecclesiâ denotatos, bonâ fide pro viribus exterminare studeant; ita quòd amodò quandocumque quis fuerit in potestatẽ siue spiritualem siue temporalem assumptus, hoc teneatur Capitulum firmare,* & cætera quæ sequuntur.

Concil. Lateranense diserte id prohibet.

Neque hîc fit vlla exceptio artis aut scientiæ sicut nec secundùm rectam rationem fieri debet: quia ob aliquod temporale compendiolum, fides aut Religio periclitanda non est: præsertim cũ hæretici, qui magno sunt ingenio, plurimùm nocere possint, etiam occultè & obiter. *Non excusat ars aut scientia.*

Accedit quòd leges seruandæ sunt iuxta tenorem verborum, nisi aliquid contrarium intentioni legislatoris inde obueniret: vt si maius malum secuturum valdè probabiliter timeretur; quod hîc non videtur locum habere: non enim magnum malum, quòd alioquin hæretici ea arte fruentur; nisi fortassis talis esset ars illa, vt per eam grauia damna essent Catholicis inferenda; vt si quis esset valdè peritus conflandi tormenta bellica, vel conficiendi pulueris tormentarij, & similes non reperirentur apud hæreticos. *Leges seruandæ iuxta tenorẽ verborum.*

Neque dici potest illam constitutionem Concilij non esse receptam: cõstat enim receptam esse, & à Catholicis Principibus hoc iuramentum præstari. Quòd si à quibusdam potestatibus secularibus interdum non præstetur, negligentia est & abusus: neque idcirco constitutio Concilij desinit illos obligare. 2 *Solauntur obiectiones.*

Neque hîc vrget quòd dicatur S. Hieronymus cum Iudæis familiariter cõuersatus, & ab ijs multa arcana didicisse. Quia D. Hieronymus non fungebatur potestate publica, vt ipsius esset admittere vel expellere Iudæos. Deinde, non nego quin priuatus possit aliquid discere ab hæretico iam inter Catholicos commorante, si aliunde non potest & abest periculũ peruersionis; vti D. Hieronymus absque periculo animę suę à Iudęis multa didicit. Sed hîc quæritur an liceat potestati publicæ dare hæretico facultatem commorandi inter Catholicos; quod dico non licere, maximè ob constitutionem Concilij. *Exemplum S. Hieronymi.*

Neque etiam excusat quòd fortè talis inter Catholicos posset conuerti: quia faciliùs vnus hæreticus peruertet Catholicos multos, quã Catholici multi vnum hæreticum conuertent. Alioquin cur Apostolus ad Titum 3. v. 10. post vnam vel alterã correptionem iubet eum de uitari, tanquam subuersum, & proprio iudicio condemnatum; idque quia sermo eius tanquã cancer serpit? Cur S. Ioannes Euangelista epistolæ suæ secundæ v. 10. & 11. nec Aue vult ei dici? Cur Dominus Matth. 18. v. 17. vult eum haberi tanquam Ethnicum & Publicanum? Rarissimè abest omne periculum contagij, præsertim quando sunt homines ingeniosi, & ab aliqua scientia vel artificio auctoritatem sibi vindicant. Debent igitur Superiores quantũ possunt eos expellere & exterminare, & nullo modo ad suas ditiones admittere. 3 *Spes conuersionis.*

CASVS II.

Cõmercium hæreticorũ in emporio Catholico.

Vtrùm Serenissimus Princeps possit bonâ conscientiâ permittere, vt mercatores Angli negotientur Antuerpiæ, & ibidem commorentur, sicut olim consuetum?

VIdetur non posse id permittere, quia periculum est ne ciues inficiant, cùm plerique illorum sint hæretici. 4

Sed si quis rẽ penitus inspiciat, non videtur esse vlla iusta ratio dubitandi cur non possit permittere, & etiam eos inuitare in cõmodum primarij sui emporij, quod alioquin hoc tempore extremam videtur minari ruinam. *Possunt Angli hæretici negotiari Antuerpiæ.*

Rómæ & in Polonia permittuntur Iudæi.

Primò, Summus Pontifex in ipsa Religionis Christianę arce Roma permittit tot millia Iudęorum, qui quotidie per vrbem discurrunt, & cum ciuibus exterisque negotiantur. Idem facit Rex Poloniæ in primarijs regni sui oppidis. Neq; quisquam Doctorum censet eos hac in re suam lędere conscientiam. Cur nõ possint Antuerpię permitti aliquot mercatores Angli causâ negotiationis? Maius enim est periculum scandali à Iudæis, quibus omnes sui ritus permittuntur, & fixam omnino sedem habẽt, & linguam probè norunt, & magnum suæ Religionis zelum habent quàm ab istis mercatoribus, qui plerumque parùm Religioni suæ sunt addicti, & linguam patriam ignorant, & pauci sunt numero.

5 *In Hispaniâ tolleranter mercatores hæretici.*

Secundò, In ipsa Hispania, vbi maximè Religioni Catholicæ cauetur, permittuntur tales negotiatores; nec quisquam idcircò Regem accusat. Cur ergo non possint hîc admitti, vbi ipsa necessitas cogit admittere maiorem libertatem quàm in Hispania. Posset enim Rex Hispaniæ, si vellet, non admittere vllos hæreticos, & expellere omnes; tamen propter bonum regni sui non facit. Hic autem maximo numero admittuntur.

6 *Toleranit eos in Belgio Carolus V. & Philippus II.*

Tertiò, Tempore glor. mem. Caroli V. Imperatoris permissi fuere: & cùm anno 1550. graui edicto hæreticos perculisset, propter quod etiam Angli excessuri erant, paucis tamẽ mensibus pòst, de re tota per sororem Mariam Hungariæ Reginam, probè instructus; edictum suum mitigauit, declarans illud ad mercatores exteros nõ extendi. Pari modo permissi fuere sub imperio Philippi II. Cur ergo nõ possent permitti? Si enim Carolus V. & Philippus II. bona conscientia eos admittere potuerunt, cur non etiam sua Celsitudo possit? maximè cùm modò sit longè maior necessitas.

7 *Hollandis id permittitur.*

Quartò, Sua Celsitudo permittit omnes negotiatores imò omnes hæreticos Prouinciarum vnitarum liberè versari, nõ solùm Antuerpiæ, sed etiam per totam regionem; à quibus tamen longè maius periculũ peruersionis imminet Catholicis: quia linguam norunt, & amicos habent, & longè familiariùs, quàm exteri, cum omnibus versantur. Si illi passim permittuntur, & tãto numero, à quibus longè maius est periculum, & parum cõmodi: cur non possint vno loco pauci quidam admitti, à quibus nihil ferè periculi Religioni, & maxima spes cõmodi, ac restitutionis nobilissimi emporei, alioquin, vt nunc videtur, tendentis ad ruinâ, cum maximo Principis & regionis totius damno.

8 *Nullum hinc periculum Religionis.*

Quintò, Hactenus non est intellectum aliquos ex ciuibus vel incolis ab Anglis Antuerpię fuisse peruersos: sed è contrario constat plurimos ex illis ab hęresi ad Religionem Catholicam conuersos. Ergo vel ob hanc solam causam, nempe ob spem conuersionis, bonâ conscientiâ admitti possent, etiamsi nihil commodi temporalis ab illis ciuitati esset obuenturũ. Charitas enim Christiana suadet vt vbi tãta spes boni spiritalis & salutis animarum affulget, à Principe non negligatur.

9 *Catholici negotiantur inter hæreticos.*

Sextò, Longè maius est periculum peruersionis cum nostri mercatores ad hæreticas regiones proficiscuntur, & ibidem cum hæreticis versantur, & cõmorantur. Ibi enim est summa libertas, & nihil ferè nisi blasphemias & disputationes in Catholicam Religionem audiunt. Vnde hâc maximè ratione initio hæreses introductę, nimirum ab incolis alibi infectis. Itaque si cõscientię & Religionis ratio habeatur, prohibendi essent potiùs incolę ne in regionibus hæreticis negotientur; quàm excludendi exteri à regione Catholica. Parùm enim ex illorum commoratione periculi, cò quòd non audeant liberè loqui, vel disputare contra Religionẽ Catholicam, & plerumque lingua eorum plebi sit ignota; & ipsi toti negotijs suis sint intenti.

10 *Quare hinc non sit timendum Antuerpiæ.*

Septimò, Quæ omnia maximè locum habent hoc tempore propter copiam Doctorum & piorũ virorum, qui publicè & priuatim, omnem ętatem, diligẽter in Religionis negotio instituunt, & omnes hæreticorum versutias detegunt; adeò vt non sit metuendum Antuerpię hæresim tacturam progressum; sed summoperè sperandũ eam sensim extingendam, vel saltem valdè debilitandam.

Euitabuntur multa incõmoda.

Octauò denique, Si supradicti mercatores non admittantur, multa timenda sunt incommoda, nõ solùm temporalia, sed etiã spiritualia. Multorum enim affectus à Principe auertetur, tanquam qui de industria tam nobile emporeum velit perdere, cum facilè possit illud erigere & saluare. Multi per iram & impatientiam Principi omnia dira imprecabuntur: & quia prætextu saluandæ Religionis dicetur id fieri, etiã ab ipsa Religione animo alieni reddentur, & ad loca hęretica se transferent.

Quibus omnibus consideratis, non solùm videtur Princeps posse, sed etiam debere permittere, vt ista negotiatio permittatur; adhibitâ eâ moderatione, quę aliàs proposita fuit.

STVDIOSI.

CASVS III.

Promotio in Vniuersitate hæretica.

Vtrùm Catholicus Philosophiæ Professor in hæretica Vniuersitate quæ nec à Pontifice neque à legitimo Rege instituta est, possit discipulos suos præmisso examine promouere ad Magisterium seu Doctoratũ Artium, hac forma: **Ego: N. Artium Magister, nomine & auctoritate Facultatis artium, creo te Magistrum artium, & Philosophiæ Doctorem,** *& porrecto libro Aristotelis facit eidem potestatem docendi Philosophiã, ac de eius quæstionibus publicè disputandi.*

11 *Per se est illicitum.*

REspondeo, Videri id per se illicitum. Primò, Quia ad creandum Magistrum vel Doctorẽ artium, requiritur legitima auctoritas, sicut ad creandum Nobilem, Baronem, Comitem: atqui in illa nuncupata Facultate artium non est legitima auctoritas; cùm hæc nõ habeatur nisi à Pontifice, vel certè à Principe, aut consentiente etiam Principe, vt constat consuetudine recepta in populo Christiano. Ratio est, quia Doctoratus seu Magisterium, non est solum nudum testimonium eruditionis, sed est dignitas quædam & nobilitas ratione doctrinæ collata, vt passim DD. docent; quam in Republica nemo conferre potest nisi auctoritate Principis Ecclesiastici, cuius est vbique curare vt ea doctrina tradatur quæ fidei orthodoxæ non repugnet. Prætercà, etiam requiritur consensus Principis secularis in Vniuersitatibus secularibus; quia eius quoque interest quinam in eius ditionibus ad hos honores promoueantur. Secundò, Id per se illicitum videtur, quia per talem actum conciliatur auctoritas Vniuersitati hæreticæ.

Si tamen

12 *Ex circũstantia potest esse licitum.*

Si tamen circumstantia spectetur, videri potest licitum; nempe si id fiat ad maiora mala euitanda: vt si non possit omitti, nisi is qui docet, relinquat professionem, & tunc successurus sit aliquis hæreticus, qui hæresim studiosis instillet. Tunc enim cẽseri possunt Pontifex & Rex seu Princeps ratum habere ad maius malum vitandum. Quòd si ille potest declinare hanc promotionem sine tali incommodo, tenetur abstinere.

Absolutio Studiosorũ à iuramento per Ministrum hæreticum.

CASVS IV.

An Absolutio seu dispensatio iuramenti facti à Studiosis dum gradus reciperent in Vniuersitatibus Catholicis, petii possit à Ministris hæreticis, vel Magistratu hæretico?

13 *Quinam possint tollere vinculum iuramenti.*

REspondeo, Negatiuè. Primò, Quia nemo potest vinculum iuramenti tollere seu in eo dispensare, nisi pars in cuius fauorem facta est; vel Prælatus Ecclesiasticus qui id auctoritate diuinitus accepta facit; vel Princeps, qui interdum in pœnam partis liberat alteram partem à iuramento. Sed nullo horum titulorum id possunt in hoc casu Ministri hæretici eorumque Magistratus: ergo.

Secundò, Quia petere absolutionem seu dispensationẽ iuramenti ab ipsis, est suo facto agnoscere, & profiteri in ipsis esse aliquam iurisdictionem spiritualem ligandi & soluendi. Atqui hoc est omnino illicitum: nam hæreticum est dicere in Ministris illis, vel Magistratu, esse spiritualem potestatem ligandi & soluendi. Maior patet, quia ab ipsis non peteretur absolutio tamquam à parte, in cuius fauorem iuramentum factum est: neque etiam tamquam ab habentibus iurisdictionem in eos in quorum fauorem factum est; sicut interdum Princeps potest subditum liberare vinculo iuramenti quod factum alteri suo subdito in iustam pœnam: ergo tanquam ab habentibus iurisdictionem spiritualem, & potestatem ligandi & soluendi. Cõfirmatur, quia alioquin liceret etiam petere ab illis absolutionem peccatorum, & dispensationem in votis, & similia.

Petere absolutionem à iuramento, est hic agnoscere iurisdictionem spiritualem.

14 *Iniurius est Deo & Vniuersitati petens talem dispensationem.*

Tertiò, Quia iuramenta quæ fiunt in promotionibus, Partim sunt de retinenda professione fidei iuxta formulam ordinariam; quæ iuramenta fiunt Deo & Ecclesiæ; & ab horum vinculo nemo potest liberare, & nemo petere liberationem, quia non potest subesse vlla ratio liberandi: Partim in fauorem Vniuersitatis; & ab his etiam nemo potest inuita Vniuersitate, nisi legitimus Superior Ecclesiasticus, idque ex iusta causa: ergo petendo ab his liberationem, agnoscunt & habent illos pro veris Superioribus: quod omnino illicitum est.

Finis huius dispensationis est illicitus.

Quartò, Quia tota illa constitutio hæretici Magistratus, qua imperatur vt studiosi in Catholicis Vniuersitatibus promoti, talem absolutionem vel dispensationem à se, vel Ministris suis petant, eò videtur tendere, vt promoti ad gradus agnoscant Ministros vel deputatos pro legitimis Superioribus habentibus auctoritatem eximendi à iuramentis huiusmodi, tanquam hosti factis; vel potiùs vt eis renuntient tanquam illicitis & nefarijs, eaque abiurent: nam non apparet quis posset esse alius vsus huius absolutionis petendæ. Atqui hoc penitus est illicitum: nam iuramento professionis fidei renuntiare, protestatio est perfidiæ: & iuramento Vniuersitatis renuntiare, iniurium est Vniuersitati: nec propter hanc renuntiationem desinet obligatio iuramenti.

Hinc sequitur, graue esse peccatum abiurare hæc iuramenta; id est, iurare se non habere ea pro legitimis, & nolle seruare. *Est graue peccatum.*

FESTA ECCLESIÆ.

CASVS V.

Hæretici obligantur præceptis Ecclesiæ.

An hæretici teneantur præceptis Ecclesiæ de clandestinis matrimonijs? Item de Ieiunio & abstinentia ciborum? Item de audiendo sacrificio Missæ &c?

15 *Clandestina hæreticorum matrimonia sint irrita.*

REspondeo ad Primum, Certum est hæretici matrimonium, in loco vbi decretum Concilij Tridentini de Clandestinis matrimonijs est promulgatum, esse inualidum si fiat absque Parocho: vnde cùm redeunt ad Ecclesiam, coram Parocho & testibus est renouandum. Apertè id colligitur ex decreto Concilij *Qui aliter quàm præsente Parocho.* Quod decretum etiam hæreticos cõstringit. Cur enim per hæresim sint exempti Ecclesiæ legibus? Sicque ante 24. annos responsum Romæ pro Belgio, & in praxim reductum.

16 *Tenentur præceptis Ecclesiæ.*

Respondeo ad Secundum, Hæretici non minùs ligantur his legibus quàm Catholici. Vnde toties peccant mortaliter quoties ieiunium violant, vel carnes die ieiunij comedunt. Non enim par est vt ipsorum malitia profit illis ad exemptionem ab Ecclesiæ obedientia.

Non tamen interesse rei diuinæ.

Respondeo ad Tertium, Hinc tamen non sequitur eos obligari interesse rei diuinæ, quia id ab Ecclesiâ illis prohibetur; nec est vlla ad id obligatio nisi ex Ecclesiæ præcepto; quod præceptum cessat quando ob aliquam causam contrarium præcipit.

Conductio operarũ die festo.

CASVS VI.

An aliter liceat vti diebus festis operâ hæreticorum, quàm Catholicorum?

17 *Nulli licet magis vti operâ hæreticorum die festo, quàm Catholicorũ.*

REspondeo, Non aliter licet vti diebus festis operâ hæreticorum, quàm Catholicorum: quia hæretici non minùs obligantur præceptis Ecclesiæ quam Catholici. Vnde quando est talis necessitas vt liceat Catholicos operi admouere diebus festis, licitum etiam est adhibere hæreticos ibidem habitantes, præsertim si alij commodè haberi nequeant. Loquor autem de eo, qui non tenetur, vel qui non potest eos expellere: nam is qui & potest & tenetur eos expellere, non potest eorum operâ vti, nisi fortè ad breue tempus, idque si aliter res suas expeditas habere nequiret, præsertim quæ publico bono sunt necessariæ.

Multò minùs idlicet ijs qui possunt vel debent hæreticos expellere.

Si quis autem putet diebus festis licere vti operâ hæreticorum potiùs quàm Catholicorum, eò quòd hæretici non sint dies festos seruaturi, fallitur: quia non licet petere ab hæretico, quod ipse sine peccato præstare non potest: atqui non potest laborare die festo sine peccato, si tunc Catholicus non posset; quia non minùs obligatur præceptis Ecclesiæ, quàm Catholicus.

18 *Hæretici aquè ac Catholici obligantur præceptis Ecclesiæ.*

Mancipia Christiana nõ possunt diebus festis occupari.

Neque verũ est posse dominũ mancipia Christiana diebus Festis occupare; nisi necessitas excusset: quia etsi mancipia excusentur ob domini metum, dominus tamen non excusatur; quia tenetur curare vt festa non violent, multoque magis cauere ne illis ipse sit auctor violandi.

Non Excusat quòd sponte sua Hæreticus sit operaturus.

Nec obstat quòd hæreticus ille sua sponte die festo sit operaturus; quia id non est facturus, nec potest facere sine peccato, vnde non potest ad hoc conduci.

19 *Priuatus potest hic negatiue se habere.*

Potest tamen priuatus aliquis opus aliquod dare faciendum siue hæretico siue Catholico, quamuis putet illum etiam die festo in hoc opere versaturum; modò illum ad hoc nullo modò inducat; & ille nihilominus aliquid erat operaturus; tunc enim merè passiuè se habet ad illam festi violationem.

Non tamen superior,

Hoc tamen intelligendum est de eo qui non tenetur curare vt ille festum seruet, & à seruili opere abstineat: qui enim tenetur id curare, vt superior, non potest permittere, sed debet cogere vt festos dies non violet.

FESTA ECCLESIÆ.

Transla-tio Festo-rum illi-cita.

CASVS VII.

An liceat Catholicis in locis hæreticorum transferre Pascha & alia mobilia festa, eò quòd hæretici antiquum Kalendarium velint seruari?

20 REspondeo, Vbi Kalendarium Romanum Gregorij XIII. est receptum, & vsu annorũ comprobatum, non possunt Catholici Pascha, & alia mobilia festa transferre, eò quòd hæretici antiquum Kalendarium velint seruari. Quia hæretici non possunt legem illam de celebrandis festis talibus temporibus abrogare; sicut nec Natalem Domini trãsferre. Itaque, cessante graui periculo, tenentur Catholici suis temporibus ea celebrare.

Aperire officinã die festo.

CASVS VIII.

An liceat Catholicis in locis hæreticorum, diebus festis ab Ecclesia præceptis, suas officinas aperire?

21 *Si præceptum hoc sit particulare,*

REspondeo Primò, Si Magistratus hæreticus mihi in particulari præcipiat vt die festo ab Ecclesiâ Catholicâ præcepto aperiam officinam: vel id facit in contemptum Ecclesiæ; vel non. Si in contemptum Ecclesiæ, idque aliquo signo externo prodat, v. g. vt abroget superstitionem Papisticam (vt loquuntur) quam ego seruo; non possim obedire, vt passim omnes D D. docent. Quia obedire cum his circumstantijs, est exequi prauam voluntatem Magistratûs in cõtemnendis Ecclesiæ mandatis. Si ob aliam causam præcipiat, v. g. vt merces non desint, vt sit vniformitas in ciuitate, possim obedire.

22 *Si generale,*

Respondeo Secundò, Quòd si per statutum generale præcipiatur vt talibus diebus officinæ aperiantur, v.g. omnibus diebus præterquam Dominicis. Possum obedire, si absque graui damno non possem omittere. Quia quando est generale præceptum, non censetur statim quiuis in particulari obedire quo ad modũ operis seu finem extrinsecũ à legislatore intentum, sed solùm secundùm substantiam. Debet tamen abesse scandalum.

Claudere officinas die Precum hæreticorũ.

CASVS IX.

An liceat Catholicis ibidem officinas suas claudere iussu Magistratûs die dicato orationi hæreticorum?

REspondeo, Id licere, quando graue damnum ex contrario impenderet; etsi mihi in particulari præciperetur. Solùm enim iubeor hic abstinere ab aliquo opere publicè obeundo. 23

Cantus Psalmorum.

CASVS X.

An liceat Catholicis canere Psalmos in conuiuijs?

REspondeo, In conuiuijs canere Psalmos duplici ratione potest esse illicitum. Primò, ratione scandali; quia videtur professio hæreseos. Secundò, ratione præcepti Ecclesiæ: prohibentur enim tales libri, & consequenter vsus eorum quæ illis continentur; etsi forte tale præceptum ibi non fuerit vnquam receptum. Certè ratione scandali non videtur facilè permittendum. 24

Organista in templo hæreticorum.

CASVS XI.

An Iuueni Catholico liceat esse organistam in templo hæreticorum, & vesperi ludere Psalmos, ipsis in templo ambulantibus. Item ludere sub concionem, aut cœnam Calumnisticam?

REspondeo, Sicut non licet voce canere Psalmos in conuentibus hæreticorum, eorumque cætibus & concionibus; ita nec instrumento musico. Est enim hoc publica quædam istius religionis approbatio & professio. Eâdem ratione liceret se adiungere cætui hæreticorum, & vnà cum illis Psalmos canere, eorumque sacrilega sacra & preces condecorare. 25

Abstinẽtia à carnibus.

IEIVNIVM ECCLESIÆ.

CASVS XII.

Titius iubetur sub periculo mortis die Veneris in contemptum Ecclesiæ carnes manducare. QVÆRITVR, *An hic Titius possit obedire?*

REspondeo, Doctrina illa Doctorum vera est, Præcepta Ecclesiæ non obligare cum periculo mortis vel fortunarum. Si tamen in particulari præcipiatur mihi aliquid quod est contra præceptum Ecclesiæ, idque in contemptum Ecclesiæ, non possum obedire: non quia præceptum Ecclesiæ obligat cum periculo mortis, sed quia præceptum diuinum de non contemnenda Ecclesia obligat cum periculo mortis. Censeor autem contemnere, si sic præcipienti obtemperem. Debet autẽ aliquo signo exterius apparere illum in contemptum Ecclesiæ præcipere. 26

Secùs est quando statutum sit generale: quia tunc quiuis in particulari non censetur obedire nisi Secundùm substantiam operis præcepti, non autem secundùm prauum finem præcipientis. Vnde si magistratus in contemptum Ecclesiæ, vel ad cognoscendum qui sint Catholici, præciperet vt omnes diebus Veneris & Sabbathi carnibus vescerentur, 27 *Possum obedire si statutum sit generale sepposito omni scandalo,*

cerentur, possem ego, sepositio omni scandalo, in graui periculo, ad meam occultandam Religionē carnes edere, nempe quando non edendo deprehenderer & punirer, vt in Anglia. Si tamen in particulari iuberet in contemptum Ecclesiæ vt carnes ederem, non possem, etiamsi mors oppetenda foret. Idem locum habet quando aliquid præcipitur in contemptum alterius virtutis; ita vt si obtemperem, censear velle illam virtutem contemnere. Sed quia id nimis manifestam turpitudinem continet, ideò nihil tale præcipi solet.

Abstinētia à carnibus.

CASVS XIII.

An Catholico liceat hæretico coquere, & apponere carnes die ab Ecclesia prohibito?

28 QVando Dominus vult comedere carnes in contemptum Ecclesiæ, vel Religionis Catholicę; non est per se illicitum illi coquere & subministrare. Vnde famulus potest eas coquere & porrigere, si sine graui damno non possit euitare; quia actio quæ præcipitur famulo non est ea quà intendit Dominus Ecclesiā contemnere, sed ipsa domini manducatio. Neque difficile est aduertere vtrum aliquid in contemptum Religionis præcipiatur: quia id signo externo indicari debet, alioquin si nullum tale signum appareat, præsumi potest quòd non præcipiatur ex contemptu Ecclesiæ &c.

Abstinētia à carnibus.

CASVS XIV.

Vtrùm leporarius & auceps in terris hæreticorum posit in Quadragesima venari, & prædam vendere?

29 REspondeo, Cessante scandalo puto leporariū & aucupem posse illis locis in Quadragesima venari & prædam vendere. Quia opus illud per se non est prohibitum: & valdè remotè cooperatur violationi præcepti Ecclesiæ. Imò quibusdam in locis in Quadragesima venditur caro pro ijs qui facultatem habent, quod illorum conscientiæ relinquitur.

Hospites videntur propinquius cooperari, quia cibos coctos apponunt. Permittunt tamen Auctores, si sine notabili incommodo suo non possint denegare; vt, si hospites illic nollent diuersari.

LIBRI.

Quinam verè libri hæretici.

CASVS XV.

Quidam Religiosi habent potestatem concedendi suis pœnitentibus facultatem legendi libros prohibitos, qui tamen non sunt editi ad stabilienda dogmata hæretica.

QVÆRITVR, *Quinam libri non censeantur editi ad stabilienda dogmata hæretica?*

30 REspondeo, libri illi non censentur editi ad stabilienda dogmata hæretica, qui non ex professo hoc agunt vt hæresin probent, aut introducant; sed aliud argumentum tractant, & obiter subinde aliquid hæreticum admiscent: qualia sunt opera Erasmi Rotterodami (exceptis quibusdam colloquijs) & Ludouici Viues. Wesembecius, Bodinus de Republica, Munsteri historia. De Sleidano dubito, quia ex professo hoc agit vt causam Lutheri commendet. Hi, & similes, in facultate ista continentur quam quidam Religiosi habent concedendi potestatem suis pœnitentibus alijsque externis libros prohibitos, qui non sunt editi ad stabilienda dogmata hæretica.

Vbi aduerte, mentem Suæ Sanctitatis esse, vt cū conceditur potestas legendi huiusmodi libros, moneantur lectores, vt errores occurrentes deleant: quod etiam colligitur ex instructione Indici librorum prohibitorum prefixa.

Libri corrigēdi

CASVS XVI.

Quid faciendum de libris corrigendis?

REspondeo, In hisce locis qui habent libros corrigēdos, possunt eos apud se retinere donec tradant Correctori, vel ipsi obtineant facultatem corrigendi. 31

Episcopus his locis potest Religiosis & etiam externis dare facultatem corrigendi etiam libros externorum; vt patet ex instructione Clementis VIII. quæ habetur in Indice librorum prohibitorum.

Similiter potest Episcopus dare facultatem legendi libros prohibitos viris idoneis, modò tales sint vt corrigi possint; vt patet ex eadem instructione. Vbi verò est Inquisitor, ab vtroque facultas obtinenda.

Typographus & Bibliopola.

CASVS XVII.

Vtrùm liceat Catholicis Typographis libros hæreticos lucri causâ excudere? Item an liceat Bibliopolis libros hæreticos vendere?

REspondeo Primò, Non est permittendū Catholicis Typographis vt libros, qui ex professo hęresin tradunt, lucri causâ excudant. Ratio est, quia librum excudere, moraliter est doctrinam libri per orbem disseminare: quod sicut voce non licet, ita nec scripto. 32

Respondeo Secundò, Similiter non est permittendum Bibliopolis vt hæreticorum librorū faciant mercaturam, eos alibi conquirendo, & inferendo in patriam, vel efferendo, vt diuendant. Ratio est, quia hoc est operam suam locare vt doctrina falsa disseminetur; quod constat esse illicitum.

Bibliopegus.

CASVS XVIII.

An liceat compingere libros hæreticos?

REspondeo, Spectando Ius naturæ non damnauerim Iuuenem illum librorum hæreticorum compactorem, præsertim si alia ratione victum quærere non potest. Inter alios enim libros compingere etiam libros hæreticos per se malum non est; & abstinendo non impedit illorum lectionem: non enim deerunt alij qui compingant: & sine tali compactura legi possunt. 33

Iure naturæ non est id per se malum.

Bulla tamen Cœnæ excommunicat etiam habentes tales libros: & ex hac parte posset esse illicitū; nam contraria consuetudo non videtur adhuc legitimè præscripta. Biblia tamen hæreticorū non videntur illa Bulla comprehendi.

Bulla Cœnæ prohibet.

Retentio libri hæretici.

CASVS XIX.

Vtrùm liceat in Prouincijs confœderatis Belgij apud se habere libros hæreticos?

34 REspondeo, Vix dubitauerim quin olim Bulla Cœnę fuerit isthic recepta, sicut modo hîc est, saltem quoad illum articulum de hæreticis & hæreticorũ libris. Et licet ibidem secuta sit religionis mutatio, tamen apud Catholicorum cœtum non ideò desijt esse recepta.

Et quamuis fortè Catholici cepissent vti moribus contrarijs, nihilominùs nondum elapsi sunt anni quadraginta necessarij ad legis Canonicæ receptæ abolitionem, seu vt contra eam legitimè compleatur præscriptio, vt communiter DD. tradunt, & colligitur ex Cap. Finali. De Consuetud. Quamuis non sit improbabile decennium sufficere, si bona fide contra factum sit.

Reuenditio libri hæretici.

CASVS XX.

Vtrùm liceat reuendere libros hæreticos vel obscœnas picturas?

35 REspondeo, Qui libros pestilentes vel picturas obscœnas emerunt, non possunt ea vendere ijs quibus inde aliquid periculi putatur vel dubitatur obuenturum: erit enim peccatum scandali. Si quis fortè per imprudentiam noxium librum emit, vbi aduerterit, potest dissoluere contractũ & repetere pecuniam, quia deceptus est: nã res habet vitium occultum, & dolus dedit caussam contractui. Si tamen venditor nolit, non ideò potest emptor indifferenter cuilibet talia vendere, vt se indemnem præstet.

Venditio libri Hæretici.

CASVS XXI.

An hæreticus ad fidem conuersus in locis hæreticorum, possit vendere suos libros hæreticos?

36 REspondeo, Hæreticus ad fidem conuersus in locis hęreticorum, potest vendere suos libros hæreticos ijs, qui possunt tales libros legere. Vt alijs vendat, non facilè permittendum, propter Ecclesiæ prohibitionem. Si tamen inde esset graue damnum passurus, videtur posse dissimulari si vendere velit bibliopolis hæreticis, qui talium librorum copiam habere solent: quia per hoc causam Catholicam non facit deteriorem, nec alicui ex illo actu periculũ peruersionis impendet, cùm similium librorum copia ibi suppetat. Confirmatur, quia in illis circumstantijs censeri potest Ecclesia nõ velle id prohibere, cùm desideret talibus fauorem impendere, vt eos alliciat.

Venditio libri Hæretici.

CASVS XXII.

An liceat Catholico vendere libros hæreticos hæreditate à Parentibus acceptos?

37 VIdetur posse tolerari in locis hæreticorum, vt illi qui in bibliothecâ à parentibus relictâ libros hęreticos reperiunt, damni vitandi causâ, eos commutent cum libris catholicis, tradendo eos bibliopolis etiam hæreticis, vel alijs: præsertim quando in particulari non putant inde aliquã accessionem hęresi stabiliendę futuram. Ratio est, quia tunc non censentur locare operam vel moraliter cooperari ad doctrinæ falsæ propagationẽ, sed facere id quod per se malum non est, vt damnum euitent. Dare enim alicui vel vendere librũ hæreticum per se malum non est, quia benè fieri potest. Vnde accedentibus certis circumstantijs (vt si fiat ad notabile malum auertendum) in particulari non erit illicitum. Expedit tamẽ hortari vt potius comburant zelo fidei: Deum enim hoc damnum facilè posse compensare suâ prouidẽtiâ, alijs in rebus prosperos successus largiẽdo.

MATRIMONIVM.

Matrimonium cũ hęretico.

CASVS XXIII.

Vtrùm in locis vbi hæresis dominatur, licitum sit persona Catholicæ contrahere matrimonium cum hæretica?

38 *Circumstantia excusantes seu permittentes tale matrimonium.*

REspondeo, Id ibi non videri illicitum, concurrentibus his circumstantijs. Primò, vt nullum sit periculum peruersionis, & Catholica persona permittatur liberè viuere iuxta suam Religionem. Secundò, vt permittatur ipsi educare proles catholicè. Tertiò, vt catholico non sit facilè inuenire parem & commodum coniugem inter catholicos. Quartò, vt hæreticus non sit denunciatus, nec notorius percussor clerici. Quintò, vt ibi passim sit consuetudo ita contrahendi, ita vt nullum sit scandalum. Ratio est, quia tribus prioribus circumstantijs concurrentibus, cessat ius diuinum: & consuetudo tollit ius humanum, quo id erat prohibitũ. Accedit quod Summus Põtifex sciat & permittat in multis regnis ita fieri vbi hęretici & Catholici permixti viuũt. Ita docet Azor lib. 8. Instit. moral. cap. 11. q. 5. Sanches lib. 7. de matrim. disput. 72. n. 5. Fauct Nauarrus lib. 1. Consil. tit. de cõstit. Conf. 1. n. 59. & 60. Andreas Victorellus in Emanuelem Sà V. impedimenta dirimentia. n. 8. Addo tamen, non facilè suadendum, sed dissuadendum quantum commodè fieri potest.

Matrimonium coram ministro hęretico.

CASVS XXIV.

An liceat contrahere Matrimonium coram Ministro hæretico, ea mente, vt postea coram Catholico legitimo Sacerdote Matrimonium renoues?

39 REspondeo, Dubium non est quin peccent qui coram ministro hæretico contrahunt: tum quia videtur esse professio quædam perfidiæ hæreticæ; nam minister videtur adhiberi vt persona quædam sacra: tum quia est scandalum plerumque; nam alij Catholici inde sensim ad consuetudines hęreticorum sese accommodant: tum vel maximè si habeant intentionem consummandi; tunc enim consentiunt in fornicationem, quod est contra Ius diuinum.

Proclamationes tamen fieri possunt, in templis hęreticorum, sicuti proclamationes aliorum contractuum, modò absit scandalum.

CASVS

Renouatio Matrimonij coram ministro hæretico.

CASVS XXV.

Vtrùm is qui antè legitimè iunctus est coram Catholico Sacerdote, possit denuò iungi coram ministro hæretico?

40 REspondeo sub distinctione: Si ille Minister adhiberi solet ad quandam cæremoniam religiosam; v.g. ad benedictionem nuptiarum, legitimè ante iunctus non potest denuò iungi coram Ministro hæretico; ob rationes num. præcedenti dictas: Neque excusat periculum mulctæ vel infamiæ.

41 *Licet, si ob caussã politicam adhibeatur.* Si ille Minister adhibeatur ob caussam politicam; nempe vt legitimæ personæ coniungantur, & impediantur nuptiæ illegitimæ, & vt hortetur ad Matrimonij fidem; sic non videtur per se malũ, quamuis coram illo verba Matrimonij pronuntianda essent, & concio ab illo habenda, vel aliquæ preces recitandæ: modò nulla interna vel externa reuerentia & veneratio habeatur illius concioni vel orationi, qualem hæretici præstare solent. Ratio est, Quia tunc adhibere Ministrum non censetur cæremonia religiosa, sed quidquam pertinens ad politiam externam. Non enim adhibetur vt minister Ecclesiæ qui aliquid conferat Sacramento, sed vti persona politica. Vnde etiam apud Ethnicos possent incolæ Christiani sic coniungi si similis lex vel consuetudo esset vt nullum matrimoniũ posset fieri nisi coram sacerdote idolorum, quamuis ipse Sacerdos ad castitatem & alia honesta hortaturus esset; modò nihil pertinens ad infidelitatem adhiberetur; hoc enim etiam externo signo recusandum esset: neque ipse sacerdos adhibeatur vt persona sacra, sed tanquam publica, quæ optimè norit matrimonij leges, & hortari ad eius fidem; & sine qua matrimonia habeantur suspecta.

Sic adhiberi posset Sacerdos idolorum.

42 *Non facilè tamen id permittendum.* Verùm, Etsi hæc per se non sint mala, tamen ratione scandali non est facilè permittendum: nã & ipsi contrahentes facilè ad reuerentiam Ministrorum, precum, & concionum inducuntur: & alij Catholici putant eos animo hæretico id facere; quò fit, vt ipsi sensim hæreticorum consuetudines & ritus suscipiant. Quod summoperè cauendum. Deinde, cùm tantam mali speciem habeat, non est permittendum nisi ob graue malum auertendum. Vbi autem abesset omne scandalum, & impenderet graue damnum, non video cur non sit licitum.

43 *Non licet iuxta formulã, quæ ordinariè in hæreticorum prouincijs seruatur.* Verùm posteà lectâ formulâ quæ in Prouincijs hæreticis seruatur, aduerti Ministrum adhiberi vt Ministrum Ecclesiæ, & dare firmitatem matrimonio, & orare super coniuges, & populum hæreticum habendum pro Ecclesia Christi &c. Vnde iuxta priorem partem Responsionis censeo nõ esse licitum.

CASVS XXVI.

Conuiuium nuptiale hæreticorũ.

An liceat Catholico Conuiuium nuptiale hæreticorum honestare præsentiâ suâ vel munere?

44 REspondeo, Id ordinariè non licere. Ratio est, quia Matrimonium est nullum: vnde coniunctio illa est fornicaria. Conuiuium, autem celebratur & munera dantur ad gaudendum & gratulandum de coniunctione: Nullo autem modo licet gaudere & congratulari de illa coniunctione.

Licet aliquando, & quâ cautelâ. Quia tamen adire tale Conuiuium, etiam aliũ vsum habet, nempe ad seruandam amicitiam, ad pascendum corpus; ideò non videtur per se malum, modò coniunctis non gratulentur de coniunctione.

Idem videtur dicendum de munere dando: nã cum hæ functiones duplicem vsum habeant, alter potest ab altero separari. Deberet tamen adesse causa: nam magnam speciem mali habent.

45 Verùm cùm vix fieri possit vt adeuntes talia conuiuia & dantes munera, non gratulentur, putarem in praxi non esse permittendũ: nisi in casu in quo abesset omne scandalum, & posset vti tali modo loquendi, quo re vera non gratuletur coniunctioni nefariæ; vt quando oratio est ambigua; & grauis caussa subesset. Si tamen passim putaretur verum Matrimonium, posset quis gratulari tanquam putatitio Matrimonio.

SEPVLTVRA ET FVNVS HÆRETICORVM.

CASVS XXVII.

Vtrùm liceat hæreticorum funera comitari, eosque sepelire?

46 REspondeo, Non est per se illicitum hæreticorum funera comitari. Quia non est cæremonia religiosa, sed honor politicus.

Nec refert quòd in loco Sacro sepliantur, id est, in loco sepulturę ordinario. Quia qui comitatur, non videtur consentire in loci sacri iniuriam, (qui quamuis prophanatus sit, tamen adhuc sacer manet, cùm consecratio, manente saluâ rei substantiâ, perseueret: solùm enim defuncto honorem exhibere censetur. Quod autem in hoc loco sepeliatur, pendet ex aliorum voluntate. Non tamen potest cum hæreticis psalmos concinere.

Cauendum verò hic est scandalum. Deinde, nõ comitandum nisi grauis aliqua subsit caussa.

47 Sepeliens autem excommunicatus est, non verò is qui tantummodò comitatur.

HORÆ CANONICÆ.

CASVS I.

Officium mutilum.

Vtrùm teneatur Capitulum deserere officium propriæ Ecclesiæ mutilum, & Romanum acceptare?

1 REspondeo, Si officium proprię Ecclesię est mutilum, vel carens rubricis & iusto directorio, ita vt sciri nequeat quomodo superioribus temporibus maiores eo sint vsi, vel vti nunc oporteat; tenetur Capitulum illud deserere, & acceptare Romanum. Ratio est, quia concessio illa de retinendo officio proprię Ecclesię ducentis annis antiquiore, intelligenda est de Officio completo, quod decorè, & absque confusione iuxta certam regulam obiri potest. Non enim credibile est Ecclesiam velle concedere, præsertim in celebratione Missę & actione Liturgica officium imperfectũ, vagum, & legitimâ normâ destitutum, quod sine periculo

periculo irreuerentiæ celebrari vix potest; in quo quilibet pro suo affectu vel phantasia ritus, gestus, cæremonias addere & mutare potest, cùm nullam certam regulam habeat. Credibile est officium illud nunc mutilum, olim suas rubricas & regulas directorias habuisse: alioqui maiores nostri ab insigni negligentia in re omnium maxima excusari non possent. Debent enim hæ regulæ esse certæ, necà priuatis vllo modo augeri aut minui possunt, vt omnes Doctores tradunt. Sunt enim ritus liturgici pleni mysterijs. Vnde etiam in constitutione Pij V. præcipitur ne quis in Missæ celebratione alias cæremonias, vel preces, quàm quæ in Missali continentur addere vel recitare præsumat. Et Conc. Tridentinum sess. 22. in decreto de obseruandis & vitandis in celebratione Missæ, præcipit ne Sacerdotes alios ritus aut alias cæremonias & preces in Missarũ celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Ecclesia probatæ ac frequenti & laudabili vsu receptæ fuerint.

Officium mutilum.

CASVS II.

Quid si Capitulum velit Officium antiquum imperfectum retinere, An singulis fas sit in priuatis Missis vti Romano?

2 REspondeo, Si Capitulum nolit acceptare Romanum, sed velit retinere officium & Missale ita imperfectum, & suis necessarijs regulis destitutum, singulis fas erit in Missis priuatis vti Romano. Ratio est, quia non subest iusta causa retinendi prioris, aut prohibendi vsus Romani; ac proinde deuenien̄dum est ad Romanum: imò, vt dictum est, Capitulum tenetur acceptare Romanũ. Nam quòd ad sumptus in hac mutatione faciendos attinet, facile erit obtinere, vt fructus aliquot annorum beneficij proximè vacantis in eam rem applicentũr.

Nec obstat quòd summus Pontifex permittat hanc *mutationem fieri de consensu Prælati, & vniuersi Capituli*; vnde à contrario sensu colligas sine illo consensu fieri non posse: hoc, inquam, dictis non obstat; quia Pontifex loquitur de mutatione in officijs publicis, non autem in priuatis. Vnde passim videmus etiam in Ecclesijs, vbi officium antiquum adhuc publicè viget, multos priuatim seruare vsum Romanum; quia re vera id non est contra illius constitutionis mentem. Quod maiori sanè ratione locum habet cùm proprium Ecclesiæ officium est imperfectum.

CASVS III.

Quid eo casu singuli facient in officijs publicis?

Officium mutilum.

3 REspondeo, In publicis officijs quibus Capitulum non permittit seruari vsum Romanum, sed vult seruari antiquum, puto seruandas rubricas Romanas, easque illis officijs aptandas, prout, commodè fieri potest. Cùm enim sint proprijs destituta, vti supponitur, nec ea res possit relinqui arbitrio cuiuslibet priuati; nec possint diuina officia sine decoris & congruis ritibus obiri, hoc solum restare videtur, vt Romani, qui ab Ecclesia sunt approbati, adhibeantur: nec ea res multum difficultatis habet. Et quamuis sit contra mentem Summi Pontificis vt rubricæ Romanæ alienis aptẽtur Officijs (hoc enim est quodammodò nouam Officij formam constituere) tamen necessitas hîc excusat inferiores, & personas singulas: minus enim incommodi est sic fieri, quàm officium antiquum sine congruis ritibus celebrari. Viderint illi qui ad has angustias cogunt, & causa sunt cur legitima mutatio fieri nequeat. Quòd si Capitulum vult omnino vsum antiquum in sua Ecclesia retinere, curet rubricas & regulas idoneas accommodari; & totum à Summo Pontifice approbari: Nam sine tali approbatione non puto id fieri posse. Ritus enim & cæremoniæ non minùs sunt significatiuæ mysteriorum, quàm verba. Vnde sicut verba & preces non possunt ex Romano Missali in Officiũ antiquum illi Ecclesiæ proprium transferri (hoc enim esset diuersa Officia miscere, & nouum quodammodò cudere, quod priuatis omnino est prohibitum:) ita nec ritus & cæremoniæ. Priuati tamen ob necessitatem, vt diximus, excusantur. Imò ijs consulendum vt sic faciant; quia melior ratio non suppetit, illis circumstantijs positis.

4 *Capitulũ tenetur curare idoneas rubricas à Pontifice approbandas.*

Si tamen Capitulum permitteret in Officijs publicis vsum Romanum absque vlla mixtione, hoc omnino esset præferendum, etiamsi nullo communi decreto statuissent Romanum recipere: quia posita Capituli permissione, nihil est quod obstet cur Romanum celebrari non possit; quamuis communi consensu non sit absolutè receptũ. Et licet videatur aliquid incommodi quod hoc die seruetur vsus Romanus, alio vsus antiquus; minus tamen hoc est, quàm quod fiat in vno eodem Officio illa mixtio & confusio diuersorum. Deinde, hac ratione sensim disponuntur ad Romanum absolutè recipiendum, & antiquum abolendum.

5 *Melius tamen est vti officio alternatim nunc proprio, nunc Romano, quàm solo proprio, vel mixto.*

Officium mutilum.

CASVS IV.

An in eadem Missa Collegiata vti quis possit istâ Rubricarum & Officiorum mixturâ?

6 REspondeo, Non videtur improbandum (posito officio adeò imperfecto & incerto, & Capitulo non permittente vsum Romanum) vt Sacerdos sacrum collegiatum peragens, in ijs quæ publicè cauenda sunt, vt in Collectis, Gloria, Credo, Præfatione &c. sequatur ordinem suæ Ecclesiæ; in cæremonijs autem priuatis, præsertim in Canone, Missale Romanũ: quia non videtur commodior ratio iniri posse rebus ita constitutis. Putarem tamen etiam in Introitu, Epistola, Graduali, Euangelio, Offertorio, & post Communionem se antiquo conformare debere: quia absurdum est, vt in his dissentiat à Choro vel cantu publico, & in vna missa sit duplex Introitus, duplex Epistola, duplex Graduale, & cætera præter Canonem & pauca alia, sint duplicia. Itaque hoc vitandum: & in his se debet accommodare Choro. In Canone autem si omnia more Romano fiant, nihil est incommodi.

Vitantur officia mixta.

Breuiarij commutatio.

CASVS V.

Vtrùm singula monasteria Ordinis S. Benedicti possint amplecti nouum Breuiarium à Paulo V. approbatum, & Romæ in hunc finem

finem excusum, etiamsi alia monasteria eiusdem Congregationis id non acceptent?

5 LEcta Pauli V. Bulla, & litteris Generaliũ præsidentiũ, & considerata quæstione proposita: Respondeo posse singula monasteria ord. S. Benedicti amplecti nouũ Breuiarium à Paulo V. approbatũ, & Romę in hunc finem excusum. Probatur, quia in hunc finẽ excusũ est, & reformatũ, vt omnia monasteria quæ sub vexillo & regula magni Patriarchæ Benedicti militant, vniformem modũ in diuino cultu seruent, abolitis omnibus alijs modis & officiorum formis. Hoc enim plurimum ad illius Ordinis splendorem, & ad decorum cultus diuini pertinet, vt vniformitas hac in re, in toto Ordine seruetur. Itaque mens summi Pontificis est, vt singula monasteria statim acceptent, non curando, an alia quæ ad eandem congregationem seu Visitationem pertinent, acceptent, an non. Si enim non vellet vt singula monasteria possent statim acceptare, sed deberent expectare donec tota congregatio communi consensu acceptet, hoc exprimeret, & hortaretur vt singula acceptarent, addita hac conditione: si tamen alia monasteria eiusdẽ congregationis vnanimi cõsensu illud acceptent. Nunc verò nullã talem conditionem addit, sed absolutè hortatur omnes & singulos ad acceptandum, propositis indulgentijs ijsdem quas Pius V. officium Romanum recitantibus concessit.

1. Quia hæc est mens Pontificis.

8 Nec obstant illa verba Pontificis, *Omnes eiusdem Ordinis Religiosos ad Breuiarium, & libros chorales reformatos, vnanimiter recipiendos, in Domino hortantes* &c. Non enim vult insinuare non posse recipi ab vno monasterio, nisi alia monasteria, vel tota congregatio consentiat. Hoc enim longè abest à mente Pontificis, sed solùm indicat se desiderare, vt nemo in toto ordine sit, qui repugnet, aut se opponat. Desiderat enim vt omnes tam eximium munus obuijs vlnis excipiant. Hinc tamen nullo modo sequitur quin quoduis monasteriũ possit recipere, etiamsi alia monasteria in hoc non cõspirent. Itaq; sicut cùm Pius V. promulgauit Romanum Breuiarium, & facultatem fecit Capitulis vsum antiquiorem ducentis annis habentibus, illud acceptandi, modò Episcopus & vniuersum Capitulum in eo consentirent, non habita ratione aliorum Capitulorum eiusdem diœcesis: ita modò Paulus facit potestatem, & hortatur singula monasteria, vt illud acceptent, modò Prælatus, & maior saltem pars monasterij consentiat: non curando an alia monasteria eiusdẽ Ordinis vel congregationis cõsentiant. Accedit, quòd huiusmodi ordinationes dirigantur per se primò ad ipsa monasteria quæ sunt sui iuris, nec dependent ab alijs nisi quoad visitationem: & planè insolens est aliorum consensum requirere nisi id expresè declaretur.

A simili.

9 Idem conuincitur ex litteris Præsidentium generalium in quibus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub formali præcepto iniungitur omnibus & singulis, vt admittant prædictum officium, eoque vtantur, nec vlla fit mentio consensûs aliorũ monasteriorũ. Itaq; singuli Abbates nõ solũ possunt, sed etiam tenentur recipere, item singuli & omnes religiosi non expectato consensu aliorum Abbatum vel religiosorum. Neque vlla modò occurrit ratio cur meritò hac de re debeat dubitari.

2. Quia id Præsidentes iniungunt.

CASVS VI.

Breuiariũ alteratũ.

Prælatus cum suo Capitulo in Ordine S. Benedicti notabiliter immutauit Breuiarium S. Benedicti post editam Bullam Pij V. Breuiario Romano præfixam.

QVÆRITVR, *An Religiosi illi satisfaciant præcepto Ecclesiæ de horis legendis?*

10 REspondeo Primò, Certum videtur non posse Prælatum cum consensu Capituli inducere notabilem mutationem seu alterationem in Breuiarium S. Benedicti. Nam Pius V. in Bulla prę fixa Breuiario Romano abolet omnia Breuiaria non Romana, præter ea quæ iam à ducentis annis consueta sunt in aliqua Ecclesia vel Conuentu legi. Atqui Breuiarium S. Benedicti notabiliter immutatum & alteratum, non est Breuiarium cõsuetudine ducentorũ annorum receptum, sed nouum planè. Et sanè dubitandum non est quin Pontifex permittat Ecclesijs & monasterijs vsum illorum ob antiquitatem & cõtinuationem, & quia graue illis fuisset tam diuturnam consuetudinem relinquere. Vnde nulla ratione permittit ea sic immutari vt quodammodo noua videãtur. Quòd si aliqua mutatio facienda videatur, ea primùm exhibenda Sedi Apostolicæ, vt approbetur & possit in vsum deduci, sicut in quibusdam locis vidi fieri.

Nemo potest alterare Breuiarium.

11 Hinc sequitur, eos qui sunt auctores huius mutationis, non satisfacere præcepto de Horis legẽdis, vt colligitur ex eadem Bullâ. Expresè enim Pontifex declarat eos non satisfacere, qui legunt aliud Breuiarium, quam Romanum, vel aliud à se permissum, quale est, quod à ducentis annis est receptum, non autem quod sic est immutatum.

Auctores huius alterationis non satisfaciunt præcepto.

12 Addo tamen, Eos qui non sunt auctores huius mutationis, qui coguntur publicè cum alijs officium istud sic immutatum obire, non teneri priuatim aliud dicere. Ratio est, quia hi non sponte suâ, sed coacti Superioris iussu & Capituli consensu id faciunt; & qui ita statuunt, non ex contumacia aduersus Sedem Apostolicam statuunt, sed quia putant expedire ad ædificationem, seque ad hoc potestatem habere. Vnde non est credibile Sedem Apostolicam subditos istos velle obligare vt Officium priuatim repetant.

Alij subditi satisfaciunt.

Nec obstat, quòd Pontifex in eadem Bullâ decernat eos non satisfacere suæ obligationi, qui legerint aliud Breuiarium, quàm Romanum, vel quod iam à ducentis annis in sua ipsorum Ecclesia fuerit receptum: quia loquitur de illis qui sua sponte id faciunt, non autem de illis qui coactè: nam intentio illius est per hunc rigorem cõpellere illos ad capessendum Breuiarium Romanum. Itaque non habet locum in illis qui non sunt sui iuris, nec habent in sua potestate, hoc vel illud Breuiarium quod legant, capessere; sed coguntur sequi nutum suorum Superiorum in publico officio obeundo. Igitur per iustam epicicism sunt excipiendi, etiamsi verba decreti eos comprehendere videantur: quia contra mentem legislatoris est & contra æquitatem, illos duplici onere inuoluere.

Adde, eos qui per inconsiderationem vel errorem legunt Officium vnius diei pro alio, non teneri repetere (vt multi Doctores docent:) quia non

non est mens Ecclesiæ obligare cùm id non sponte fit. Ergo cùm etiam isti id sponte non faciant, non sunt cogendi repetere, idque eò minùs, quòd nulla eorum culpa interueniat. Habet hîc Reuerenda Paternitas tua quid mihi absque vlla dubitatione videatur. Saluo tamen in omnibus meliore iudicio.

CASVS VII.

Breuiarij commutatio.

Vtrùm Clericus Ecclesiæ, v. g. Aquisgranensis posset relicto Missali & Breuiario proprio suæ Ecclesiæ, in qua habet beneficium & residet, vti officio Ecclesiæ Colonienſis vel alterius?

13 Respondeo, Clerico Ecclesiæ Aquisgranensis ius non esse vt relicto officio proprio suæ Ecclesiæ in quâ habet beneficium & residet, vtatur Officio Ecclesiæ Colonienſis vel alterius. Quod apertè confirmatur ex constitutione Pij V. Missali Romano præfixâ; vbi præcipitur, vt omnes capessant vsum Romanum; exceptis illis solis, quorum Ecclesiæ habent officium ducentos annos superans. His enim, quia durum videbatur eos cogere tam diuturnam consuetudinem deserere, & nouum officium amplecti, permittitur vt consuetudinem suam retineant. Quòd si eam cupiant deserere, fit illis potestas commutandi eam in officium Romanum; nullo autem modo in officium alterius Ecclesiæ. Nulla enim subest ratio talis commutationis, imò est directè contra intentionem Pontificis, qui vbique cupit introduci Romanum, nec permittit vllum aliud nisi causâ tam longinqui vsûs in Ecclesia propria continuati. Idem dicendum de Breuiario seu officio Horarum canonicarum, vt ex alia constitutione Breuiario Romano præfixa perspicuum est.

CASVS VIII.

Noui Breuiarij priuilegium.

Vtrùm, Ecclesia Collegiata vel quodlibet aliud monasterium quæ acceperunt vsum Breuiarij Romani, teneantur sub peccato mortali in Choro persoluere diebus in Breuiario præscriptis, (supposito quòd ante acceptationem illis vterentur) Officium B. Mariæ Virginis, Vigilias mortuorum, Psalmos Graduales & Pœnitentiales cum Litanijs?

14 Respondeo, Non teneri ad quidquam horũ, præterquam ad Horas B. Virginis; vt apertè colligitur ex Bulla Breuiario præfixa: quia tollit Pontifex obligationem horum, salua consuetudine officij B. Virginis in Choro dicendi, si anteà ea consuetudo erat. Hæc autem concessio Pontificis pertinet ad omnes eos qui Breuiarium nouum acceperunt. Itaque hi non obligantur ampliùs nec in Choro, nec extra, ad officium Defunctorum, ad Psalmos Graduales vel Pœnitentiales, illis temporibus, quibus singulis mensibus, vel per Quadragesimam & Aduentũ præscribuntur in Breuiario Romano.

Tenentur solùm ad Officium B. Virginis.

CASVS IX.

Vtrùm Monasteria quæ retinent Breuiarium Bursfeldense, teneantur sub peccato mortali dicere Officium mortuorum quotidie: cùm in illis sit consuetudo orta ex reformatione Congregationis Bursfeldensis, in qua sic dicitur; Quotidie post vesperas regulares, dicimus in Conuentu officium Mortuorum, præterquam in festis duodecim lectionum, & profestis?

Obligatio Officij Defunctorum, & Horarum B. Virginis.

15 Respondeò, Id pendet ex modo quo hæc consuetudo recepta est: Si enim ita recepta est vt Religiosi communiter putent se mortiferè peccare si omittant, sic obligat sub mortali. Secùs est, si non putent se peccare, saltem letaliter.

Non obligantur sub mortali.

Puto tamen eos non obligari sub mortali peccato; sed, vel sub veniali, vel solùm sicut ad alia monastica statuta, quæ pœnalia tantum sunt, non autem obligatoria in conscientia. Quod magis locum habet dum priuatim extra Chorum Horæ leguntur: etsi Nauarrus, Toletus, & quidam alij putent eos qui antiquum Breuiarium legunt, teneri sub peccato Mortali ad Horas B. Virginis, & etiam ad Officium Defunctorum, ijs temporibus, quibus præscribitur, quia sunt pars Officij diuini. Sed id Iure probari non potest: vnde pendet ex consuetudine quæ neque est vniuersalis (multis enim locis antè Breuiarium Pij V. non legebantur paruæ Horæ B. Virginis, nec Officium Defunctorum:) neque fortè instar legis strictè obligantis recepta, vbicumque viget.

Etsi id putent Nauarrus & Toletus.

CASVS X.

Absentia à Choro.

Vtrùm Canonici teneantur quotidie interesse singulis Horis cantandis vel legendis in Choro?

16 Respondeo Primò, Haud dubiè nimis laxa est illa sententia; imò est aperta corruptela, quæ dicit Canonicos non teneri interesse diuinis officijs, nisi quando aliquid ipsis muneris obeundum. Sic enim ferè semper possent abesse, & alibi residere, accurrentes tunc quando functio ipsorum recurrit. Quid enim iuuat residentia sine suo vsu, qui est frequentatio Chori? Paria sanè sunt non residere, & rarissimè comparere. Neque Canones aliam ob causam residentiam requirunt, nisi vt beneficio deseruiant in officijs publicis: vt patet Cap. *Quia nonnulli.* Cap. *Cùm ad hoc.* Cap. *Clericos*, & alijs multis, *De Clericis non residentibus.* Beneficium enim datur propter officium, non tam rarò obeundum, sed quotidianum. Vnde non solùm est contra Canones, sed etiam contra primarium finem institutionis Canonicatuum & beneficiorum. Idem satis apertè colligitur ex Concilio Trident. sess. 24. c. 12. de Reform. vbi iubet illos compelli vt per se, & non per substitutos diuina officia obeant. Sanè nisi ex ipsa institutione tenerentur, non iuberet compelli. Accedit quòd quando simul viuebant in communi, & nihil præter simplicem victum & vestitum haberent, non erat illis liberum abesse à Choro: quanto minùs nunc liberum esse debet, quando tam amplas opes habent, & splendidè viuere possunt. Absurdum profectò est dicere illos tam opima stipendia sacra accipere, vt duntaxat certis quibusdam diebus præsentes se exhibeant.

Non sufficit Canonicos solũ interesse diuinis Officijs, quando aliquid muneris ipsis est obeundum.

Respon-

17 *Neque, vt vni vel alteri Horæ, vel sacrificio Missæ.*

Respondeo Secundò, Opinio eorũ qui dicunt sufficere vt Canonici quotidie intersint vni duntaxat ex maioribus Horis, vel duabus, vel sacrificio Missę tantùm, accedente consuetudine, tolerari posset; non tamen est ex mente Canonum. Non enim ideò requirunt residentiã, vt vni duntaxat ex maioribus Horis, vel duabus, vel sacrificio Missæ tantùm, singulis diebus intersint; sed vt ordinariè. Quorsum enim concedant illam absentiam, si nulla causa rationabilis subsit, cùm ex institutione ad omnes teneantur, & ideò tam magna stipendia suscipiant, nimirum vt toti huic rei possint incumbere? Nec obstat quòd diebus solemnioribus distributiones sint constitutæ ijs, qui vni ex Horis maioribus interfuerint: id enim factum, non quòd sufficiat vni interesse, sed ne facilè se excusent ob causas occurrentes tunc temporis.

18 *Tenẽtur ordinariè interesse quotidie singulis Horis.*

Respondeo Tertio, Mihi magis probatur opinio eorum qui dicunt Canonicos teneri ordinariè interesse quotidie singulis Horis, nisi aliqua causa excuset. Hanc tamen obligationem non iudico ita rigidè & asperè explicandam, vt adstringat ad peccatum mortale, quando Superiores dissimulant, non vtentes iure præcipiendi & cogendi: quia vnius vel alterius diei absentia etiam sine causâ, non notabiliter lædit finem principalem institutionis, qui est, vt regulariter cultui diuino intersint. Si tamen absque causa multis diebus abessent (exceptis tribus illis mensibus quos Concilium Tridentinum permittit, vel breuiori tempore, prout habet vsus Ecclesiæ illius) non viderẽtur excusandi à peccato mortali; quia peccant contra principalem finem institutionis.

19 *Abusus aliorum alios non excusat.*

Si quis obijciat vsum Colonienſium Canonicorum, & aliorum multis locis Germaniæ receptum: Respondeo, Abusum illum non esse tolerabilẽ, nisi ad grauiora incommoda vitanda; quæ tamen non sunt vbique timenda, etiamsi Canonici cogantur ad chorũ. Accedit quòd consuetudo tolerata & recepta, illos vtcumque fortasse excuset: quæ consuetudo non est communiter Leodij.

CASVS XI.

Absentia à choro.

Canonici Ecclesiæ Cathedralis vel Collegiatæ subinde solent se à choro absentare præsertim dum sunt prolixiora officia, & nihilominùs distributiones recipere.

QVÆRITVR Primò, *An illas distributiones possint recipere?*

QVÆRITVR Secundò, *Cui teneantur perceptas distributiones restituere?*

QVÆRITVR Tertiò, *An in Confessione illis Canonicis faciendus scrupulus?*

QVÆRITVR Quartò, *An is potest distributiones percipere, qui sanitatis causâ ab inchoato officio recedit, eò quòd longa continuatio illi sit noxia?*

20 *Nõ possunt distributiones recipere.*

AD *Primũ*: Resp. Canonicis Eccl. Cathedralis vel Collegiatæ, qui nõ intersunt summo Sacro, vel alteri diuino officio, quando prolixius fuerit, non posse percipere distributiones, quæ ratione illius officij dãtur, nec perceptas retinere. Nam Cap. vnico de Clericis nõ residentibus in 6. statuitur *Vt absens (nisi infirmitas, vel iusta corporis necessitas, aut euidens Ecclesiæ vtilitas excuset) non acquirat dominium rerum sic receptarum, nec faciat eas suas; imò ad omnium restitutionem teneatur.* Idem renouat Concil. Trident. sess. 24. c. 12. de Reform. non obstantibus quibusuis cõsuetudinibus, excludens simul omnes colluſiones & condonationes.

Etsi omnia passim ita recipiant.

Nec obstat quòd viri docti, atque adeò omnes Canonici illius Ecclesiæ id liberè faciant (excepto vno qui ob id scrupulosus habetur:) quia res est nimis aperta, & notoria, Iure antiquo statuta, & à Concilio Tridentino renouata; & rationi quàm maximè consentanea. Et sanè nõ video quo modo efficaciùs & clariùs possit significari eos ad restitutionem teneri, quàm à Iure antiquo, & Concilio Tridentino significetur: vt valdè mirum sit viros doctos, quibus sit aliquid bonæ conscientiæ, posse hoc pro scrupulo habere.

Sitq; consuetudo.

Neque obstat consuetudo: tum quia hæc debet esse rationabilis, & legitimè præscripta, vt possit contra legem scriptam valere: hæc autem neque est rationabilis, cùm distributiones sint stipendia præsentium, & ideò introductæ vt solis præsentibus darentur: neque legitimè præscripta; quia non potuit bona fide esse continuata per quadraginta annos; cùm per Concilium Tridentinum omnis talis consuetudo sit sublata.

Et Episcopus permittat.

Neque refert quod Episcopus permittat: quia non potest dispensare in decretis Conciliorum & Pontificum.

Ad Secundum: Respondeo, Videtur quòd teneantur Ecclesiæ restituere perceptas distributiones. Quia cùm Canonici illi non acquirant earum dominium, manent in dominio Ecclesiæ. 21 *Facienda restitutio Ecclesiæ.*

Cauendum tamen ne accrescant alijs qui similiter absunt. Quod si putaretur futurum, dandæ sunt fabricæ, vel in quosuis alios pios vsus, iuxta Concilium Tridentinum sess. 22. c. 3. de Reform. Neque opus est arbitrio Ordinarij, nisi ipse per sententiam vel statutum alicui pio loco applicuisset.

Ad Tertium: Vtrùm omnibus istis Canonicis Doctoribus veniẽtibus ad confessionem faciendus sit scrupulus, præcipuè, si hæc in confessione non attingant? Respondeo, Faciendum esse scrupulum, rogando an absentes tales distributiones non acceperint. Si fatentur, ostendendum est esse illicitum: si negant, nihil ampliùs faciendum. Tenetur enim Confessarius instruere pœnitentiam, quem videt versari in errore culpabili; qualis est iste. 22 *Faciendus est in Confessione scrupulus.*

Ad Quartum: De eo qui è choro recedit, eò quòd illi notabiliter noxia sit continuatio: Respondeo, Eum posse abesse à choro, cui iudicio Medici notabiliter obesset longa officij continuatio, eumq; posse distributiones percipere, etiamsi interim sanitatis causa deambularet. Secùs verò si illa continuatio non putetur notabiliter obesse. Cauendum tamen scandalum, ob quod, deberet se domi continere, & deambulare in cubiculo vel horto. Quòd si publicè deambulet, possunt ei istæ distributiones negari ob præsumptionem, & statutum. 23 *Si noxia sit continuatio officij.*

CASVS XII.

Absentia à Choro.

Vtrùm Canonici qui ante finem exeunt, sint ipso Iure priuati distributionibus?

RESpondeo, Concilium Tridentinum non priuat Canonicos distributionibus ipso facto, nisi absentes. Itaque qui præsentes sunt, etiasi ante finem exeant, non sunt ipso iure priuati. Digni tamen 24

gni tamen essent qui aliquo modo mulctarentur, qui sine causa exeunt: sicut & illi qui multùm confabulantur. Statuta autem cùm pœnam solùm habeant irrogandam, vt indicat verbum (prieuentur) non obligant ad pœnam, nisi mandentur executioni.

CASVS XIII.

Fabulæ in choro.

Vtrùm Canonici alijque beneficiarij per substitutos officium celebrantes, possint alijs canentibus, inter sese dutius & liberè colloqui?

25 REspondeo, Canonicos & Capellanos, qui tempore diuini officij ordinariè per notabile tempus, & ad omnem occasionem fabulantur, non possum excusare à graui peccato; tum propter scandalum, tum quia lege diuinæ iustitiæ tenentur diuino officio interesse. Et quamuis propter receptam consuetudinem non teneantur per se canere, sed possint id per cantores & Capellanos explere, tamen ipsi suâ præsentiâ debent omnia moderari vt decorè transigantur. Vnde tenentur exhibere præsentiam religiosam, & decoram. Ideò enim tam ampli fructus constituti vt saltem religiosâ & graui præsentiâ suâ diuinum officium exornent, & decorè peragi curent. Neque illos excusat, quòd priuatim officium recitent: quia etsi non teneantur in choro canere; tamen non possunt se liberè à choro absentare, sed tenentur ibi præsentiam debito modo exhibere. Non enim fructus recipiunt pro officio quod domi priuatim legunt, sed quod publicè exhibent. Tenentur ergo illud congruo modo, & cum debitis circumstantijs obire.

Monialiũ obligatio ad Horas Canonicas.

CASVS XIV.

Vtrùm sententia Caietani de Monialibus choro mancipatis, eas non teneri sub peccato mortali Horas Canonicas recitare, sit probabilis?

26 NOn erat operæ pretium ex Belgio de hac, & duabus subsequentibus quæstionibus petere iudicium, cùm Hispania viris doctissimis sit referta, adeò vt hodie palmam sapientiæ teneat. Verùm quia Reuerendissimo Domino placuit meum sensum exquirere, dicam quod in Domino ea de re sentiam, saluo saniori iudicio. Itaque ad primam quæstionem

Nec Moniales nec professi nondum sacris initiati tenentur ad Horas sub mortali. Ioan. Medina.

Respondeo, Sententiam Caietani de Monialibus choro mancipatis, eas non teneri sub peccato letali Horas Canonicas recitare, mihi semper visam etiam in praxi probabilem. Idem sentio de Religiosis professis choro mancipatis, qui nondũ Ordine sacro insigniti. Quam sententiam tenet etiam Ioannes Medina vir doctissimus qu. 7. de Oratione sub finem: vbi etiã apertè indicat, quòd si ex consuetudine tenentur, eam consuetudinem non obligare ampliùs, quàm statutum Regulę. Et

Emanuel Sà.

Emanuel Sà V. Horæ Canonicæ nu. 1. vbi dicit hanc sententiam esse probabilẽ. Nec obstat quod addit, *non esse vsu receptam*; hoc enim nihil aliud est, quàm Religiosos & Moniales putare se obligari sub mortali, & se peccare mortiferè si aliquando omittant. Fauet etiã huic sententiæ Petrus Arragon qu. 83. art. 11. & Angelus V. Hora Canonica n. 10. vbi approbat sententiam Richardi tanquam humaniorem, qui docet nõ esse mortale omittere

Arragon. Richardus & Angelus.

Horas ex negligẽtiâ, sed ex fastidio diuini cultus, vel contemptu, vel consuetudine. Itaque si aliquoties omittantur ex negligentiâ, nisi toties id fiat vt censeatur inducta consuetudo, nõ erit peccatum mortiferũ, iuxta istos duos Doctores. Quæ sententia etsi mihi non probetur quoad Beneficiarios & ordinatos Ordine sacro; tamen videtur valdè rationabilis quoad moniales & professos nõ ordinatos. Fumus V. Horę n. 4. probat opinionem Caietani tanquam veriorem, etiamsi alij communiter contrarium teneant; *Quia*, inquit, *eorum opinio nullo iure probatur.*

Fumus.

Probari potest hæc sententia: Primò, Quia Moniales non tenentur ad Horas Canonicas aliquo voto, vel ex vi suæ professionis, vt passim Doctores fatentur; neque ex aliquo Ecclesiæ præcepto; neque ex vi alicuius statuti aut regulæ; sed solùm consuetudine, vt cõmuniter Doctores admittunt. Atqui illa consuetudo non est ita durè interpretanda vt sub peccato mortali obligare singulis vicibus censeatur: tum quia id parùm humanũ esset, & sæpè periculosum saluti; tum quia consuetudo regularis non debet censeri magis obligare quàm expressum statutum regulæ. Atqui si esset expressum statutũ regulæ de Horis à singulis recitandis, illud non censeretur obligare sub peccato mortali, sed solùm sub reatu regularis correptionis, vel vt summũ sub peccato veniali, & pœna regulari; sicut alia statuta regularia. Nisi fortè haberet verba quę perspicuè maiorem obligationem designarent, qualia sunt, *Præcipimus in virtute S. Obedientiæ. Præcipimus, strictè iniungimus*, &c. Verùm nullũ est statutum regulare, vt existimo, quod verba tam obligatoria habeat. Confirmatur, quia obligatio sub mortali est res valdè odiosa, ac proinde minimè præsumenda, nisi vbi necessitas cogit. Atqui hîc nulla cogit necessitas præsumendi aut inducendi tam grauem obligationem: Quia sicut ad alias regulas & ad disciplinam religiosam seruandam sufficit obligatio ad pœnam & castigationẽ regularem, ita etiam ad seruandam hanc consuetudinem. Alia ratio est de Beneficiarijs, & Ordinatis: Beneficiarij enim stipendia ab Ecclesia accipiunt vt officium diuinum persoluant; vnde instar mercenarij tenentur ex quasi-contractu & officio. Ordinati verò Ordine sacro sponte se in ministerium Ecclesiæ tradiderunt: ad hoc enim ordinantur vt Ecclesiæ seruiant; ac proinde æquissimum fuit vt Ecclesia illis tanquam suo ministerio mancipatis hoc onus imponeret. Moniales verò non ideò deserunt sæculum, & se in monasterium abdunt, vt aliquod Ecclesiæ ministerium obeant, aut vt stipendia ab Ecclesiâ percipiant; sed vt suæ perfectioni vacent, & Deo seruiant: alimenta autẽ gratis percipiunt vt pauperes. Itaque ex hoc capite nulla fuit ratio tam grauis vinculi imponendi. Et sanè cùm illæ sæculum deserant, omnes opes, voluptates, propriam voluntatem, & in latebras perpetuas monasterij se abdant, vt occasiones peccatorum vitent, & liberiori spiritu Deo seruiant; parùm videtur humanum, si nouus ille laqueus illis injiciatur, & sub peccato mortali ad preces tam longas & multiplices, quas non intelligunt, adstringantur. Sat enim ipsæ sibi oneris imponunt cùm tribus votis se obstringunt, & disciplinę Religionis subijciunt. Quis nouâ illam obligationẽ adeò grauẽ non reformidet? Non esset hoc sacras Virgines ad Religionem allicere, sed absterrere.

27 *Non obligantur sub mortali ex consuetudine.*

Nequeex statuto regulæ.

28 *Aliter Beneficiarij & Ordinati, aliter Moniales ad Horas obligantur.*

Non

29 *Superiores ad publicũ Officium tenentur sub mortali, non tamen subdita.*

Non nego quin Conuentus ad officium publicum arcto vinculo teneatur: huius enim omissio grauis censeretur: vnde Superior sub peccato mortali tenetur procurare vt quantũ fieri potest, non omittatur. Sed ago nunc de obligatione singularum: vt si aliqua in choro sponte per aliquot Psalmos animo euagetur, vel cesset à cantu, vel si non frequentans chorum (vtpote alteri muneri destinata) non recitet priuatim, sed partẽ aliquã notabilem, vel totum, semel bis terue omittat, non existimo eam mortiferè peccare. Et contrarium videtur mihi durum, & parum humanum; quia sine vlla necessitate, vel notabili vtilitate præbetur occasio plurimorum peccatorum mortalium, & infinitorum scrupulorum, quibus plurimæ bonæ virgines creberrimè implicantur. Abundè satis erat correptio regularis, sicut in alijs regulis & statutis.

30 *A simili, de Conuersis.*

Accedit quòd Conuersis qui non sunt choro mancipati, multæ aliæ preces imponantur, quas quotidie Deo persoluant; non tamen dicendũ est eos sub peccato mortali ad hoc teneri (etsi aliqui Doctores contra senserint, sed infirmâ ratione) sed solùm veniali, vel regularis pœnæ correptione, vt plerique sentiunt. Si Conuersi, qui verè sunt Religiosi, & pensum precum benè longum sibi assignatum habent in dies singulos, non tenentur ad eas sub peccato mortali; cur mancipati choro teneãtur ad preces Canonicas sub mortali? Cur illa mancipatio sit illis adeò onerosa? Sicut autem in monasterijs virorum sunt Conuersi qui ad ministeria domestica admittuntur; ita inter Moniales sunt Conuersæ, quibus similiter multæ preces quotidie impositæ. Vnde cùm hę Conuersę nõ teneantur quotidie sub peccato mortali ad suas preces; neque cæteras putamus teneri ad suas, sed solùm sub correptione regulari &c.

31 *Item à simili de Canonissis.*

Præterea sunt in Belgio & Germaniâ Conuentus Virginum, quæ vocantur Canonissæ, ex primarijs totius nobilitatis familijs, quæ publicè canũt Horas Canonicas insigni magnificẽtiâ, sicut Canonici, & habent prebendas instar Canonicorũ; & tamen multi viri docti putant eas dum à choro absunt, non teneri sub peccato mortali ad officium diuinum; neque etiam in choro si aliquæ non canant, vel sponte distrahantur animo: Si istę non, tenentur tanto vinculo, quæ tamen certi modi præbendas habent; cur illud imponemus Monialibus, quæ aluntur vt pauperes, nec vllas habent præbendas aut obligationem ex fundatione quę singulas constringat?

32 *Malè apprehenditur consuetudo hic obligare sub mortali.*

Neque obstat, quòd dicantur consuetudine teneri sub mortali: quia, vt rectè Caietanus & alij, de tali consuetudine habente tale vinculum non constat. Etsi enim satis constet de consuetudine qua Moniales consueuerunt publicè Horas canere, non tamen satis constat de consuetudine, quâ tantum vinculum singulis priuatim sit impositum. Deinde hæc consuetudo non aliter potuit inducere talem obligationem, quàm mediante hominum opinione, qui putarunt se obligari sub mortali, & iudicabant se peccare mortaliter si omitterent. Talis autem obligatio facilè tollitur, si ostendatur opinationem illam non solido niti fundamento. Sicut olim ante Sotum communis erat opinio omnem beneficiarium sub peccato mortali teneri quotidie ad Horas, etiamsi beneficium solùm duos vel tres aureos ei penderet: & ita consuetudine & Doctorum opinione tenebantur sub mortali: verùm postquam Sotus præclaro iudicio docuit contrarium, passim cœpit illa rigida sententia exolescere. Simili modo putabatur esse peccatum mortale facere Sacrum ante preces matutinas. Itaque talis obligatio statim euanescit quoad grauitatem peccati mortalis, simulatque ostensum fuerit eam solido fundamento minimè niti.

33 *Res grauis sub leui pœna potest im. poni.*

Deniq; probabilissima sententia est posse obligationẽ imponi sub veniali, etiamsi materia secundũ se sit grauis, & capax obligationis sub mortali; maximè quando iusta ratio subest non imponendi maiorem obligationem, sed sistendi intra limites venialis. Hîc autem iustissima videtur esse ratio non imponendi aut interpretandi maiorẽ obligationem, quàm sub veniali iuncta simul rogulari correptione. Sic enim abundè obtinebitur finis statuti, & conscientiæ infinitis scrupulis & periculis peccati mortalis eximentur. Sequitur nunc secunda quæstio.

34 *Hæc sententia est tuta in praxi.*

Vtrùm Confessarius in praxi hanc sententiam sequi possit, & Virginibus Religionem ingressuris id ipsum significare?

Respondeo, Posse Confessarium sequi hanc sententiam in praxi, & Virginibus illis quæ timore tantę obligationis sunt anxiæ, & absterrentur à Religionis ingressu, dicere quod sub lethali non obligentur. Vnde etiamsi in choro sint distractę, vel cessent canere per spatium aliquot Psalmorum, non peccaturas mortaliter. Similiter si cùm non frequentant chorum, contingat aliquando ex negligentia partem aliquam officij, vel integrum officium omitti. Expedit enim vti sententia probabili ob tantum bonum promouendum: sicut ad aliquod malum impediendum interdùm vtimur sententia aliqua etiam parum probabili. Addo probabile esse neminem in recitando Officio peccare mortiferè qui exterius benè reciter, etiãsi interius voluntariè animo diuagetur, vt patet ex ijs quæ diximus lib. 2. de Iustitia c. 37. dubit. 11. Sequitur tertia quęstio.

Voluntaria distractio interna non est mortalis.

35

Concesso quod Moniales choro mancipatæ peccent mortiferè omissione Horarum: Vtrùm etiam Moniales quę ratione alicuius officij permittuntur priuatim Horas recitare, teneantur sub mortifero peccato eas recitare?

Respondeo, Existimo Doctores qui tenent Moniales choro mancipatas peccare mortiferè dũ omittunt Horas, idem sentire de illis quibus ratione alicuius officij permittitur vt priuatim recitent. Nam choro mancipatæ dicuntur omnes, quæ admittũtur vt aliæ sorores ad functiones spirituales; etiamsi ob aliquod officium chorum non frequentent, & distinguuntur contra Conuersas, quæ ad externa domus ministeria recipiuntur. Quòd si sint aliqua monasteria feminarum, quæ ex instituto non habent chorum aut officium publicum, sed priuatim & singulatim orant (quale tamen ego nunquam vidi) crediderim Doctores de talibus non loqui.

CASVS XV.

Precum obligatio.

In Monasterio N. tenentur Conuersæ indies legere Psalmum Miserere, quod aliquoties omiserunt.

QVAERITVR, *Vtrùm peccarint mortaliter, ex eo quòd toties parua omiserint, vnde tandē materia notabilis orta sit?*

36 REspondeo, Videri eas peccasse mortaliter sępiùs omittendo legere Psalmum Miserere. Ratio est, quia sicut 100. asses efficiunt materiam notabilem, siue soluendi sint simul eodem die; siue sensim diuersis & continuis: ita 100. Miserere efficiunt materiam notabilem. Idem dico de 100. salutationibus Angelicis. Pari modo etsi die ieiunij modicum quid sumere nō sit peccatum veniale; tamen si quis decies vel duodecies id faceret, peccaret mortiferè. Sic magnas interdum pœnitentias iniungimus per plures dies distributas, quarum plures omittere, esset peccatum mortale.

37 Hæc tamen intellige quando obligatio operis quotidie faciendi, non expirat lapsu termini, sed manet. Cùm enim imponitur à Superiore, vel voto suscipitur opus aliquod quotidie faciendum eo modo, vt singulæ obligationes sint alligatæ diei, & vnà cum die expirent; tunc ex obiectis non componitur quid vnum; & dici debet ex illis omissionibus nō exurgere peccatum mortale. Vnde si illa obligatio Psalmi Miserere quotidie dicendi esset ita alligata diei, sicut Horæ Canonicæ, (quod non est improbabile) tunc prior ratio vim non haberet, nec omissio esset mortale.

Canonicarū obligatio ad Horas Canonicas.

CASVS XVI.

Vtrùm Canonicæ Montenses, Malbodienses & Niuellenses peccent mortaliter si Officium non dixerint quotidie?

38 VT solidè respondeatur, oporteret legisse illarum Canonicarum statuta, & præbendarum institutiones. Sed quia hęc non suppetunt, dicam quid probabilius mihi videatur.

Istæ præbendæ non sunt veræ beneficia.

Suppono Primò Præbendas illarū, etsi ad imitationem Canonicatuum, qui sunt beneficia, institutæ sint, tamen non esse veros Canonicatus, seu beneficia. Quia verum beneficium requirit Ordinem, vel certè primam Tonsuram; & animum perpetuò se addicendi statui Ecclesiastico; & habitum clericalem. Vnde quę in Iure vel à Doctoribus dicuntur de Beneficiarijs, non sunt intelligenda de istis Præbendarijs feminis: neque obligationes & pœnæ aliorum ad istas extendendæ: odia enim & pœnæ sunt restringendæ.

In istis Canonicis est aliqua obligatio ad officium diuinum.

Suppono Secundò, Illas habere aliquam obligationem quamdiu sunt in eo statu sicut ad certum habitum saltem in Ecclesia gestandum, ita etiam ad officium diuinum: tum quia ad imitationem Canonicatuum istæ Præbendæ videntur institutæ (Canonici enim illo tempore sanctè viuebant, & in multis nobilibus Ecclesijs videmus non nisi Nobiles admitti:) tum quia si non obligarentur, non tam sedulò illud obirent. Hinc

39 *Conuentus tenetur sub mortali quotidie curare vt fiat officiū diuinum.* Infero Primò, Conuentum seu Capitulum illarum, & singulas de Capitulo obligari sub peccato mortali vt quotidie officium diuinum fiat: ita vt si quæ id impediret, vel præsentiæ suæ ad id necessariæ subtractione (vt si admodum essent paucæ) vel alio modo, illa esset peccatura mortaliter. Quia officium diuinum publicè obeundū, est præcipua functio ad quam & Canonicatus, & Præbendæ illæ sunt institutæ.

40 *Absentes paucis diebus à Choro, non peccant mortaliter,* Infero Secundò, Absentiam vnius, duorum, vel etiam trium dierum, alicuius personæ non necessariæ Choro, non esse censendam peccatum mortale, etiamsi commodè posset adesse. Quia etiamsi interim non concurrat ad officium publicum, non tamen inde aliquod notabile sequitur incommodum illi officio, ratione cuius deberet censeri illa absentia peccatum mortale. Idem iudico de Canonicis residentibus. Non tamen excusarem eas à peccato veniali, si absque causa legitima absint.

14 *Neque si officium extra Chorum non recitent quotidie.* Infero Tertiò, Omittere officium vno vel altero die, dum Chorum non frequentant, non videtur peccatum mortale. Primò, Quia non tenentur ratione veri beneficij, vel Ordinis, vt patet. Neque etiam ratione suæ Præbendæ tam strictè sunt obligandæ: quia hæ non sunt potissimùm institutæ vt orent pro Ecclesiá; sicut Præbendæ Canonicorum; sed vt ibi honestè alantur, & piè instituantur, vt posteà, vbi statum firmum capessierint, sciant viuere sicut decet Christianas &c. Officij recitatio solùm videtur annexa tanquam pium exercitium, quod iuuet illas ad pietatem. Secundò, Quia nisi Ecclesia tam grauiter iniungeret beneficiarijs quotidianam precum recitationem, & Doctores omnes in hanc sententiam irent; non interpretarentur illorum obligationem tam seuerè, nempe sub peccato mortali eos teneri quotidie recitare, modò officium publicum fiat in Ecclesia. Quia non videtur illa fuisse mens fidelium, qui illas fundationes fecerunt. Hi enim non videntur respexisse nisi ad publicum officium. Ergo multò minùs id faciendum in hoc casu. Tertiò parum mihi videtur credibile S. Waldetrudem, & alias sanctas Fundatrices, tam seuerè illas nobiles Virgines intendisse obligare ad quotidianam recitationem, modò fieret officium publicum. Primaria enim intentio non erat vt orarent pro Ecclesiâ tanquam Ministræ Ecclesiæ, sicuti orant Canonici; sed vt hoc exercitio se ad pietatem formarent: quæ intentio non multùm violatur si aliquoties officium omittant priuatim dicere; præsertim dum parentes inuisunt.

42 *Secùs est si ad longū tempus officium omittant.* Si tamen ad longum tempus omitterent, v. g. ad mensem integrum, vel fortè etiam ad hebdomadam vnam, credibile est eas mortaliter peccare. Quia etsi non multùm sit contra finem institutionis, & intentionem Fundatricis ad paucos dies omittere hoc pietatis exercitium; tamen videtur multùm repugnare si ad longum tempus id fiat.

43 *Non amittunt fructus ipso facto.* Vtrùm autem amittant fructus suarum Præbendarum, pro eo tempore quo non recitarunt officium, dubitari potest. Omnibus ritè perpensis, censeo non amittere ipso facto; ac proinde non teneri ad restitutionem. Primò, Quia neque Canonici illos amittunt (quidquid aliqui dixerint) seclusâ ordinatione Pontificis & Concilij Lateranensis sub Leone X. quæ ad ipsas extendi non debet, cùm sit pœnalis. Loquor de Grossa quam vocant, seu Corpore, nō autem de distributionibus. Secundò, Quia illæ Præbendæ non sunt potissimùm institutæ vt orent pro Ecclesia, & vt sint instar stipendij, sicut Præbendæ Canonicorum. Addo tamen, Posse statui, vt, si omittant, præsertim per multos dies, non possint accipere fructus, vel certè vt illis detrahantur, seu vt non dentur.

CASVS

Canonicarum obligatio ad residentiam.

CASVS XVII.

Statuit Carolus V. *glor. mem. ad instantiam* Canonicarum Montensium *ad impediendas longas absentias (quia tunc ordinariè aberant tres vel quatuor annos) vt sint obligatæ quouis anno ad residendū sex menses sub pœna perdendi grossos fructus suarum præbendarum, vel pro rata temporis, quo excedent dictos sex menses.*

QVAERITVR, *Vtrùm virtute illius statuti, debeant priuari dictis fructibus domicellæ, quæ superiori anno abfuerunt ab oppido Montensi propter contagionem, sicut prætendunt sex vel septem domicellæ quæ manserunt?*

44 EXpensis verbis & mente Statuti Imperatoris, censemus non esse priuandas: supposito quòd illis domicellis iudicio Medicorum fuerit notabile periculū infectionis, si mansissent in oppido eo tempore. Ratio est, quia contra hoc statutum non peccarunt. Non enim mens statuti fuit eas in notabili vitæ periculo obligare ad residentiam, sed solùm quando absque incommodo grauì possent residere. Hanc esse statuti mentem manifestè ex multis colligitur: Primò, Ex persona statuentis. Quis enim credat Imperatorem tam durè & inhumanè voluisse illas virgines tractare, vt etiam cū periculo vitę vellet eas residere, & nisi residerent, priuare sua portione? Secundò, Ex cōditione ipsarum virginum, quas non decet tam durè tractari. Tertiò, Ex occasione qua hoc statutum est conditum: Non enim petiuerunt illæ dominæ tale statutum fieri propter eas quæ iustā de causa abessent, sed ad tollendum abusum, quo vnū vel plures annos pro arbitrio aberant. Hæc fuit tota ratio illius statuti condendi: ac proinde secundùm hanc limitandum est & interpretandum. Ratio enim & finis legis est anima legis, vt rectè dixit Baldus in L. *Si quis seruo*, C. de Furtis. Quartò, Idem colligitur ex eo quòd possint ob causas longè minoris momenti, vt ob nuptias, baptismum, exequias parentum, & similes, abesse supra illos sex menses: Vnde contra rationem foret eis non permittere absentiam durante periculo vitæ.

Absentes virgines ob pestem à Choro & vrbe, non sunt priuandæ grossis fructibus.

45 Denique non minùs strictè obligantur Canonici & alij beneficiarij ad residentiam, sed multò strictiùs; & tamen in tali casu non possunt priuari fructibus propter absentiam; vt docet Couarr. lib. 3. Variarum. cap. 13. n. 8. & Franciscus à Ripa in tract. de Peste p. 2. n. 145. quem citat Couar. vbi dicit, quòd absens à loco beneficij tempore pestis, præcipuos ac principales fructus percipere debeat, non tamen distributiones quotidianas, quæ solis præsentibus dari consueuerunt. Nos hic solùm de fructibus præcipuis agimus, non de distributionibus. Si Canonici & alij beneficiarij qui multò arctiùs obligantur ad residentiam, non sunt priuandi fructibus maioribus propter absentiam tempore pestis, eò quòd hæc causa absentię sit iusta, multò minùs priuandæ sunt illæ virgines, quarum præbendæ non sunt beneficia Ecclesiastica, sed subsidia honestæ educationis. Valdè enim inhumanum foret velle illas virgines nobiles & sæculares statuto Principis sæcularis duriori vinculo constringere ad residentiam, quàm Ecclesia per suos Canones constringat Canonicos.

Veri beneficiarij eo casu non priuantur fructibus.

Dicet aliquis Dominæ seniores iam à viginti annis cœperunt hoc statutum seruare cum eo rigore: ergo iam præscriptione acquisiuerunt ius vt possint in posterum illud curare seruari. 46 *Non est contra eas præscriptum.*

Ad hoc respondetur, non potuisse hoc ius priuandi eas quæ tempore pestis essent absentes, præscribi intra viginti annos, cùm intra illud tempus ille casus nisi semel, nempe superiori anno acciderit. Itaque nunquam hoc iure vsæ sunt, nec vnquam in huius iuris fuerunt possessione; ac proinde non potest huius iuris prætendi præscriptio, aut consuetudo, quæ requirit longi temporis possessionem. Imò nec refert quòd propter absentiam ex morbo semel quandam priuarunt; quia casus morbi est diuersæ rationis.

Ex quibus omnibus concludo suprà dictas domicellas ex vi illius statuti non esse fructibus præbendarum suarum priuandas, ne quidem pro rata temporis, quo abfuerunt durante periculo prædicto.

ILLEGITIMVS.

CASVS I.

Illegitimi legitimatio.

Titius famulus Caij & Lucretiæ, viuente Caio ex Lucretia genuit Terentiam, quæ ideò spuria est. Mortuo Caio duxit Lucretiā in vxorem Titius, & curauit Terentiam suam per Nuntium Apostolicum legitimari.

QVAERITVR Primò, *Vtrùm Lucretia iuxta legem oppidi istius possit tertiam partem bonorum suorum dare Terentiæ, non obstante iure communi, quo prohibetur dare quidpiam spuriis præter alimenta.*

QVÆRITVR Secundò, *Si non possit dare in præiudicium liberorum Caij, vtrùm poterit illi dare illam tertiam per fideicommissum?*

AD *Primum*: Respondeo, Lucretiam non posse relinquere trientem suæ filiæ spuriæ. Est communis sententia Doctorum; vt patet ex Couarruuia de Matrimonio parte 2. c. 8. §. 5. num. 5. & Iulio Claro l. 3. §. testamentū qu. 31. & alijs. Probatur Primò, Authentica *Licet*, C. de Natural. lib. in fine: *Qui ex damnato sunt coitu, omni prorsus beneficio secludantur*. Et Nouella 74. cap. 6. dicitur, *Nulla eis participanda clementia est*; & infrà, *Vt sciant nihil habituros paternæ concupiscentiæ filios*: huius autem Authenticæ dispositio est in vsu, & obseruanda in vtroque foro, vt docet Clarus, Couar. & alij. Hinc colligunt DD. si Pater spurio aliquid in testamento præter alimenta relinquat, nihil per hoc iuris illi acquiri, sed teneri in conscientia restituere legitimis heredibus; vt docet Couar. nu. 11. & Molina dist. 168. quia per leges factus est incapax. Idem sentiunt omnes DD. 1 *Negatur posse.*

Dices, Istas leges loqui de patre, non de matre: quare cùm materia sit odiosa, non esse extendendam ad matrem. *leges quæ de patre, etiam de matre sunt intelligenda.*

Respondeo, Eas loqui in genere, *Omni prorsus beneficio secludantur: sciant eos nihil habituros*, vbi apertè excluditur etiam beneficium maternum.

Idem apertè conuincitur ex L. *Si qua illustris* C. ad S.C. Orfilianum, vbi dicitur mulierem illustrem, si proles habeat legitimas, non posse quidquam dare, vel testamento relinquere suo spurio. Denique, hæc est communis sententia DD. Vide Couar. §. 5. n. 20.

Dices, Cur mater non potest disponere de illo triente in spurium, cùm possit in extraneum?

2 *Potiùs extraneis quàm spurijs possunt parentes benefacere.*

Respondeo, Quia lex reddit spurios incapaces talis beneficij à parentibus accipiendi, idque in pœnam adulterij; vt docet Clarus suprà: vbi dicit, *Pater spurij potest cuiuis in testamento relinquere, præterquam filio spurio; & filius spurius potest à quouis, præterquam à patre, sibi relicta accipere.* Sub patre, etiam matrē intellige à fortiori. Præterea si posset mater filiæ spuriæ relinquere trientem, plus ei relinqueret, quàm legitimis prolibus: hoc autem iniquum esse, docent DD. nam illegitimo etiam legitimato nō potest maior portio relinqui, quàm sit minima relicta alicui ex legitimis; vt docent Additiones ad Iulium Clarum ex Decio, & alijs.

3 *Alimenta ijs possunt relinquere, nisi aliunde ea habeant.*

Possunt tamen proli spuriæ relinqui alimenta si aliunde non habeat; vt patet ex Cap. *Cùm haberet*, de eo qui duxit in vxorem, quam per adulterium polluit. Est communis sententia DD. teste Couar. §. 6. num. 9. Quòd si aliunde habeat, non potest ei quidquam relinqui; leges enim ne alimenta quidem illis relinqui volunt: quod Ius Canonicum moderatum est, vt parentes teneantur necessaria subministrare, non amplius; id est, quæ ad victum, vestitum, institutionem, habitationem, & similia sunt necessaria, spectatâ conditione personarum. Itaque si hæc aliunde habeat, non possunt parentes ea dare. Idem docet Molina dist. 168. Itaque cùm Terentiæ à patruo religionem ingresso relicti sint annui mille octingenti floreni & amplius, non possunt illi à matre aliæ facultates ad alimenta relinqui.

4 *Non potest per fideicommissum spurijs prouidere.*

Ad Secundum: Respondeo, Lucretiam non posse vti illo artificio fideicommissi. Si enim det vel relinquat extraneo cum onere fideicommissi restituendi filiæ, peccat mortiferè; vt docet Molina & alij passim. Et heres si acceptet, promittens implere, similiter peccat mortiferè. Et si ex vi huius substitutionis hæreditatē transferat in spuriam, totum est irritum, nec potest in foro conscientiæ retinere; vt idem Molina & ceteri DD. passim docent. Ratio est, Tum quia violant legem grauissimis pœnis munitam; tum quia spuria est incapax, vt sic accipiat.

5 *Quid Lucretia suadendum.*

Suadendum omnino sentio Lucretiæ vt ab hac machinatione desistat: grauissima enim inde mala sequi possunt: nam supra modum offendit proles suas legitimas, totamque stirpem. Satis afflictionis illis dedit, primò per lapsum turpem; deinde per matrimonium cum Titiò suo famulo, stirpe suâ parum dignum. Tertiò, Per tam importunam exactionē dotis, ratione prioris matrimonij cum Caio, à legitimis prolibus sibi debitæ, quam ratione suæ culpæ amiserat. Quartò, Seipsam, maritum defunctum, & consequenter totum genus suum infamando in tot Tribunalibus.

Addo, Etsi proles legitimæ & generi cum ea quandam transactionem (Appointement) fecerint, tunc cùm non scirent se ratione illius culpæ esse liberos à solutione dotis promissæ per patrem; tamen Lucretia exigere non debet; quia ex ignorantia proprij iuris illam transactionem fecerunt, non intendentes iure suo cedere. Vnde reuerà & in conscientia nihil iuris matri per talem transactionem acquisitum est; nec potest ex vi illius dotem à prolibus legitimis hæredibus mariti prioris petere. Itaque meritò à Confessario scrupulus illi esset injiciendus in hac repetitione.

CASVS II.

Illegitimi Legitimatio.

Ex Titio Subdiacono & Caia soluta nati sunt filij: impetrata dispensatione Titius & Caia contrahunt matrimonium.

QVÆRITVR I. *Vtrū filij ex illis ante matrimonium nati, per matrimonium fiant legitimi?*

QVÆRITVR II. *Quis illos possit legitimare, si illo modo non efficiantur legitimi?*

AD *Primum*: Respondeo, Non effici per tale matrimonium legitimos. Ratio est, Quia non sunt naturales, sed spurij concepti ex copula sacrilega. Atqui soli naturales, (id est concepti ex parentibus, inter quos tempore conceptionis vel natiuitatis non erat impedimentum dirimens) per subsequens matrimonium efficiuntur legitimi; vt communiter docent DD. & colligitur ex Cap. *Tanta*, qui filij sint legitimi: vbi dicitur natum ex adulterio viri, non effici legitimum per subsequens matrimonium, etiamsi parentes postea contrahant, quia est spurius, id est, quia est ex coitu qui accedente consensu non poterat esse coniugalis. Vnde DD. idem colligunt de omnibus spurijs. Ita Panormitanus in illud Cap. Vide Couar. in Epitome 4. cap. 8. §. 2. num. 1. & sequentibus.

6 *Non sunt legitimi per hoc matrimonium, quia spury.*

Ad Secundum: Respondeo, Suam Sanctitatem non posse istos legitimare ad successionem hereditariam; neque ad officia secularia (nisi sint subditi in temporalibus) sed tantùm ad spiritualia, nempe ad Ordines, beneficia & dignitates; excepto eo casu, quo causa boni communis potestas Pontificis se extendit indirectè ad exercendam iurisdictionem in alieno regno. Vt apertè colligitur ex Cap. *Per venerabilem*, qui filij sint legitimi. Ratio est, quia legitimatio subditorum ad temporalia, pertinet ad supremum Principem ipsorum in temporalibus. Vide Couarruuiam suprà cap. 8. §. 8. nu. 47. vbi id expressè docet, estque communis opinio, quæ seruatur in praxi; vt testatur Panorm. in Cap. *Per venerabilem*, nu. 22.

7 *Pontifex non potest eos legitimare ad temporalia, sed ad sola spiritualia.*

Quamuis non sit improbabile si solùm agatur de successione in bona illius Clerici, Pontificē posse legitimare; eò quòd bona Clericorum exempta sint à iurisdictione Principis secularis. Contrarium tamen est verius, vt idem Couarr. ostendit num. 48. quia iurisdictio non est exercenda in Clericum, sed in Laicum, qui est subditus Principi seculari.

An possit Pontifex legitimare ad bona istius Clerici.

Sentio igitur nullum esse remediū, nisi vt petat legitimationem à Principe suo, qui quo ad ciuilē iurisdictionem alteri non subest.

8

Addo, Si hîc in Belgio recepta esset Bulla Pij V. qua statuit vt Ecclesiasticorum bona ad filios eorum ex sacrilegio natos non perueniant, opus fore duplici dispensatione, vt possint parenti Clerico succedere; Pontificis quidem, ratione illius Bullæ; Principis secularis, ratione habilitatis ad succedendum absolutè.

Bulla Pij V. contra spurios Ecclesiasti. corum.

CASVS

CASVS III.

Dispensatio illegitimi ad Ordines.

Quidam Illegitimus ex Sacerdote & solutâ accepit Tonsuram absque dispensatione: deinde ab Illustrissimo Nuntio petit dispensari ad Ordines omnes & beneficia etiam Curata: & in supplicatione narrat se per inadvertentiam defectum natalium coram Episcopo subticuisse, quod falsum erat.

QVÆRITVR, *An dispensatio obtenta non censeatur subreptitia?*

9 *Dispensatio censetur bona.*

REspondeo non censeri subreptitiam illam dispensationem.

Primò, Quia dispensatio Illustrissimi Nuntij non nititur illa inadvertentia, sed meritis, & bona vita, ac doctrina supplicantis, vt expressè habetur in instrumento dispensationis, ait enim: *Meritorum tuorum intuitu specialem tibi gratiam facere volentes* &c. Vnde nec addit clausulam (*si ita est*) sed absolutè dispensat.

Secundò, Quia expressio falsi, & omissio veri, non vitiat dispensationem, quando aliàs æquè benè erat concedenda, vt communiter Doctores tradunt: Quia tunc error non est causa dispensationis, sed libera voluntas dispensantis. Atqui non est credibile Illustrissimum Nuntium fuisse recusaturum dispensationem etiam sciuisset eum fraudulenter defectum suum non aperuisse Episcopo: ergo.

Illegitimus potest accipere primam Tonsuram.

Tertiò, Quia illegitimus nullo iure expressè prohibetur accipere primam Tonsuram, sed solũ Ordines. Nomine autem Ordinum & ordinationis non continetur prima Tonsura secundùm D. Thomam, & communem Theologorum sententiam: ergo non fuit grauis culpa in accipenda Tonsura, quæ mereretur denegari dispensationẽ. Solùm prohibentur, illegitimi accipere Tonsuram ex consequenti, quatenus prohibentur accipere Ordines: & quatenus Tonsura est præparatio & dispositio ad Ordines.

CASVS IV.

Illigitimitatis dispensatio ad Religionem.

Titius Religiosus dimissus est ob impedimentum tori illegitimi cùm haberet dispensationem Illustrissimi Nuntij, sed per imperitiam & errorem impedimento non satis expresso.

QVÆRITVR Primò, *An egeat noua dispensatione ad celebrandum?*

QVÆRITVR Secundò, *An possit vti officio sui Ordinis, &, An teneatur ad alia peculiaria choro?*

QVÆRITVR Tertiò, *An possit matri succedere?*

QVÆRITVR Quartò, *An possit repetere 500. florenos, quos monasterio dedit?*

10 *Non eget dispensatione ad celebrandum saltẽ in foro conscientiæ.*

AD *Primum*: Respondeo, Ex eo quòd Titius sit dimissus ab Ordine sine sua culpa, non eget dispensatione ad celebrandum: Sufficit enim ea dispensatio per quam poterat celebrare in Ordine. Et quamuis in rigore Iuris, & in foro externo illa dispensatio Illustrissimi Nuntij pateretur difficultatem; tamen in foro conscientiæ, & ex æquitate est admittenda: quia constat Nuntium voluisse tollere omne impedimentum tori illegitimi, tam ad Ordines, quàm ad beneficia, vt suppono ex casu proposito: & ita de facto censeri debet ablatum: etiamsi per imperitiam & errorem impedimentum non fuerit satis expressum; præsertim concurrentibus tot circumstantijs. Vnde in foro conscientiæ non est opus noua dispensatione: nisi fortè ex illa dimissione res esset patefacta; & oriretur scandalum apud aliquos qui viderent eum celebrare.

11 *Potest vti officio Ordinis.*

Ad Secundum: Respondeo, Cùm Titius sit verè Religiosus, & validè professus, potest vti Officio approbato sui Ordinis; cumque sit iectus ab Ordine, non tenetur ad alia peculiaria choro, vt ad Officium defunctorum & anniuersaria, quæ in choro celebrari solent.

Non censetur iustè iectus.

Addo Titium non videri iustè iectum: tùm, quia illa dispensatio sufficiens erat saltem in foro conscientiæ ad maiores Ordines; tùm maximè, quia monasterium seu Conuentus illum tot annis retinuit, & honorauit varijs officijs; etiam postquam innotescere ei cæpit eius impedimentum; & ita visus fuit ei hoc condonare, & eum de nouo implicitè admittere. Si volebat eum dimittere, debebat id facere statim re cognitâ, vt multis Iuribus & exemplis ostendi potest.

12 *Non potest succedere, quia Religiosus.*

Ad Tertium: Respondeo, Etsi probabile sit illegitimum talem posse matri succedere; tamen Titius cùm sit Religiosus, non potest ei ab intestato suo nomine succedere: Si tamen ab amicis aliquid possit gratis obtinere, non tenetur Conuentum, à quo expulsus est, certiorem reddere. Quia tamen Ius successionis quod ipse habebat, per professionem in Conuentum translatum est, posset ipse petitâ veniâ à conuentu, nomine Conuentus exigere suam portionem, & eâ viuere; reseruato eo quod superesset post mortem pro Conuentu.

13 *Tenetur conuentus restituere acceptum.*

Ad Quartum: Respondeo, Cùm Titius non fuerit legitimè iectus à Conuentu, potest exigere & repetere illos 500. florenos quos Conuentui dedit; & Conuentus tenetur illos restituere.

INDVLGENTIA ET IVBILÆVM.

CASVS I.

Indulgentia Archiepiscopalis.

Quantas qualesque Indulgentias possit dare Archiepiscopus?

1

DIco Primò, Archiepiscopus potest dare Indulgentias 80. dierum. Ita Henriq. lib. de Indulgẽtijs c. 32. Ratio esse potest, quia Episcopis conceduntur à Concilio 40. dies: æquum ergo est vt Archiepiscopo duplum concedatur.

Dico Secundò, Potest dare Indulgentias perpetuas, id est, singulis annis recurrentes. Ita Paludanus dist. 20. quæst. 4. & alij. Ratio est, quia nusquam id ei prohibetur in Iure. Per se autem potest in sua diœcesi, quod Papa in tota Ecclesia, nisi Iure limitetur, vt docent Sotus & alij.

Dico Tertiò, Potest dare Indulgentias pro eodem opere sæpiùs repetito, præsertim diuersis diebus. Ratio est, quia nusquam prohibetur.

CASVS II.

Indulgẽtia in Religionis ingressu.

Quando Religiosus consequatur Indulgentiam Plenariam, quam Patres & Doctores dicunt illum consequi per ingressum Religionis?

2 *Subinde dum initur nouitiatus, vel assumitur habitus.*

REspondeo, Posse hanc Indulgentiam interdum obtineri dum suscipitur habitus; aut initur nouitiatus: nimirum si id fiat ex magna charitate erga Deum, & eum perfecta mundi renuntiatione. Nam ardenti affectu renuntiare mundo, & mancipare se obsequio diuino, sæpè satis est ad remissionem omnis culpæ & pœnæ.

Ordinariè in professione.

Ordinariè tamen credibile est id non fieri nisi in ipsa professione, vel cum vota essentialia in Societate emittuntur. Ratio est, quia tunc debetur hoc beneficium quando quis seipsum perfectè & omnia sua Deo irreuocabiliter mancipat, se & sua illi in sacrificium offert; quando moritur mundo morte ciuili, & inchoat notum statum, & nouam vitam: hoc autem fit per professionem. Omnia quæ ante fiunt non perfectè hominem Deo mancipant, nec tribuunt ei statum & firmitatem, nec faciunt eum mori ciuiliter, nec spoliant eum propria voluntate, sed solùm fiunt probandi caussa, & disponunt ad hunc actũ tanquam ad finẽ. Nouitius enim est similis catechumeno, qui ex ijs quę præcedunt baptismum non consequitur remissionem omnis pœnæ, sed per ipsum baptismum; cui respondet professio, seu incorporatio in religionem. Colligitur ex D. Thoma 2. 2. q. vltima. a. 3. ad 3. & Caietano ibidem, & Quodl. 3. a. 13. Idem docet Corduba in Regulam D. Francisci c. 2. q. 14. tanquam indubitatum.

Comparatio Nouitij & Catechumeni.

CASVS III.

Indulgẽtia plenaria in forma Iubilæi.

In die Circumcisionis Domini conceditur in templo Societatis IESV *plenaria Indulgentia in forma Iubilæi.*

QVÆRITVR Primò, *An eadem illa causa quæ tum est pro concedendis illis Indulgentijs, non possit etiam sufficiens censeri pro dispensatione votorum particularium.*

QVÆRITVR Secundò, *An ex vi talis Indulgentiæ non possit quiuis eligere Confessarium qui absoluat à reseruatis, commutet vota &c. sicut fit in Iubilæo?*

3 AD *Primum*: Respondeo, Certum est causam illam communem quę sufficit ad concedendas Indulgentias etiam plenarias, non sufficere pro dispensatione votorum particularium: Hæc enim requirit iustam causam respectu huius personæ; quæ plerumque nullam habet connexionem cum causâ Indulgentiarum: v. g. Vouit quis continentiam, vel non ludere aleis ob periculum blasphemiæ, iræ &c. ratio voti perseuerat, etiamsi amplissima detur Indulgentia. Quare non potest liberari obligatione voti. Irrita enim est dispensatio nisi causa iusta subsit.

4 *Ad Secundum*: Respondeo, Quam vim habeat Indulgentia plenaria in formâ Iubilæi, seu ad instar Iubilæi (quæ duo idem valent) docet Nauarrus de Iubileo notabili 9. & 26. & ostendit idem esse quod Indulgentia plenissima. Quòd verò talis formula verborum non contineat facultatem eligendi Confessarium qui absoluat à reseruatis, dispensẽt in votis &c. vel ex eò colligi potest, quòd hac de re nihil certi sit constitutum pro ipsis Iubilæis. Nam interdum maior, interdum minor potestas conceditur. Deinde res tanti momenti claris verbis exprimenda erat, sicut in diplomatibus Iubilæorũ exprimitur. Deniq; est contra mentem Societatis: non enim Societas pro die Circumcisionis intendit à Pontifice obtinere vt fideles possent eligere alium, quàm Societatis Confessarium, aut vt alijs daretur potestas absoluendi à reseruatis & dispensandi &c. Vnde mihi certum est talem potestatem illis verbis non concedi.

CASVS IV.

Eleëmosyna pro Iubilæo.

Vtrùm Teneantur Religiosi mendicantes, maximè subditi quidquam erogare in eleemosynam, vt Indulgentiam Iubilæi consequantur?

5 REspondeo, Non teneri. Tùm, quia Iubilẽũ intelligitur de ijs qui habent administrationem: Tùm, quia in aliud opus commutari id potest; vt expressè in Bulla habetur. Vnde etiam subditi nõ tenentur petere licẽtiam vt possint aliquid sibi subtrahere ad eleëmosynæ largitionem.

CASVS V.

Electio Confessarij in Iubilæo.

Vtrùm Religiosi possint ex vi Iubilæi confiteri Sacerdoti non approbato? Et quisnam per Ordinarium *intelligatur.*

6 REspondeo, Etsi alias Religiosi possint confiteri Confessario non approbato: si tamen ex vi Iubilæi velint absolui, debent confiteri approbato: quia id expressè requiritur in Bulla.

Per *Ordinarium*, non intelligitur Superior Regularium; sed Episcopus, & Vicarius eius Generalis, & Abbas habens Ecclesiam, in qua exercet Episcopalem iurisdictionem.

CASVS VI.

Commutatio voti in Iubilæo.

An qui commutauit votum suum vi Iubilæi in aliud pium opus; possit post Iubilæum vi eiusdem hoc pium opus rursum mutare in prius votum, vel in aliud pium opus?

7 REspondeo, Eum qui semel commutauit votum suum vi Iubilæi in aliud pium opus, non posse post Iubilæum vi eiusdem Iubilæi hoc pium opus rursum mutare in prius votum, vel in aliud pium opus; nisi fortè id fiat paulò pòst, ita vt censeatur completio actionis anteà tempore Iubilæi inchoatæ. Ratio est, quia illa potestas commutandi votum, iam cum Iubilæo expirauit; nec censetur continuari nisi ad necessariã continuationem eorum quę anteà erant incæpta.

8 *Si votum erat reseruatum.*

Aduerte tamen, Si votum illud erat reseruatũ, iam facta mutatione desinere esse reseruatum, dummodò votum id sit mutatum in opus, cuius intuitu votum non fuisset reseruatum.

Inquisitio extraiudicialis.

IVDEX.

CASVS I.

Titius fuit socius Caio in homicidio perpetrando: capitur Caius: fatetur: plectitur detecto antè socio. Capitur Titius: torquetur: pertinaciter negat: dimittitur. Post triennium idem Titius ob furtum captus est, & in carcerem coniectus. Iudex illum agnoscens, extra tormenta rogat; Nonne tu es ille, qui talem virum, tali tempore occidit? Fatetur, & propter vtrumque condemnatur.

QVÆRITVR, *An Iudex peccarit quarendo &c.*

1 REspondeo, Non peccasse: quia mansit suspicio & indicium pristinum ex depositione Caij. Nec obstat quòd fuerit dimissus: quia illa dimissio non habet vim abolitionis vel declarationis innocentiæ; sed solùm facta fuit defectu probationis. Vnde si veniant postea noui testes, vel ipse sponte fateatur, plecti potest. Hic autem sponte fatsus est; poterat enim negare.

Iudices quando habent indicia, multa possunt interrogare dum examinant reos: modò id fiat absque tormentis, vel tormentorum minis. Idem vsu receptum est. Reo tamen videndum quid fateatur.

Si tamen hæc confessio rei extra iudicium facta est, non potuit ex ea condemnari, nisi eadem in iudicio repetatur: quod credibile est hîc factum. Poterat reus in iudicio negare. Sibi imputet inconsultam confessionem. Cauendum est ne facilè tales Iudicum praxes reprehendantur, nisi manifestè sint iniquæ.

CASVS II.

Informatio extorta.

Iudex secularis suadente Petro Canonico occultè cæpit informationes contra Ioannem Canonicum, adigendo subditos suos sub iuramento, vt coram se deponerent quod de eo nossent.

QVÆRITVR, *Vtrùm tam Iudex, quàm suasor Canonicus, incurrerint excommunicationẽ Bullæ Cœnæ?*

2 SPecie facti diligenter expensa: Respondeo, Etsi Iudex ille secularis malè fecerit capiendo occultè informationes contra Ioannem Canonicum, & adigendo sub iuramento subditos suos vt deponerent coram se quod nossent in causa iniuriarum Canonici contra Monialem: non tamen in excommunicationem Bullæ Cœnæ, vel aliam incidit. Ratio est, quia illi soli excommunicantur in Bulla Cœnę quòd ad hunc articulum attinet, qui personas Ecclesiasticas ad tribunal secularis Iudicis pertrahunt, vel pertrahi faciunt, &c. Atqui capere occultè informationes contra personam Ecclesiasticam, non est illâ pertrahere ad tribunal. Nulla enim adhuc facta citatio, &c. Vnde cùm pœnæ non sint extendendæ vltra verborum proprietatem, non est dicendum Iudicem illum, aut Canonicum suasorem, incurrisse pœnâ excommunicationis Bullę Cœnę. Neque est aliud ius quo tale factum pœnâ excommunicationis plectatur.

Accedit quòd Iudex illam informationem videatur fecisse, non vt vsurparet sibi iudicium in Canonicũ, sed vt iuuaret partes accusantis: quod non esset illicitum, nisi excessisset in modo nimirum adigendo subditos deponere sub iuramento. Denique probabilis ignoratia excusat coram Deo à pœna excõmunicationis, quia abest contumacia.

Probabilis ignorantia excusat ab excommunicatione.

CASVS III.

Consiliũ.

Vtrùm Aduocatus consultus à Iudice seu Magistratu de pœna reo irroganda, fiat irregularis, si mors reo deinde inferatur?

1 SI Aduocatus ille à Magistratu seu Iudice cõsultus de pœna reo irroganda, respondit solùm in genere explicando quid Iura statuant, non erit irregularis, etiamsi reus morte sit plexus à Iudice. Si verò respondit in particulari, Hunc merere mortem, & multò magis si Iudicem instigauit ad hunc plectendum, erit irregularis, modò illa incitatio fuerit causa mortis, vel accelerationis eius. Siluester V. homicidium 1. n. 12. citans Hostiensem & Panormitanum. Henriq. cap. 16. num. 4. & alij.

4 In hac irregularitate nõ potest dispensare Episcopus, etiamsi possit in casuali, quod est contra Couarruuiam in Cap. *Alma.* 2. p. §. 3. in fine. Estque communis sententia Recentiorum, vt docet Henriques cap. 19. Porrò Societas ex Priuilegio Gregorij XIII. viuæ vocis oraculo potest dispensare in hac irregularitate, sed solùm in foro interno. Vnde etsi hæc dispensatio faciat licitam Ordinum & beneficij receptionem, non tamen prodest in foro externo, si fortè lis moueatur ei, quocum ita est dispensatum. Quare vt sit securus in foro externo, debebit obtinere dispensationem Romę à summo Pontifice. Quòd si non timet aduersarium, sufficit ei dicta dispensatio.

Hæc irregularitas non potest tolli ab Episcopo.

Potest tolli à Societate in foro interno.

DE IVRAMENTO.

CASVS I.

Promissio iuramento confirmata.

Petrus promittit se daturum 100. Monasterio, idque iuramento confirmat. Monasterium recusat accipere.

QVAERITVR Primò, *An teneatur Petrus dare illa centum ratione iuramenti?*

QVÆRITVR Secundò, *Quid si Petrus simpliciter iuret se daturum 100. Monasterio, & Monasterium recuset: quid faciet Petrus?*

1 VT hæc res clarè intelligatur: Notandum est, quòd dupliciter potest se quis iuramento obstringere: Primò, cùm aliquid promittit alicui, & addit iuramentum quo iurat se promissum seruaturum. Secundò, cùm absolutè iurat se aliquid facturum, v.g. daturum 100. pauperibus. Nunc

Respondeo Primò, Cùm fit priore modo, iuramentum non cadit immediatè in executionem rei; sed in obseruationem promissionis. Vnde dicitur esse accessorium promissioni: nã stante promissione, obligat; eâ autem cessante, non obligat.

Vnde

Vnde si contingat promissionem non insinuari ei cui facta est, aut non acceptari, aut acceptatam legitimè tolli seu elidi; cessat obligatio iuramenti. Solùm enim iuramentum obligat ad seruandum promissum, supposito quòd promissio legitimè acceptetur. Neque hinc sequitur eum qui sic promisit & iurauit, teneri aperire suam promissionem: Non enim magis ad hoc tenetur, quàm si non iurasset. Nec ideò tale iuramentum est illusorium aut frustraneum: nam seruit ad inducendam obligationem absolutam in euentum quo continget promissionem legitimè acceptari.

6 Respondeo Secundò, Cùm iuramentum fit secundo modo, tunc immediatè cadit iuramentum in executionem rei: vnde non est opus vlla acceptatione; sed tenetur homo ex se rem exequi, ne Deum faciat testem falsi. Itaque tenetur insinuare imò & offerre rem quam iurauit se daturum. Si tamen alter recuset eam accipere, cessat obligatio; quia illi iuramento inerat hæc tacita conditio, *Si alter, in cuius fauorem res est cessura, velit.* Itaq; cùm hoc modo factum est iuramentum, non est accessorium promissioni, sed stat per se.

Priuilegiati potestas circa votum iuramento confirmatum.

CASVS II.

An Priuilegiatus qui potest tollere votum simplex, possit etiam tollere iuramentum supra id votum cadens? Item, *An qui potest tollere votum, possit etiam tollere iuramentum cadens circa eadem materiam?*

7 Respondeo Primò; Quando iuramentum superuenit promissioni, is qui potest tollere vinculum promissionis, potest etiam tollere vinculũ iuramenti quod promissioni est accessoriũ. Vnde quando votum hoc modo est iuramento confirmatum, Priuilegiatus qui potest in voto simplici dispensare, potest etiam in tali iuramento, quia id per se euanescit sublato vinculo voti.

8 Respondeo Secundò, Quando iuramentum nõ est accessorium, sed stat per se, tunc Priuilegiatus qui potest dispensare in voto, non potest dispensare in iuramento circa eandem materiam, sed opus est ad hoc peculiari priuilegio, quod se extendat immediatè ad tollendum vinculum iuramenti; vt ostensum est lib. 2. de Iustit. & Iure cap. 42. n. 60.

Iuramẽti promissorij & absoluti inuestigatio.

CASVS III.

Vnde sciemus, vtro modo, scilicet, An promissoriè, an absolutè iuramentum factum sit?

9 Respondeo, Id colligendum est ex verbis: vt si expresè promisit vel vouit, & iurat se promissionem seruaturum. Secundò, ex intentione ipsius iurantis: vt cùm quis iurat se dimidiam partem bonorum suorum daturum pauperibus. Et quidem, si mentem dirigat ad Deum, & iuret Deo, est votum iuratum; & videtur non esse accessoriũ voto, sed per se consistere. Si nihil de Deo cogitet, sed solũ velit se in illo bono proposito per iuramentum firmare, videtur esse solùm iuramentum, quod propter honorem Dei est seruandum; etiamsi pauperibus nullum ius per illud sit acquisitum.

Absolutio à iuramento.

CASVS IV.

Caia filia & hæres Titij ob acceptam ab eo non magnam pecuniæ summam, sese cum marito iuramento obligat ad inhabilitatem testandi. Moritur Titius: & iuramenti obseruatio cedit in damnum nepotum Titij, in quorum tamen commodum ab illo exactum est.

QVÆRITVR Primò, *An Titius censendus sit illud iuramentum acceptasse?*

QVÆRITVR Secundò, *An coniuges modò ad iuramenti obseruationem teneantur, non petita absolutione?*

QVÆRITVR Tertiò, *An sufficiat simplex absolutio in foro externo vt possit de bonis disponere?*

QVÆRITVR Quartò, *An opus fuerit citatione vt coniuges absoluerentur?*

QVÆRITVR Quintò, *An obligatio iuramenti fuerit personalis?*

10 AD *primum*: Respondeo, Si constaret hoc iuramentum non fuisse acceptatum à Titio, cui illa promissio facta fuit, nullo modo esset obligatorium; nec egeret dispensatione. Quia iuramentum promissorium factum alicui, nõ obligat, ipso non acceptante; sicut nec promissio (cui iuramentum est accessorium) si non acceptetur, non obligat.

Censendus est Titius acceptasse iuramentum.

Verùm non video quomodo dicatur id constare, cùm Titius tale iuramentum exegerit à suo genero & Caia filia, & noluerit pecuniam numerare quam ipsi petebant, nisi tali modo promitterent: videtur enim satis acceptasse, quando promissionis iuratæ schedulâ acceptâ, pecuniam numerauit. Itaque posito quòd fuerit sufficienter acceptata illo signo externo, verè in conscientia obligauit istos coniuges: quia non fuit de re illicitâ ex parte ipsorùm promittentium. Potest tamen Titius cui facta est, condonare & remittere omnem illam promissionem etsi iuratam; & tunc nulla opus est dispensatione Pontificiâ.

11 *Mortuo Titio videtur cessare obligatio.*

Quòd si Titius non remiserit, & iam obierit, cùm hæc promissio nõ videatur ipsi facta in ipsius fauorem & commodum; sed in commodum nepotum (ideò enim talem promissionem exegit ne gener bona grauaret, vel alienaret in damnum proliũ nepotũ Titij) videtur eius obligatio per se cessare, si obseruatio illius promissionis cederet in damnum prolium: quia quod in illarum commodum inuentum est, non debet cum earum damno seruari. Idem dicendum quando alia grauia incõmoda ex obseruatione sequerentur. Hæc enim censeri debet fuisse mens exigentis, vtpote hominis Christiani & prudentis; & etiam ipsorum coniugum promittentium. Nunquam enim promissio alicui facta etiam iurata, quam obseruari, vel non obseruari non magnoperè interest eius cui facta est, ita durè interpretanda est, vt etiam cum grauissimis incommodis, & in quouis euentu obseruanda sit; aut quod mens promittentis vel exigẽtis fuerit vt in omni euentu subsisteret obligatio. Promissiones enim habent multas tacitas conditiones, vel Iure, vel hominum consuetudine, vel prudentum interpretatione.

His

12 *Ecclesia potest dispẽsare in iuramento promissorio.*

His accedit, Quòd etsi tale iuramentum per se non cessaret positis circumstantijs iam commemoratis; tamen facillimè per dispensationem Ecclesiæ tolli potest omnis eius obligatio: tum, quia nõ magnoperè interest eius, cui facta est talis promissio, eam seruari: tum maximè, quia per iniuriam extorta videtur. Nimis enim grauis & onerosa erat talis obligatio; neq; vllo modo cũ tantilla summa pecuniæ comparanda: quod euidentissimũ est, si vel data fuit mutuo, vel si Titius non habebat alios hæredes, quàm Caiam filiam; & omnia Titij bona erant ab intestato ad Caiam eiusque liberos deuoluenda. Quòd si alios hæredes habebat, adhuc non potuit tam grauis obligatio iure imponi; casus enim necessitatis erat excipiendus.

Promissio priuatiua facultatis testãdi irrita censetur.

Omitto quòd plurimi Doctores docent, promissionem, qua quis se priuat facultate testandi, irritam esse, etiamsi iuramento confirmata sit. Quidquid enim sit de veritate huius sententiæ, certũ tamẽ puto posse obligationẽ talis iuramenti facilè tolli per Ecclesiam.

13 *Cõtractus iuratus ex errore iniustus, rescindi potest*

Addo, quòd quando quis est enormiter læsus aliquo contractu etiam iurato, ex ignorantia vel simplicitate, eò quòd non aduerteret incommoda secutura, posse resilire posteà; quia non censetur illum euentum voluisse comprehendere. Neque videtur dubium quin posset petere absolutionem iuramenti, vt agat ad rescissionem, facta restitutione eius quod accepit. Quod receptissimi Iuris est, & maximè locum habet in oneribus quæ quis pro aliqua summa pecuniæ, vel alia re, in se suscipit, quando onus incomparabiliter maius euaderet, si in omni euentu deberet sustineri, quàm res accepta possit æstimari: iuxta quem modum, in hoc casu sufficit, vt alijs Titij hæredibus, si qui sint, fiat restitutio ex summa accepta cuique pro ratâ portione. Ex his apparet Caiam cum marito multis nominibus esse solutam ista obligatione quæ per promissionem iuratam Titio factam prętenditur inducta.

14 *Ad Secundum:* Patet responsio ex dictis: Probabile enim est etiam absq; absolutione licitum esse contrauenire tali iuramento, quando eius obseruatio in graue damnum prolium, vel Reipublicæ, vel ipsorum promittentium cederet. Tutius tamen est petere dispensationem, sicut hîc factum est.

15 *Sufficit absolutio simplex.*

Ad Tertium: Simplex absolutio facta in foro externo sufficit tum ad agendum, tum ad omnes alios Iuris effectus consequendos. Posita einm absolutione restituitur pristinæ libertati circa sua bona; vnde potest de illis disponere, & illa grauare sicut ante iuramentum poterat.

16 *Non opus fuit citatione.*

Ad Quartum: Nulla opus fuit citatione, vt coniuges absoluerentur. Quando enim interuenit iniuria, non opus est citare partem cui factum iuramentum: neque etiam alij hæredes citandi, quia illis non est facta vlla promissio, sed soli Titio.

17 *In casu est pactum personale.*

Ad Quintum: Planum est obligationem iuramẽti esse personalem, ac proinde non transire ad hæredem. Itaq; hæres nulla iuramenti religione tenetur. Obligatio tamen pacti potest ad hæredem transire; nimirum quando quis intendit suum hęredem obstringere. Hîc verò solùm fuit pactum personale, non respiciens hæredes. Itaq; nec pacti obligatio, etsi valida fuisset, transire ad hæredes in nostro casu potest.

CASVS V.

An Ciues bello iniusto subiugati possint suis iustis subiugatoribus præstare iuramentum fidelitatis? Iuramẽtum fidelitatis.

REspondeo, Tales ciues posse istis iniustis inuasoribus præstare generale iuramentum fidelitatis, modò nihil illicitum isti iuramento expressè admisceatur, & ipsi in mente sua intelligant se solùm iurare fidelitatem in licitis, & honestis. Principem tamen suum legitimum & naturalem abiurare non possunt: id enim est illum non agnoscere, & non habere pro suo Principe in suâ Prouinciâ, quæ illi per iniuriam erepta est; cùm tamen reuerà sit & permaneat eius Prouincię dominus: quod est grauis iniuria in dominum suum & Principem. Itaque talis abiuratio est periurium cadens in materiam falsam, & in iniuriam tertij. 18 *Sub qua cautela id liceat.*

LVXVRIA.

CASVS VNICVS.

Titius Magno amore prosequitur filiam vt cum illâ contrahat? Delectatio morosa.

QVÆRITVR, *Vtrùm peccet fouendo affectus circa actus Matrimonij cum filiâ contrahendi?*

ACcepi scriptum tuum, Reuerende Domine, benè longum de delectatione morosa, & legi totum, etsi occupatissimus. Video totam controuersiam ferè reuocari ad hanc quæstionẽ: Vtrùm licitum sit delectari de ipsâ passione delectationis ortâ ex imaginatione actûs matrimonij futuri vel præteriti: nam enim proponit D.T. quod Doctores proponere solent his verbis: *Vtrùm licita sit delectatio ex cogitatione copulæ matrimonij futuri, vel præteriti.* Ad quod 1

Illicita est delectatio orta ex imaginatione copulæ futuræ vel præteritæ.

Respondeo, Certum esse non esse licitam talẽ delectationem. Etsi enim possis gaudere (saltem absque peccato mortali) quòd sis habiturus illam voluptatem in matrimonio, vel quòd habueris eam; tamen non licet gaudere quòd nunc, cùm non es coniugatus, in te sit illa passio delectationis, quæ ex imaginatione concubitûs nascitur. Hoc enim est consentire in delectationem morosam, eamque amare. Etsi enim concubitus, ex cuius imaginatione nascitur illa passio, non sit præsens, ipsa tamen passio seu delectatio est præsens, & ita afficit ac si ipse actus præsens esset. Imò nunquam nascitur talis delectatio in appetitu inferiori, nisi concubitus vel actus exterior apprehendatur vt præsens. Delectatio enim appetitûs inferioris est boni apprehensi vt præsentis tantũ, non vt præteriti, vel futuri. Imaginatio enim, quâ sequitur hic appetitus, non apprehendit rationem præteriti & futuri, sed præsentis tantùm, vt etiam in brutis patet. Itaque in sponso de futuro non nascitur illa passio delectationis in appetitu inferiori (quâ in corpore fit commotio sanguinis & spirituum, & sentitur rebellio membrorum) nisi apprehendat concubitum vel contactus vt præsentes; id est, nisi vi imaginis, istos actus hîc & nunc exerceat. Idem dicendum de vidua, dum reuoluit animo voluptates præteritas. Vnde impertinens est quòd isti actus fuerint vel erunt liciti: quia hoc tempore & in hoc statu cùm apprehendun-

Delectatio appetitus inferioris est tantùm boni apprehensi vt præsentis.

henduntur vt præsentes, sunt illiciti; ac proinde illicita est delectatio ex eorum imaginatione resultans.

2 Hoc fundamentum nititur refellere D. T. hoc modo: Si malitia huius delectationis sumenda est ex statu, & nõ ex obiecto formali, cõiugatus oblectans se in actu matrimonij imaginario, absẽte cõiuge, sine ordine ad copulã, peccaret non solũ fornicatione imaginaria, sed etiã adulterio; quia delectatio illa ex reali actu exteriori hîc & nunc, & in hoc statu est illi prohibita: nam cùm suâ est illi hæc delectatio nunc impossibilis.

Malitia delectationis sumenda est ex obiecto formali.

Miratus sum hanc, & aliquot alias similes rationes, ex quibus aduerti rem nõ rectè apprehendi. Si præsens D. T. esset, hæc omnia facilè potuissent declarari: scripto res nimis longa est & difficilis. Malitia delectationis sumenda est ex obiecto formali. Verùm obiectum formale non est actus turpis, vel fornicationis in genere, sed vt in hoc subiecto, nempe vt à Titio exercitus. Vt enim Titius percipiat delectationem morosam, de qua agitur, debet imaginari actum à se fieri: alioquin non apprehendet, vt bonum delectabile sibi præsens, quod est necessarium ad delectationem. Itaque ipsa persona, eiusque status continetur in obiecto formali. Obiectum enim formale delectationis, vt alibi notaui, est quid complexum. Itaque quando homo est in eo statu vt actus matrimonij sit ipsi illicitus, mutatur obiectum formale, estque intrinsecè malum: vnde etiam affectus & complacentia illius obiecti, & consequenter etiam delectatio ex illo prouenies, intrinsecè mala est.

3 Hinc patet illa exempla nihil probare. Nam fateor coniugatum illum per talem imaginationem & delectationem cum non sua, peccare non solùm simplici peccato imaginariæ fornicationis, sed etiam cuiusdam adulterij; quia fides matrimonij illum obligat vt etiam imaginariè non cognoscat alienam: quam sententiam vt veriorem etiam tenet Vasquez 1.2. disp. 96.

Cõiugatus delectando se circa nõ suam, peccat.

Ad alterum exemplum, patet ex dictis; quia non est in statu matrimonij cum ea, de qua delectatur: vnde ad eam comparatur vt adulter.

Ad tertium exemplum, si actu delectatur de aliena in parte sensuali, nihil iuuat illum ista conditio, *si propria moriatur*; quia est imaginarium adulterium absolutum hîc & nunc exercitum, & est absoluta delectatio inde consequens.

Ad quartum exemplum de Carthusiano: Non est contra votum vel præceptum quòd imaginatione, visu, vel odoratu epuletur, & inde se delectet: sicut est prohibitum imaginariè copulari feminæ &c. Imaginaria enim copula extra statum matrimonij est illicita, sicut & actus exterior: quia simili modo concitat naturam ad genituræ effusionem: vnde per se repugnat castitati. In cæteris non est difficultas.

4 Quòd attinet ad delectationem, quæ percipitur ex imaginatione bellorum, duellorum, euentum crudelium, &c. Auctores communiter distinguũt: Vel enim talis delectatio prouenit ex affectu ad rem ipsam; & tum est eiusdem rationis, cuius est affectus & desiderium rei talis: Vel prouenit ex affectu cognitionis & spectandi res miras, raras, ingeniosas: homines enim magni facere solẽt nosse & spectare res admirandas, & raras, etsi tristissimas: & hoc modo non est per se peccatum, nisi fortè curiositatis: talis enim delectatio non est immediatè de re ipsa mala, sed de cognitione, visione, vel imaginatione talis rei, quatenus ea est mira, rara &c. Vnde immediatum obiectum non est malum. Hinc facilè est intelligere longè aliam esse rationem delectationis de duellis cædibus &c. & delectationis de concubitu futuro vel præterito.

Delectatio ex duello quo pacto licita sit vel illicita.

Cæterùm hoc monuerim, non esse tutum recedere à receptâ sententiâ in istis practicis, præsertim in ijs quæ ad volunptates carnis, ad quas summa est corruptæ naturæ propensio, pertinent. Vnde Pastores & Confessarios conuenit potiùs esse strictos, quàm laxos in hac materiâ: & præire subditis exemplo, cauendo maximè ab oculis, & tactibus manuum muliebriũ: & à clandestinis colloquijs in locis abditis,

Nota Lector: *Responsionem ad Replicam, quæ hîc subiungitur, esse responsum ad obiectiones, quas Dominus consulens fecit ad superiorem resolutionem non satis intellectam.*

RESPONSIO AD REPLICAM.

6 Litteras tuas, Reuerende Domine Pastor, datas 25. Martij accepi 17. Aprilis, quibus ostendit sibi non satisfactum, & rationes meas conatur dissoluere. Res ista non facilè scripto inter nos potest transigi, quia animaduerto D. T. in vsu terminorum discrepare à communi modo loquẽdi Doctorum, & proinde mea dicta non satis assequi, quod breuiter insinuabo. Primò cùm quærit, *An possit aliquis delectari de passione ortâ in parte sensuali ex imaginatione rei venereæ.* Non solemus delectari de passione illâ; nam illa ipsa est delectatio sensualis: non enim dicimus, *Ego delector de illâ delectatione*. Vnde illa delectatio non est obiectum delectationis, sed est formalis delectatio, de qua quæritur; *An liceat illam permittere in parte inferiore, vel etiam desiderare, accersere, fouere.* Non tamen nego quin possit quis gaudere per voluntatẽ quòd talem delectationẽ sentiat: sed non est opus tali gaudio, vt sit peccatum: sufficit consensus formalis vel interpretatiuus.

Delectatio non est hic obiectum delectationis.

7 Secundò, Ostendit se mea dicta non satis assequi, cùm ponit *illam passionem ortam in parte sensuali ex imaginatione rei venereæ, esse obiectum delectationis morosæ*; nõ inquam ostendit se satis assequi mea dicta; quandoquidem ista passio sit formaliter delectatio morosa, quatenus subest libertati voluntatis consentientis, vel permittentis. Vn de huius obiectum quærendum est. Porrò huius obiectum, vnde malitiam trahit, est actus ipse, v. g. turpis contactus, vel fornicatio exterius reipsà, vel interius per imaginationem exercita. Ideò enim illicita est delectatio, quia actus illicitus. Dicitur autem obiectum delectationis esse quid complexũ, quia non est bonum separatum, sed vt coniunctum subiecto & præsens: delectatur enim homo se habere tale bonum, se hoc vel illud agere. Hinc dixi statum personæ pertinere ad formale obiectum delectationis morosæ, vt ipsa habet esse morale, non vt quid physicum. Nam ex statu pendet quòd illa actio sit mala, vel non mala, vel non tã graue malum. Qui enim est in statu matrimonij, si delectetur contactu turpi vxoris, non peccat mortiferè per se loquendo, etiamsi non fiat in ordine ad copulam, sed solùm venialiter; quia status excu-

Quomodo status personæ pertinet ad formale obiectum delectationis morosæ.

tus excusati, sine quo esset peccatum mortiferum. Idem dico de imaginarijs contactibus vel actibus circa vxorem imaginatione propositam. Quòd si aliam feminam sibi obiectã habeat, & hoc modo circa illam delectetur, erit peccatum mortiferum: quia cum illa non est in statu matrimonij, sed cum aliâ: ac proinde respectu illius mutatur obiectum formale ad mores pertinẽs. Valdè enim differũt ista in ratione moris. Vnde miror in secunda ratione contra me obijci, quasi ex meo dicto sequeretur, coniugatum, si delectetur de alienâ, non peccare mortiferè, quia est in statu in quo delectatio illa est ei licita. Vel hoc solùm indicio esse potest D. Tuam mea dicta non percepisse.

8 Tertiò, Cùm dicit *quempiam posse delectari de passione rei venereæ sub respectu fornicationis, vel matrimonij præteriti aut futuri.* Nemo vnquam, quòd sciam, ita locutus est: & verba illa multis modis accipi possent. Similiter cùm *hos respectus vocat obiectum formale, & ex bonitate & malitiâ illorum respectuum dicit bonitatem & malitiam morosæ delectationis petendam.* Hæc obscura sunt. Quantum conijcere possum, videtur velle dicere delectationem morosam non esse peccatum mortiferum, si habeatur ex imaginatione actus matrimonij præteriti, vel futuri: secùs verò si habeatur ex imaginatione actus forticarij, vel absque cogitatione matrimonij. Quæ duo non videntur benè consistere; nec vllus vnquam Doctorum talem distinctionem insinuat, quòd sciam. Parùm enim videtur referre quòd actus exterior fuerit licitus, vel erit licitus; cùm hoc tempore, & in hoc statu illicitum sit talem spirituum & sanguinis in se concitationem facere, ex quâ proximè illa delectatio nascitur. Neque verum est totum hoc non esse nisi dispositionem remotam ad pollutionem, vt D. T. videtur pro certo supponere; quia nõ potest dici dispositio remota, quod naturâ suâ tale est, vt directè tendat ad pollutionem, & si continuetur, præsertim in naturâ sanâ & benè constituta, eam excitabit.

9 Quòd autem obijcitur de coniugato, nimirum in ipso talem delectationem fore peccatum mortiferum si sit dispositio propinqua ad pollutionẽ, facilè soluitur, negando consequentiam: nam etiam contactus turpes circa vxorem sunt propinqua dispositio ad effusionem seminis, secundùm omnes Doctores; & tamen in ipso non sunt peccatum mortiferum, modò caueat ne sequatur pollutio. Idem dico de imaginatione copulæ vxore absente.

Vnde vlteriùs colligere potest D. T. se parùm solidè argumentari contra meum dictum de statu personæ, cùm in prima ratione vult probare delectationem morosam absque ordine ad copulam in coniugio esse peccatum mortiferum, si extra coniugium est peccatum mortale: id enim nullo modo sequitur, vt patet exemplo allato de contactu turpi circa vxorem, & circa alienam.

Quòd ad votum Carthusiani attinet, miror D. Tuam scribere se non capere *quomodo esus carnis imaginarius non sit contra votum ipsius.* Realis vsus carnium impinguat corpus, & generat multas tentationes, ob copiam seminis quam gignit, & calidum sanguinem, qui ex eo nascitur. Hæc autem non sequuntur ex imaginatione esus carnium, seu imaginario vsu, interdum incidente. Vnde iusta ratio fuit vouendi abstinentiã ab vsu reali & externo, absque intentione obligandi se vt nunquam possit aspectu vel imaginatione talis epulationis delectari. Videtur sanè hoc facilè intellectu. Simili modo prohibitum Clericis gerere bellum exteriùs & reipsà; quia hoc dedecorat eorum statũ: non tamen prohibitum gerere bellum per imaginationem, eáque re delectari: quia hoc eorum statum non dedecorat. Non nego tamen quin in huiusmodi imaginationibus & delectationibus possit esse peccatum veniale curiositatis, vel alterius vanitatis, de quo non est quæstio.

10 *Carthusiano licitus est imaginarius esus carnium, non tamẽ imaginaria delectatio venerea.*

MAGIA.

CASVS I.

Exploratio magarum.

An probatio per aquam frigidam, qua Iudices interdum vtuntur ad explorandas sagas, sit illicita?

RESpondeo, Talis probatio non videtur esse illicita ratione pactionis cum dæmone. Probatur, quia illa actio Magistratus non continet vllum pactum dæmonis cum operante; sed effectui annexum est pactum dæmonis cum patiente, quod iam pridem ex disciplinâ illâ magicâ est constitutum. Pactus enim est dæmon, vt non submergantur, etiamsi ligatas manus pedesque habeant. Itaque Magistratus non censetur habere vllam communicationem cum dæmone, sed solùm velle deprehendere, an reus non habeat pactum cum illo; idque per actionem ipsi licitam naturâ suâ, & carentem omni pacto cum dæmone. 11 *Videtur licita.*

Nec obstat quòd patiens habeat tale pactum, ob quod dæmon accurrit ad opitulandum: quia Magistratus nõ est causa huius pacti, neque etiam alicuius peccati ipsius rei: sed solùm est occasio & quasi causa permissiua quòd dæmon accurrat, qua in re nullum est peccatum. Confirmatur, quia nõ censeor communicationem habere cum hoste, si vt cognoscam, an subditus pactũ cum illo habeat, curem signum dari horâ duodecimâ, de quo inter illos erat conuentum.

Neque est simile quod adfert Binsfeldius de ferro candente: quia continet tentationem Dei, sicut probatio per feruentem aquam: nam expectatur effectus miraculosus, & ad hoc Deus quodammodò cogitur sine necessitate. *Secus est de ferro candente & aquaculida.*

12 Non licet tamen vllo modo ex hoc indicio procedere immediatè ad sententiam: neque etiam ad torturam præsertim grauem; quia non facit plenam probationem, nec semiplenam. Est tamen indicium probabile, quod adiunctum multis aliis posset æquiualere semiplenæ probationi. *Hinc non licet procedere ad torturam.*

Non est etiam cõsulendum, nec permittendum Magistratui vt hoc modo vtatur; quia insolens est, & non secundùm Iuris præscripta. Tamen quia multis locis vsitatus, non putarem esse peccatum mortale, sepositio scandalo. *Dissuadetur vsus.*

CASVS II.

Exploratio Magarum.

An liceat cor animantis veneficij enecti coquere feruenti aqua ad cognoscendum auctorem?

RESpondeo, Id non licere. Ratio est, quia hæc actio habet pactionem annexam dæmonis cum agente. Quia dæmon promisit se auctori necis nociturum tali signo posito. 13

CASVS III.

Explora-tio signo-rum ma-gicorum.

An, si aliqua signa dicantur magica, liceat mihi ea edere causâ experiundi, an reuerà talia sint?

14 REspondeo, Negatiuè. Quia hoc est quodammodò accersere dæmonem sub conditione: quasi dicatur, Si pactus es te ad futurũ edenti hoc signum, adsis, vt sciam an pactus sis. Secùs est de probatione per aquam frigidam: quia hæc actio non habet annexum pactum cum agente, sed effectus eius cum patiente. Itaque non censetur dæmonem accersere, sed permisse se habere. Confirmatur, quia non debet se gerere per modũ magi, sicut ille qui edit actionem cui annexum est pactum. Eodem modo si sagę haberent pactum ne possent lædi aciculis, liceret Magistratui experiri punctionibus; quia non facit actionem magicam, nec accersit dæmonem, nisi permisse; faciendo aliquid quod habet annexum pactum dæmonis cum patiente contra vim agentis.

CASVS IV.

Quę fides Energu-menis ad-hibenda.

Dæmon ex corpore Energumenæ iuratus asserit Titium esse magum, dicitque; Si Titius adducatur tali die coram Vener. Eucharistia in meam præsentiam, conuincam illum criminis magiæ.

QVÆRITVR I. *An fides haberi possit isti iuratæ assertioni?*

QVÆRITVR II. *An Titius statuto die adduci possit coram Ven. Eucharistia, vt à dæmone magiæ conuincatur?*

15 ILlustrissime Domine: Specie facti diligenter expensa: *Ad Primum:* Respondeo, Sæpè ratione esse habendam eorum, quæ ab obsessis seu energumenis (hæc enim duo idem valent) etiam non iuratis dicuntur, non quidem ad effectum firmiter credendi, aut inde ferendi sententiam absque alijs sufficientibus indicijs, sed ad vlteriùs inquirendũ: vt si dicant inter exorcismos, *Esse in vrbe qui proditionẽ moliantur, aut hostes tali loco struxisse insidias, abdidisse arma, & similia*, licitum erit inquirere veritatem, & adhibere omnem cautionem necessariã ad malum impendens auertendum. Ergo multò magis licitum est habere rationẽ talium dictorũ, si interueniat eorum iuramentũ. Horrent enim ipsi dæmones periuria dum subsunt illi quæstioni sacræ, & sæpè à Deo id nõ permittitur, neque facilè est dare exemplum in cõtrarium. Itaque cùm hîc agatur de crimine omnium maximo, quo maximè diuina maiestas, & bonum publicum læditur, non video cur non possit & debeat assertionis istarum obsessarum seu energumenarum sub iuramẽto factæ ratio haberi ad malum auertendum.

Dæmonibus iuratis interdum fides aliqua haberi potest.

Ad Secundum: Respondeo, Non videre me vllam rationem cur non liceat in casu posito dictę energumenæ operâ vti, ad dictum Titium, à duabus veneficis magiæ & veneficij accusatum, arguendũ & conuincendum, idque nominatim die & modo per energumenam designatis. Ratio est, quia id nõ est inducere vel petere à diabolo vt Titium accuset, vel cõuincat: id enim illicitum est, cùm speciẽ quandã societatis, & opus ferendæ contineat; sed solùm est personam nominatam præsentem sistere, & cũ aduersario (vt sic loquar) confrontare. Nihil autem in hoc per se mali est. Potest enim ob iustam causam aliqua persona adduci in conspectũ & præsentiam energumenæ, & diaboli obsidentis, vt videatur quid inde secuturum sit, permittendo diabolo vt dicat, quod non rogatus, sed coactus à Deo, vel ex se dicit. Sicut ergo cũ diabolus dicit certo loco defossa signa magica, licitum est fodere & inquirere, quia hoc per se malum non est; ita etiã cùm dicit, *Si talis adducatur tali die, præsente Ven. Eucharistia, in meam præsentiam, conuincũ illum criminis magiæ*, licitũ est adducere illo die, quia hoc per se malum non est. Simili modo si diabolus per obsessum diceret, *Ducite me in forum, & ostendam vobis eum, qui Principi machinatur mortẽ, vel vrbi proditionẽ &c. conuincam illum apertis indicijs*, licitum esset illũ in forum adducere; vel certos homines ad illius præsentiam vocare & compellere; quia hi actus per se indifferentes sunt. Nihil hîc à diabolo petitur, nihil rogatur, nec operâ eius vtimur, ipsum inducendo, sed solùm permittendo, & obiectum externum præsens sistendo: quo modo Deus quotidie vtitur operâ diaboli & impiorum. Qui modus vtendi prorsus est innoxius & inculpatus. Ex quibus perspicuum videtur non esse ex hoc capite vllum periculum peccati.

16 *Potest adduci Titius sine vllo peccato.*

Accedit nõ improbabiliter credi ipsum re vera à Deo cogi ad hoc faciendum; tum propter iusiurandum interpositum; tum quia crimen magiæ est extremum malorum, continens abnegationem & detestationem Dei, & omnium sacrorũ abusum, & societatem diaboli in perniciem hominũ. Vnde cùm hoc à plurimis hominum non æstimetur, sed excusetur, & Iudices plurimi phantasias ducant, nõ tam pœnâ mortis, quàm cõmiseratione dignas, mirum non esset si dæmones cogeret ad illud tradu-cendum, & authores patefaciendos. Denique in criminibus tanti momenti quæ tantopere bonum diuinum & humanum violant, nihil negligendũ, sed omnia indicia, quę licitè capi possunt, captãda: sicut in crimine lęsę maiestatis fieri solet, & debet. Quæ omnia maximè locũ habent in persona Titij qui à duabus veneficis veneficij legitima depositione traductus est, ita vt licitè in illũ inquiri possit. Nulla itaque ex hoc capite erit iniuria. Solùm in executione cautio adhibenda, vt quantũ commodè fieri potest, omnia sine magno strepitu, & vulgi sermonibus fiant. Quòd ad alios attinet, quos ille dicitur reuelaturus, prudentiâ Iudicis opus est quousque progrediendum censebit.

17 *Quare dæmõ permissu Dei hæc posset aperire.*

CASVS V.

Quæ fides Energumenis adhibenda.

Titius à duabus veneficis solemni iuramẽto accusatur quòd catibus suis interfuerit. Et altera veneficarum promittit se ostensuram stigmata in corpore Titij à dæmone impressa.

QVÆRITVR I. *An accusatio illa sufficiat vt Titius tortur æ subijciatur?*

QVÆRITVR II. *An permitti possit vt venefica stigmata in Titij corpore designet?*

AD Primum: Respondeo, Depositio duarũ sagarum sub iuramento facta de crimine magiæ Titij, vt quòd illum viderint in conuentu, & facientem ea quæ ibi fieri solent, regulariter sufficiens dat indicium non solùm ad capturam, sed etiam ad torturam, maximè si alia quædam indicia accedant, præsertim stigmata insensibilia, qualia in magis reperiri solent. Quod fusè & eruditè probant plurimi Doctores.

18

Ad Secun-

19 *Potest permitti vt maga designet stigmata.*

Ad Secundum: Respõdeo, Si maga illa iam antè à dæmone didicisset quo loco sint illa stigmata in corpore Titij, omnino licitum esset vti eius operâ, & etiam ab illa petere vt stigmata designet: quia id ipsa sine peccato præstare posset. Etsi enim peccarit dum à diabolo petijt sibi loca istorum stigmatum designari; tamen postquam illam notitiam nacta est, potest eâ sine peccato vti. Verùm si nondum nouit, sed ad diaboli opem recurrere debet vt ea cognoscat, qui promittit se manum eius directurum & ostensurum; non video qua ratione petere à maga liceat vt notas illas ostendat, cùm ipsa fateatur se id sine ope diaboli facere non posse, ac proinde non sine peccato. Recurrere enim ad ipsius opem, peccatum est ad superstitionem pertinens. Simili modo nõ licet petere à maga vt furem, vel alium, qui nobis damna intulit, demonstret, quando id non nisi dæmonis ope potest cognoscere: tunc enim maga vtitur pacto quod ipsi cum diabolo intercedit, & ex vi pacti istius illum sollicitat & vrget vt rem aperiat: quod constat esse peccatum.

Excipe casum.

20 *Obiectio contra istã exceptionem,*

Dicet aliquis, Non quæritur, an liceat petere à maga vt notas illas demõstret: sed cùm illa sponte se offerat, an liceat Iudici se permissiuè habere, sicut dictum est in priori casu, cùm persona accusata adducitur in præsentiam obsessæ: tunc enim diximus Iudicẽ se solùm habere permissiuè ad actionem diaboli demonstrantis personam.

Soluitur.

Respondeo, Etiamsi maga se sponte offerat, nec ipsa ad hoc à Iudice inducatur; tamen si Iudex personam Titij curet non solùm coram illa sisti, sed etiam denudari, & teneri vt ipsa corpus ipsius contrectare, & in eo operari posit, manifestum est in hoc opere Iudicem non se tantùm habere permissiuè, sed positiuè ei cooperari vt actionem superstitiosam perficiat: sicut is qui materiam præparat mago, circa quam operatur, ei cooperari censetur: vt si quis teneat speculum, vt ipse ostendat furem in speculo; vel locet cribrũ, vel peluim aquæ, vt ipse arte sua vtatur. In his enim omnibus censetur moralis cooperatio; cùm eo fine totum fiat vt ipsi quodammodò subseruiatur, & ipse suam actionem, quæ prorsus illicita est, obire posit. Accedit quòd hîc etiam sit consensus in operationem magicã: ideò enim ista præparatio fit circa personam, vt maga circa illã operari posit: ac proinde eius operatio intenditur. Atqui non solùm qui faciunt digni sunt morte, sed etiam qui

Non tantùm facientes magiã, sed & consentientes peccant,

consentiunt facientibus, nimirum desiderando vt faciant. Nudus enim consensus in opus alterius quod sine peccato fieri non potest, peccatum est. Hinc magi instinctu diaboli cùm aliqua mira sunt effecturi coram aliquibus, solent petere à singulis an consentiant; nimirum vt hac ratione omnes peccati illius fiant participes.

Differentia inter hunc & præcedentem casum,

Secùs res habet in priori casu, vbi diabolus promittit se ostensurum reum, vel conuicturum Titium de magia, si in præsentiam adducatur. Nam illã actio ostendere reum & conuincere, à diabolo sine peccato fieri potest: imò Deus potest illum cogere vt id faciat. Deinde adducere personam in conspectum, non est illi cooperari, nisi valdè remotè: vnde secundùm moralem æstimationem non censetur cooperatio. Ex quibus patet discrimen vtriusque casus; & resolutio præsentis quæstionis.

CASVS VI.

In quibus rebus dæmoni ex Energumena loquenti prudenter credi possit?

Quæ fides Energumenis adhibẽda 21

PRimò, Certum est id quod dæmon per obsessos dicit coactus vi exorcismi, verũ esse: quia Deus non potest cogere ad mendacium.

Secundò, Quia tamen ordinariè constare non potest auditoribus, vel etiam ipsi exorcistæ, vtrùm dæmon verè ex coactione ista dicat, an fingat & simulet coactionem, idcircò non facilè ei fides adhibenda, saltem indubitatè, sed omnia suspecta habenda, nisi aliunde de veritate constet.

Non facilè dæmoni habenda fides.

Nec obstat quòd adiuratus respondeat, aut cum iureiurando solemni aliquid affirmet, maximè si id ad expulsionem, vel finem exorcismi non sit necessarium; quia sicuti est mendax, ita etiam facilè potest peierare: neque ad expulsionem, ad quam exorcismi ordinantur, opus est vt credantur esse vera quæ dicit. Multò minus credendum, si dicat *se missum à Deo ad populi instructionem, vt qui non credunt Concionatoribus, & suis Pastoribus, saltem credant diabolo: idque esse extremum remedium, quo Deus vtitur ad hominum conuersionem.* Multis id rationibus probari posset, & Scripturarum exemplis, si opus esset.

Aliquando tamen habenda fides. 22

Si tamen patefaciat magos occultos, vel eorum scelera, res non est omnino contemnenda: quia in atrocissimis criminibus nulla indicia negligenda. Vnde ratione talis denuntiationis potest Iudex occultè absque strepitu capere informationem, vt maiora indicia deprehendat.

MATRIMONIVM.

CASVS I.

Confessio matrimonio præmittenda.

Vtrùm rudes in Frisia vel Northollandia (qui ferè conueniunt ante nuptias) non possint coniungi legitimè antequam plenè sint instructi ad confessionem, cùm à remotis locis veniunt, & citò debent redire, ad hoc vt impediatur interim fornicatio?

REspondeo, Modò sciant ea quę absolutè sunt necessaria ad iustificationem, poterunt coniungi: etsi non sint satis instructi ad confessionem. Quia ad Sacramentum Matrimonij non est opus confessione, sed sufficit contritio cum proposito confitendi cómodo tempore. Vnde ad contritionem disponendi. Quanquam non videam cur plerumque non possint confiteri; quia cùm sint rudes, poterunt à Sacerdote iuuari bono interrogatorio. Itaque quando hoc fieri commodè posset, magis probarem. 1

CASVS II.

Renouatio matrimonij.

An liceat Coniugibus inter se contractum suum sæpiùs renouare, quasi primò illum ineant?

REspondeo, Nullum est sacrilegium in repetitione cõtractûs matrimonij. Sicut enim alij contractus non solùm ob dubium verum, sed etiã ob maiorem firmitatem, & quietẽ cõtrahentium, quantum est ex parte illorum, repeti possunt; ita etiam contractus matrimonij, v.g. vt magis se diligant &c. Vnde qui semel publicè contraxerunt coram Parocho & testibus, possunt priuatim suũ 2

contractum renouaré quotannis si velint. Et quãuis illa renouatio sit inefficax, sicut donatio secunda eiusdem rei, tamen faciunt illam, quantum in ipsis est; & iuuat ad maiorem concordiam vel amorem. Vnde non est necesse vt actu adhibeant restrictionem mentalem aut verbalem.

Reformatio Matrimonij.

CASVS III.

Quomodo reformari possit cõtractus matrimonij inualidus, qui tamen legitimè coram Paroco & testibus celebratus fuit?

3 *Vterque coniux debet scire impedimẽtum.*

DE reformando matrimonij contractu, scripsi D.T. 23. Iulij A: 1605. si ille inualidus fuit, non sufficere, quòd mulier rogata dixerit veluti admirabunda, se illum pro suo marito agnoscere: quia non videtur ista ratione voluisse de nouo cõtrahere, & illum tunc voluisse pro marito accipere, sed solùm indicare illum ex vi prioris contractus suum esse maritum. Opus autem est vt de nouo intendat contrahere quantum in se est, quasi dicat: Etiamsi non esses verè vxor, tamen iam te vellem accipere, & reipsa accipio, vnde debet blandè illam inducere vt velit renouare, prætendendo occasionem maioris amoris, & securitatis. Ita passim DD.

4 *Probabile tamen est sufficere vt vna pars id sciat.*

Quia tamen insinuat D. T. optare se vt dispiciam an contraria sententia non possit tolerari: Addo non esse prorsus improbabile, impedimento, ob quod antè erat irritum, sublato, posse renouari, etiamsi altera pars impedimẽtũ nesciat, & putet fuisse validum; pars enim ignorans manet in consensu antiquo, eumque vsque ad hoc tempus quo facti sunt habiles, continuat: modò tamen altera sciens illud sublatum, intendat de nouo contrahere. Vnde in illo casu etiamsi vxor non intendisset de nouo contrahere, si tamen maritus id intendisset, sufficeret ad renouandum matrimonium. Hanc sententiam Sotus in 4. dist. 35. q. vnica, art. 2. Lopez 2. p. c. 47. iudicant esse probabilem; & eam tenet Caietanus tom. 1. opusc. 12. q. 2. & quidam recentiores, quos citat Sancius lib. 2. de Matrim. disp. 36. addens non esse vtendũ hac sententia, nisi quando ex reuelatione impedimenti sequerentur grauissima incõmoda, & alius modus renouandi non suppetit ob alterius coniugis ingenium. Addiderim ego, vel quando aliter non posset vitare peccatum reddendo debitum. Imò quando alia ratione non posset euadere peccatum, posset in prima redditione debiti, obtenta iam dispensatione, intendere ipso actu matrimonij affectu coniugali præstito, contrahere: quod locum habere posset quando vxor præueniretur à marito petente debitum priusquam illa poset de nouo contractu cum illo agere: vel quando esset vir terribilis, & nihil de renouatione contractus vellet audire.

Nota ad praxim.

Matrimonium irritum defectu consensus.

CASVS IV.

Caius negat se verè cõsensisse in matrimonium cum Agnete, seque affectu maritali cum ea consummasse. Quare relicta Agnete ducit Bertam. Agnes verò ducit Titium.

QVAERITVR I. *An Agnes possit petere & reddere debitum Titio?*

QVAERITVR II. *An Caius possit petere & reddere debitum Bertæ?*

QVÆRITVR III. *An Caius, si verè & à parte rei sibi conscius sit se fictè cum Agnete contraxisse, possit manere cum Berta, & Agnes manere cum Titio?*

QVÆRITVR IV. *An Caius teneatur redire ad Agnetem, si illa, dimisso Titio, eum repetat: & an aliquid Caius debeat Titio, si ei aliquid damni ex contractu cum Agnete obuenerit?*

AD *Primum:* Non videtur dubitandum quin hoc matrimoniũ Caij cum Agnete sit censendum omnino validum in vtroque foro; neque in illud posse cadere vllam dispensationẽ quâ separentur vinculo, cùm sit consummatum. Neque Agnes dubitare meritò potest quin Caius verè consenserit, & affectu maritali consummauerit. Vnde etiamsi illam relinquat, & publicè ducat Bertam, & cum eâ maneat, non tamẽ ideò poterit ipsa conscientiam deponere, sibique persuadere Caium fictè consensisse; ideoque se posse nubere Titio: quia illud non est sufficiens signũ ficti consensus. Vnde si Titio nupsit, non potest ei reddere debitum, & multò minùs petere: quia moraliter certum est ipsum non esse eius maritum, & contractum cum ipso fuisse irritum. Vnde etiam proles erit spuria, si vterque huius impedimenti fuit conscius. 5

Ad Secundum: Caius non potest petere, aut reddere debitum secundæ vxori, nempe Bertæ; quia moraliter certum est matrimonium cum illâ esse inualidum; vnde tenetur eam deserere.

Ad Tertium. Si Caius fictè contraxisset cũ Agnete, idque ipsi constaret, nec postea matrimonium illud ratificasset, posset in cõscientiâ manere cum Bertâ. Non tamen idcircò Agnes posset manere cum Titio, nisi certò illi constaret Caium fictè contraxisse, & nunquam postea ratificasse: quod cùm illi constare non possit, sed potiùs moraliter sit certa de contrario, non potest manere cum Titio. Neque Titius potest illam retinere vbi constiterit illi de priori matrimonio Agnetis: inde enim ei liquet suum matrimonium cum Agnete fuisse inualidum, ipsamque alteri esse iunctã. Nec refert quòd Caius dicat se conscientiam de priori contractu deposuisse: hoc enim nõ est signum sufficiens ad prudenter iudicandum eum fictè consensisse. 6

Ad Quartum: Si Agnes Caium repetit, tenetur ad eam redire vbi illa à Titio recesserit: vel certè tenetur ei iudicio prudẽtum de iniuriâ & damnis (si quæ ipsa incurrit propter illius iniustum recessum) satisfacere; alioquin non est censendus in bono statu. Erga Titium maritum secundum Agnetis non videtur Caius habere obligationem iustitiæ; quia nec vi, nec fraude induxit illum ad contrahendum cum Agnete, vti suppono. Vnde si illi damnum ex hoc contractu euenit, sibi imputet, vel illis qui ipsi authores fuere contrahendi. 7

CASVS V.

Impedimentum dirimens ratione Professionis.

Franciscaquadam ab anno ætatis decimo quinto vsque ad quadragesimum habitu religioso vixit in monasterio tanquam libera, & non professa. Religiosæ nolunt illam eligere in Procuratricem, nisi se vellet votis Religionis

gionis obstringere. Quare Pater monasterij, explicatis votis Religionis, eam interrogat, An esset parata amore Dei, S. Augustini, & Sororum domûs ad ipsis seruiendum consentire in dicta tria vota, eaque præstare prout aliæ Religiosæ domûs fecerunt; *& illa respondit,* Quod sic cum Dei adiutorio, *intendens hoc facere suo tempore, non illo actu. Post hæc, secuta est benedictio Patris, osculum Sororum, Obedientiæ promissio facta Priorissæ, conuiuium solitum dari à professis, communis opinio Sororum & Patris putantium illam professam. Denique ipsa dixit se non pœnitere promissionis factæ. Hæc Franciscа iam Procuratrix è monasterio profuga matrimonium init cum milite.*

QVÆRITVR, *An Franciscа contraxerit illa actione impedimentum dirimens matrimonij?*

8 *Coram Deo non contraxit impedimentum dirimens matrimonij.*

REspondeo Primò, Si vera sint quæ in facti specie proponũtur, certum videtur Franciscam non contraxisse illa actione impedimentum dirimens matrimonij corã Deo. Quia re vera professionem non fecit, sed simulauit. Quòd enim ab anno decimo quinto ætatis vsque ad quadragesimum non fecerit professionem, sed tanquã libera vixerit in monasterio, supponitur tãquam ibidem certum & notorium. Vnde etiam Religiosæ noluerunt illam eligere in Procuratricem, nisi se vellet Religionis votis obstringere.

9 *Defuit cõsensus de præsenti.*

Quòd etiam posteà nõ sit professa, quando Pater monasterij explicatis votis Religionis, eam interrogauit, *An esset parata amore Dei, S. Augustini, & Sororum domûs id ipsis inseruiendum consentire in dicta tria vota, eaque præstare pro vt aliæ Religiosæ domûs fecerunt;* & illa respondit, *Quod sic, cum Dei adiutorio,* intendens hoc facere suo tẽpore, non illo actu: manifestum est; quia defuit consensus de præsenti. Sicut enim in matrimonio & in omni alio contractu de præsenti, requiritur consensus de præsenti, quo consentiat, vt ex hoc tempore incipiat valere; sic etiam in professione. Itaque cùm hæc contulerit suum consensum, non in præsentem actum, sed in futurum, quem nondum fecit, euidens est, per illum actum coram Deo non fecisse professionem, nec contraxisse obligationem quæ ex professionis actu resultat. Actus enim cui deest consensus, est omnino inualidus ad inducendam obligationem: quia omnis obligatio in contractibus, in votis, in promissionibus, ex cõsensu oritur: vbi ergo deest consensus, deest obligatio. Confirmatur, quia esse paratum consentire in tria vota, non est reipsâ cõsentire in illa: & esse paratum illa præstare more aliarum, non est reipsa illa præstare: sicut esse paratum contrahere matrimonium, vendere domum &c. non est reipsa contrahere aut vendere: ergo ex tali actu præcisè non potest iudicari fecisse professionem.

10 *Nec posteà professio fuit validata per actus professorum.*

Neque illa quæ posteà secuta sunt (vt benedictio Patris, osculum Sororum, obedientiæ promissio facta Priorissæ, cõuiuium solitũ dari à professis, communis opinio Sororum & Patris putantium illam professam; denique quòd ipsa dixit, se non pœnitere promissionis factæ:) sufficiunt ad validandam professionem, nisi ipsa per huiusmodi actus, dum se in illis gerit tanquam professam, intẽderit se de nouo obligare, & esse verè professa. Quia etiamsi hi sint actus professorum, quibus videri possit inducta tacita professio, tamen coram Deo verè non inducunt, nisi consensus adsit, vt omnes DD. fatentur.

11 *In fori externo contrarium præsumi posset.*

Respondeo Secundò, In foro tamen externo nõ parua difficultas ob hæc moueri posset; & fortasse præsumeretur verè professa; quia actus isti externi videntur sufficere ad tacitam professionẽ. Sed in foro interno locũ non habet præsumptio, sed nuda veritatis confessio. Itaque si ipsa profitetur se nullam intentionem hisce actibus sese obligandi habuisse, sed solùm simulandi, quia putabatur antè professa, iudicandum est in foro conscientiæ non fuisse tacitam professionem.

12 *Potest & debet adhærere voluenti marito.*

Ex quibus omnibus concludo Primò, Matrimonium illius posteà contractum, coram Deo validum esse: & si est consummatum, non solùm ipsam non teneri, sed nec posse ad monasterium inuito marito redire.

Nullo voto tenetur.

Secundò, Ex ijs quæ narrata sunt, non posse colligi illam vllo voto, etiam simplici teneri nisi fortè voto obedientiæ, quando Priorissæ obedientiã promisit. Hoc enim videtur fuisse verum votum directum ad Deũ, cuius materia fuerit obedientia præstanda Priorissæ, vt D. Thomas in simili docet 2.2.q.88.a.5. sic enim in Religionibus Prælato obedientia promitti solet. Huius tamen voti executio facta est impossibilis per matrimonium. Itaque non tenetur illud exequi. Deinde, Priorissa & Conuentus eam liberant ex parte sua quantum adstringitur, cedentes iure recipiendi.

Non egets dispensatione.

Itaque non videtur egere dispensatione: quam tamen ab Episcopo, vel habente auctoritatem Episcopalem, vel à Religioso habente priuilegium obtinere potest, si eam desiderat.

Illis autẽ verbis quibus significauit se esse paratam emittere vota, vt aliæ fecerunt; non obstrinxit se vllo voto, nec simplici nec solemni; vt ex dictis patet.

Deprecetur culpã.

Tertiò, Illam teneri petere veniam à Priorissa & Conuentu ob grauem iniuriam illi & monasterio factam, & scandalum datum; & dolere de tantis peccatis, &c. Ita sentio saluo meliore iudicio.

CASVS VI.

Impedimentum dirimens ratione affinitatis.

Quidã à viginti annis coniugatus, iam recens certò detexit se contraxisse cũ impedimento dirimente, quòd sponsæ sororem cognouisset ante contractum matrimonij.

QVÆRITVR, *Vtrùm vxori possit debitum reddere, cùm illa sit in bona fide?*

13 *Non potest debitum reddere.*

REspondeo, Manifestum est non posse. Ratio est, quia constat illi matrimonium esse nullum: ac proinde illam redditionem non esse actũ matrimonialem, sed fornicationem. Neque hîc potest esse vlla sententiarum inter Doctores diuersitas. Nec refert quòd vxor sit in bona fide: quia bona illa fides vxoris etiamsi possit iuuare vt maritus licitè ei reddat debitum in dubio, tamen nullo modo iuuare potest, quando certus est matrimonium esse nullum. Vtrumque habetur apertè Cap. *Inquisitioni*, de sententia excommunicationis, *Ibi credimus respondendum*, & Cap. *Literas* 13. de Restit. spoliat. 161. *Porrò cùm mulier.*

Licet ecclesiasticus Iudex id præciperet.

Fuit quidem aliquando disputatum inter Doctores, vtrùm in eo euentu quo alter coniux est certus de impedimento, & Ecclesia ei nõ credens præcipit sub pœna excommunicationis vt coniugi reddat debitum, vtrùm, inquam, tunc possit reddere debitum: Non defuerunt Doctores qui tunc putarent posse reddere, propter præceptum Ecclesiæ, & bonam fidem alterius coniugis: sed alij etiam in hoc casu damnant hanc sententiam erroris, & tanquam in fide periculosam, propter Capitula allata, quæ etiam in hoc casu loquuntur. Qua de re vide plurima apud Sancium lib. 2. disp. 39.

14 *Episcopus potest in hoc impedimento dirimente dispensare.*

Ne autem vir ille sine remedio maneat; potest Episcopus dispensare in illo impedimento dirimente, & concedere vt rursum contrahant; vt passim tradunt Doctores: Si tamen hæc quatuor concurrant; Primò, Vt matrimonium ipsorum sit publicum. Secundò, Vt impedimentum sit occultum. Tertiò, Vt in separatione sit scandalum. Quartò, Vt non facilis sit aditus ad Summũ Pontificem ob paupertatem vel aliam causam, vel certè ob periculum peccatorum in tanta dilatione, quia intereà non abstinebunt ab vsu coniugij putatiui. Credo hæc quatuor concurrere in vestro casu. Videantur plurima hac de re apud Sancium lib. 2. disput. 4. Idem bis docui publicè Louanij, similiter alij Professores; estque modò communis sententia Doctorum.

Validus est matrimonium priuatus contractus sine Parocho, &c.

Vt autem Secundò contrahant, non est opus Parocho & testibus, cùm semel ita contraxerint: sed sufficit vt inter se priuatim absque vllo teste contrahant, vt communiter Doctores tradunt.

CASVS VII.

Impedimentum affinitatis sublatum.

Vtrùm, hoc ipso, quo Concilium Tridentinum suo decreto sustulit Ius antiquum inducens impedimentum dirimens ob affinitatem in 3. & 4. gradu ex copula illicita, & Summus Pontifex decretum illud confirmauit, vbique cessauerit hoc impedimentum, etiam apud eos qui reuocationem illam ignorarunt, & in contraria consuetudine permanserunt?

15 *Reuocatâ lege, cessauit vbique hoc impedimentum, etiam apud ignorãtes.*

REspondeo, Non videtur mihi dubium quin reuocata lege absolutè à legislatore vel eius successore, cesset obligatio illius legis vniuersè apud omnes qui subsunt potestati legislatoris, etiamsi ipsi ignorent illam reuocationem. Vnde hoc ipso quo Concilium Tridentinum suo decreto sustulit Ius antiquum inducens impedimentum dirimens ob affinitatem in 3. & 4 gradu ex copula illicita, & Summus Pontifex decretum illud confirmauit, vbique cessauit hoc impedimentum. Quare si aliqui (etsi mala fide) contraxissent in 3. gradu talis affinitatis post illam confirmationem, matrimonium fuisset validum. Vt enim reuocatio legis vim habeat & impedimentum cesset, nulla requiritur promulgatio vel acceptatio. Sufficit enim voluntas legislatoris exteriùs sufficienter declarata: quamuis etiam talis declaratio absolutè non sit necessaria; sed sufficiat sola voluntas etiam interna, vt multi docent.

Et apud ignorantes mala fide.

16 *Denique apud ignorantes contrariam consuetudinem.*

Verùm dubitari potest, Vtrùm Ius antiquum inducens impedimentum in 3. & 4. gradu prædicto, non videatur renouatum & inductum de nouo ex vi consuetudinis, in qua posteà permansum est in regno Angliæ? Consuetudo enim potest nouum Ius, & nouam obligationem inducere.

Sed non existimo in Anglia fuisse vllam consuetudinem quæ hoc impedimentum potuerit inducere: Primò, Quia Sacerdotes qui ibi præfuerunt, non ignorarunt Concilij abrogationem, nec credibile est illos voluisse contrarium inducere. Deinde, ad inducendum de nouo tale impedimentum, deberent talia matrimonia in 3. vel 4. gradu contracta per sententiam iudicari inualida, idque sæpiùs & varijs locis. Nam priuatæ & occultæ opiniones seu iudicia ex ignorantia profecta, non possunt tale impedimentum inducere. Denique, non constat etiam de priuata & occulta consuetudine in contrarium, quæ etiam absque consensu supremi legislatoris vim non haberet, vt docet Suares de Legibus lib. 6. cap. 27. versus finem.

17 *Responsio ad argumenta contraria.*

Ad ea quæ in contrarium adferuntur, dici potest Primò, Esse diuersam rationem decreti de potestate dispensandi. Quia per illud confertur noua potestas & nouum priuilegium, quod fortè Concilium non intendit dare Episcopis, qui Cõcilium non receperunt. Hìc verò legis obligatio vniuersè tollitur, vnde non est opus dare aliquod priuilegium. Deinde, de illa Cardinalium responsione, non liquet satis; vnde non obligat. Æquitati satis consentaneum est, vt si quis onera legum non suscipiat, priuetur legum priuilegijs: sed nusquam Iure statutum est vt hoc ipso sit priuatus.

Impedimẽta 3. & 4. gradus affinitatis ex copula cessant in Anglia.

Itaque etsi aliqui fluctuent in hac quæstione, ego tamen verius & probabilius sentio, illa impedimenta 3. & 4. gradus etiam in Anglia cessare, & matrimonia in illis gradibus ibidem contracta esse valida, etiamsi contrahentes ob malam fidem peccassent.

CASVS VIII.

Dispensatio impedimenti dirimentis ratione affinitatis.

Titius cognouit suam affinem in 4. gradu. Posteà cupit cum ea contrahere. Impetrat dispensationem illius impedimenti à Summo Pontifice, sed in supplicatione non expressit interuenisse copulam.

QVAERITVR, *An dispensatio sit valida?*

18 REspondeo esse irritam. Hanc vt multò veriorem probat Sanchez lib. 8. disp. 25. n. 8. (etsi contraria sit probabilis.) Præcipua ratio est stilus Curiæ. & declaratio expressa Cardinalium. Vnde in Aphorismis Sà qui contrarium tenuerat V. Dispensatio, id est correctum, & additur Cardinales contrarium declarasse.

Si Pontifex in dispensatione dicat, Dispensetur nisi interuenerit copula carnalis; & ante executionem dispensationis interueniat copula, si ea est occulta, valdè probabile est valere dispensationem, nec opus esse secundò Romam recurrere. Contrarium tamen Sancius putat probabilius obstilum Curiæ.

CASVS IX.

Dispensatio in gradibus prohibitis affinitatis & consanguinitatis.

In Diœcesi Leodiensi à quadraginta, quinquaginta & pluribus annis, consueuerunt Episcopi & eorum Vicarij dispensare in impedimentis matrimonij, & nominatim consanguinitatis & affinitatis, communiter in 4. gradu, iusta subsistente causa, & subinde in 3. si aliquæ ex subsequentibus causis allegentur, & legitimè probentur: Primò, Quando ob pau-

ob paupertatem ad Vrbem pro dispensatione mittere non possunt, & alias graues & prægnantes causæ subsint, propter quas bonum sit dispensare. Secundò, Quando eorum Parochi attestantur, nisi dispensatio concedatur, ad hæreticos vicinos migraturos esse. Tertiò, Quando filia per cognatum vel affinem est impragnata, & nisi dispensatio detur antequam vterus tumescens crimen detegat, sequentur rixæ inter parentes, cædes, & huiusce generis scandala.

QVÆRITVR, *An Episcopus & Vicarius Leodienses moderni per huiusmodi consuetudinem, ex ijs, vel similibus prægnantibus causis, in dictis impedimentis tutâ conscientiâ possint dispensare?*

19 *Potestas dispensandi in impedimentis matrimonij præscribi nequit absolutè.*

RESpondeo Primò, Potestas dispensandi in impedimentis istis ad matrimoniũ contrahẽdum, non potest absolutè præscribi (etiamsi causa iusta & grauis subsit) ab Episcopo, nisi spatio 40. annorum cum titulo; vel tempore, cuius initij nõ extet memoria, absque titulo. Colligitur ex Cap. 1. de Præscriptione in 6. adiunctis ijs quæ ibi notat Glossa, & DD. communiter.

Ratio est, Nam Iure communi & vsu Ecclesiæ potestas illa est propria Summi Pontificis, tanquã supremi Principis Sacrorum; sicut potestas legitimandi, potestas meri & mixti imperij est propria Principi. Atqui ea quæ propria sunt Principis, nõ possunt ab inferioribus præscribi, nisi modo prædicto: quia præsumptio Iuris est in contrarium, vt docet Couar. Reg. Possessor. p. 2. §. 3. n. 3. & seq. & colligitur ex dicto Cap. 1. de Præscript. in 6.

Nec refert quòd iusta & grauis causa dispensandi subsit; quia talis semper adesse debet vt possit fieri dispensatio in huiusmodi. Vnde nec Summus Pontifex absque tali causa licitè dispensare potest; vt omnes DD. fatentur.

20 *Præscribi tamen potest restrictim ad certum casum.*

Respondeo Secundò, Probabile tamen est posse illam potestatem restrictam ad certum casum præscribi spatio 40. annorum, etiam absque titulo: nimirum quando hęc duo concurrunt: Primũ, quòd ob paupertatem ad Vrbem pro dispensatione mittere non possunt. Secundum, quòd graues causæ subsunt ob quas dispensare non solùm sit bonum, sed etiam necessarium ad grauissima mala impedienda, quæ alia ratione quàm dispensatione & concessione matrimonij impediri nequeant: vt si alioqui putentur ad hæreticos migraturi, & ibi contracturi; vel si cædes inter parentes putentur futuræ.

Ratio est, quia positis talibus circũstantijs præsumptio Iuris non obstat: nam bona fide præsumi potest Principem in tali casu concessisse potestatẽ, vel tacitè illam concedere; cùm ipsius mens non sit vt reseruatio potestatis cedat in detrimentum animarum, vel Ecclesiæ, sed solùm in ædificationem. Itaque cùm præsumptio malæ fidei non obstet, non video cur 40. annis absque titulo prę-scribi nõ possit, quando dictæ causæ concurrunt.

Impedimentum dirimens ex crimine.

CASVS X.

Lucretia iuncta Matrimonio cum Petro, perpetrauit adulterium cum Achille, qui gerebat inimicitias cum Petro: & Lucretia quoque Petrum oderat, quòd ab illo duriter haberetur: ineunt consilium vt illum interficiant, quod & factum est; primaria quidem intentione vlciscendi, quia oderant: secundaria, contrahendi simul; saltem dubitant.

QVÆRITVR, *An ortum sit impedimentum dirimens; & quid faciendum, si contraxerunt?*

21 *Si secundaria intentio fuit contrahere.*

RESpondeo & Dico Primò, Si saltem secundaria intentio fuit contrahere, ortum est impedimentum effectu secuto. Ratio est, quia verè machinati sunt mortem animo contrahendi: nõ enim Iura exprimunt debere esse primariam intentionem.

Si de eâ dubitant.

Dico Secundò, Si dubitant an habuerint intẽtionem secundariam; perseuerante dubio non possunt contrahere sine dispensatione. Ratio est, quia moraliter constare debet non subesse impedimentum vt contrahant; aliàs exponunt se periculo fornicationis.

22 *Si contraxerunt non bonâ fide dubitantes.*

Dico Tertiò, Si contraxerunt non bona fide dubitantes an subesset impedimentum, nõ possunt petere debitum aut reddere ante dispensationem. Obtenta autem dispensatione debent contrahere secundò; non coram Parocho & testibus coram quibus anteà contraxerunt matrimoniũ præsumptum, sed secretò.

Si omnino bonâ fide contraxerunt.

Dico Quartò, Si bona fide contraxerunt nihil suspicantes de illo impedimento, & posteà dubitatio superuenit, adhibitâ debitâ diligentiâ, si nihil possint moralis certitudinis assequi, probabile est nõ egere dispensatione. Difficile tamen creditu est non habuisse eos intentionem contrahendi: quorsum enim simul conspirassent? quorsum mortem intulissent? poterant minori malo vlcisci iniuriam. Vnde puto petendam dispensationẽ.

CASVS XI.

Impedimentum dirimens ex impotentia.

Ante annos triginta puella quædam iuncta fuit matrimonio viro cuidam, qui per aliquot menses communi toro vsus, eam ne attigit quidem. Dies illi dicta coram Officiali, cuius decreto inspectus à 4. medicis, qui hominem frigidum & impotentem deprehenderunt. Officialis itaque pronuntiat vt experiatur per triennium. At ille rursus post aliquot menses, clam omnibus, puellæ rebus onustus aufugit, eam vti acceperat virginem relinquens. Nihil interea auditum, nisi ante 15. annos, cùm agnitus fuit à quodam suo populari?

QVÆRITVR, *An super his fundamentis Ecclesia possit pronuntiare sententiam nullitatis prioris matrimonij?*

23

RESpondeo breuiter (omissis multis quæ in vtramque partem dici possent) posse pronuntiari sententiam diuortij quoad vinculum in prædicto casu. Nam cum de frigiditatis impedimento agitur, non requiritur semper probatio triennij: sed sufficit inspectio corporis cum iuramento, & alijs signis. Vnde post primam puellę

querelam poterat diuortium concedi facta inspectione corporis puellæ & viri, accedente iudicio medicorum, & iuramento viri & puellæ, & propinquorum. Multò magis poterit iam fieri, cùm credibile sit virum postea tentasse, & ideò fugisse quòd videret se nihil posse; quæ fuga confirmat præsumptionem impotentię, quam etiam confirmat tam diuturna absentia.

Nec refert quòd viri confessio & iusiurandum iam haberi nequeat; quia reliqua signa sufficiunt cum inspectione corporis mulieris, vt colligitur ex Panor. in Cap. 1. n. 5. & 6. de frigid. & malef. vbi hanc sententiam clarè docet. Idem satis apertè conuincitur ex illo Capitulo. Triennij probatio necessaria maximè est in maleficio: quia nō ita potest statim constare de eius perpetuitate, cùm dæmonis noxa sit voluntaria: Secùs est in frigiditate quæ à natura est, vt ibidem Panormitanus.

CASVS XII.

Matrimonium sine proprio Parocho.

Parochus originis astitit matrimonio eorum qui alibi habebant domicilium fixæ habitationis.

QVÆRITVR, *An matrimonium sit inualidum? An Parochus suspensus?*

24 REspondeo, Parochus originis non potest assistere matrimonio, nec censetur proprius Parochus in hoc negotio, sicut nec in Sacramento Pœnitentiæ, si contrahentes alibi habent domicilium, seu fixam habitationem, absque animo reuertendi & habitandi in loco originis. Quo posito, matrimonium istud coram Parocho originis contractum, esset inualidum. Si tamen quispiam non deseruit animo locum originis, sed habuit semper animum reuertendi, & ibi habitandi, verè retinuit ibi domicilium habitationis, etiamsi plurimis annis absfuerit. Et ita posset ibi coram Parocho contrahere.

25 *Parochus bona fide non subditos iungens matrimonio, non est suspensus.* Parochus qui astitit matrimonio eorum qui alibi habebant domicilium fixæ habitationis, si bona fide id fecit, putans se id posse facere, etiamsi ex ignorantia crassa, non est suspensus per Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 1. de Refor. Matrim. Quia requiritur vt ausu temerario id factum sit: ad quod requiritur scientia, quâ sciat id esse illicitum. Quòd si talis scientia adfuisset, esset suspensus ad arbitrium Episcopi illius Parochi, qui debebat de iure assistere: nec posset absolui nisi ab illo Episcopo, vt patet ex verbis Concilij. Itaque hic deberet adire Archiepiscopū Mechliniensē cui Parochus contrahentium, & ipsi contrahentes subsunt. Absolutus autem à suspensione per illum Episcopum, posset dispensari in irregularitate, quam celebrando in tali suspensione incurrisset, nō per Episcopum eundem, sed per proprium Episcopum, si casus erat occultus, vel quemuis alium habentem ad hoc potestatem iure ordinario vel delegato.

CASVS XIII.

Matrimonium sine proprio Parocho.

Quidam Miles Lotharingus in oppido Thenensi præsidiarius, abduxit quandam Virginem Thenensem Geldoniū *Brabantiæ oppidum, vt ibi corā Parocho & testibus cum ea contraheret; & contraxit.*

QVÆRITVR, *Vtrùm sit Matrimonium?*

26 VIdetur non esse; quia ille Parochus non erat ipsius Parochus, nec puellæ, sed Parochus Thenensis; nam per sex hebdomadas miles ibi fuerat in præsidio.

Est validè hoc matrimonium. Respondeo, Matrimonium illud esse validum. Ratio est, quia miles ille non habebat in Belgio domicilium, sed censebatur vagabundus; sicut alij exteri milites: commorantur enim vbicumque constituuntur à præfectis. Nec obstat, quòd per sex hebdomadas ibi fuerit: quia hoc satis non est ad contrahendam parochiā. Debet enim quis cōmorari in aliquo loco, saltem maiori parte anni, vt ibi parochiam sortiatur, ita vt alibi non possit Sacramenta percipere; vel saltem habere propositum ibi tam diu habitandi. Atqui tale non erat in milite, quia omni hora debet esse paratus ad recedendum. Deinde, ipsa puella, vt narratur, iam statuerat relinquere Thenas, & se conferre Leodium. At hoc ipso quo quis relinquit aliquem locum, amittit parochiam; & donec perueniat ad terminum vbi statuat figere domicilium, censetur sine parochia propria, sicut vagabundus: ergo potest vbique Sacramenta percipere.

Quomodo amittatur parochia.

CASVS XIV.

Matrimonium sine Parocho extra propriam diœcesim.

Quidam ex diœcesi vbi decretum Concilij Tridentini de matrimonio est promulgatum & seruatur, adeunt loca vbi decretum illud non est promulgatum, idque eo fine vt sine Parocho possint contrahere.

QVÆRITVR Primo, *Vtrùm hi validè contrahant.*

QVÆRITVR Secundò, *Cùm Officiales illius diœcesis hactenus talia matrimonia declarauerint irrita, & curauerint separari: quid modò faciendum de illis, qui ita separati; & quid censendum de prolibus in tali matrimonio susceptis, & de susceptis ex secundo connubio, quod iam separati inierunt cum alijs?*

27 *Ad Primum*: Respondeo, Validè contrahere si alioqui sint habiles, vt benè probat Sancius lib. 3. de Sponsal. disp. 18. q. 4. Vnde sequitur Primò, tales non esse separandos si probare possint se ita contraxisse. Secundò, eorum proles esse legitimas. Possunt tamen puniri ab Ordinario, si publicas denuntiationes omiserint. Hanc sententiam iudico veriorem, & Iuri omnino conformiorem.

28 *Ad Secundum*: Respondeo, Probabile etiam esse illa matrimonia sic de industria contracta, esse irrita, vt apertè indicat Sancius (nam alteram sententiam solùm vult esse probabiliorem) & adducit pro illâ tres graues auctores, nec illi desunt probabiles rationes.

Itaque Domini Officiales separando tales secuti sunt sententiam probabilem. Vnde qui hoc modo separati sunt, & alijs iuncti, non sunt monendi; sed permittendi in secundo matrimonio, & proles eorum censendæ legitimæ: quia bonâ fide sic contraxerunt.

Quòd verò attinet ad proles quæ ex matrimonio clandestino susceptæ fuerint, hæ relinquantur eo statu

eo statu & loco quo sunt, nisi fortè lis de earum statu moueatur. Quia ob huiusmodi probabilitatem sequi posset magna varietas in iudicando, cum magno populi scãdalo, si Officiales qui nunc sunt, iudicarent secundùm hanc sententiam: qui posteà erunt, secundùm aliam: & posteriores rursus secundùm primam. Idcircò statuendum vt constanter in posterũ secundùm probabiliorẽ iudicetur.

CASVS XV.

Matrimonium coram testibus indebitè adhibitis.

Aurelius & Lucretia vocant Parochũ & duos testes vt Matrimonio suo assistant; sed inter se ita illi agunt, vt testes non videantur posse perfectè percipere quid illi intendant: ex modo enim agendi & ex verbis videntur posse existimare illos iocari, vel aliud intendere quàm intendant.

QVÆRITVR, *An sit verum Matrimonium?*

29 *Causa dubitandi.*

RAtio dubitandi est, Quia non videntur contraxisse coram testibus; eò quòd testes non potuerint ex modo agendi & loquendi perfectè percipere quid Aurelius & Lucretia intendant. Atqui nõ potest quis dici testis respectu eius quod non percipit: ergo defectu testium videtur hoc matrimonium esse inualidum.

Est verum Matrimonium.

Respondeo, Omnino tenendum videtur fuisse validum matrimonium. Quia verè & propriè contraxerunt per verba de præsenti, coram Parocho & duobus testibus. Ideò enim Parochum & illos duos testes aduocarunt, vt coram ipsis contraherent, quod & fecerunt.

Non requiritur vt testes cognoscant intentionem contrahentiũ.

Neque obstat, Quòd testes, & fortè etiam Parochus non omnino cognouerint intentionem ipsorum: quia non est necesse vt sciant intentionem contrahentium, vt docet Nauarrus de Spõsalibus, Consilio 54. nullum enim Ius hoc requirit. Satis enim est vt actus ille dicatur fieri coram Parocho & testibus, si ita fiat coram ipsis, vt ipsi percipiant quid agatur exteriùs, etsi de intentione dubitent: sunt enim testes operis externi, non internæ voluntatis.

Confirmatur Primò, Quia si mulier dicat, *Volo te habere coniugẽ aut maritum*; & vir dicat, *Volo te habere vxorem*, si fiat coram Parocho & testibus, valet, etsi Parochus ignoret illorum mentem, putetque solùm esse verba de futuro; vt docet Nauarrus Consil. vlt. de Sponsalibus. Secundò, fieri potest vt persuasum sit testibus omnia simulatè fieri. Quo casu quis dicat non fuisse matrimoniũ? Tertiò, Sæpè possunt addere aliquid iudicri vt rem tegant, & testes reddant ambiguos, vt se possint tueri si opus sit.

30 *Neque requiritur vt verba sint clara.*

Nec etiam obstat, Quòd verbis obscuris contraxerunt, vt testes non possint clarè scire mentem ipsorum: tum quia quibusuis verbis consensum vicissim exprimentibus matrimonium contrahi potest, iuxta communem DD. sententiam; tum quia verba non fuerunt adeò obscura, quin facilè posset percipi quid vellent: vsi sunt enim verbis Scripturæ Genes. 2. quibus significatur societas & auxilium matrimoniale ad prolis generationẽ, dicentes vltrò citroque, *Accipio te in adiutorium meum:* tum denique, quia non est necesse vt intentionem contrahentium certò assequantur.

31 His adde, Quando aliqua dispositio vel contractus iure naturæ est validus, si Ius positiuum formam aliquam ei superinducat, sine qua velit illam dispositionem esse irritam, ea forma sic accipienda est, vt (quantum verba patiuntur) quàm minimum præiudicet naturali libertati, & validitati dispositionis, iuxta regulam Iuris, *Odia restringi, fauores conuenit ampliari:* talis enim restrictio & irritatio est odiosa. Quam ob caussam DD. dicunt nõ requiri vt testes sint rogati, aut vt sponte adsint, aut vt velint esse testes. Itẽ sufficere vt sit Parochus alterius partis, & similia: quia verba Concilij hæc omnia admittunt. Pari ergo ratione dicendum est, non esse necesse vt testes sciant mentem contrahentium, modò percipiant ipsum contractum externum: nam etiam tunc in proprietate verborum verum est illos non contrahere absque Parocho præsente & duobus testibus.

Forma inuidiosa, ideo ritans cõtractum, qui iure naturæ est validus, quomodo accipienda.

CASVS XVI.

Matrimonium sine Parocho & testibus.

Titius & Caia contrahunt matrimonium per verba de præsenti absque Parocho & testibus. Et statim in ipso contractu sibi mutuo promittunt quòd iteratò sint inituri illum contractum coram Ecclesia.

QVÆRITVR Primò, *An contractus ille matrimonij de præsenti habeat rationem sponsalium?*

QVÆRITVR Secundò, *An ex tali contractu de præsenti irrito ex defectu Parochi & testium, oriatur impedimentum publicæ honestatis?*

QVÆRITVR Tertiò, *An saltem illa promissio quod iteratò sint inituri illum contractum coram Ecclesia, non habeat vim sponsalium?*

AD *Primum*: Respondeo, Etsi probabile sit contractum Matrimonij per verba de præsenti absque Parocho & testibus habere vim sponsaliorum, cùm multi Doctores non sine probabili ratione id doceant, vt Couar. in 4. p. 1. c. 3. in fine. Henriq. l. 11. de Matrimonio cap. 5. n. 4. & alij. Tamen contrarium est probabilius; quia Concilium Trident. *Ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit.* Si contractus esset validus instar sponsaliorum, non essent ipsi omnino inhabiles. Ita Sanchez lib. 1. disp. 20. & multi alij, quos ipse citat, & benè id probat. Idem expressè docet Nauar. in Consil. tit. de Sponsalibus, Consil. 1. num. 3.

32 *Probabile est habere rationem Sponsaliũ.*

Contrariũ est probabilius.

Ad Secundum: Respondeo, Quod ad impedimentum publicæ honestatis attinet, probabilius est ex tali contractu de præsenti irrito ex defectu Parochi vel testium, non oriri hoc impedimentũ: quia deest forma essentialis contractûs matrimonij, nec habet vim sponsalium, vt dictum est. 33

Nec obstat cap. 1. de sponsal. in 6. Quia post Concilium Trident. sess. 24. c. 3. ex sponsalibus irritis non oritur vllum impedimentum. Si tamẽ quis velit sequi alios Doctores qui tenent talem contractum habere vim sponsaliorum, dicere debet per eum induci impedimentum publicæ honestatis. Vide Sanchez lib 7. de Matrimonio disput. 70. n. 13.

Ad Tertium: Respondeo, Res hæc difficultatem habet. Si enim quis dicat eos solùm sibi mutuo promisisse, quòd iteratò essent inituri illum contractum 34

tractum coram Ecclesia, eò quòd putarent se iam coniunctos, & idcircò debere etiam publicè facere quod clanculum fecerant, sic non videntur esse sponsalia, quia promissio illa nititur errore quo putant se iam coniunctos, & idcircò debere illam cæremoniam coram Ecclesia repetere. Si verò absolutè intenderunt de nouo se obstringere ad ineundum matrimonium, etiam eo euentu, quo anteà nihil esset actum, nec vlla obligatio orta ex illo contractu: sic dicendum est esse sponsalia. Et hoc videtur verius: quia videntur omni modo voluisse firmare suum contractum. Vnde non ex interuallo, sed statim in ipso contractu promissionem illam addiderunt. Quo posito, non possunt absque consensu mutuo ad alias nuptias transire.

Matrimonium sine Parocho in locis hæreticorũ.

CASVS XVII.

An Matrimonia contracta sine præsentia Parochi sint irrita in locis hæreticorum?

35 REspondeo, Vbicumque Decretum Concilij Tridentini sess. 24. c. 1. de Matrimonio est promulgatum iuxta formam ibi præscriptam, Matrimonium contractum sine præsentia Parochi, aut Sacerdotis alterius de ipsius Parochi vel Ordinarij Licentia, est nullum: vt patet clarè ex verbis Concilij. Quod etiam dicuntur declarasse Cardinales deputati; vt ante nouẽ annos responsum est Romæ.

Vnde vbicumque decretum istud promulgatũ legitimè fuerit, quamuis fortè Concilium ipsum non fuerit ibidem promulgatum; matrimonia sine Parocho, vel alio Sacerdote ad id commisso contracta, sunt irrita. Hinc sequitur irrita esse in Hollandia & Zelandia. Secùs est in Anglia, vbi non fuit promulgatum.

Excipe Angliam.

36 Nec obstat quòd lex positiua non videatur obligare, vbi non potest seruari: quia hoc intelligendum de lege positiua, quæ solùm præcipit vel vetat aliquid ex se licitum; non autem de lege irritante contractum, & maximè quæ vlteriùs contrahentes reddit inhabiles. Non enim solùm hîc irritatur ipsa contractûs substantia, sicut irritatur contractus Minorum lege Ciuili, quamuis id posset sufficere: sed etiam inducitur inhabilitas, quæ inhabilitas, non tollitur per hoc quòd non inueniatur Parochus &c. sicuti inhabilitas consanguinitatis non tollitur per hoc quòd alij omnes sint infideles. Contrahere autem Matrimonium cum hac inhabilitate, est implicitè consentire in fornicationem; quod est contra Ius diuinum.

Persona redduntur inhabiles vt sic contrahant.

Inhabilitas illa non tollitur per extremam necessitatẽ.

Addo, Quòd nec extrema necessitas aut periculum mortis possit tollere hanc inhabilitatem, quamuis lege positiua inductam, vt communiter Doctores. Omitto plurima quæ in hanc sententiam dici possent; quia non sunt necessaria; nec multum ad rem faciunt. Nam in Hollandia & Zelandia facilè possunt inueniri qui ab Ordinario facultatem habeant Matrimonio assistendi: vel certè potest peti dispensatio à Pontifice.

Cõuiuari in nuptijs illicitis.

CASVS XVIII.

Vtrùm sine peccato mortali liceat Catholico adire nuptiale conuiuium Catholicorum, quando Matrimonium non fuit contractum coram Parocho & testibus?

VIdetur non licere. Primò, Adire nuptiale cõuiuiũ est gratulari sponsis nouas nuptias, easque approbare: ideò enim celebratur conuiuium vt omnes gaudeant, & benè precentur: hoc autem est illicitum. Secundò, quia tales nuptiæ sunt fornicationes: atqui non licet gratulari statũ meretricium, vel alium impurum: ergo. Tertiò, quia est scandalum. 37 *Rationes negantes.*

Sed contrarium tenendum est; scilicet, hoc nõ esse peccatum mortale si scandalum absit, & sine periculo vitæ, vel damni notabilis, vel grauis offensionis quæ tandem possit damnum adferre, vitari nequeat. *Affirmatur id per se non esse peccatum mortale.*

Dico, *Si scandalum absit*, quia hoc in omni opere per se indifferenti, imò etiam in opere aliàs bono non præcepto vitandum est.

Dico, *Si absque periculo, &c. vitari nequeat*: quia si quis possit se commodè absentare, non videtur permittendum; habet enim quandam mali speciẽ. Non tamen puto esse peccatum mortiferum, si illud conuiuium adeas gratificandi causâ; vt quia amicus, quia eius operâ interdum eges, vel etiam vt lautiùs comedas.

Probatur hæc sententia. Primò, Adire talia cõuiuia non est per se malum, vt patet: ergo si aliqua iusta causa interueniat, erit licitum. 38 *1 Ratio.*

Secundò, Si esset peccatum mortale, id prouenire ex aliqua suprà dictarum causarum, quæ in argumentis pro parte contraria sunt expressæ: sed nulla istarum sufficit. Non prima, quia non est necesse vt approbet illas nuptias, seu contractum eo modo quo factus est. Nam sæpè accidit vt ad conuiuium nuptiale veniat, qui nuptias illas improbat & detestatur: vnde non venit causa gratulandi & approbandi, sed solùm vt vitet offensionem amici, vel aliud incommodum. Deinde potest quis gratulari & benè precari nouis nuptijs, nõ quòd legitimæ sint ex parte rei, sed quòd tales communiter putentur; sicut potest quis alicui gratulari statum, quem vulgò putatur habere, etiamsi eum legitimè non habeat. Præterea, his gratulationibus nõ approbatur modus quo status ille ab altero acquisitus est, sed approbatur status secundũ se, & significatur gaudiũ quod habemus, vel fingimus nos habere, eò quòd ipse talem statum habeat; & apud viros bonos intelligitur hęc tacita conditio, *Si iustè possideat.* Non etiam Secunda, quia etsi tale matrimonium sit fornicarium, tamen publicè non habetur pro tali, sed pro honesto. Tu autem solùm gratularis illi sub ratione veri matrimonij. Deniq; non Tertia, quia supponimus abesse scandalum. *2. Ratio.*

Tertiò, Catholici adeuntes huiusmodi conuiuia multis modis excusari possunt à peccato mortali: Primò, quia passim talia matrimonia habentur legitima. Neq; id mirum, cùm etiam quidam viri alioquin benè docti, aliquandò putauerint ea valida esse, eò quòd sint contracta publicè, non clandestinè: dicebant enim Concilij Tridentini mentem solùm fuisse irritare matrimonia, quæ ita clandestinè essent contracta, vt ne Parochus quidem & duo testes adessent, non autem si publicè coram toto populo: ibi enim cessare rationem Concilij. Quæ sententia etsi mihi nunquam visa sit probabilis, tamen videtur habere aliquam 39 *3. Ratio importans multiplicẽ excusationem.*

aliquam ſpeciem ijs, qui verba Concilij non ſatis ponderant. Secundò, quia in iſtis Prouincijs hæreticorum nuſquam ferè ſunt Parochi, aut certè latent, vt non ſint ad manum. Nuper autem Româ reſponſum eſt, vbi Parochi non ſunt, ibi matrimonia abſque Parocho valida eſſe. Quòd ſi hoc viris doctis viſum eſt, quantò faciliùs ſimpliciores id ſibi perſuadere poterunt? Si dicas, non deeſſe Sacerdotes qui habeant licentiam à Reuerendiſſimo Coloſſenſi: At hi ſæpè non ſunt ad manũ, vel ignorantur, vel neſcitur horum præſentiam eſſe neceſſariam, cùm non ſint Parochi, nec vſus publicus contrariũ oſtendat. Tertiò, quia poſſunt inducere in animum illos antè coram tali Sacerdote priuatim contraxiſſe; & poſteà contrahere coram magiſtratu vel miniſtro, vt euadant mulctam. Quartò, Poſſunt cauere ne ſponſis gratulentur, vel gratulari non ex animo (non enim erit niſi mendaciũ & ſimulatio quędam politica, quę non eſt peccatum mortale) vel ſolùm benè precari; quod peccatum non eſt. Quintò, poſſunt excuſari ratione damni, vel offenſionis grauis, qualis plerumque metuitur. Si enim Naaman Syrus poterat flectere genua ante idolum, rege adorante, vt regi obſequium præſtaret, idque ad offenſionem regis vitandam, cùm tamen præberet ſpeciẽ quandam idololatriæ, vt paſſim DD. tradunt, & colligitur 4. Reg. 5. quantò magis poterit Catholicus adire conuiuium nuptiale, quæ res eſt indifferens, nullam mali ſpeciem præſeferens, vt indignationem alterius periculoſam auertat.

Vbi non ſunt Parochi, Concilium non obligat.

Naaman Syrus Regi ſuo ſacrificanti licitè aſſitit.

40 *4. Ratio.* Quartò Probatur, Licitum eſt adire conuiuium ethnici vbi proponuntur idolothyta, & ex illis veſci, etiamſi ſcias fuiſſe immolata, modò abſit ſcandalum, vt patet ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 8. Et tamen multò maior hîc videtur eſſe ſpecies mali & approbatio, quàm in caſu noſtro, cùm ipſi cibi fuerint dijs immolati: ergo.

5. Ratio. Quintò, Licitum eſt adire conuiuium quod dari ſolet à Prælato, v.g. ab Epiſcopo, Abbate, Decano, quando initiatur, vel poſſeſſionem accipit, etiamſi ſciam ipſum ſimoniacè promotum, quando communiter promotio illa putatur valida, nec ideò cenſendus ſum approbare ſimoniam. Ergo ſimiliter accedendo conuiuium nuptiale, non neceſſariò cenſeor approbare illas nuptias, aut modũ contractûs.

41 *6. Ratio.* Sextò, Quotieſcumque aliquid per ſe malum non eſt, aut ſpecialiter prohibitum, non teneor eo abſtinere, etiamſi alius eò vtatur ad malum finẽ, modò ego ob bonum vel indifferentẽ finẽ id faciam: nec cenſeor alterius malitiæ conſentire, vt communiter docent Doctores, & patet his exemplis: Poſſum vendere Iudæo agnum & virgulta, etiamſi ſciam vſurum ad ſuperſtitionem, modò non eo fine faciam: & ancilla poteſt ornare dominam ſuam, eiuſque thalamum componere, etſi ſciat ipſam ad malum finem hæc deſtinare: Poteſt etiã præparare carnes die prohibito, ſi commodè non poſſit detrectare: nec cenſetur malum finem approbare, ob quem illa hæc parat. Cur ergo pari ratione non poſſum adire conuiuium nuptiale, etiamſi illud conuiuium inſtructũ ſit ad ſolennitatẽ matrimonij inualidi?

7. Ratio. Septimò, Si Matrimonium eſſet inualidum ratione metus, vel impedimenti criminis, aut ob aliã cauſam, & paſſim putaretur validum, eò quòd neſciant homines hæc eſſe impedimenta, poſſem ego cum ceteris adire conuiuium, & generatim gratulari ſponſis, vt vſus communis probat, cur non etiam in caſu propoſito?

Octauò deniq; Id licitum eſt in ceteris contractibus; vt in emptionibus, venditionibus, locationibus inualidis: cur non etiam in contractu matrimonij? Fateor tamen te teneri monere ſponſos (ſi ſpes eſt audituros) vt rurſus contrahant ſecundum formam Cõcilij: quia tenemur errantes corripere, ſi ſpes eſt emendationis. *8. Ratio.*

Ad argumenta in contrarium, patet ex dictis. Ad Primum, Oſtenſum eſt non approbari per hoc contractum vllum in particulari, ſed in genere tantùm contractum & ſtatum matrimonij. Ad Secundum, Non approbatur fornicatio, quia non approbantur nuptiæ inualidæ, ſed in genere nuptiæ, cum tacita conditione, *Si validæ ſint*. Ad Tertium, Ponimus abeſſe ſcandalum. Quod enim poteſt eſſe ſcandalum ex eo quòd homines ſimplices adeant nuptias ſuorum conſanguineorum, quę paſſim validę putantur? Secùs fortè ſi eſſet Sacerdos: quamuis & hic alicuius boni finis cauſâ poſſet interdum intereſſe. 42 *Soluuntur argumenta*

CASVS XIX.

Matrimonium ſine conſenſu parentum.

Titius contraxit cum Caia, in præſentiâ Parochi & duorum teſtium, abſque tamen facultate parentum.

QVÆRITVR, *Vtrũm hic contractus matrimonialis ſit abſolutè validus?*

43 REſpondeo, Perpenſis ijs quæ in facti ſpecie narrantur; & conſiderato Parochi proprij teſtimonio, non occurrit vlla ratio alicuius momenti, ob quam contractus inter Caiam filiam & Titium, qui hîc proponitur, non debeat cenſeri validus contractus matrimonij. Fuit enim factus in præſentia proprij Parochi, & duorum teſtium; & inter ipſos contrahentes nullum interceſſit impedimentum dirimens, quale eſſet cognatio vel affinitas intra quartum gradum, vt ſupponimus. Itaque & ipſæ perſonæ contrahentes habiles fuêre, & ſeruata eſt forma ab ipſo Concilio præſcripta, vt patet ſeſſ. 24. cap. 1. de Reformat. matrimonij. Nihil autem aliud ad validitatem matrimonij requiri, eſt communis ſententia Doctorum; quod etiam ex ipſo Concilio ſatis manifeſtè conuincitur, & ex praxi orbis Chriſtiani, rebuſque ſæpiſsimè iudicatis.

Nec obſtat quòd facultas parentum non interceſſerit. Etſi enim valdè decens ſit vt liberi ſine hac non attentent contrahere; tamen abſolutè ad ſubſtantiam contractus non eſt neceſſaria, vt habetur Cap. *Cùm virum*, de Regular. & definitur cap. 1. de Refor. matrimonij à Tridentino. Vnde etiamſi abſit, & inuitis parentibus contractus matrimonij ineatur, nihilominùs validus & inſolubilis erit, vt omnes Doctores tradunt.

Pari modo ad ſubſtantiam huius contractus nõ eſt neceſſaria benedictio, aut vlla alia obſeruatio temporis vel loci, vt patet ex dicto cap. primo ſeſſ. 24. Vnde non minùs validus eſt qui ſine benedictione initus fuit, & in cubiculo, & tempore Quadrageſimæ, quàm qui in templo, & cum benedictione, & tempore nuptijs conceſſo, modò perſonæ alioquin habiles fuerint, & res in præſentiâ 44 *Benedictio &c. hic non neceſſaria.*

sentiâ Parochi, & duorum testium peracta sit. De his omnibus latè diximus in 3. p. D. Thomæ in materia de Matrimonio cap. 4. dub. 10.

Exhæredatio ob matrimonium

CASVS XX.

Titius Anglus adolescens 32. annorum duxit filiam se non indignam contra voluntatem sui parentis, propterea ab eo per testamentum exhæredatur.

QVAERITVR, *Vtrùm illa exhæredatio sit valida? Et consanguinei ea bona possint possidere?*

45 RESpondeo, Certum est Iure communi Cæsareo, & Iure Canonico non potuisse Titium exhæredari, eò quòd duxerit filiam illam contra voluntatem patris; præsertim cùm illa non fuerit eo indigna, sed par conditione, etsi non opibus. Est communis sententia Doctorum, & colligitur manifestè ex Auth. *Vt cùm*, De appellat. cognosc. 8. §. *Causas autem*. Vbi recensentur 14. causæ, ob quas pater potest exhæredare filium; inter quas ista non reperitur. Et §. *Aliud quoque capitulum*, expressè dicitur ob alias causas non posse exhæredari. Confirmatur. Quia causa, ob quam filius exhæredatur, debet esse valdè grauis; quia est grauis pœna, cùm priuetur bonis, quæ iure Gentium & Ciuili ei debentur.

Causæ exhæredationis filij & filiæ.

Idem ex eo probatur, quòd nec filia possit exhæredari, eò quòd inuitis parentibus nupserit, modò turpem vitam non elegerit, vt communiter Doctores tradunt argumento Cap. vlt. De secundis nuptijs. Vide Couar. in 4. p. 2. cap. 3. §. 8. vbi refert alios, & docet, Quòd quando modus contrahendi matrimonium non est ab Ecclesia prohibitus, neque licitè neque validè possint exhæredari, etiamsi ante 25. annum contra voluntatem parentum, cum indigno longeque inferiori contrahant, & peccent propter inobedientiam, & odia quæ sequentur; quia Ecclesia vult matrimonia esse libera. Multò minùs id poterit fieri in casu proposito, vbi agitur de filio in trigesimum secundum ætatis annum dilato, cui parens antè cõcesserat facultatem ducendi eam quam vellet, cui permiserat tam diu tamque familiariter cum illa puella viuere in eadem domo &c. quæque eo non erat indigna.

46 Itaque nisi ius Anglicanum expressè habeat contrarium, & in tali casu concedat parentibus facultatem filios exhæredandi (quod nullo modo est credibile, cũ rectæ rationi valdè sit repugnans) planè dicendum est, tale testamentum censendum inofficiosum & irritum, & eos qui bona illa occupant non posse bonâ conscientiâ retinere, sed teneri restituere, non obstante illâ transactione quæ non fuit libera, sed metu amissionis totius hæreditatis extorta.

Nisi repugnet ius Anglicanum, bona restituenda.

Ad alteram partem Respondeo, Filios prædicti Titij posse agere bona conscientia ad istorum bonorum integram vindicationem.

CASVS XXI.

Promissio manendi in statu Viduitatis &c.

Titius viduus promisit filio suo Caio vxorem ducenti, se in statu viduitatis permansurum, nec aliud matrimonium initurum. Secundò, se ei cessurum habitationem, & culturam agrorum ex parte dimidia. Tertiò fecit expensas matrimoniales. Tandem inter Titium patrem & Caium filium intercessit simultas.

QVÆRITVR Primò, *Vtrùm ista promissio de non ineundo altero matrimonio ita strictè interpretanda sit, vt inducat obligationem iustitiæ?*

QVÆRITVR Secundò, *An teneatur Caio filio concedere habitationem & culturam agrorum?*

QVAERITVR Tertiò, *An possit repetere à Caio expensas matrimoniales?*

AD Primum: Respondeo, Promissio illa quâ 47
parens viduus promisit filio vxorẽ ducenti, se in statu viduitatis mansurum, nec aliud matrimonium initurum, non est ita strictè interpretanda vt inducat obligationẽ iustitiæ, ita vt postea, etiamsi videat id suæ saluti expedire, non possit vxorem accipere. Absurdum est in huiusmodi quæ ad statum & salutem pertinent, vrgere promissionem. Si enim, quia ius testandi debet cuique relinqui liberum, inualida est promissio non mutandi testamenti; multò magis inualida est promissio non ducendæ vxoris homini facta.

Ad Secundum: In reliquis tenetur pater stare cõ- 48
tractu inito cum filio: nimirum vt ei concedat habitationem & culturam agrorum ex parte dimidia, sicut conuentum erat. Tenetur etiam tollere ex parte sua impedimenta ob quæ contractus non potest mandari executioni. Nec potest absolui, nisi paratus sit in omnibus illis quæ ad contractus executionem pertinent, stare sententiâ & arbitrio bonorum & prudentum virorum, vel sententiâ Iudicis, si res deducta est ad forum contentiosum.

Ad Tertium: Quòd ad expensas pro filio in ma- 49
trimonio factas attinet, non videtur posse exigere pro illis satisfactionem, si consuetudo est vt à parentibus non computentur; neque ab initio pactus est vt restituerentur: censetur enim illas donasse. Vnde non potest ob hoc dissidium reuocare. Neque enim hic casus videtur talis vt donatio illa possit reuocari: tum quia facta est ob causam, & secundùm consuetudinem receptam; tum quia nihil eorum quæ requirit L. finalis. C. De reuocandis donat. hic videtur subesse: nam filius negat se patrem furem vocasse: tum denique quia etiamsi causa iusta suppeteret, filius tamen non teneretur restituere ante sententiam Iudicis, vt ex eadem lege colligitur.

MISSA

MISSA.

CASVS I.

Fabulę in officio diuino.

Vtrùm Mos ille in Ecclesia tempore diuini officij fabulandi & ridendi, viris Principibus non sit illicitus & indecorus?

1 *Ratio huiusce Scriptionis.*

VIr Clarissime. In monitione hesterna quã Illustrissimo Domino, solo Dei intuitu, & salutis honorisque illius studio feci, miratus sum vehementer D. Tuam defendere & excusare voluisse, morem illum in Ecclesia tempore diuini officij fabulandi & ridendi tanquam viris principibus non illicitum & indecorum; quasi hac in re non omnes eâdẽ lege tenerentur, sed Nobiles viri sint excipiẽdi. Nolui tunc plura contra disputare: locus erat importunus: sufficiebat paucis monuisse homines inde offendi, & Illustrissimi Domini famæ labem aliquam adspergi: fuisse enim in quodã concessu quandam Dominam quę id narrasset, notando suam Excellentiam & eius familiam; & à ceteris (qui similia sæpè aduerterant, inter quos aliqui Iurisperiti seculares & Theologi) idem improbatum: offendi etiam diuinam Majestatem coram qua, quantumuis quis magnus sit, reuerenter se gerere debet; imò quò quis maior, decere vt eò se gerat reuerentiùs. His plura nõ adderem, quia hæc suæ Excellentiæ, vt est præclaræ indolis & ingenij, sufficere poterant: nisi D. Tua morem illum defendere voluisset. Puto enim fraternam charitatem à me postulare, vt, si D. Tua, ita verè sentit, errorem illum eximam, quia pernicioſus est: si non sentit, moneam ne huiusmodi vnquam vel placendi studio, vel displicendi timore defendat; quia pestifera adulatio est.

2 *Mos ille est illicitus & indecorus.*

Affirmo igitur etiam Principibus viris, quantumuis magni sint, illicitum esse & indecorum in Ecclesia tempore diuini officij, & sacræ liturgiæ fabulari & ridere; idque adeò certum est, vt contrarium error in fide censeri debeat.

Patet ex Scripturis.

Constat id Primò ex Scriptur. Mat. 21. & Ioan. 2. *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Si Dominus id dixit de templo veteri, quod solùm erat typus Ecclesiæ Christianæ, quantò magis id sentiendum de Ecclesia Christiana? & si eiecit inde ementes & vendentes, ea quæ ad sacrificia illius temporis pertinebant, qui solùm in parte exterioris illius templi versabãtur, quantò magis improbaret eos, qui coram tremẽdis illis mysterijs bonam partem temporis fabulis & risibus transigunt?

Ex Concilijs.

Secundò, Ex Concilijs: Concilij Lugdunensis sub Gregorio X. (habetur Cap. *Decet*, de Immunit. Eccl. in 6.) *Cessent in Ecclesia vana, & multò fortiùs fœda vel prophana colloquia. Cessent confabulationes quælibet. Sint postremò quæcumque alia quæ diuinum possunt perturbare officium, aut oculos diuinæ Maiestatis offendere, ab ipsis prorsus extranea; ne vbi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio* &c. Concilium Trident. sess. 22. inter cetera, iubet vt omnes seculares actiones, *vana atque prophana colloquia ab Ecclesijs arceantur.*

3 *Ex SS. Patribus.*

Tertiò, Ex Patribus: Pulcherrimè Chrysostomus Homil. 40. ad Populum, quem locum rogo vt D. Tua expendat: *Celebratur*, inquit, *oratio; omnes iacent segnes iuuenes & senes, plaeula magis quàm homines; ridentes, cachinnantes, colloquentes, & alijs detrahentes, supra genua positi. Tu iuuenis ades vel senex; increpa cùm videris, accusa vehementiùs: si non tolerat, Diaconum voca, minare; quæ tua sunt, exhibe; & si quid aduersus te fuerit ausus facere, omnes prorsus habebis conspirantes. Quis enim tam irrationalis, qui te videns de talibus arguentem, & illos redarguí, non adhæreat parti tuæ? Video rursum & alios loquentes rectos, dum oratio celebratur: eorum verò leuiores, non solùm dum oratio perficitur, verùm & dum Sacerdos benedicit. O rem horrendam, quando salus erit? quando Deum placare poterimus? Et id profectò tremendum est, quòd huc venis non ludum aut choream obiturus, & tamen stas incompositè. Nescis quòd cum Angelis constitisti, & cum illis cantas, & cum illis Deum laudas. & stas ridens? Nónne mirandum est fulmen non intorqueri non solùm in istos, verùm etiam in nos? sunt enim ista fulmine digna. Adest Rex, exercitum recenset, & tu sub illius oculis stas ridens, & risum despicis? Quousque accusamus, quousque redarguimus? Nónne tales tanquam noxios, tanquam corruptores, tanquam pernicioſos & perditos, & innumeris plenos malis ex Ecclesia decebat expelli? Quando isti videre desinent, qui etiam in horroris hora rident? Quando à nugis abstinebunt, qui orationis tempore loquuntur? Non eos qui adstant reuerentur, non Deum timent. An non sufficit nobis mentis negligentia, & quod orantes aliò circumagimur? Sed & risum oportet subrepere? Propterea vobis, qui sani estis, protestor, quòd iudicium vobis erit & condemnatio; & vos iam Deo trado, si quis tumultuantem videns vel loquentem, illo præsertim tempore, non significet, nec corrigat. Ecce quale crimen tales non monere. Hoc est oratione melius si orationem omittens illum increpes, vt & illi profis, & teipsum lucrifacias, vt sic omnes saluari possimus. Igitur in malo illo constitutum negligat nemo.* Hæc ille. Similia habet Homil. 74. in Matth. & Homil. 37. in epist. ad Corinth. vbi etiam inter cetera: *Quid enim? Domos ad nugandum non habetis? Ecclesiam Dei contemnitis? Si quis est qui modestus, qui tacitus esse velit, corrumpitis? Atqui dicitis, iucundum esse colloqui cum familiari. Esto sanè: non veto: sed domi, sed foris fiat: Ecclesia enim non differendi, sed discendi & orandi locus est*, &c. Omitto aliorum Patrum testimonia.

Fabulantes publicè increpandi.

Admonet Diaconum.

Ex templo expellendi.

Qui fabulantes non arguit, peccat.

Vides hîc neminem excipi; non Regem, non Pontificem, non Nobilem, non Militem, aut alium quemlibet: sed generatim omnes constringi: & meritò. Quid enim sunt omnes gentes, & celsitudo humana ad illam Majestatem? *Gutta roris antelucani, vapor ad modicum parens*, scena, vanitas, somnium, nihil. Si sublimes illi Principes & potestates cælestes cum magna reuerentia adstant, nec audent intueri illam Majestatem *propter emicantem inde splendorem*, vt Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio ait, quid non debent facere mortales, *qui luteas habitant domos, & terrenum habent fundamentum; quorum gloria putredo & vermis*, vt Scriptura loquitur?

4 *Quanta Deo ab homine debita reuerẽtia.*

Addo', Quò quis maior est inter homines, eò ipsum in rebus diuinis maiorem reuerentiam prę- stare debere: tum vt alijs sit exemplo, qui libenter Magnorum mores sequuntur: tum vt in Deum gratus sit, cuius beneficio ceteris est maior. Qui enim est filius Principis, potuisset esse filius mendici, si Deo ita placuisset. Itaque hoc ipsum est Dei beneficium, & congrua animi submissione erga ipsum profitendum.

Maximè à Magnatibus.

Chrysost.

5 *Deus honorantes se, glorificat.*

Denique perpendendum illud quod Dominus ait ad Samuelem 1. Reg. 2. quando reiecit Heli, & quod Adrianus VI. cũ esset magister Caroli V. illi Principi sæpè ingerebat: *Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles:* quæ sententia illi magno commodo ad reuerentiam in rebus diuinis, & moderationem submissionemque animi in omni vita præstandam, fuit.

6 *Nota Auctoris modestiam.*

Hæc sunt quæ D. Tuæ putaui insinuanda, vt ea dignetur, præsertim hoc sanctissimo tẽpore, quando Domini nostri humilitatem & crucem pro nobis toleratam commemoramus, perpendere; & abstinere ab ijs quæ suæ Excellentiæ, neque salutaria, neque honorifica sunt, defendẽdis. Excipiat illa eo animo, quo dicuntur; meque excuset si fortè videar molestus. Vides S. Chrysostomum mihi iudicium & condemnationem minantem, si taceam: amor quoque & obseruantia qua suam Excellentiã prosequor, me impulerunt. Non monui publicè, vt Chrysostomus fieri vult, sed priuatim, magna honoris vestrum omnium habita ratione. Fundamentum autem fuit non paucę vel rarę cõfabulationes, sed crebræ & ferè assiduæ cum risu, cum vultus in omnem partem conuersione; denique illis modis qui hîc maximè à Chrysostomo notantur. Non dubito quin Excellentissimus Dominus, si iudicium tuum accesserit, hanc mentem meam sit probaturus; cui omnia prospera, magnifica, & glorioſa voueo: sicut & D. Tuæ salutem & summum bonum.

CASVS II.

Confessio tempore Missæ.

Vtrùm satisfaciant præcepto Ecclesiæ de audiendo diebus Festis Sacro, qui tempore Missæ confitentur?

7 *Non videntur in rigore satisfacere.*

REspondeo, Valdè probabile esse, eos, qui tempore Sacri diebus Festis confitentur, si bonam partem, v.g. tertiam ea in re occupẽtur, ita vt non possint attendere ad sacrificium, in rigore non satisfacere præcepto. Nam requirunt passim Doctores attentionẽ aliquam ad id, quod geritur in sacrificio; nec admittunt actus huic incompossibiles. Cui attentioni etsi preces Horarię, & similia non repugnent, præsertim cùm illæ etiam ad honorandum sacrificium referri possint; tamen confessio videtur magis repugnare; quia magis mentem absorbet, & alijs affixam tenet, adeò vt de sacrificio vix possis cogitare.

8 *Excusantur occupati.* 1. *Per epiikiam.*

Omnino tamen videntur excusandi, quibus, ratione negotiorũ, vel quia sunt in obsequio aliorum, non est integrũ aliud Sacrum audire. Idq; ex duplici vel triplici capite. Primò, Per Ἐπιείκειαν: Si enim legislator esset præsens & omnes circumstantias nosset, non vellet illos obligare. Nã haud dubiè mauult Summus Pontifex illos tali modo Sacro interesse, cum tanto fructu spiritali, quem ex confessione percipiunt, quàm sine illo fructu perfectiùs ad sacrificium Missæ attendere.

2. *Per consuetudinẽ legitimè præscriptam.*

Secundò, Per consuetudinem legitimè præscriptam: Hęc enim sicut potest legem aliquam abrogare, ita multò faciliùs potest moderari eius obseruationem; vt patet ex Cap. Finali. de Consuet. Vbique autẽ in Belgio est consuetudo, vt illi, qui sub Sacro cõfitentur, nec diutiùs manere possunt, ad aliud Sacrum non censeantur obligati. Quam consuetudinem puto etiam alibi vigere, essq; maximè rationi consentanea, & secundùm mentem Ecclesię. Ad præscriptionem huius consuetudinis sufficere existimo decem annos: quia non agitur contra ius alicuius Ecclesiæ, sed solùm contra legem. Et quamuis quis contenderet quadraginta annos esse necessarios, illi facilè inuenientur: nam consuetudo confitendi diutiùs in Belgio floruit.

3. *Propter lucrum spirituale.*

Tertiò, Ratione lucri spiritualis, quo alioquin priuarentur. Si enim ob notabile commodũ temporale licitum est etiam à Sacro abesse, si alia ratione id obtineri nequit, vt omnes fatentur, cur ob ingens lucrum animæ, quod alia ratione consequi moraliter non potes, non liceret tibi imperfecto illo modo Sacrum audire?

Quæ attentio sufficiat in Missa.

Addo, Ad satisfaciendum præcepto absolutè, non opus esse audire verba, aut videre sacrificantem; sed sufficere vt interſit cum reuerentia, vt sacrificium suâ præsentiâ honoret. Vnde sufficit attentio quędam confusa, quâ aduertat ibi sacrificiũ offerri, vt docet Ioannes Medina Cod. de Confess. qu. 44. quæ attentio videtur stare posse cum actu confitendi, præsertim si ille actus dirigatur ad participandum sacrificio: Tunc enim intendere illi actui, est implicitè intendere ipsi sacrificio & illud honorare.

Denique sicut præceptũ de abstinendo ab opere seruili die Festo non prohibet opera recreationis, vel alicuius necessitatis temporalis; ita præceptum audiendi Sacri non prohibet exercitiũ orationis, aut alterius operis spiritualis. Ita Medina suprà.

9 *Probabile est tales excusari ab audiendo alio Sacro, etsi possint audire.*

Ex quibus satis probabile iudico etiam eos nõ teneri ad aliud Sacrum audiendũ, quibus sat temporis suppeditat, si bonam saltem partẽ extra confessionem audierint, ac proinde sub peccato mortali nõ cogendos tanquam obstrictos, sed hortandos tanquam ad id, quod tutius est, & decentius.

CASVS III.

Collectio eleëmosynarum tempore Missæ. 10

Vtrùm eidem præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro satisfaciant Collectores eleëmosynarũ, qui vsque ad Offertorium obeunt?

REspondeo, Videtur satisfacere: excusat enim illos Collectores eleëmosynarum qui vsque ad Offertorium obeunt, Primò, Lex æquitatis seu epiikiæ. Secundò, Cõsuetudo præscripta. Tertiò, Vtilitas temporalis pauperũ, quæ alia ratione non videtur posse obtineri. Denique quia est opus tale cum quo possit stare attentio confusa.

CASVS IV.

Institor rarò audiens Sacrum die Festo.

Institor quidam assiduè ad pagos & oppidula vicina excurrit diebus Dominicis quando ibi est dedicatio, vt vendat suas reculas: quò fit vt rarò audiat Sacrum. Viuit ex hac industria, nec habet famulum, aut alium, cui res suas committat.

QVÆRITVR, *An talis possit absolui?*

11

REspondeo, Talem absolui posse, præsertim si alia ratio illi nõ suppetat victum cõquirendi, & sustentandi familiam; nec, adhibitâ diligentiâ, possit interesse Sacro absque notabili iacturâ lucri, vel periculo mercium &c. quâ in re potest illi fides adhiberi, si alioquin non est suspectus de hęresi, vel contemptu, aut paruipensione rerum sacrarum.

Ita

12 *Audiat sacrum aliâ feriâ.*

Ita tamen putarem hac in re illi indulgendum esse, vt promittat se die sabbati vel feriâ sextâ, vel alio commodo tempore Sacrum auditurum: vt damnum illud spirituale quodãmodò sarciat. Potest enim hoc illi Confessarius imponere: quia videtur ad bonum ipsius spirituale aliquo modo necessarium, ne omnino silescat, &c.

CASVS V.

Obligatio ad Missam quotidie celebrandam.

Sacellanus quidam admisit Legatum, quo obligatur in certo Sacello peragere officium diuinum quoties saluâ honestate ac debitâ deuotione poterit.

QVÆRITVR Primò, *An hic Sacellanus teneatur quotidie celebrare; & semper offerre pro defuncto?*

QVÆRITVR Secundò, *An nunquam possit abesse quin alium in isto Sacello celebrantem substituat?*

QVÆRITVR Tertiò, *An possit simul admittere in alio templo beneficium Parochiale?*

13 *Absolutè non tenetur quotidie celebrare.*

AD *Primum*: Respondeo, Illum Sacellanum nõ teneri absolutè quotidie celebrare (quia tale onus ei imponi non potest, vt patet ex Cap. *Significatũ*, de Prębẽdis) sed *quoties saluâ honestate ac debitâ deuotione poterit*, vt patet ex litteris institutionis. Sic enim explicandam esse dispositionem quotidianæ celebrationis declarat dictum Capit. *Significatum*, suprà. Quòd si saluâ honestate & debitâ deuotione possit quotidie, tenetur quotidie; nisi consuetudo recepta, vel auctoritas legitima aliquid hac in re mitigauerit; præsertim si præbenda sit tenuis.

Tenetur, si possit.

Explicatio clausulæ hîc adiectæ.

Quid autem sibi velit illa clausula, *quoties saluâ honestate ac debitâ deuotione poterit*, explicat Panormitanus in dictum Cap. *Significatum*, quem sequitur Siluester V. Missa 1. §. 7. in fine, & alij. Declaratur aliquot exemplis: Primò, Si quis passus sit pollutionem præsertim ex culpa, & etiam si absq; culpa, & remaneat adhuc in animo aliqua imaginatio &c. Secundò, Si graui aliqua passione, v. g. iræ vel tristitiæ correptus, non possit facilè animum componere. Tertiò, Si corpore non sit benè affecto, vel sentiat tædium quoddam, quod non possit facilè excutere. Quartò, Si sentiat cruditates stomachi, quales ex crapula & cõuiuijs interdum relinqui solent. Quintò denique, quando ita est affectus, vt non videatur sibi posse tantum munus cum debitâ deuotione & attentione obire.

Non tenetur offerre pro defuncto.

Tenetur quidem orare pro defuncto Fundatore; non tamen tenetur fructum sacrificij primariũ ei semper applicare; quia Fundator id non expressit. Vnde potest etiam ab alijs subinde stipendium sustentationis pro Missis suis accipere.

14 *Potest subinde à sacello abesse.*

Ad Secundum: Respondeo, Potest abesse ob iustam causam, sicut possunt alij Sacellani, v. g. ob primitias consanguinei, vel peregrinationem ad B. Virginem Gratiæ &c. Neque tenetur tunc aliũ substituere, sed sufficit vt faciat Sacra in loco vbi erit: Solùm enim obligatur in suo Sacello celebrare *quoties saluâ honestate, & debitâ deuotione poterit*: quibus verbis non intendit Fundator illi omnem peregrinationem, & visitationem amicorum prohibere: sed solùm illum obligat vt quando est in oppido, nec habet iustam causam se absentandi, nec aliquid interuenit quod suadeat sacrificium omittere, tunc in illo sacello celebret. Idem cernitur passim in alijs beneficijs; & etiam in Pastoratibus, qui maximè assiduam residentiam requirunt. Nimis rigida & inhumana esset contraria interpretatio.

Neque tñe tenetur alium substituere.

Capellanus non tenetur aliũ substituere quando ipse legitimè impeditur, si institutio seu fundatio beneficij ita facta est vt ipsius personam directè respiciat; vt cũ dicitur, *Volumus vt ipse quotiescumque potest* &c. *ibi celebret*. Si autem referatur immediatè ad ipsum officium, vt si dicatur, *Volumus vt ibi quotidie celebretur* &c. tunc tenetur alium substituere. Ita Panorm. in dictum Cap. *Significatum*.

15 *Hæc Capella non compatitur beneficium Parochiale*

Ad Tertium: Respondeo, Cùm ista Capella residentiam personalem requirat, non compatitur Pastoratum, nisi ita sit vicinus vt vtrique possit deseruire. Quod videtur difficile, quia non solùm ad Missam in capella, sed etiam ad chorum adstringitur. Causa studiorum potest absentiâ aliquot annorum vti, quo tempore ex Episcopi dispensatione poterit facere sacra in loco studiorum, nullo alio substituto. Potest enim Episcopus in huiusmodi circumstantijs ad tempus dispensare, præsertim ijs quorum interest (qui sunt in hoc casu Domini de Capitulo) consentientibus.

CASVS VI.

Sacrorũ obligatorum moderatio.

Beneficiarius necdum Sacerdos, per duodecim annos quibus beneficium suum obtinuit, non recepit ex eo, detractis expensis necessarijs, nisi sexcentos florenos; ac proinde pauca Sacra, cùm tamen ad quotidiana teneretur, fieri curauit.

QVAERITVR, *Per quem, & qualis Sacrorum moderatio erit facienda?*

16 *Pro sacrificio licet accipere ab vno vel pluribus quantum necessariũ est ad sustentationem.*

RESpondeo, Multorum Doctorum sententia est, eum qui obligatur ad Sacrificium quotidie offerendum, posse vel ab vno vel à pluribus accipere quantum necessarium est ad sustentationem. Sic Melchior Canus lib. 12. de Locis. c. 13. ad 10. *Omnis opimio*, inquit, *in hoc consentiat necesse est, Sacerdotem, siue pro paucis, siue pro multis celebret, cibum vitæ necessarium expetere suo iure posse; quem, si vnus non dederit, nulli facit iniuriam si expetierit à pluribus.* Idem docet Sotus lib. 9. de Iustit. qu. 3. art. 1. sub finem. Petrus Aragon. pag. 679. de Iustit. & alij multi. Hęc sententia, etsi fortè contraria sit verior, non est improbabilis.

17

Vnde sequitur, Eum qui habet beneficium, ratione cuius tenetur quotidie celebrare, non obligari integrè numerum explere, nisi recipiat quãtum à quo modo sufficit ad sustentationem.

Potest in hoc casu fieri moderatio.

Quare cùm Beneficiarius ille, de quo quæritur, dicat se duodecim annis, quibus obtinuit beneficium, non recepisse, detractis expensis necessarijs, nisi sexcentos florenos in vniuersum; & quotannis curasse dici duo Sacra: non videtur cogendus vt integrum numerum Sacrorum præstet. Fructus enim computandi sunt detractis expensis, vt passim Doctores docent; qui non fuerunt vllo modo sufficientes ad sustentationem vel tenuissimam; nam non nisi quinquaginta floreni in singulos annos cedunt.

18 *Ab Episcopo.* Itaque non dubito quin Episcopus possit ei facere aliquam moderationem: hanc enim potest facere etiam in maioribus causis & publicis; vt insinuatur Cap. *Placuit*, de Constitutionibus: vbi Glossa dicit imminutis redditibus posse auctoritate Episcopi diminui numerum ministrorum, quod longè maius est, ac proinde, multoque magis numerum Missarum. Et Concilium Trident. sess. 25. cap. 4. de Reform. permittit Episcopis vt restringant numerum Missarum, quando est ita magnus, vt nequeat eis satisfieri, vel eleemosynæ ita tenues, vt non facilè inueniantur, qui huic se muneri velint subijcere.

Extra Synodum. Hîc tamen non est opus vt moderatio fiat in Synodo Diœcesana: nam Capitulum, *Placuit*. hoc non requirit: neq; Concilium Tridentinum loco citato ad id obligat, præsertim cùm hæc res sit occulta, priuata, concernens peccatum.

19 *Qualis moderatio.* Abundè autem satisfactum videri poterit, si pro sex annis prioribus adhuc vnum Sacrum in singulas hebdomadas curet fieri, id est, trecenta duodecim; & pro sex posterioribus in singulas hebdomadas duo, id est, sexcenta viginti quatuor. Saluo in omnibus meliori iudicio.

CASVS VII.

Missa Epileptici. *Sacerdos sit Epilepticus: sed ante lapsum solet id præsentiscere.*

QVÆRITVR, *An possit illi permitti celebratio?* &, *An celebrando peccet?*

20 *Iudicium morbi spectat medicos.* REspondeo Primò, Medicorum est determinare qua specie morbi quis laboret, & an sit periculum relapsus; non autem an possit celebrare: hæc enim quæstio suppositio & audito Medicorum iudicio, ex Iure Canonico est resoluenda; quod statuit, ne Energumeni, Epileptici, & furiosi possint ordinari, aut etiam in ordine accepto ministrare, nisi cùm certis limitationibus; vt patet 33. dist. Cap. *Communiter*, & duobus sequentibus. & 7. q. 2. per totum.

Non licet, etsi soleat lapsum præsentire. Respondeo Secundò, Etsi soleat lapsum præsentiscere, non tamen est illi permittenda celebratio. Ita enim apertè scribit Alexander I I. Cap. *In litteris*, 7. qu. 2. *Vt is qui frequenter morbo caduco tangitur, ab oblatione, & Missarum celebratione omnibus modis prohibeatur.* Et Gelasius, Cap. *Nuper*, ibidem: *Si aliquado*, inquit, *in domo vel in processione, vel in alio quocumque loco præsentè repentè collapsus, vocesque dedisse confusas, & spumas ore iactasse*. Nec refert quòd dicatur *repentè collapsus*, quasi non cõprehenderentur qui præsentiunt lapsum futurum: tùm, quia DD. huius exceptionis non meminerunt; tum, quia commune est omnibus cadere repentè, quando morbus inuadit; tum, quia alij Canones non habent illam particulam. Idem patet ex Cap. *Illud*. 7. q. 1. in fine.

12 *Debet esse perfectè curatus.* Respondeo Tertiò, Non potest illi permitti celebratio, nisi ita curetur, vt nunquam putetur sic casurus. Vt patet ex Canonibus citatis, & docent passim DD. Neque sufficit quòd rarò putetur casurus, aut rarò cadat; si id fiat cum spuma, aut vocis confusione, similibusque signis horrorem incutientibus, vt colligitur ex Gelasio: & docet Nauarrus cap. 27. nu. 203. ceterique DD. Si verò fiat rarò & sine signis horroris, tunc potest ei permitti celebratio, modò adsit ei socius, qui iuuet & suppleat, si quid aduersi contigerit. Colligitur ex eodem Cap. *Nuper*. & Cap. *Illud*. & docet expressè Siluester V. *Corpore vitiatus*, sub finem. Angelus eodem Verbo num. 7. Nauarrus suprà, &c.

Celebrans peccat mortaliter. Respondeo Quartò, Sacerdos post illa symptomata celebrans, siue sæpè siue rarò, peccat mortiferè toties quoties id facit: quia contra grauissimos Ecclesiæ Canones, & in irregularitate id facit. Nisi excusetur per ignorantiam, vt sæpè fit. Similiter peccat Superior qui permittit, nisi ignorantia excuset: nullam tamen censuram tunc incurrunt.

MONETA.

CASVS I.

Valor Monetæ. *Vtrùm Mercatores possint maiori pretio certas pecunias expendere, quàm passim valeant, & ipsi acceperint?*

1 REspondeo, Si inter mercatores iam vsu receptum est, vt certas species monetæ aureæ vel argenteæ maiori pretio expendant, quàm legitimo; non puto illis mouendum scrupulum, etiamsi ipsi ab alijs, qui non sunt mercatores, inferiore pretio, quod lege præscribitur, illas species acceperint. Legem illam, quæ id prohibet in genere, sentio esse merè pœnalem; præsertim quando iam vsus contrarium obtinet, & creditor libenter eo pretio accipit. Omitto alia multa quæ hîc dici possent; vt, quòd in vicinis regnis illud pretium vigeat. Quo casu difficile est intelligere quomodo illa lex bono communi seruiat, &c.

CASVS II.

Inquisitio & punitio circa valorem monetæ. *Princeps statuit legẽ, quâ sub graui pœnâ pecuniariâ prohibet, ne certæ species monetæ expendantur siue dando, siue accipiendo, supra pretium à se taxatum. Hæc lex, quia subditi grauissimum ex ea damnũ sentiunt, non seruatur in multis ciuitatibus: vnde etiam aliæ his vicinæ non seruant.*

QVÆRITVR, *Vtrùm Officiales Principis possint inquirere in mercatores, de quibus in particulari non est fama quòd legem violent, minis & fraudibus agendo cum rusticis & alijs hominibus simplicioribus, qui cũ illis mercatoribus contraxerunt, vt extorqueant ab illis quas species monetæ, & quo pretio acceperint, &c. & ex huiusmodi extortâ confessione punire & ipsos rusticos &c. & mercatores infligendo mulctam lege constitutam; maximè cùm ex huiusmodi punitione grauis sequatur perturbatio ciuitatis, mercatoribus cum suis mercibus aliò se transferentibus?*

2 *Quæ mens sit boni Principis circa legẽ pœnalium obseruationem.* REspondeo, & Dico Primò, Certum est non esse mentem optimi Principis, & subditorum suorum amantissimi, vt sui Officiales, & eorum ministri, hoc modo aduersus subditos procedant. Cuius rei satis multa indicia dedit, cùm ostendit sibi quorundam rigorem valdè displicere, & mentem suam esse, vt lex illa in vsum deducatur quantum commodè fieri posset, absque subditorũ perturbatione. Vnde est contra mentem eius, vt cum

tam

tam grauì perturbatione & damno subditorũ lex illa introducatur. Lex enim vt iusta sit, debet esse vtilis bono publico, & consentanea populi moribus: Can. *Lex erit*, dist. 4. vnde si est damnosa bono publico, vel perturbatiua tranquillitatis publicæ, est iniqua; vt omnes Theol. & Canonistę tradũt.

3 *Quid requiratur vt Iudex possit in particulari in aliquem inquirere.*

Dico Secundò, Iudices seu Officiales Principis non possunt in particulari aduersus aliquẽ inquirere, nisi præcedente infamiâ, vel saltem præuijs aliquibus indicijs. Ita docent omnes Theologi & Canonistæ; & expressè definitum est Capitulo *Inquisitionis*. §. *Tertiæ*, de Accusat. & Cap. *Qualiter*, 2. eodem titulo. Quæ doctrina maximè locũ habet quando proceditur nõ ad mali impendentis amolitionem, v.g. ad proditionem, vel incendia, vel homicidia auertenda: sed ad punitionẽ delicti, seu ad pœnam siue corporalem siue pecuniariam infligendã. Tunc enim omnium Doctorũ sententiâ Iudex nõ potest ex seipso incipere inquisitionem, sed semper debet aliquid præcedere quod inquisitioni viam aperiat, & Iudicem quodãmodò cogat vt ex officio procedat, v.g. notitia publica, infamia, querela partis, vel quid simile: alioqui totus processus est iure nullus, & ipse tenetur ad restitutionem damni secuti: quia contra Iuris ordinem procedendo, fuit alteri causa damni. Docet hoc optimè doctissimus Iureconsultus Iulius Clarus Præses olim Concilij Regij Mediolani lib. 5. q. 5. Pract. criminal. ita scribens: *Scias, quòd in quocumque casu, in quo Iudex, siue de iure communi, siue de iure statutario, siue ex consuetudine potest procedere ex officio, & sic per viam inquisitionis, nunquam debet, neque potest à seipso procedere ad inquirendum, siue ad assumendas informationes vel indicia specialiter contra aliquem, nisi aliquid præcedat, quod aperiat viam inquisitioni; videlicet diffamatio, vel querela partis, vel denuntiatio, vel huiusmodi. Aliter processus esset ipso iure nullus, etiamsi delictũ fuisset de iure plenè probatum. Et memini ego quòd fuit grauiter reprehensus Prætor Vallis Sicidæ, qui processerat contra quendam de incestu, quòd propriam filiam carnaliter cognouisset, nulla præcedente querela vel denuntiatione; & ambo fuerint absoluti, 9. Nou. 1560.* Hęc ille, & alia multa in eandem sententiam. Ex quibus patet iniustum esse tale iudicium: ac proinde Iudicem teneri ad restitutionem.

Iulius Clarus.

Alioquin processus est ipso iure nullus.

MONIALIS.

CASVS I.

Clausura.

In quodã monasterio feminarum iussu Superiorum inducenda est clausura. Cõsentiunt omnes Moniales ad chorum deputatæ. Refragãtur duæ Conuersæ, volentes habere libertatẽ exeundi. Primò, quia valdè senes, nec illarũ castitati periculum. Secundò, quia coactè videntur professæ. Tertiò, quia cũ profiterẽtur, non erat clausura, nec ad eã se obstrinxerunt.

QVAERITVR, *An saltem per Ἐπιείκειαν possit hoc illis indulgeri?*

4 *Quando Ἐπιείκεια locum non habeat.*

REspondeo negatiuè. Ratio est, quia Ἐπιείκεια locum non habet, quando constat legislatorem etiam illũ casum velle sua lege comprehendi; & legem, vt sonat, seruari. Atqui Conc. Trident. & Pius V. ita propomunt suam legem, vt manifestum sit, eos velle, etiam hoc casu, legem suam seruari: ac proinde manifestum est illas non posse per Ἐπιείκειαν à lege cõmuni eximi. Imò vt hoc modo possit quis excusari, moraliter certũ esse debet mentem legislatoris esse, vt ille casus non comprehendatur. At hic tantum abest vt hoc moraliter certum sit, vt potiùs contrarium sit certũ. Expendantur verba Cõcilij Trid. sess. 25. c. 5. de Regul. vbi vniuersis Episcopis grauissimis verbis præcipitur, vt in omnibus monasterijs Monialiũ introducãt clausuram &c. deinde addit: *Nemini Sanctimonialium liceat post professionẽ exire monasterio, etiam ad breue tempus, quocumque prætextu &c.* Et Pius V. in Cõstitut. quę incipit *Circa Pastoralis*, renouat decretum Concilij, & declarat etiam Conuersas ad clausuram teneri, etiamsi aliàs ex instituto vel regula non tenerentur, & quamuis in monasterio nunquã clausura seruata fuisset &c. Et in Constit. quę incipit *Decori*, seuerè prohibet exitum Monialium, etiã Conuersarũ è monasterio, exceptis certis casibus ibidem expressis. Ex quibus ritè ponderatis, manifestum est mentem ipsius & Concilij fuisse, etiam tales Conuersas comprehendi.

Nec obstant rationes pro illis allatæ. Ad Primã: Quia etsi in ipsis non videatur periculum incontinentiæ ob ætatem, & ita videatur in ipsis cessare ratio legis; tamen pertinet ad decorũ Religionis, vt non egrediantur, nec versentur cũ sęcularibus: & ita nõ cessat tota ratio legis, sed solùm ex parte. Deinde, vt lex in particulari nõ obliget aliquem, non satis est quòd in ipso cesset ratio legis; sed requiritur vt vel cesset in communi: vel huic in particulari, si seruet legem, obuenturum sit aliquid contra intentionem legislatoris; vt communiter docent Doctores: quod hîc non accidit.

1 *Soluuntur Rationes.*

Quandonam censenda sit ratio legis cessare.

Ad Secundam: Etsi prior harũm Cõuersarum videatur coactè professa, tamen sponte manendo tanto tempore, censetur liberè consensisse & ratificasse suam professionem. Nec obstat quòd metu ignominiæ apud sæculares non fuerit ausa egredi: hoc enim non facit inualidam ratificationem. Deinde, si volebat esse libera, debebat reclamare intra quinquennium à professione: quòd cùm non fecerit, non est audienda, vt statuit Concil. Trid. sess. 25. c. 19. sed præsumẽda est verè esse religiosa. Idem & potiore ratione dicendum de altera; quia vexatio amitæ non facit inualidam professionem, quando nõ eo fine fuit illata, vt ipsa sic cogeretur ingredi Religionẽ. Innumeri sunt qui ingrediuntur Religionẽ, vt molestias suorũ parentum vel amicorũ euadant; quorũ tamen professio valida est.

6 *Metus ignominiæ & vexatio non inducunt coactionem.*

Ad Tertiam: Concilium & Pontifices id non curant; vt patet ex Cõstitutione Pij V. iam citata. Ecclesia enim iudicauit vniuersim id statuendum tanquam necessarium ad seruandum votum castitatis, & decorum illius status in feminis.

7 *Licet clãsuram non vouerint, tenentur ad clausuram.*

Itaque fortiter & suauiter puto illas inducẽdas vt patiantur se cum alijs includi. Primò, Quia hęc est voluntas Ecclesiæ, quam constat regi à Spiritu sancto; ac proinde est volũtas Spiritus sancti: vnde resistere huic ordinationi, est resistere Spiritui S. *Qui autem Spiritui s. resistit, hic sibi damnationem accersit*: hic non est Filius Dei, quia Spiritum Dei nõ habet: ac proinde non erit hæres regni. Secundò, Quia cùm sint seniores & breui morituræ, & Deo reddituræ rationem totius vitæ, debent alijs dare exemplũ humilitatis & obedientiæ: multò minùs sorores suas scãdalizare sua duritie & obstinatione, sicut facient, si pergant refragari. Tertiò, Si habẽt verum spiritũ Religionis, debent abhorrere à cõuersatione sæcularium, & sponte optare clausurã.

8 *Rationes quibus trãducipossent ad suscipiendam clausuram.*

Nolendo illam admittere ostendunt se non habere spiritum Religionis, sed sæcularem: ac proinde metuendum ne etiam non accipiant Religionis præmium. Denique vt cogitent breui reddendam Deo rationem, & conentur saltem in fine vitæ se excitare ad ea quæ sunt perfectionis. Hæ & similes rationes illis proponi poterunt, quibus inducantur ad consentiendum clausuræ. Quòd si permaneant obstinatæ, poterit etiam aliqua vis adhiberi. Ea planè est mens Concilij & Summorum Pontificum.

Fuga è monasterio vt castitati cõsulatur.

CASVS II.

Caia monialis non potest se expedire à turpi consuetudine sui Confessarij.

QVÆRITVR, *An possit in habitu sæculari fugere ad aliam Prouinciam, vt ibi in alio Ordine de nouo recipiatur?*

9 REspondeo, Positis illis circumstantijs, quas R. V. commemorat, vt monialis illa non possit manendo in illo loco se expedire à turpi consuetudine sui Confessarij, non putarem prohibendam ei fugam, etiam in habitu sæculari, ad aliam Prouinciam, vt ibi de nouo recipiatur, etiamsi sit alterius Ordinis. Cessant enim omnia vincula humana, & proprio arbitrio inducta, quãdo ex illorum obseruatione sequeretur pernicies animæ, & iactura salutis: nec aliud remedium moraliter est possibile.

Admissio defloratæ.

CASVS III.

Puella quædam clanculum defiorata petit admitti in monasterium.

QVÆRITVR Primò, *Vtrùm Monialis huius conscia possit ei dare suum suffragium?*

QVÆRITVR Secundò, *An, hoc vitio celato, sit valitura professio, si, illo cognito, non fuisset admittenda?*

10 AD *Primum*: Respondeo, Non videtur ista Monialis teneri in conscientia negare suum suffragium, cùm illud puellæ recipiendæ vitium occultũ sit, nec videatur notabile incommodum inde prouenturum monasterio, & metuendum sit ne illa puella incurrat aliquam infamiam.

Vtrùm autem expediat alia ratione impedire eius ingressum, iudicandum ex circumstantijs. Si putaretur expedire, posset illa Monialis dare operam, vt illi puellæ priuatim loquatur, quo obtento, poterit illam monere ne pergat vrgere ingressum, & indicare quid de illa cognouerit. Posset etiam sub secreto insinuari Abbatissæ, si opus videbitur. Si tamen puella præclaras habeat dotes, quibus illa labes compensetur, melius fortè esset omnia dissimulare, & ipsi suffragium dare.

11 *Carentia virginitatis non irritat professionem.*

Ad Secundum: Respondeo, Certum est professionem valere quando impedimentum non est essentiale; etiamsi Superior & Conuentus ita affectus sit habitu vel actu, vt si sciret tale impedimentum (vt est in præsenti casu defectus virginitatis) nullo modo personam vellet admittere: Idem cernitur in contractu matrimonij. Ille enim affectus non influit in actum, nec facit actum admissionis conditionalẽ, sed merè per accidens, & concomitanter se habet. In contractibus tamen qui partium consensu solubiles sunt (quales sunt illi qui à R. V. adferuntur) licitum est ei qui sic deceptus est, soluere contractum, etiamsi solùm circa qualitatem rei, quam ipse magni faciebat, deceptus sit: ipse tamen contractus per se non est omnino irritus. Illud tamen locum non habet quando contractus consensu partium solui nõ potest: sicut fit in matrimonio & professione.

Nec obstat quòd ob impedimentum non essentiale suppressum in examine, aliquando Religiosus possit expelli, (vt si laboret morbo incurabili, præsertim infectiuo aliorum:) quia non idcirco professio vel fuit irrita, vel potest irrita reddi, quia talis manet Religiosus. Carentia tamen virginitatis non est talis defectus, vt persona alioqui in idonea, ob illum expelli debeat.

Transitus ad aliũ Ordinem.

CASVS IV.

An Monialis professa Ordinis S. Benedicti possit per Ordinarij dispensationẽ transire ad Ordinem Monialium S. Augustini?

REspondeo, Si monasterium est subiectum Ordinario, & subest iusta causa, posse. Ita expresse Innocentius, Panormitanus & Glossa in Cap. *Non est dubium.* de Regularibus. Siluester V. Religio 4. q. 2. Nauar. Comment. 4. de Regular. n. 11. Sà V. Religio n. 39. Angelus, V. Religiosus, n. 35. 12

Vt tamen pacificè fiat, debet accedere consensus Conuentus, vt plerique ex prædictis authoribus notarunt.

Alimenta profugæ & nuptę, ex bonis monasterij.

CASVS V.

Catharina Monialis, occupato ab hæreticis suo monasterio, nupsit: & alimenta ab ijs taxata accipit.

QVÆRITVR, *An ea alimenta possit accipere: & ipsa pergere cohabitare viro, à quo, ob eius morbum, toro separata est?*

REspondeo, Non est magna difficultas in accipienda pensione ab illis hæreticis: quia cùm sit verè Religiosa professa, ius habet vt alatur ex bonis monasterij. Itaque alimenta ab hæreticis taxata potest accipere. Etsi enim grauiter peccarit ineundo matrimonium, tamen non ideò desinit esse professa, nec facta est incapax alimentorum ex monasterij bonis præbendorum. Accedit quòd alioqui illa pensio deuoluetur ad hæreticos. 13

14 *Vtrùm absoluendo.*

Verùm difficilè est videre quo modo possit absolui quãdiu manet cum marito, cui sacrilegè copulata. Etsi enim non sit periculum incontinentię, vt refertur in facto, propter ætatem & herniam mariti, & toro sit separata ab illo; tamen manet ei coniuncta habitatione publicâ, tanquam vxor viro legitimo; & tamen publicè constat ipsam esse monialem: vnde putatur persistere in sacrilegis nuptijs: ac proinde publicè præbet scandalum: quia viuit cum illo homine hæretico tanquam cum marito. Denique in omnibus rebus domesticis agit cum illo, vt vxor cum marito. Quòd si huic scandalo occurri posset, non putarem ei denegandam absolutionem. Verùm non video quî id fieri queat.

MVTVVM

MVTVVM.

CASVS I.

Lucrum è mutuo, titulo omissæ negotiationis.

Titius dedit Caio amico suo 100. *vt inde lucretur v. g. octo: nam tantum lucrari potuisset ex mercimonijs, si ea exercuisset.*

QVÆRITVR Primò, *Vtrùm hoc titulo possit tantum lucrari?*

QVÆRITVR Secundò, *Quid dicendum si hosce* 100. *concesserit mercatori?* Item *si insuper petiuisset assecurationem sortis?*

1 *Negatur sufficere iste titulus.*

AD *Primum:* Communis sententia Doctorũ, quos hactenus legi, est, ad mutuandam pecuniã cum lucro, v.g. 6. 7. vel 8. in 100. non sufficere, quòd illam eras collaturus in commercia æquè vel magis lucrosa, nisi passim tales mutuatarij sese offerrent. Alioquin posset quis omnem suam pecuniam destinare ad tales mutuationes, cum proposito nunquam exercendi mercimonia; quia perpetuò plurimi, qui sic petunt, sese offerunt: nam habet (vti suppono) propositum conditionatum conferendi se ad mercimonia, nisi illa ratio commodior præstò esset, plurimique egentes pecuniã in Repub. reperirentur. Et sic possent excusari qui per totam vitam exercent vsuras semisses, septunces, besses, vbi 6. 7. 8. exiguntur in centum, saluâ sorte: quod nemo concesserit.

Ratio. Ratio est, quia qui absolutè statuit non negotiari, suasque rationes ad mutuandum contulit, nõ potest prætendere lucrum cessans ex hac vel illa mutuatione; quia etiamsi ego non petijssem ab eo, nihilominùs caruisset lucro negotiationis: iam enim ante meam petitionem statuerat non negotiari. Itaque mea petitio, vel mutuatio mihi facta, non est causa cur lucrum ei cesset: non ergo iure à me petit huius lucri compensationem.

2 *Requiritur vt mutuatio mihi facta sit causa cur illud lucrũ negotiationis non consequatur.* Requiritur itaque vt statuerit negotiari; & vt mutuatio mihi facta, sit causa cur lucrum illud negotiationis non consequatur. Quare magni refert, vtrùm pecunia sit iam reuerà destinata negotiationi, an non: Ratio est, quia pecunia vt subest illi destinationi & industriæ, pluris valet, quã per se sola: nam qui illam pecuniam alienat, simul industriã suam, quã poterat esse fecunda, perimit: (suppono enim illum non habere aliã, quam huic possit sufficere) & ita non dat nudam pecuniam, sed simul suam industriam sibi detrahit, subductâ illius materiâ. *Confirmatur exemplo.* Cõfirmatur exemplo opificis, quod à D. T. adducitur in contrarium: nam pictor qui statuit deserere artem pictoriam, quâ in dies lucrabatur 40, si conferat se ad sutoriã non poterit lucrũ exigere sibi cessans ex pictoria dũ vendit calceos; quia hic vel ille calceus non fuit causa deserendæ pictoriæ: similiter si deserat vt seruiat alicui nobili in genere, non poterit lucrum cessans prætendere, modò huius vel illius seruitium in particulari non sit causa desertionis artis, vel quòd artem pristinam non repetat.

Magni æstimatur mutare alterius gratiã designationes lucrosas. Deinde, magni æstimant homines mutare designationes lucrosas, & abrumpere propositum; quod fit dum pecunia erat destinata alijs lucris; non autem, si non erat destinata. Nec obstat exemplum opificis quod adducitur: quia id potiùs apertè faueret si benè applicetur. Si enim ille relinquat operas quæstuosas, vt alteri particulari deseruiat, aliàs non deserturus; potest paciscì cum illo de lucro cessante: si autem relinquat absolutè vt alicui in genere seruiat, non potest prætendere lucrum cessans, quamuis sit eâ mente, vt nisi multi egerent obsequijs, vellet repetere artem desitam: iam enim respectu cuiusuis in particulari deseruit artem suam absolutè; & nemo in particulari est illi auctor artis & lucri deserendi; quia iam antè id constituerat. Sic qui frumentum sationi paratum, mutatâ voluntate statuit non serere, sed vendere; non potest prætendere lucrum cessans respectu ementis huius aut illius; quia nulla venditio in particulari est causa lucri cessantis: quamuis enim non vendidisset mihi, tamen non idcò voluisset sementem facere. Fateor tamen, quia venditio mihi facta eripit illi potestatem conuertendi in sementem, si illa fortè erat exitura in actum me non emente, posse hoc æstimari: similiter in locatione operarij. Sicut enim æstimabile est abrumpere propositum negotiationis, ita etiã amittere potestatem, quæ fortassis erat exitura in actũ. Sed hoc casu id parui æstimabitur.

3 *Mutuum dare Mercatori & lucrare.* *Ad Secundum:* Concedo, si tradat illos 100. mercatori, intendens actu vel virtute tres illos cõtractus, de quibus Nauarrus & alij, posse illum sex & amplius in 100. sic lucrari. Censetur autem virtute intendere, quando vel cõsuetudo sic lucrandi ex tali mutuatione nata est, vel si intendat omni modo dare & lucrari quo iustè potest: non autem si tantùm intendat mutuare cum interesse.

Assecuratio sortis imminuit lucrum. Quod ad assecurationem sortis attinet; qui vult sortem esse saluam, non lucrabitur illa duo supra sex, sicuti argumentum supponit: sed hoc lucrum debet dari alteri, qui spondet securitatem.

CASVS II.

Lucrum è mutuo, titulo euentus fortuiti.

Titius dedit Caio 100. *vt post annum, si viuat, restituat* 110. *Si verò obierit, tantùm restituantur* 90.

QVÆRITVR Primò, *Vtrùm hic contractus sit iustus?*

QVÆRITVR Secundò, *Quibusnam titulis iustificari possit?*

4 *Hic euentus fortuitus non iustificat hunc contractum.* AD *Primum:* Respondeo, Contractus ille quo Titius dat 100. Caio, vt quotannis recipiat 110. si Caius superstes fuerit, quòd si contingat mori eo anno, 10. detrahantur sorti, non potest iustificari ratione solius euentus fortuiti, quasi contractus sortium; quia par non est conditio cõtrahentium: longè enim verisimilius est Caium illo anno non moriturum, quàm moriturum. Itaque alij tituli debent inuolui & intendi à Titio, & à Caio acceptari. Suppono Titio relinqui ius repetendæ sortis quando voluerit prima monitione vnius vel duorum mensium.

5 *Tit. modus iustificandi hunc contractum.* Poterit igitur hic contractus iustificari dupliciter: Primò, Si intendat triplicem contractum cum mercatore, ei simul coniungens contractum sortium. Possunt enim hi contractus seorsim fieri: vnde etiam possunt fieri simul, si vtraque pars liberè consentiat. Et quidem ratione contractus triplicis cum mercatore poterit lucrari 7. vel 8. in centum, præsertim in Angliã, vbi mercatura viget: reliqua 2. ratione contractus sortium. Satis enim videtur æqua conditio, si lucrum duorum opponatur amissioni 10. Sicut enim 10. respectu

duorum habet proportionem quintupli; ita certitudo vitæ facilè superat quintuplum certitudinẽ mortis Caij intra illum annum. Sed malim hunc contractum sortium relinqui, & solùm iniri triplicem cum mercatore, qui vbique receptus est; & in Angliâ facilè dabit 8. in 100. Si tamen velint illum adiungere vt lucrentur 10. non videtur prohibendum. Debent tamen moneri vt omnes titulos supradictos intendant.

6 *2. Modus iustificandi hunc cõtractum.* Secundò potest excusari si intendant emere cẽsum vtrimque redimibilem; & simul adiungant contractum sortium. Videndum quanti valeant ibi census personales vel reales solùm redimibiles ex parte venditoris. Nam is qui ex parte vtriusque redimibilis est, debet pluris emi; & consequenter minor percipietur pensio quotannis: V.g. si sensus redimibilis ex parte solius venditoris dat 6. & vnam quartam in 100. is qui vtrimque redimibilis est dabit solum 5. in 100. Si ille dat 8. hic solùm dabit 6. & vnam secundam. De quo vide si placet c. 22. de Iustitia, dubit. 10.

CASVS III.

Lucrum, è mutuo, titulo Assignationis: Periculi sortis: Solius carẽtiæ pecuniæ.

Franciscus Mercator dedit Titio 100. *vt post mensem ei in assignatione vel chirographo soluat* 101.

QVÆRITVR Primò, *Vtrùm ei licitum sit ita mutuare?*

QVÆRITVR Secundò, *Vtrùm possit habere rationem periculi sortis?*

QVÆRITVR Tertiò, *Vtrùm in mutuo habere possit rationem solius carentiæ pecuniæ?*

7 *Cõtractus hic videtur iniustus.* AD *Primum*: Supposito fundamento Franciſci, 100. in præsenti tanti valere hoc tempore communi mercatorum æstimatione, quanti 101. in assignationibus & chirographis post mensem soluendis; non video cur iniustus censeri possit iste contractus, quo Franciscus dat Petro 100. in præsenti, pro assignationibus & 101. vel nunc vel post mensem ei exhibendis, & post mensem primùm soluendis.

Sufficit vnum in 100. accipere per mẽsem. Non facilè tamen concesserim posse amplius quàm vnum in 100. accipere per mensem. Nam præterquam quòd istæ sint vsuræ centesimæ, quæ veteribus semper valdè magnæ sunt visæ; prohibitum est per constitutionem Caroli V. ne possint *Constitutio Caroli V.* amplius quàm 12. in centum per annum exigere, etiamsi prætenderent maius interesse. Si contra fiat, puto posse audici fisco cum noua mulcta transgressori imponenda; ita enim solet fieri in similibus.

8 *Quomodo haberi possit ratio periculi.* *Ad Secundum*: Quod ad periculum sortis attinet, sentio hunc titulũ sæpè esse considerabilem, quando status eius quocum agitur, non est satis perspectus, vel habetur aliquo modo suspectus. Audio tamen sæpè rem adeò esse securam, vt vix vno regali in 100. aureos æstimetur per mensem, vel etiam nullius omnino sit pretij; quia non maius periculum est, quàm si pecunia maneret in cista mutuantis. Non dubito quin tantum ex hoc titulo Franciscus possit petere, alijs titulis sepositis, (si tamen mercatores in taxando pretio carentiæ, nullam rationem habent periculi,) quantum ipse vellet alteri dare, qui hoc periculum præstaret, vel quantum iudicio prudentium æstimatur.

9 *Ad Tertium*: De fundamento Franciſci possitne esse verum, sepositio omni interesse lucri cessantis vel periculi sortis, dubitari potest: nam Doctores nõ videntur agnoscere alios titulos, ratione quorum præsens pecunia pluris possit æstimari, quàm absens tempore. Puto tamen verum esse posse: non quòd præsens pecunia pluris æstimetur quàm assignatio, cùm plerumque mercatores non nisi per assignationes soluere soleant; sed propter absentiam pecuniæ: etsi absentia per mensem tantùm, non tanti soleat æstimari; cùm non soleat dari ad vnum tantùm mensem, sed ad minimum ad duos vel tres. *Via excudendi ab vsurâ solẽ carentiam pecuniæ.*

Ratio ergo cur putem verum esse posse, est, Tũ quia Caietanus cum quibusdam alijs, quos secutus sum, sentit posse chirographa post aliquot menses soluenda emi minoris, etiamsi omnino sint secura. Tum quia puto communitatem mercatorum posse imponere certam æstimationem carentię pecuniæ per mensem vel annum. Cùm enim ferè semper hæc carentia habeat aliquid incommodi in plerisque mercatoribus, præsertim vigentibus cambijs, ne quisque pro suo arbitratu hoc æstimaret, sicque supra id quod iustum est, peteret in mutuo; potuerunt mercatores boni communis causâ id æstimare & taxare, illique carentiæ veluti pretium imponere; quod poterit exigi etiam ab ijs, qui reipsà nihil ex illa carentia incommodi sentiunt; eò quòd sit instar pretij illius iustè taxati: Sicut per traiectionem pecuniæ tuæ possum accipere pretium (etiamsi mihi non sit incommoda, imò quamuis sit aliàs commodissima) quia communi æstimatione potuit à mercatoribus hæc traiectio taxari: quæ taxatio ab omnibus seruanda. Quid enim obstat cur ad vitanda incommoda maiora non potuerint æstimare carentiam pecuniæ, per vnum, duos, tres, quatuor, quinque menses, vel per annum, etiamsi quibusdam hæc carentia nihil adferat incommodi? Sufficit enim vt plerisque incommoda sit, vt communis aliqua æstimatio ei possit imponi. Hoc fundamento, addito altero de periculo sortis, puto speculatiuè multos Bursæ Antuerpiensis contractus posse defendi; sed non facilè ausim hæc ad praxim deducere; quia nullum auctorem inuenio suffragantem. Non tamen velim cogere ad restitutionem post factum. *Mercatores impone re possunt æstimationem carentiæ pecuniæ.*

CASVS IV.

Lucrum ex mutuo cum pacto recipiendi sortem.

Tutor pecuniam pupilli deposuit apud quempiam non constituto reditu, cum pacto restituendi pecunias, quando pupillus opus haberet, & interim solueret 6. & vnam quartam in 100.

QVÆRITVR, *Vtrùm ibi sit vsura?*

10 REspondeo, Etsi secundùm iuris rigorem censeatur vsura, & ideò Rex prohibuerit, vt à quodam perito audiui: tamen probabile est, id quod ante regium interdictum factum est bonâ fide, non esse restituendum. Ratio est, quia credibile est, hanc consuetudinem ortam esse vel ratione lucri, quod ordinariè cessat; vel ex contractu triplici cum mercatore. Itaque saltem implicitè censetur aliquis talis titulus intendi in huiusmodi

modi depositionibus. Vide plura apud Valentiam. Videtur tamen 6. & vna quarta in centum esse nimium. Valentia solùm permittit 5. in 100: Si tamen cum mercatore contrahas per tres contractus explicitos, vel implicitos, potes exigere 6. & vnam quartam in centum; imò interdum 7. & 8. prout negotiatio est lucrosior.

CASVS V.

Mutuare absque potentia soluendi.

Virgines quædam communiter viuentes se debitis supra vires onerarunt, & valdè probabiliter credunt se non posse soluere.

QVÆRITVR Primò, *Vtrùm possint pecuniam mutuò, vel ad censum accipere?*

QVÆRITVR Secundo, *An Officiales, vel aliæ, quæ sciunt statum illum Congregationis, possint mutuò petere, etiamsi Superior id eis committat?*

QVÆRITVR Tertiò, *An Confessarius hæc omnia manifestè intelligens, & videns periculum scandali impendentis, teneatur monere eas quæ præsunt, ne in posterum eo in statu mutuum accipiant?*

11 AD *Primum*: Respondeo, Certum est virgines illas, quæ debitis supra vires se onerarunt, & sciunt, vel etiam valdè probabiliter credunt, se non posse soluere; non posse pecuniam mutuò vel ad censum accipere: hoc enim æquivaleret furto. Vnde non licitum est nisi in casu, in quo liceret occultè & more furum accipere.

12 *Ad Secundum*: Respondeo, Officiales, vel aliæ, quæ sciunt statum illum & particularia, ob quæ credunt, vel credere debent Conuentum non fore soluendo, non possunt mutuum petere, etiamsi Superior id eis committat: quia non est licitum furari. Iuniores quæ ignorant statum rerum, & putant breui media suppeditanda, possunt de præteritis excusari per ignorantiam à peccato. In posterum tamen est illis insinuandum ne faciant, nisi verè spes affulgeat. Superiores fortè in peractis excusari à culpa possunt, quòd omnino certò sibi persuaserint successura ex voto quæ proposuerãt. Verùm in posterum non possunt excusari, cùm prudentibus rerum æstimatoribus, videatur illud fundamentum non successurum.

13 *Ad Tertium*: Respondeo, Confessarius hæc omnia manifestè intelligens, & videns periculum scandali impendentis; tenetur monere eas quæ præsunt, ne in posterum mutuum accipiant, nisi illis certa vel valdè probabilis ratio suppetat suo tempore soluendi: & nisi velint obtemperare, debet illis negare absolutionem. Quia absque mortifero peccato non possunt id facere, vnde & graue damnum proximo, & publicum scandalũ nasceretur. Exponant necessitates suas Principi, Episcopo, Prælatis, & viris primarijs, vt dignentur succurrere, ne cogantur suam congregationẽ dissoluere, & opus inchoatum ad institutionem puellarum abrumpere.

ORDINES SACRI.

CASVS I.

Domicilium Ordinationis.

Quidam puer Gandaui natus, parentibus orbatus, bonis destitutus, in familiam patrui Ruremundæ admissus est, qui eum vt filium aluit, studijs addixit, cum proposito eum perpetuò educandi, & promouendi, deque rebus illius, vt filiorum, statuendi.

QVÆRITVR, *An hic possit dici habere Ruremundæ domicilium habitationis, ratione cuius possit ab Episcopo Ruremundensi insigniri tonsurâ, & ordinari?*

RESpondeo, Affirmatiuè. Domicilium enim habitationis, secundùm omnes Doctores, sufficit vt quis eo loco possit ordinari: & habetur expresè Cap. *Cùm nullus.* De Temp. Ordinand. in 6. Atqui iste puer habet domicilium habitationis Ruremundæ apud patruum: hoc enim ipso quo patruus statuit eum detinere in suâ familiâ tanquam filium, contrahit domicilij patrui, sicut alij filij; quia patruus est illi instar patris, eique tanquam patri obedire debet. Accedit quòd ipse puer accõmodet se voluntati patrui, & velit apud illum perpetuò manere, quantum in se est. Atqui voluntas habitandi perpetuò in aliquo loco sufficit ad statim contrahendum domicilium, vt passim Doctores tradunt: qua de re, præter alios, vide Sancium lib. 3. de Matrim. disput. 23. Itaque siue voluntas patrui, siue ipsius pueri spectetur, non video quomodo negari possit illum contraxisse Ruremundæ domicilium. 1 *Quid sufficiat ad contrahendum domicilium.*

Cùm dicitur ad domicilij requiri voluntatem manendi perpetuò in eo loco, hoc non ita intelligendum est, quasi illa voluntas debeat esse continua: sufficit enim vt ibi cum tali voluntate cœperit habitare. Etsi enim posteà hæc voluntas mutetur, non ideò amittitur domicilium, donec reipsà in alium locum transferatur. Similiter illa voluntas manendi perpetuò, non excludit voluntatem aliò migrandi, si fortè casus aliquis aliò vocarit; quæ omnia notissimi iuris sunt. 2 *An requiratur voluntas perpetuò ibi manendi.*

Confirmatur: Iste puer vel habet domicilium Gandaui vbi natus est, vel Ruremundæ, vel nullibi: non enim puto de alijs locis dubitari. Atqui dici non potest illum habere domicilium habitationis Gandaui, cum eò non statuerit redire, nec patruus eò statuerit eum remittere. Habet quidem Gandaui domicilium originis, sed hoc multùm distinguitur à domicilio habitationis, vt ex Iure constat. Neque dici potest illum nusquam habere domicilium habitationis; sic enim esset vagus seu vagabundus. Vagabundus enim dicitur qui nusquam certã sedem habet, vt docent omnes Doctores ex L. *Eius qui manumisit.* 27. §. finali. ff. ad municipia. Qua de re vide Sancium lib. 3. disp. 25. At, quis dixerit puerum istum censendum inter vagos, qui certam sedem ab eo, qui ei parentis loco præest, obtinet? 3 *Domicilij Habitationis & Domicilium Originis.*

CASVS

Ordinatio inualida defectu intentionis.

CASVS II.

Titius suscepit Ordinem Subdiaconatus cum actuali intentione & protestatione interna, se nolle illum suscipere, ne inhabilis fiat matrimonio; sed solùm exteriùs simulauit vt alteri satisfaceret.

QVÆRITVR Primò, *An hîc Titio sit habenda fides?*

QVÆRITVR Secundò, *An iteratò debeat illi Subdiaconatus conferri priusquam Diaconatum suscipiat?*

QVÆRITVR Tertiò, *An sine dispensatione possit illi Subdiaconatus iteratò conferri extra tempora?*

LItteras tuas, Prænobilis Domine, 28. Iulij datas accepi 8. Augusti hora 8. vespertina, valetudine affecta: quibus vt statim satisfacerem, operam dedi. Itaque

Ad Primum: Respondeo, Prorsus hîc Titio habendam esse fidem. Nulla enim ratio est cur ei contra se fatenti cupientique progredi ad Sacerdotium, non possit prudenter fides adhiberi. Secùs esset si Titius suscepto per talem simulationem Subdiaconatu, absque vlla dispensatione iniuisset matrimonium: Tunc enim Ecclesia potuisset contra eum procedere tanquam contra eum qui sacrilegas nuptias contraxisset: neque ei alleganti se caruisse intentione in ordinatione fuisset credendum; sed præsumendum id ab eo confictũ, vt nuptijs frui posset; & procedendum secundùm ea quę exteriùs apparuere: & in hoc casu locum haberet illud, *Ecclesiam non iudicare de occultis.* Illud enim axioma verum non est; quando reus ipse quod occultum erat, in lucem profert, & contra se fatetur absque præiudicio partis: vt patet in iudicio Sacramenti Pœnitentiæ, vbi Ecclesia absoluit de occultis, eáque punit. Sic quoque dispensat in voto occulto & merè interno.

4 *Affirmatur.*

Quo casu Ecclesia iudicet de occultis.

Ad Secundum: Respondeo, Debere in hoc casu, Titio denuò Subdiaconatum conferri priusquam Diaconatum suscipiat. Ratio est, quia Titius verè non est Subdiaconus, neque suscepit characterem defectu intentionis. Ita sentiunt omnes Doctores de omnibus Sacramentis. Non enim minùs in adulto suscipiente requiritur intentio suscipiendi, quàm in conferente intentio conferendi. Vnde non minùs debet iterari si absit vel aduersetur intentio suscipientis, quàm si absit intentio conferentis. Communis enim Doctorum sententia est Sacramentum esse iterandum quotiescumque est aliquis defectus essentialis admissus in eius collatione, siue ex parte Ministri, siue ex parte materię, vel formæ, siue ex parte suscipientis. Hinc si quis baptismum exteriùs suscepisset cum actuali intentione renitente, absque dubio deberet ei posteà pœnitenti baptismus iteratò conferri. Et si quis huiusmodi animo suscepisset Sacerdotium, non posset vllo modo celebrare, nisi rursus ei Sacerdotium cõferretur; quia prior collatio irrita fuit. Neque hoc est iterare Sacramentum, sed validè conferre quod ante irritum fuit.

5 *Debet denuò conferri Subdiaconatus*

Diaconatus non potest conferri ante Subdiaconatũ.

Quòd autem non possit Diaconatum suscipere prætermisso ordine Subdiaconatus, id fit vel iure diuino, vt plerique sentiunt; vel traditione Apostolicâ, vt pauci quidam: idque semper obseruauit Ecclesia. Quare cùm Titius non sit verè Subdiaconus, non potest transire ad Diaconatum, nisi defectus suppleatur, præsertim si iure diuino debeat Subdiaconatus præcedere.

Ad Tertium: Respondeo mihi probabile videri Episcopum posse hunc Subdiaconatus Ordinem, in hoc casu, extra tempora conferre Titio, absque dispensatione. Tum quia in foro externo ille iam censetur hunc Ordinem suis temporibus suscepisse, esséque Subdiaconus; ac proinde in foro externo satisfecit Canoni de Ordinibus suis temporibus recipiendis: sicut qui in foro externo contraxit matrimonium præsumptum coram Parocho & testibus, irritum tamen ob aliquod occultum impedimentum; sublato impedimento potest contrahere priuatim absque Parocho & testibus, vt declarauit Pius. V. quia satisfecit in foro externo, habeturque verus coniux. Tum quia absque graui scandalo & infamiæ notâ non potest ei hîc Ordo conferri temporibus ordinarijs; censeretur enim sacrilega iteratio. Canones autem non debent cum scandalo & infamia seruari.

6 *Potest Episcopus Subdiaconatũ huic conferre extra tempora.*

Si tamen aliter Episcopo visum fuerit, peti poterit dispensatio, non expressâ causâ, nisi in genere: nempe vt liceat accipere Ordinem Subdiaconatus extra tempora, ob quandam causam occultam Episcopo notam.

CASVS III.

Ordinatio sine debitæ materiæ traditione: ideoque ordinationis repetitio.

Titio, dum ordinatur Sacerdos, porrectus fuit calix cum sola aqua sine vino, ideoque posteà curauit se iterum ordinari.

QVÆRITVR Primò, *An prima ordinatio fuerit valida?*

QVÆRITVR Secundò, *An cùm secundò fuit ordinatus, incurrerit censuram?*

QVÆRITVR Tertiò, *Si tunc fuisset etiam ordinatus Episcopus, an hæc etiam ordinatio deberet repeti?*

QVæstio, quam D. T. proponit, est satis perplexa. Nullum enim inuenio Doctorem qui tractarit, vtrùm materiæ consecrandæ traditio sit necessaria ad essentiam ordinationis sacerdotalis. Ego, saluo meliori iudicio, sentio validam fuisse ordinationem, de qua agitur in casu proposito, in qua per errorem Archidiaconi aqua loco vini fuerat calici imposita. Primò, quia etiamsi ponamus traditionem materiæ esse necessariam ad essentiam ordinationis, hîc non defuit materia; quia panis adfuit, qui cum calice & patena non traditur nisi ei, qui initiandus sacerdotio est; & proinde satis determinat illum actum ad significandam potestatem consecrandi seu offerendi; quæ potestas est effectus huius Sacramenti. Sicut etiamsi omnia peccata mortifera sint iure diuino materia Sacramenti Pœnitentiæ, tamen ad essentiam Sacramenti sufficit vel vnius confessio, modò reliqua absque culpa omittantur.

7 *Porrectio calicis cum aqua loco vini ex errore non inualidat ordinationem.*

Secundò, Quia sentio traditionem materiæ consecrandæ non esse de essentia huius ordinationis: nam sufficienter designatur effectus huius Sacramẽti per traditionem calicis & patenæ sub tali verborum forma: *Accipe potestatem offerendi & celebrandi Missas* &c. Idem ex eo confirmatur, quòd nec Clemens Romanus lib. 8. Constit. Apostolicarum

Traditio materiæ consecrandæ non est de essentia ordinationis.

Clemens Romanus.

Concil. Carthag 4.

carum cap. 16. vbi describit ordinationem Presbyterorum, nec Concilium Carthaginense IV. cap. 3. materiæ mentionem faciant, sed solius impositionis manuum, & precationis in qua ipsa forma continetur. Et tamen ibi accuratè præscribunt quid in hac ordinatione sit Episcopo faciendum. Vnde non modica coniectura sumitur, nec ipsam calicis ac patenæ porrectionem esse de essentia huius ordinationis, sed solùm requiri ex præcepto & ordinatione Ecclesiæ Romanæ, quæ in omnium Sacramẽtorum administratione est accuratissima, & sequitur vbique id quod est securissimum, & maximè expressiuum effectus ipsius Sacramenti. Quæ sententia ferè pro certo habenda, si constare possit Græcos sola manuum impositione sub legitima verborum forma suos Presbyteros ordinare consueuisse. Conferatur Canon 3. cum 5. 6. & sequentibus Concilij Carthaginensis, & planè apparebit traditionem calicis & patenæ in Sacerdotis ordinatione non fuisse necessariam.

Nec obstat instructio quam Concilium Florentinum tradidit Armenis: Ecclesia enim Romana semper tradit id quod est absolutissimum, etiamsi solùm ex præcepto sit necessarium.

Itaque sentio non esse hîc repetendam ordinationem, idque pro certo habeo, si constat apud Græcos calicem & patenam cum materia consecranda non porrigi in hac ordinatione.

Ad Secundum: Nulla est censura constituta in eos qui ordinationem repetunt. Quidam putant eos fieri irregulares; sed longè probabilius est contrarium: Non enim, quod de eo, qui Baptismum conferendo vel accipiendo repetit, constitutum est, extendendum ad eum qui ordinationem conferendo vel accipiendo repetit. Et quamuis tale quid esset statutum in repetentes ordinationem; id tamen non haberet locum in præsenti casu: quia non censetur iteratio, quando iure dubitatur, an prior actus fuerit validus. Itaque nulla egent dispensatione qui secundò ordinati sunt, sed liberè possunt officio Ordinum suorum fungi.

8 *Repetens Ordinem nullam incurrit censuram, nec irregularitatem.*

Ad Tertium: Post ordinationem Sacerdotalem nullus supereſt ordo præter Episcopalem; quem si quis post priorem ordinationem Presbyteralem susceperit, inualidè susceptio si ordinatio presbyteralis inualida fuit: quia ex communi sententia Doctorum potestas Episcopalis Ordinis supponit potestatem Ordinis Presbyteralis. Vnde vtraque repetẽda foret. Verùm quia supponimus vt certum, priorem ordinationem validam fuisse, etiam censemus posteriorem, qua Episcopus ordinatus est, validam esse; nec quidquam repetendum.

9 *In casu non debet repeti ordinatio Episcopalis*

His tamen addo, Si constare non potest Græcos ordinare Sacerdotes suos sine calicis, & patenæ ac totius materiæ porrectione: vel si putantur ipsi hæc omnia adhibere: repetendam fore ordinationem supradictam, saltem sub conditione. Quia in re tanti momenti amplectendum est id quod securius est, cùm nullum sit periculum sacrilegæ iterationis adhibita conditione, & hac ratione infiniti scrupuli tollantur, quibus alioquin ipsi ordinati, & ij qui ab ipsis sacra percipient, subiecti erunt.

10 NOTA *pro securitate.*

CASVS IV.

Dubitatio de debito contactu materiæ in Ordinatione.

Sacerdos post ordinationem dubitat an tetigerit patenam: putatque se habuisse propositum non consentiendi in ordinationem, casu quo calicem & patenam non tangeret, vt iteratam ordinationem faciliùs obtineret.

QVÆRITVR Primò, *Vtrùm censendus sit fuisse verus contactus?*

QVAERITVR Secundò, *Vtrùm censendus sit habuisse sufficientem intentionem ad huius Sacramenti susceptionem requisitam?*

11

REspondeo, Sic ordinatum debere esse planè securum quoad contactum instrumentorum attinet. Cùm enim conatus fuerit tanta sollicitudine tangere calicem & patenam, & in ipso facto putarit se accuratè tangere; omnino credibile est probè tetigisse vtrumque, etiamsi post ordinationem dubitare cœperit an tetigerit patenam, quia ad hoc non reflexit. Tales enim dubitationes post factum subrepere solent scrupulosis: suntque certum signum animi perplexi & scrupulosi. Deinde, etiamsi certus esset se patenam immediatè non tetigisse, sed solùm calicem; nihilominùs nõ deberet dubitare de validitate suæ ordinationis. Satis enim censetur tangere patenam per ipsum calicem; vt habet communis sententia Doctorũ, & praxis Ecclesiæ. Et sanè si aliquo modo dubiũ esset, an vtriusque tactus physicus requiratur ad essentiam Sacramenti, Ecclesia quæ regitur à Spiritu sancto, maximam diligentiam impenderet, vt vtrumque adhiberet, ne dubiam ordinationem faciat. Nulla autem diligentia hac in re adhibetur: quod certum signum est non esse necessarium immediatum vtriusque contactum, sed sufficere contactum calicis.

Qui tangit calicem, censetur tangere patenam.

Addo probabilissimum esse ne calicis quidem physicum contactum requiri. Imò apud Græcos dicitur fieri ordinatio Sacerdotum per solam impositionem manuum, sub formula verborum; vt nuper Româ in simili casu accepi.

Probabilissimum est non requiri contactum physicum calicis.

12

Ad Secundum: Hoc ipso quo tantam diligentiam adhibuit vt vtrumque instrumentum tangeret, & ita manus protendit vt putaret se tangere, idque vt ordinem Sacerdotalem acciperet; sufficientem planè intentionem habuit ad hoc Sacramentum requisitum. Neq; credibile est simul habuisse propositum non consentiendi in ordinationem, casu quo vtrumque non tangeret. Stultum enim esset tale propositũ, nec sine graui peccato habere posset; quod non est præsumendum in homine timoratæ conscientiæ. Neq; esset vtile ad faciliùs obtinendam iteratam ordinationem; quia Episcopo de tali proposito non potest constare, & magis reputaretur scrupulus mentis cõfusæ, & imaginatio (sicut re vera est) quàm seria voluntas.

Notabile pro scrupulosis.

Quòd si fortè tale propositum præcessit solũ, nec actu ea de re cogitarit tempore ordinationis, non vitiat ordinationem, in quam tunc absolutè consensit, dum fieret. Sicut si quis apud se ita statueret, Non consentio in consecrationem Eucharistiæ, si omisero particulam *Enim*: hoc propositum non irritaret consecrationem, si ea de re non cogitaret dum actu consecrat, & casu vel ex consuetudine particulam illam omittit.

Propositũ antecedens non vitiat consensum contrariũ subsequentem.

Quòd

Quòd si actu formali & expresè in ipso puncto ordinationis habuisset seriam voluntatem nõ cõsentiendi in ordinationem, eamque non suscipiendi in euentu quo non posset attingere vtrumque instrumentum, certè aduertisset se attingere vel non attingere, & reflexisset se super suam ordinationem, iudicando illam esse validam vel inualidam. Quare cùm tunc non iudicarit illam esse inualidam, sed potiùs validam, nihil dubitans, euidens signum est fuisse validam, & illud propositum vel non fuisse tunc temporis, vel nihil obfuisse.

CASVS V.

Ordinatio à non suo Ordinario.

Multi in Hibernia suscipiunt Sacros Ordines non à suo Ordinario, sed ab eo quem commodè habere possunt.

QVÆRITVR, *An sint suspensi, & exercendo actum Ordinis fiant irregulares?*

13 COnsiderata specie facti, & expensis rationibus suprà positis, probabilissimum censeo Sacerdotes illos in Hibernia sic ordinatos non esse suspensos, ac proinde nec contrahere irregularitatem vsu Ordinum sacrorum. Tum, quia vsus & consuetudo contraria sciente & non contradicente Principe, tollit legem etiam Canonicam; vt passim Doctores: quod etiam ostendi lib. 2. de Iustitia cap. 6. dub. 14. nec ad hoc requiritur tempus præscriptionis, vt ibidem ostensum. Tũ, quia quando perpetuò vacat Sedes, per se cessat illud Ius: quia nullus est Ordinarius à quo licentia sit petenda. Itaque illa ordinatio non fuit absque licentia proprij Ordinarij iuxta mentẽ Iuris. Tum, quia illud Ius requirit præsumptionem in ordinato, vt constat ex Bulla Pij II. per quam hæc suspensio est inducta, quæ est sexta inter eius Bullas. Vnde etiam ignorantia crassa excusat: nam præsumptio requirit scientiam & dolum, vt docet Nauar. c. 27. n. 156. & alij passim. Illi autem Sacerdotes bona fide putant se posse sic ordinari: quâ ob causam etiam illos excusat Suares de Censuris disput. 31. n. 15. Tum, quia si Sacerdotes illi essent suspensi, multò magis essent suspensi ipsi Episcopi sic ordinantes, vt patet ex Cap. *Eos qui*, de Tẽporibus ordinandorum in 6. Vnde & eorum subditi possent absq; eorum licentia ab alijs ordinari, vt statuitur eodem Capitulo §. *ijs quæ*. Denique cùm Protector Hiberniæ & Summus Pontifex optimè sciant quid fiat in Hibernia, hoc ipso, quo non contradicunt, cùm facilè possint, ratum habent, & concedunt ita fieri: hoc enim est ratihabitio de præsenti, vt docent Doctores. Nisi enim ratum haberent, grauiter peccarent non monendo, non contradicendo, & curando vt aliter fiat: nam obligantur ad hoc ex officio.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

CASVS VI.

Ordinatus ficto titulo patrimonij.

Petrus ficto titulo patrimonij ordinatus fuit.

QVÆRITVR, *An secundùm rigorem Iuris sit suspensus ab Ordinum executione?*

14 REspondeo, Is qui hoc modo ficto titulo patrimonij ordinatus fuit, secundùm rigorem Iuris videtur esse suspensus ab Ordinum executione: Quia Canone *Sanctorum Canonum*. dist. 70. decernitur, vt ordinatio facta sine titulo, irrita habeatur. Quem Canonem renouare videtur Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 2. in fine.

Affirmatur.

Contraria tamen sententia probabilis est, quã tenet Henriquez cap. 37. de Suspens. vbi dicit, Qui absque pacto simoniaco initiatus est sacris cum ficto patrimonio, non est suspensus, contra Nauarrum: ita Doctores Salmaticenses & Complutenses, & ipse Nauarrus lib. 1. Consilio 41. tit. 11. Idem Henriquez paulò pòst sic ait: *Ius antiquum quo olim suspensus erat ordinatus absque titulo beneficij vel patrimonij, est reuocatum per Cap.* Cùm secundum Apostolum. *Extrau. de prabendis. Neque à Concilio Tridentino innouatur.* Hæc ille. Quam sententiam, si vobis videtur expedire, sequi potestis. Quamuis contraria mihi verior videatur: Nam Cap. *Cùm secundùm Apostolum*, solùm videtur reuocare ea quæ statuta erant cùm Episcopus erat cõscius defectûs tituli, & nihilominùs ordinabat. Itaque potest etiam quis tutò hanc sequi sententiam; quam tenet Suares de Censuris col. 764.

Contraria est probabile.

Prius tamen, est verius.

CASVS VII.

Ordinatio energumeni.

Titius aliquando fuit energumenus, & postea sacris Ordinibus initiatur.

QVÆRITVR, *An sit irregularis, & illegitimè ordinatus?*

15 REspondeo, Qui aliquãdo fuit energumenus, seu dæmoniacus, secundùm Iura censendus est irregularis: Can. *Maritum*; cum tribus sequentibus dist. 33. Sed non facilè aliquis iudicandus dæmoniacus, nisi manifestis signis certò constet; vt si patefaciat res occultas, quas homines non possunt cognoscere, vel linguis ignotis loquatur. Quia experientiâ compertum est, eos qui morbo melancholiæ laborant, ita sæpè affici vt à multis (etiam subinde à medicis) putentur à maligno spiritu possideri. Accedit quòd dæmon se interdum isti affectui admisceat agitando humores & spiritus, absque vera possessione. Itaque nisi manifesta signa habeantur, non est quis censendus energumenus, sed potiùs morbo melancholiæ laborans, cui dæmon fortasse se nonnihil immiscet. Imò in dubio censendum est, non esse energumenum: ac proinde nec irregularem: ac proinde vbi à morbo illo curatus fuerit, poterit ordinari absque vllâ dispensatione.

Non facilè iudicandus quis energumenus.

16 Si tamen constaret Titium fuisse verè dæmoniacum, etsi durante illo affectu nullo modo potuerit ordinari, tamen postquam perfectè liberatus erat, poterat ordinari, cùm dispensatione Prælati regularis, cui hæc potestas in ordine Minorũ competit; vt patet ex eorum priuilegijs V. dispensatio n. 9. Et quãuis Prælatus illũ mittens ad Ordines, ea de re nõ cogitauerit, tamen hoc ipso quo illũ mittit, vel mittẽdũ decernit, cẽsetur implicitè dispensare in omni impedimẽto suę potestati subiecto: & si rogaretur, haud dubiè responderet hanc esse suam mentem: alioquin grauiter peccaret Superior mittendo subditum cum impedimento Canonico, quod ipse poterat tollere. Itaque iudicandum Titium legitimè ordinatum, omni impedimento irregularitatis ante per Prælatum regularem ex vi priuilegij sublato, etiamsi Prælatus de eo expresè non cogitarit.

Perfectè liberatus cum dispensatione ordinari potest.

Implicita dispensatio sufficit.

17 Semel autem ablata ista irregularitate, & Ordinibus le-

Sic ordinatus sit capax Prælaturæ.

nibus legitimè susceptis, non manet incapax Prælaturæ in Ordine vel extra; nec opus est alia dispensatione. Hoc enim peculiare est in illegitimis, & in maculatam originem habentibus; non autem locum habet in hac irregularitate, cùm hoc Iure non sit expressum.

Secus est de illegitimis.

CASVS VIII.

Dispensatio vt coniugatus ordinetur.

Mulier hæretica vetula non vult conuerti: Maritus agit cum Officiali Episcopi de separatione tori: à quo rogata respondet, se velle in sua fide permanere, & in posterum casta viuere, & permittere marito, vt faciat quod lubet, prout suæ conscientiæ putat expedire: huius rei fiunt acta.

QVÆRITVR, *An maritus possit absque dispensatione sacros Ordines suscipere?*

18 REspondeo, Maritũ posse sacros Ordines suscipere, nec egere dispensatione, si non erat vidua, cum qua contraxit. Couarruuias in 4. p. 2. c. 7. §. 6. Castro l. 1. De iusta hæret. punit. cap. 7. Soto in 4. dist. 39. art. 4. Patet Cap. *De illa.* de Diuortijs.

PAVPERTAS RELIGIOSA.

Proprietas in habendo.

CASVS I.

Vtrùm sit contra Votum Paupertatis, & quale peccatum, habere in Religione post professionem aliquid proprium? &, An Superior possit dispensare in isto voto?

1 AD *Primum:* Certum est censeri infringere votũ paupertatis religiosos vel religiosas, quæ post professionem, aliquid tanquam proprium retinuerint; id est, sine dependentia à suo Superiore.

Vt autem sit mortale, requiritur res notabilis pretij, sicuti in furto. Vnde qui decem stuferos, vel res tanti pretij, contra rationabilem voluntatem Superioris retinerẽt, videntur mortiferè peccare: nam hęc censetur quantitas notabilis in furto. Vide plura apud Nauarrum Comment. 2. de Regularibus, & Lopesium p. 2. c. 6.

Aliqua excusant à mortali.

Aduerte tamen, multa excusare à mortali; quia censetur esse consensus Superioris præsumptus, seu interpretatiuus: vt in accipiendis conditis, vel alijs esculentis, quibusdã locis. Vbi tamen exactè vota seruantur, hæc non permittuntur: vnde talia corrigenda.

2 *Pontifex non potest dispensare vt religiosus habeat proprium.*

Ad Secundum: Manifestum est Superiorem non posse dispensare in voto paupertatis religiosi vel religiosæ professæ: imò nec Pontifex id potest, ita vt maneat religiosus; vt expressè habemus Cap. *Cùm ad monasterium,* de statu Monachorum. Potest tamen Pontifex dare facultatem personę religiosę vt aliqua habeat sine dependentia ab alijs Superioribus inferioribus. Et Generalis Ordinis potest dispensare vt aliqua habeat sine dependẽtia à Prouinciali, vel Superiore immediato. Sed hoc nõ est dispensare in voto, sed eximere à potestate alicuius Superioris in aliqua re particulari.

Vnde patet ordinarium Superiorem non posse dispensare in voto, nec ab eo liberare. Potest tamẽ absoluere à fractione voti. Vide Concil. Trident. sess. 25. c. 3. De regularibus, vbi sub grauibus pœnis prohibet omnem proprietatem.

Proprietas scriptorum.

CASVS II.

Vtrùm Religiosus qui non vult sua scripta alteri communicare peccet mortaliter vt proprietarius?

3 REspondeo, Non est peccatũ mortale, si quis nolit sua scripta alteri commodare, ne ipse amittat famam aut opinionem excellentiæ, quam illorum præsidio sibi comparauit. Solùm tenetur in necessitate, quando ex illa recusatione sequeretur graue incommodum alijs.

Proprietas in acquirendo.

CASVS III.

Vtrùm ea quæ dantur Religioso ab amicis, vel etiam à Superiore, cedant in ius monasterij cuius ille est?

4 REspondeo: Primò certum est ea quæ dantur Religioso ab amicis, vel alijs, statim cedere in ius monasterij, cuius ille est: ac proinde dispositionem pertinere ad Superiorem illius. Secundò, Certum est Superiorem non posse concedere Religioso nisi vsum rerum, non autẽ dominium, aut dispositionem. Vnde si illa res illi Religioso non sit vsui (vt si sit lapillus valens contra calculũ, vel morbum comitialem quo ille nõ laborat) nec putetur vsui futura ipsi magis quàm alijs, & sit notabilis pretij, v. g. 4. vel 5. aureorum, non potest ipsi ita concedi, vt liceat transferre cùm ad alium locum migrat. Hoc enim esset excedere mensuram legitimæ concessionis, quæ solùm est ad vsum necessarium, & priuare monasterium re & iure suo: & talis modus habendi planè præ se fert speciem proprietatis. Eadem est ratio aliarum rerum notabilis valoris, etiamsi esculenta vel medicinalia sint.

Superior non potest suo religioso concedere dominiũ vel dispositionem rei notabilis, sed solùm eius vsum.

Proprietas in administrãdo suo peculio.

CASVS IV.

Vtrùm Religiosus Vice-Pastor habeat administrationem sui peculij?

5 REspondeo cum distinctione. Vel iste Vicepastoratus est beneficium, saltẽ Manuale, vt vocant; vel non est beneficium. Si sit beneficium, vt si legitima auctoritate instituta sit Vicaria, cui certa portio obuentionum assignata sit: tunc cõpetit Regulari eam legitimè obtinẽti administratio non solùm prouentuum, sed etiam bonorum immobilium annexorum beneficio; vt probabiliter docet Nauarrus Commentario 2. de Regularibus n. 10. & Tractatu de reditibus Ecclesiasticis qu. 3. monito 25. & alibi.

Si Vice-pastoratus sit Beneficiũ.

6 Quòd si non sit beneficium, vt si non habeat talem institutionem, sed solùm ad tempus ob aliquam necessitatem constituta sit: Rursus distinguendum est. Vel enim habet bona immobilia annexa quæ administrat, vt agros, census annuos &c: Vel solùm habet aliqua emolumenta mobilia.

Si non sit Beneficiũ.

Si habet immobilium administrationem, non potest Superior regularis eam concedere: quia expressè prohibetur per Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 2. de Regularibus.

Et bona sint immobilia.

Si autem non habet vllam immobilium administrationem, sed solùm aliquorum mobilium, potest Superior eam concedere. Nam nec Concilij Tridentinum, nec vllum Ius id vetat: nec est con-

Si verò sint mobilia.

tra rationem religiosæ paupertatis, quæ solùm postulat vt inferior nihil nisi dependenter à sui Superioris voluntate habeat.

Donationes Religiosæ licitæ & illicitæ.

CASVS V.

Clemens Papa VIII. edidit A. 1594. constitutionem, cuius titulus est: De largitione munerum vtriusque sexus Regularibus interdictâ: *quæ incipit*, Religiosæ congregationes.

QVAERITVR, *Quænam donationes ibidem prohibeantur?*

7 *Donationes eleëmosynariæ.*

REspondeo Primò, Certum est, hîc nõ prohiberi donationes quæ fiunt in modũ eleëmosynæ, ad alterius inopiam subleuandam: hæ enim non dicuntur propriè munera, sed eleëmosynę, quas maximè decet Religiosos facere, si habeant vnde possint. Vnde Abbates & Cõuentus possunt Religiosis mendicantibus dare libros, ornamenta sacra, & huiusmodi alia; vel summas pecuniarias ad res necessarias cõparandas: & similiter Ordines mendicantes alijs pauperibus secularibus vel regularibus. Item personæ Societatis IESV habentes adhuc dominium suorum bonorum, possunt dare Societati, vel alijs pauperibus.

8 *Ad redimendam vexam.*

Respondeo Secundò, Certum etiã est non prohiberi donationes quæ fiunt quodammodò redimendę vexationis causâ; vt sunt illæ, quę fiunt interdũ viris potentibus, vel in officio aut dignitate constitutis, ne noceant Religioni seu monasterio; vel quæstoribus, vt possit obtineri solutio. Si enim huiusmodi donationibus eorum animi non conciliẽtur, nocebunt Religioni seu monasterio, vel non præstabunt id quod debẽt. Probatur, quia hæc non tam sunt munera, quàm redemptiones iniuriarum & incommodorum quæ timentur, quas quiuis prudens adhiberet.

9 *Antidorales seu remuneratorię.*

Respondeo Tertiò, Certum etiam videtur nõ prohiberi eas donationes, quæ sunt Antidorales seu remuneratorię: quales sunt, quę fiunt Medicis, Aduocatis, Consiliarijs, & huiusmodi gratis Monasterio seruientibus: hæc enim non tam sunt munera, quàm remunerationes, quæ strictè non dicũtur munera; quia non omnino gratis & liberaliter dantur, sed ex obligatione gratitudinis, ad compensanda beneficia accepta: & nisi talia dẽtur, Religiosi illi erunt & meritò habebuntur ingrati, amicorumque animos à se alienabunt. Non est autem credibile Suam Sanctitatem velle eos facere contra virtutem tam insignem, quæ maximè decet viros religiosos; eosque à se amicorum animos auertere.

10 *Donationes ex laudabili consuetudine vel recta ratione facta.*

Respondeo Quartò, Valdè etiam probabile est nullam prohiberi donationem, quam, consideratis circumstantijs, vel laudabilis consuetudo, vel recta ratio faciendâ dictat. Probatur, quia non est credibile Suam Sanctitatem velle prohibere eas donationes quę decent viros religiosos spectatis circumstantijs, suntque rectæ rationi valdè consentaneæ. Non enim præsumendum est Sedem Apostolicam aliquid prohibere tam graui & seria constitutione, nisi quod sit notabiliter contra rectam rationem, & minimè decens statum & professionẽ religiosam. Quod etiã ipsa verba satis insinuant, dum ait; *Se largitiones munerum prohibere*, id est, eas donationes quæ merè sunt ex liberalitate, vti seculares solent donare: & dum *contrariam consuetudinem* ait *esse corruptelam*. Itẽ dum insinuat se hanc constitutionem fecisse propter eos, qui ex quâcumque causâ munera dabant. Idem pãtet ex grauissimis pœnis adiunctis.

11 *Quæ iustã habent causam.*

Ex quibus patet valdè probabile esse hanc Cõstitutionem non esse intelligendam de istis donationibus, quas moraliter certum est iustam causam habere, & Religiosos decere, & omnibus circumstantijs expensis, valdè conuenire. Confirmatur Primò, Quia ita constitutiones Superiorũ, maximè Sedis Apostolicæ, sunt interpretandæ, vt nihil leue contineant, & tanta Majestate minùs dignũ. Minùs autẽ eius majestate dignum videtur, vt sub tam grauibus pœnis, tam seria constitutione prohibeat ea, quæ per se sunt rectæ rationi consentanea, quęque viri sanctissimi hactenus semper fecerunt. Quorsum enim hæc tam seuerè prohibeantur? Si dicas, ob periculũ abusus. At abundè huic periculo occurritur, si prohibitę intelligantur quę non decent Religiosos, & non habent graues & iustas causas. Nec refert, quòd causas velit approbari à Capitulo, vel Cõgregatione Generali: quia loquitur de causa dubia, de qua meritò ambigitur sitne iusta: vnde vult eam ibi maturè discuti, & sic approbari; quod locũ non habet in causa, quam moraliter constat iustam esse. Et quia Congregationes Generales non tam expeditè fieri possunt, si interim res feret, satis erit vt Prouincialis cum suis Consultoribus seu Definitoribus causam probet; id enim iusta cpiikia postulat.

12 *In lege sit spectanda rationabilis intentio legis-latoris, quàm rigida verba.*

Confirmatur Secundò, Quia quãdo lex aliqua continet dispositionem vel pœnam valdè exorbitantem, spectanda potiùs est intentio rationabilis ipsius legislatoris, quâ id quod verba primâ facie prę se ferunt; vt patet ex multis legibus, quas DD. ita interpretantur: qualis est l. 1. ff. *de Effractoribus*. l. 1. & 3. C. *de Seruis fugitiuis*. l. hac cõsultissima C. de Testamentis. Item Bulla Pij IV. & Pij V. de Simonia cõfidentię. Præterea omnes leges & Canones qui ipso facto infligunt pœnam priuationis beneficij, officij, bonorum &c. Ratio est, quia sæpè legislatores vtuntur modo loquendi duriore, vt magis absterreant, & vt iniquum quodãmodò postulantes, quod æquum & moderatum est, obtineant. Quamuis etiam sint multa verba quę satis indicent Sanctitatis Suæ intentionem non esse, vt donationes quæ iustam euidenter causam habent, & Religiosos decent, prohibitæ censeantur: quod etiam ex grauissimis pœnis constat, quæ non possunt prudenter statui nisi contra grauia crimina.

13 *Corollarium.*

Ex his infero, Si quis librum in lucem edat, posse amicis aliqua exemplaria dari; ita enim recta ratio dictat, & habet laudabilis consuetudo Religiosorum, quã nisi serues, rusticus, sordidus, ingratus, vel etiã superbus habearis, & amicorũ animos à monasterio seu ordine auertas. Item licet aliqua donare ad conciliandos animos eorum qui multũ possent prodesse monasterio vel Ordini, vel bono publico; hęc enim est iustissima causa, de qua nõ est opus consultare in congregatione Generali. Item ad pertrahendum aliquem ad fidem, vel ad auertendum à flagitijs, quod sanctissimi viri fecere.

14 *Minima dari possunt ex beneuolentia.*

Ceterum aduertendum est minima dari posse, etiamsi non subsit alia causa, quàm beneuolentiæ; vt satis colligitur ex verbis & tenore constitutionis, & explicatione ipsius Pontificis. Vnde ex graui causa dari poterunt etiam ea, quæ non censentur minima.

Quænam

Quænam minima censeantur.

Quænam autem debeant censeri in minimis, partim ex ipsius Pontificis explicatione; partim ex conditione dantium & accipientium, eorumque proportione colligi potest. Primò, In minimis cēseret Pontifex Breuiarium; nam cōcedit dari ex beneuolentia: Breuiarium autem si in duobus tomis sit, facilè est duorum aureorum. Secundò, Reliquiarium; quod etiam ordinariè est vnius vel duorum aureorum. Vnde alij libelli, imagines, theeæ Agnus Dei, cruces similis pretij in minimis cēseri possunt. Tertiò, Res aliquas medicamentosas; vt lapidem Bezar, qui sæpè est multorum aureorum: & similia quæ ex Indijs deferuntur. Quartò, Esculenta quædam; vt sunt condita cydoniorum, & similia. Vnde colligitur posse etiam odores & suffimenta dari quæ ex Indijs adferuntur, & alia huiusmodi rara vnius vel duorum aureorum. Nam eadem est in his, imò honestior ferè ratio, quàm in esculentis & poculentis. Ex his facilè de alijs censeri potest.

15 Denique ex his quę de minimis dicta sunt, confirmari possunt quæ suprà diximus. Si enim beneuolentiæ causâ Superiores possint subditis donare Breuiarium, Diurnum, Reliquiarium & huiusmodi, vt ipse Sanctissimus explicuit, multò magis poterunt aliquid dare externis, vbi tam grauis interuenit causa.

Debita Superioris religiosi.

CASVS VI.

Titius Superior Regularis seu Religiosus accepit à Caio mercatore 100. florenos restituendos Sempronio etiam mercatori: sed is dilatâ nonnihil restitutione, dat eos mutuos Trebellio, qui paulò pòst foro cedit.

QVÆRITVR, *Vtrùm monasterium seu Conuentus teneatur loco Titij Superioris sui Sempronio?*

16 REspondeo, Indubitatum est Communitatem seu Conuentum nō teneri. Primò, Quia Titius non poterat illam pecuniam dare Trebellio mutuam, etiam cum venia sui Superioris; quia ipsi ea solùm fuit tradita ad faciendam restitutionem Sempronio, cui debebatur. Nemo enim potest dare mutuum ex alieno, cuius non habet liberā administrationem. Quare hoc debitum Titio censetur ex delicto. Atqui monasterium seu Conuentus non tenetur ex delicto sui Superioris, vt docent Doctores ex Innocentio & Hostiensi: quia delictum personæ in damnū Ecclesiæ redundare non debet: Cap. *Delictum*, de Regulis Iuris in 6. Siluester V. Religio 8. q. 3. Angelus V. Monasterium, in principio. Fumus V. Monachus nu. 14. Idem docet Nauarrus Comment. 2. de Regul. nu. 62. vbi addit, *Nisi communicato cum Prælato & Capitulo consilio, id fecerit.*

Conuentus non tenetur ex delicto sui Superioris.

17 Secundò, Quia generatim Conuentus non tenetur ex contractu religiosi, etiam Superioris, nisi quatenus ei commissa est administratio: eatenus enim obligatur, & non ampliùs. Vnde si Titio non fuit in genere vel in specie commissum à suo Superiore, vel saltem à Conuentu ad id habente potestatem, vt alteri illam pecuniam mutuaret, nullo modo obligatur Cōuentus; vt expresè docent Auctores citati. Quæ omnia Confirmantur: Quia Superiores sunt tantùm administratores rerum Conuentus, sicut Tutores pupillorū. Vnde sicut pupilli non obligantur, si Tutores faciunt contractus damnosos; ita neque Conuentus si Superior, præsertim quando Superior ille pendet à Conuentu, vel à suo Superiore.

Neque ex eius contractu nisi in illum conuenerit.

Sponsio Superioris religiosi pro extraneis.

CASVS VII.

Vtrùm si supradictus Titius Superior Religiosus pro Caio mercatore spoponderit, ipsius Conuentus teneatur?

18 REspondeo, Perspicuum est Communitatem seu Conuentum regularē, cuius Superior est Titius, non teneri ex sponsione Titij, quam ille fecit sine consensu Conuentus vel Superioris sui. Sequitur ex fundamentis superiore casu positis: Sponsio enim est contractus quidā, quo se Titius in damnum Conuentus sui onerare non poterat. Accedit quòd merus administrator non posset obligare bona quæ administrat, inutili sponsione, qualis est ista ex qua nihil commodi poterat redundare in bona Conuentus.

Ex ista sponsione nulla fuit ab initio in Titio obligatio.

19 Petes, An obligatio qua Titius spondendo se obstrinxit, ab initio fuerit nulla: an verò tunc solùm cùm officium Superioratûs eius expirat?

Respondeo, Ab initio nullam fuisse istam obligationem qua Titius spondendo sese obstrinxit, atque adeò illam non expirasse, cùm expirauit officium Titij: quod enim nunquam extitit, non potest propriè dici expirare.

Et si alia quæ fuisset, expirasset cum officio.

Etsi tamen fingere velimus illam obligationem aliquando in Titio extitisse, ea tamen haud dubiè expirauit simul atque expirauit officium administrandi, seu Superioritatis eius: quia Titius nō erat capax talis obligationis nisi quatenus Superior habens potestatem administrandi: pereunte enim fundamento, perit relatio quæ illi innitebatur.

Vnde sequitur, Si Communitas & successor Titij non tenebatur Caio pro mercibus quas vendidit Sempronio, dū adhuc Titius esset Superior, eò quòd spōsio illa fuerit irrita & nulla; eos multò minùs teneri pro mercibus diuenditis eidem Sempronio, postquam Caius vidit Titium defunctum officio: tunc enim debebat Caius aduertere Titij sponsionē non posse ampliùs obligare; vt quæ tota niteretur officio & potestate administrandi, quâ iam Titius erat priuatus. Quare non bona fide agit Caius, si velit Titium etiam post officium depositum, obligari; sed sibi imputet quòd perrexerit merces vendere illi, pro quo sponsio Titij iam expirarat.

Fundatio facta à Priore monasterij.

CASVS VIII.

Prior quidam à 275. annis fundationem in monasterio instituit ex quibusdam peculijs.

QVÆRITVR, *An possit modò illa fundatio extingui sub specie iniquæ institutionis?*

20 REspondeo, Cùm fundatio à Priore facta in illo monasterio iam 275. annis fuerit in vigore, nec tanto tempore Abbas aliquis aut Conuentus se illi oneri opposuerit (vt suppono, cùm hoc non allegetur) durum videtur illam modò extinguere sub specie iniquæ institutionis. Etsi enim Prior nō potuerit habere proprium, poterat tamen eo tempore cū consensu sui Abbatis habere aliquod peculium, de quo, cum eiusdē consensu

Quidam Prioratus sunt beneficia regularia.

poterat disponere ad pias causas, & alibi fundationem instituere cum tali onere Missarum, & Anniuersarij. Imò cùm Prioratus, etiam Conuentualis, videatur *Beneficium regulare*, etsi *manuale*, quidquid ipse acquirit, iure cõmuni acquirit suo beneficio, & potest de eo disponere ad pias causas; vt multis docet Nauarrus Comment. 2. num. 6. 10. & 11. de omnibus Regular. habentibus beneficium.

Ex horum fructibus potest instituí pia fundatio.

Itaque consideranda est conditio istius Prioratus. Si enim verè habet portionem aliquã bonorum sibi assignatam, videtur planè esse *Beneficium regulare:* & ita ex fructibus, & alijs quæ ipse acquirit, poterit instituere talem fundationem. Omitto quòd olim potuerint esse varię consuetudines (etsi per abusum) quę hoc tempore nõ permitterentur. Vnde etsi nõ sint omnia probanda quę in illa fundatione habentur, sed secundùm regularem disciplinam moderanda; tamen substantia fundationis videtur subsistere. Quod vel ex eo confirmari videtur, quòd nemo tunc temporis existimauerit illud peculium esse monasterij, nec posse illum Priorem de eo disponere ad libitũ in alias causas pias. Si enim existimassent monasterium habere ius in illud, Abbas illud occupasset; nec ipse cum Conuentu voluisset se & posteros in perpetuũ ad tam graue onus, fide media, & sub voto religionis suæ obstringere; & omnibus iuribus, priuilegijs, subterfugijs, quibus illa fundatio posset in totum vel in partẽ cassari, renuntiare. Cùm ergo nemo tunc temporis putauerit illud peculium esse monasterij, credibile est verè illius non fuisse, sed fuisse Beneficij; & Priorem potuisse liberè ad vsus pios de eo disponere.

Hæc fundatio nõ potest extingui.

Vt autem ista fundatio posset cassari, deberet planè constare illud peculium fuisse monasterij, & totum illum cõtractum ex ignorantia processisse, & tanto tempore continuatum. Quod cùm nullo modo constet, non ausim dicere monasterium non teneri, aut posse illam fundationem prorsus extingui.

PRÆLATVS.

CASVS I.

Decanatus.

Vtrùm Decanus Ecclesiæ Cathedralis S. Mariæ Antuerpiæ censendus & dicendus sit Prælatus?

R Espondeo breuiter, Propriè & strictè secundùm Iura prędictum Decanum esse Prælatũ, & Decanatum ipsius Prælaturam. Quod cõfirmo hoc syllogismo: Propriè & strictè Prælatus dicitur qui habet curam animarum cum iurisdictione, ita vt possit subditos suos corrigere & punire. Atqui Decanus Antuerpiensis habet curam animarũ cum iurisdictione, qua possit suos subditos punire, &c: ergo est Prælatus. Maior est cõmunis sententia Doctorum, vt refert Panormitanus in Cap. *De multa*, n. 21. vbi sic scribit: *Conclusio cõmunis est, vt is dicatur habere dignitatem, qui habet iurisdictionẽ. Vnde quilibet Rector seu Prior Ecclesiæ Collegiatæ, dicitur habere dignitatem, vt notat Paulus in Clement. 1. de Electione, & in Clement. Ne in agro. de Statu Regul. Domini de Rota. decis. 166. & talis propriè & strictè appellatur Prælatus.* Idẽ confirmatur apertè ex Cap. *Cùm ab Ecclesiarum.* de Off. ordin. vbi Pontifex omnes Ecclesiarum Rectores qui possunt excommunicare, vocat *Ecclesiarum Prælatos.* Vnde & Plebani qui excommunicare possunt, verè & propriè sunt Prælati, vti ex illo Capitulo colligitur, vbi idem luculentè tradit Glossa. Eadem confirmantur ex Cap. 2. iuncta Glossa *De Iudicij.* & ex Clement. *Dudum.* de Sepult.

Quis proprie sit Prælatus.

Minor abundè probatur ex assiduo vsu, & ex scripturis quę in fauorem Decanatus illius proferuntur. Quare non videtur dubitandum quin Decanatus ille propriè sit Prælatura; & Decanus sit appellandus Prælatus. Idem sentiunt omnes Summistæ V. *Prælatus*: Angelus, Siluester, Fumus & alij. Neque vllam in contrarium dubitandi rationem inuenio.

CASVS II.

Prælatus Titulo colorato.

Vtrùm Prælatus habens titulum coloratum, concurrente errore communi, validè possit delegare & conferre potestatem ordinariam, si etiam is, quem instituit Superiorem, simile impedimentum occultum habeat?

R Espondeo, Prælatus habens titulum coloratum, concurrente errore cõmuni, validè potest non solùm delegare, sed etiam conferre potestatem ordinariam, si ipsius est Superiorem constituere: v. g. si Prouincialis habeat titulum coloratum ob nullitatem professionis ex impedimentis Sixtinæ, quæ nullitas ignoretur. 2

Habens titulum coloratum potest conferre titulum coloratum.

Nec refert etiamsi is, quem instituit Superiorẽ, simile impedimentum occultum habeat: accipiet enim titulum coloratum ab habẽte titulum coloratum; eiusque actus & delegationes iurisdictionũ valebunt. Si enim valent eius absolutiones & excommunicationes, alijque actus iurisdictionis; cur etiam non valeat ille actus, quo confert titulũ vel delegat iurisdictionem? cùm hæc collatio vel delegatio sit etiã actus iurisdictionis. Sanè nulla est ratio. Neque Sancius lib. 3. de Matrim. disp. 22. n. 49. contrarium tenet, vt patet n. 51. in fine. Nõ enim *Superior legitimus* opponitur Superiori habẽti *titulum coloratum:* quia & hic est legitimus, cùm sit à legibus approbatus: nec vllo modo potest dici intrusus. *Intrusus* enim dicitur qui suâ vel laicâ auctoritate inuasit, & nullo titulo vero vel collorato occupauit.

Superior legitimus.

Intrusus.

CASVS III.

Votum non amplectendi Prælaturam.

Titius ex Religionis suæ instituto vouit Deo se nec directè nec indirectè prætensurum aliquam Prælationem.

QVÆRITVR I. *An talis possit munusculis & officijs electorum benevolentiã captare, eo animo, vt ipsum ex benevolentia eligant?*

QVÆRITVR II. *An, si videat se eligendum in Priorẽ, vel Definitorem, possit aliquid agere vt eligatur potiùs in Definitorem. Similiter si in Vicarium, vel socium euntis ad Capitulum certò eligendus sit, an possit alteri dare suffragium pro vno officio, vt per hoc alterum in se cadat?*

QVÆRITVR III. *An, si detur optio vt è duobus Conuentibus eligat alterum cui debeat præesse, possit eligere quem placuerit?*

AD *Primum*: Respondeo, Qui ex Religionis suæ instituto vouet Deo, se nec directè, nec indirectè prætensurum aliquam prælationem, &c. si per 3

si per illud *prætensurum*, intelligat se nihil acturum vt Prælaturam assequatur, (quomodo verba illa videntur omnino intelligenda) non potest electoribus dare munuscula, vel præstare aliqua officia quæ alioquin non esset præstiturus, eo animo, vt eorum beneuolentiam captet, & illum postea ex beneuolentia eligant. Quamuis enim talis actus secundùm se, & secundùm circumstantias externas non sit actus ambitionis; ac proinde secundùm probabilem sententiã multorum, non caderet sub præceptũ humanum, quo vetaretur absolutè ambitus Prælaturæ; tamen tendit ad obtinendã Prælaturam, saltem indirectè, nempe mediante beneuolentiã & amicitiã, quam intendit directè & immediatè. Itaque talis indirectè prætendit ad Prælaturam irrepere. Neque puto hac de re dubitandum. Indirecta enim prætensio ordinariè vix aliter fieri potest.

Volens nõ prætendere prælationẽ, peccat contrà votũ, etsi actus ille non sit actus ambitionis.

Non est hic simonia mentalis.

Fateor tamẽ talem non fore simoniacum mentalem: quia etsi verè intendat assequi Prælaturam per temporale obsequium vel munuscula; tamen abest pactũ non solùm expressum, sed etiam implicitum, quod ad simoniam necessariò requiritur.

Quòd si illud obsequium æquè benè deberet præstari à tali (v. g. vt si illius vices essent lauandi pedes hospitum, seu Electorum istorũ eò venientium) & tunc intenderet eorum beneuolentiam consequi, fortè hoc non esset contra votum: quia actus externus potiùs procedit ex debito officij, quàm ex intentione ambitiosa; & ita illa intentio est merè interna.

4 *Ad Secundum*: Secunda quæstio duos casus cõplectitur. Ad priorem: Respondeo, qui obstrictus tali voto videt se eligendũ in Priorem, vel in Definitorem, non potest aliquid agere vt eligatur potiùs in Definitorem, quàm in Priorem: hoc enim esset directè, vel indirectè prætendere officium cadens sub votum. Neque valet, si dicas, illum æquè benè, seu alioquin eligendum fuisse in Priorem: Impertinens enim est quòd alioquin eligendus sit in Priorem; est enim inter hæc discrimen; cùm Prioris officium plus habeat molestiæ, nec cadat sub votum; Definitoris verò officium plus habeat honoris, & cadat sub votum.

Ad alterum: Si vtrumque officium, nempe Vicarij, & socij euntis ad Capitulum, cadit sub votũ, nõ possum quidquam facere, vt hoc potiùs, quàm illud obtineã; etiamsi certus sim quòd alterum in me cadet: sed debeo sincerè dare meũ suffragium prout iudico coram Deo expedire, nulla habita ratione proprij commodi vel honoris: Alioquin erit saltem indirecta prætensio, quę per votum est illicita. *Directa* enim *prætensio* est, cùm quis officiũ expressè petit, vel se commendat, vel rogat vt sibi detur suffragium &c. *Indirecta* verò, cùm munuscula dantur ad obtinendam beneuolentiam, per quam detur postea suffragium: vel cùm alicui datur suffragium ad vnum officium, vt suffragia ad aliud cadant in se, &c.

Directa prætensio.

Indirecta prætensio.

5 *Ad Tertium*: Respõdeo, Si alicui datur optio vt è duobus Conuentibus eligat vtri velit præesse, casu quo cogatur præesse alteri, potest eligere quẽ placuerit. Electus tamen ad vnũ, non potest agere absolutè vt transferatur ad alium, per cuniculos inducendo Superiores. Posset tamẽ rogare vt omnino liberetur; &, si id nequeat obtinere, rogare vt ad alium Conuentum, vbi minus sit distractionis, & vbi melius Deo seruire queat, transferatur.

CASVS IV.

Ius eligẽdi suum Prælatum

Clemens V. in Concilio Viennensi Cap. Exiui. §. Demum, *per hæc verba*, Declaramus, statuimus etiam, & ordinamus in hac constitutione in perpetuum valitura, *statuit vt in Ordine Minorum penes Capitulũ Prouinciale resideat electio Ministri Prouincialis, quam idem Capitulum die sequenti, qua fuerit congregatum, facere teneatur.*

QVÆRITVR Primò, *Vtrùm hic imponatur Fratribus præceptum eligendi Ministrum suum Prouincialem?*

QVÆRITVR Secundò, *Vtrùm Fratres bonâ conscientiâ possint recipere in Ministrũ Prouincialem, eum, qui omissa ista electione, à Generali Ministro illis constituitur?*

QVÆRITVR Tertiò, *Si Generalis Minister iam consueuit per 40. annos Fratribus imponere Ministrum Prouincialem, An hæc Clementina vim suam quo ad hanc electionem, amiserit?*

6 *Ad Primum*: Respondeo, Non videtur hæc constitutio obligare Fratres, vt hoc modo eligant; nullum enim est verbum quo hic modus electionis significetur præcipi; sed solũ datur potestas eligendi, & statuitur vt hæc potestas sit in Capitulo Prouinciali. Ipsi autẽ Capitulo videtur præceptum imponi, vt non differant vltra sequentem diem. Nam verbum (teneatur) iuxtà communiorem & veriorem sententiam, præcepti vim insinuat. Hoc tamen non obligat nisi suppposito conuentu Prouinciali ad talem finem. Sic in quibusdam electionibus præcipitur vt electores non egrediantur nisi peracta electione, vel non possint vesci carne &c.

Verbum, Teneatur, continet præceptum.

7 *Ad Secundum*: Respondeo, Non peccant Fratres recipiendo in Ministrum Prouincialem, eum, qui à Generali cõstituitur. Quamuis enim, quantum est ex vi huius Clementinæ, possent talem non recipere, obijciendo id quod in fine huius Clementinę habetur *Irritum esse* quod contra formam sic præscriptam actum fuerit, vt sciant qua potestate Generalis id fecerit; tamen nusquam id illis præcipitur. Vnde, si velint, possunt illum recipere; quia in fauorem ipsorum hęc forma à Papa inducta est, vt ex verbis Clementinæ initio Paragraphi constat. Deinde possunt præsumere Generalem id iure feciſſe, v.g. speciali priuilegio Suæ Sanctitatis, vel ob aliam causam ipsis occultam. Ita enim decet subditos sentire de suo Superiore, præsertim tam eminente, nisi de contrario constet.

Subditi possunt cedere iure eligẽdi per hanc Clement. concesso.

Quòd autem Generalis, non obstante illâ Clementinâ, possit habere illam potestatẽ in aliquot casibus, rectè à R. V. probatur. In primo tamẽ casu nõ sufficit quod Electores mereãtur priuari potestate eligendi; sed oportet qnòd reipsa per Canonem, vel sententiam sint priuati; vt patet ex Glossa in Cap. 2. de Postulat. In secundo debet esse aliquo modo notorium, bonum Prouinciæ id postulare, vt si non reperiretur idoneus &c. Sed tertius est omnino certus, & Iuri conformis. Talis enim consuetudo tanto tempore durans, omnium Doctorum iudicio censetur legitimè præscripta, ita vt etiam Ius Canonis tollere possit.

Generalis potest in certis casibus facere cõtra hanc Clement.

8 *Clementina hæc sublata per contrarium vsum.*

Ad Tertium: Respondeo, Supposito illo vsu per 40. annos, certum est illam Clementinam vim non habere, nec opus est ad reuocationem Sixtinam confugere. Quamuis satis probabile sit hanc reuocationem etiam illam Clemẽtinam comprehendere. Nec obstat quòd in Sixtina non habeatur clausula specialis derogatoria huius Clementinæ: quia sufficit clausula generalis: nam priuilegium illud seu beneficium Sixti cùm sit in priuilegium integri Ordinis, æquatur Iuri communi, & constitutioni corpori Iuris insertæ; vt benè docet Henriques de Indulg. cap. 22. Verius tamen puto illam Clementinam non reuocari per Sixtinam: quia Clementina non tam continet onus, quàm fauorem, quem Sixtus non intendit tollere. Verùm sufficienter sublata censetur Clementina illa quoad illum §. *Demum*, per contrariũ vsum tanto tempore continuatum; adeò vt non putem ea de re ampliùs superesse locum dubitandi: maximè cùm secundùm Doctores, duo vel tres actus sine oppositione cuiusquam facti à Generali sufficiant ad consuetudinem contrariam introducendam.

CASVS V.

Electio ad Prælaturam per scrutinium.

Vtrùm, Quando in electione per scrutinium, eò peruentum est, vt ex duobus qui plura cæteris suffragia habuerunt, eligendus sit alter à toto Capitulo, ita vt præter illos duos nullus sit ampliùs eligibilis: neuter illorum habeat ampliùs suffragium actiuum?

9 Respõdeo, In tali casu æquitas postulat vt neuter illorũ habeat ampliùs suffragiũ actiuum; nõ solùm quando vterque est præsens, & de Capitulo; sed etiam quando alter est absens, & alter præsens. Ratio est, quia tale ius suffragij actiui in istis vel est periculosũ, vel est inutile. Est periculosum, quia cùm is qui præsens est, videat se esse in proxima spe obtinendi dignitatem, facilè ab ambitione tentabitur vt sibi ipsi suffragium occultum det: & ita electio reddetur incerta & suspecta in cæteris Electoribus, si fortè ille solùm vno voto absentem superet. Erit inutile, quia cùm secundùm iustitiam non possit sibi dare suffragium, omnibus statim constat in quem ipsius suffragium cadere deberet: ac proinde fruſtrà illud daret. Deinde huic præsenti non relinquitur libertas iudicandi inter duos vel plures, sed necessariò, si eligendum est, debet eligere absentem: atqui fruſtrà & irritum est suffragium quod non est liberũ.

Tale suffragium est periculosum.

Est inutile.

Est iniquum.

Denique non solum inutile, sed etiam iniquum foret suffragium quod præsens daret absenti, & redundaret in ipsius præsentis iniuriam. Iniquum enim est vt inutile & coactum suffragium augeat numerum, & ex vi illius obtineat absens dignitatem: cùm in paritate suffragiorum præsens si senior sit, debeat obtinere, iuxta priora illius Capituli statuta. Itaque sicut cùm vterque est præsens & de Capitulo, neuter debet dare suffragium, ita neque is qui præsens est, debet dare absenti: alioqui conditio absentis esset melior quàm præsentis: si enim ille præsens fuisset, non obtinuisset dignitatem, vtpote iunior, ac proinde postponendus alteri seniori in suffragiorum paritate.

CASVS VI.

Prælatus ex indebita Electorũ conspiratione promotus.

In electione Titij ad Prælaturam, suffragia fuerunt quodammodò publica, & ex pacto & cõspiratione Electorum Titio addicta.

QVÆRITVR, *An electio sit valida? An etiam simoniaca?*

10 *Electio hæc est irrita vel irritanda.*

Respondeo, Electionem Titij esse irritam, vel saltẽ irritandam per Iudicem: idque tum ob alias causas, tum maximè, quia suffragia fuerunt quodammodò publica, & addicta ex pacto vel promissione, & maximè suspecta de labe simoniaca, idque per priuatam coitionem & molitionem Electorum: quorum singula sufficiunt ad irritandam electionem, vtpote non sincerè, nec ex timore domini factam.

Debent suffragia esse secreta

Quòd enim suffragia ita secreta esse debeant, quando per viam scrutinij proceditur, vt ne socijs quidem innotescant, præsertim antè electionem peractam, manifestè colligitur ex Cap. *Quia propter.* De electione. Ea enim res impedit sinceritatem electionis. Idem passim tradunt Doctores. Sed maximè illi repugnat cõspiratio Electorum; & promissio qua alicui in particulari addicunt, & promittunt suum suffragium, & quòd alios ad idem inducent. Talis enim electio non modò non est secreta, sed etiam publicè apud sæculares infamis & scandalosa: ac proinde nullo modo sustinenda.

11 *Nequit ex pacto addicta.*

Quòd si etiam conuiuia & sympoſia interueniant, redditur suspecta de simonia: imò omnino præsumitur talis: quia ista fieri censentur ad compensandam promissionem Electorum, & ad animos eorum in promisso confirmandos. Itaque hîc interuenit res temporalis pro spiritali, nempe conuiuia & sympoſia, pro electione futura: & pactum expressum ex parte Electorum, tum de Titio eligendo, tum de inducendis alijs vt ipsum eligant. Et quia secuta est electio, videtur hæc simonia realis completa vtrimque: & consequenter incurrent tam Electores, quàm electus, pœnas Iuris, quæ ex parte eligentium est excommunicatio latæ sententiæ; ex parte Titij electi, excommunicatio, nullitas electionis, & inhabilitas ad idem beneficium. Patet Extrauag. *Cùm detestabile*, de Simonia.

Est hic simonia realis vtrimq; completa.

Est & simonia iuris humani.

His accedit quòd etiam inter Electores, dum inter se conspirarunt, & mutuo promiserunt se electuros Titium, videatur esse manifesta simonia saltem iuris humani: obligant enim se mutuo, & vltrò citroque promittunt se talem electuros; qua in re est simonia omnium Doctorum consensu, & electio inde secuta est irrita; vt patet Cap. finali de Pactis. & Cap. *Quæsitum*. De rerum permutatione.

CASVS VII.

Prælati depositio.

Titius Prouincialis à nonnullis Religiosis iustè apud Episcopum vel Capitulum prouinciale accusatus, citatus, & non comparens, depositus est ab officio; aliusque eius loco suffectus, reclamantibus nonnullis.

QVÆRITVR Primò, *An censendus sit primus rectè depositus?*

QVÆRITVR Secundò, *An secundus habendus sit legitimus successor?*

QVÆ-

QVÆRITVR Tertiò, *An aliqui possint pergere adhærere primo?*

12 AD *Primum*: Respondeo, Supposita veritate eorum quæ hîc narrantur, nulla videtur ratio cur meritò dubitari possit, quin iustè & legitimè facta censeri debeat illius Prouincialis depositio: Quia facta ab ijs qui ad hoc habent auctoritatem secundùm Ordinis statuta, vel consuetudinem receptam & approbatam; & ob legitimam causam; accedente etiam contumaciâ, quæ sola posset sufficere; & secundùm iuris ordinem præuiâ citatione, & probationibus criminũ; & à Capitulo Prouinciali cognitâ causâ approbatâ. Non video quid ampliùs ad eius validitatem possit requiri.

Ad Secundum: Non video rationem cur dubitari possit de Prouincialis successoris electione cùm facta sit à Capitulo Prouinciali debito modo celebrato &c.

Ad Tertium: Cùm depositus sit priuatus omni iurisdictione & auctoritate Prouincialis, eaque legitimè translata sit in alium; perspicuum est eos qui depositio adhærent, & successori resistunt, duplici nomine rebelles censendos, & tanquam rebelles puniri posse: maximè cum hæc rebellio sit valdè grauis, vtpote tendens ad schisma in Ordine faciendum. Vnde etiam præuia canonica monitione, nisi resipiscant, & deserant tueri' depositum; possunt per censuram excommunicationis compelli.

PRÆSCRIPTIO.

CASVS I.

Præscriptio hæreticorũ contra leges Ecclesiæ.

Hæretici Catholicis permixti in aliqua Parochia viuentes, nec recipiunt, nec obseruant leges Ecclesiæ.

QVÆRITVR Primò, *An illa continua non obseruatio liberet illos ab obligatione istarum legum?*

QVÆRITVR Secundò, *An saltem non liberentur ab illis legibus per non obseruationem si degentium in aliqua Parochia maior pars sit hæreticorum, quàm Catholicorum?*

QVÆRITVR Tertiò, *An saltem tempore longissimo, quale est XL. annorum, vel etiam immemoriali, possint hæretici præscribere immunitatem contra leges Ecclesiasticas?*

DIscursus D. Tuæ circa propositas hasce quæstiones Mussiponto ad me missas, est eruditus: aliqua tamen sentio addenda.

1 *Ecclesia potest obligare nolẽtes & non recipientes*

Ad Primum: Suppono, Ecclesiam, Concilium Oecumenicum, seu Summũ Pontificem in quo est Ecclesiasticæ potestatis plenitudo, posse obligare etiam nolentes & non recipientes; neque scio vllum Doctorem qui id ausit negare, cùm potestas ipsis non sit ab hominum collectione, sed immediatè à Christo. Itaque cùm Doctores dicunt Ecclesiæ legem non obligare nisi sit recepta, supponunt Ecclesiã non intendere aliter obligare, ne filios suos multis peccatis implicet, & grauia illis incommoda inferat. At hoc in præsenti casu supponi non potest respectu hæreticorum, qui ex cõtemptu Ecclesiæ legem reijciunt, & recipere nolunt. Quis enim credat Ecclesiam sua lege, quam tulit de matrimonijs clandestinis, non intendere obligare hæreticos qui in aliqua parochia sunt Catholicis permixti, si ipsi contumaciter legem reijciant? Et quidem si hæreticorum numerus ibi est minor, Catholicorum maior, & à Catholicis decretum illud recipiatur, non est dubitandum quin etiam hæretici teneantur. Quia omnes obligantur quando à maiore parte communitatis lex est recepta: tunc enim absolutè recepta censetur. Itaque matrimonia illorum erunt inualida in eo loco, siue hæreticus cum hæreticâ, siue cum Catholica contrahat, nisi formam à Concilio prescriptam seruent; quia illa forma ibi absolutè est recepta.

Vbi maior pars est Catholicorum.

Ad Secundum: Idem sentio, etiamsi maior pars eorum qui sunt in illa parochia, sit hæreticorum, qui ex contemptu nolunt recipere. Quia nulla est ratio cur Ecclesia vtatur illa benignitate aduersus suos rebelles: nimirum vt nolit eos communi lege adstringi, si eam non receperint. 2

Vbi maior pars hæreticorum.

Neque verum est ad essentiam legis requiri receptionem: nullus enim Doctorum hanc conditionem facit essentialem: alioqui etiam lex diuina positiua non obligaret, nisi recepta. Vnde vlteriùs sequitur, legem non habere rationem mutui contractus, ad quem necesse est coire duas voluntates: sed est absolutum imperium, ad cuius vim non requiritur vllus consensus ex parte eius cui imponitur, nisi fortè aliquãdo ex benignitate imperantis. In l. *De quibus* π. De legibus, agitur de legibus populi Romani, apud quem erat summũ imperium. Addo, si rationes istæ essent validæ ad probandum intentum, sequeretur alia ratione leges ferri & imponi non posse; quod est contra cõmunem sententiam Doctorum: & loquendo de legibus Ecclesiæ, puto esse erroneum.

Soluuntur obiectiones, quod ad essentiale legis requiratur receptio.

Ad Tertium: An saltem tempore longissimo, vel immemoriali non possint hæretici præscribere immunitatem contra leges Ecclesiæ: Respondeo, Etsi fortè non improbabiliter id dici posset, ob quædam fundamenta, quæ breuitatis causa omitto: Verius tamen mihi videtur non posse. Ratio est duplex: Primò, Quia non censentur vnquam esse in bona fide seruando suam consuetudinem, quæ apertè consuetudini vniuersalis Ecclesiæ repugnat. At vt consuetudo vim legis accipiat, vel legem abroget, debet continuari per longum tempus bona fide. Etsi enim consuetudo non bona fide inceperit, successu tamen temporis debet censeri licita & legitima, ita vt illam seruando non peccent: alioqui erit corruptela & legis violatio, non consuetudo rationabilis; ac proinde vim legis non poterit tollere. Secundo, Quia consuetudo non potest tollere vim legis nisi ex tacito vel expresso consensu Principis; quod maximè locum habet in legibus Ecclesiæ ob causam suprà insinuatam, quod iam non probo, sed suppono. Atqui non præsumitur Ecclesia consentire in illas consuetudines, aut eximere illos à communi lege, cùm sint rebelles Ecclesiæ, neque vllum hac in re fauorem aut benignitatem mereantur. Alioqui magnum ex sua contumacia commodum mererentur. Et sanè mirum esset hæreticos esse exemptos à ieiunijs, à carnium abstinentia, à cultu festorum, ab impedimentis matrimonij iure Ecclesiastico inductis, & similibus; eò quòd ipsi, Ec- 3

Hæretici nunquam præscribũt cõtra leges Ecclesiæ.

1. *quia deest bona fides.*

2. *quia deest consensus legislatoris.*

clesiæ auctoritate contempta, aliam consuetudinem seruant &c. Idem confirmat vsus Ecclesiæ; nam simulatque ad fidem redeunt, statim Ecclesię consuetudinibus obstringuntur, & matrimonia ingradibus prohibitis, vel cum alijs impedimentis ab Ecclesia constitutis inita, dissoluuntur.

Consuetudo irritare potest matrimoniũ absque Parocho contractum.

CASVS II.

In quibusdam Galliæ locis, & alibi, consuetudine introductum est, vt matrimonium absque Parocho contractum censeatur irritum.

QVÆRITVR, *An illa consuetudo vim habeat legis, & cuius legis?*

4

REspondeo, Consuetudo legitimè præscripta habet vim legis: ac proinde potest introducere impedimentũ dirimens, & id quod antè erat impedimentum dirimens, facere non dirimens. Vnde si in Gallia, vel alibi, fuit consuetudo introducta, etiam vbi Concilij Tridentini decretũ non est peruulgatum, vt matrimonium absq; Parocho contractum censeatur irritum, credo ex vi huius consuetudinis verè esse irritum.

Nec refert quòd huiusmodi consuetudo per constitutiones regias, seu occasione earum, introducta fuerit: quia etsi Princeps cum Episcopis regni non possit introducere aliquod nouum impedimentum dirimens, eò quòd ea potestas ratione Sacramenti seruetur Summo Pontifici, vt passim Doctores tradunt; tamen consuetudo orta ratione talis constitutionis, si legitimè præscripta fuerit, potest hanc vim habere; non à potestate Principis vel Episcoporũ, sed ex tacito consensu Papæ, qui eam tunc vult valere; vt colligitur ex Cap. finali de Consuet. Simili modo potest cosuetudine fieri, vt professio ante annum 16. ætatis facta, sit valida, sicut erat ante Concilium Tridentinum; vt rectè docet Nauarrus in Consilijs. tit. de Regular. Consil. 28.

Hæc consuetudo tacitè censetur approbata à Papa.

CASVS III.

Actio pro & contra Præscriptionem.

Titius putat se legitima præscriptione acquisiuisse bona Cai: Caius verò putat præscriptionem illam esse illegitimam.

QVAERITVR, *Quomodo vterque tueri se poterit?*

3

REspondeo, Etsi is qui putat se aliquid iustè præscriptione acquisiuisse, possit illud retinere, ac se tueri iure, donec per sententiam euincatur &c: tamen is, contra quem præscriptum est, si putat non legitimè factum, potest exigere solutionem pensionum cassarum; &, si opus sit, petere à Principe restitutionem in integrum, causis allegatis. Ita enim auctoritate Principis fit translatio dominij per præscriptionẽ, vt ex causa possit eiusdem Principis auctoritate concedi restitutio in integrum. Et sic non datur bellum vtrimque iustum sepositâ ignorantiâ: Si enim agatur, Vtrùm sit legitimè facta præscriptio, necesse est alterum errare: Si autem petatur restitutio in integrum, hoc non repugnat intentioni quâ alter rẽ detinet, nec vult eam relinquere ante sententiam.

CASVS IV.

Præscriptio Capituli cõtra reditus pauperum.

Vtrùm consuetudo ducentorum annorum, vel aliàs immemorialis, impendendi duas tertias partes reddituum Mandati (qui supponuntur relicti ad opus eleëmosynæ in vsum pauperum) in stipendia ministrorum, luminaria, & fabricam, eam vim habeat, vt potuerit illos redditus transferre in dominium Capituli, ita vt Capitulum possit in posterum hanc consuetudinem seruare; nec teneatur ad restitutionem ipsis pauperibus?

6

SVppono hanc consuetudinem esse immemorialem, vt Doctores loquuntur. Constat enim eam superare centum annos, & de eius initio nullam extare memoriam: quod satis esse, vt consuetudo immemorialis censeatur, docet Couarruuias Reg. possessor. p. 2. §. 3. n. 7. & 8.

Consuetudo immemorialis, quæ?

Porrò consuetudinis & possessionis immemorialis ea vis est, vt titulum non requirat, & præsumptionem bonę fidei inducat, etiamsi iuris præsumptio ipsi facto obsistat, vt communiter docent Doctores, & colligitur apertè ex Cap. 1. de Præscript. in 6.

Eius efficacia.

Hoc tamen intelligendum, nisi de mala fide cõstet: certitudo enim de contrario excludit præsumptionem contrarij. Vnde quando constat mala fide consuetudinem vel possessionem continuatam, etiã per tempus immemoriale nulla nascitur præscriptio: Regula *Possessor malæ fidei*. de Reg. Iuris in 6.

Nisi subsit mala fides.

7

Itaque tota quæstio huc reuocatur, Vtrùm ita constet de mala fide, vt elidatur præsumptio bonę fidei, quam inducit immmemorialis consuetudo vel possessio. Mihi sanè non videtur vllo modo de mala fide hîc constare. Incredibile enim est Capitulum, in quo tot viri doctrina & pietate insignes extitere per ducentos pænè annos, in mala fide fuisse, & reditus illos contra suam conscientiam, vel saltem conscientiâ dubiâ in istos vsus impendisse. Sic enim omnes iniqui & scelerati fuissent: quod nullo modo est præsumendum. Deinde, si iniquè & mala fide isti reditus sic impendebantur, quomodo nemo vel è Capitulo, vel ex alijs Canonicorum Collegijs, de hac iniquitate vel Episcopum vel Summum Pontificem monuit? Cur Decani aliarum Ecclesiarum, quibus commissa erat cura & auctoritas exequendi Mandatũ Apostolicum de non conuertendis illis redditibus in alios, quàm pauperum vsus, non se commouerunt, & opposuerunt tam apertæ iniquitati? Cur pauperum curatores qui in oppidis solent constitui, non sunt conquesti?

Signa bonæ fidei in hoc casu.

Hęc & alia huiusmodi insinuant aliquid subesse quod nos latet, ratione cuius iniqua non fuerit visa talis vsurpatio: nimirum, vel concessionem aliquam Summi Pontificis saltem ad tempus, quæ postea fuerit vel vsu inculpato, vel priuilegio prorogata; vel bonam fidem Capituli, & aliorum existimantium quamuis piam causam sub nomine pauperum posse comprehendi; vel tenuitatẽ prębendarum quæ ad sustentationem Canonicorum & cultus diuini non sufficerent, & ita ipsos Canonicos potuisse inter pauperes censeri. Quibus omnibus perpensis, non video sufficiens fundamentũ ad cõsuetudinẽ tam antiquã iniustitię damnandã.

Vnde hæc bona fides hîc orta.

CASVS

CASVS V.

Præscriptio contra abstinentiam à carnibus.

In aliquo Ordine solebant Religiosi ex primæua institutione à carnibus abstinere: sed contraria consuetudine esus carnium sensim inductus est.

QVÆRITVR Primò, *An bonâ conscientiâ possint Religiosi illi pergere in vsu carnium?*

QVÆRITVR Secundò, *An Religiosi teneantur admittere reformationem, qua Superior priorem vsum vult inducere?*

8 EXpensis ijs, quæ hîc, tum ex Bulla Sixti IV. tum ex Bulla Benedicti XII. notantur: & considerata consuetudine in contrarium: Respondeo, Religiosos illius Ordinis in monasterio, vbi neque talis Bulla, neque Regula de carnium abstinentia ab hominum memoria fuit seruata, sed contrarium vsu practicatum, non obligari ad carnium abstinentiam, sed posse absque scrupulo carnibus vesci iuxta consuetudinem receptam.

Consuetudo hæc est legitimè præscripta.

Ratio est, quia omnis lex positiua humana, etiamsi à Papa vel Concilio Oecumenico sit lata, vel confirmata, potest aboleri, ita vt vim obligandi ampliùs non habeat per consuetudinem rationabilem legitimè præscriptam, vt passim tradunt Doctores, & colligitur ex constitutione Gregorij IX. Cap. finali, de Consuetudine. De qua re videri potest Couarruuias lib. 3. Variarũ c. 13. n. 4. Vt verò consuetudo sit legitimè præscripta, sufficiunt anni 40. ex omnium DD. sententia. Hîc autem non solùm sunt anni 40. quibus illa consuetudo vescendi carnibus in isto monasterio viguit, sed multo plures, videlicet tempus memoriam hominum superans, vt refertur in specie facti.

Est etiam rationabilis.

Quòd etiam illa consuetudo sit rationabilis, patet; quia Religiosum vesci carnibus nihil per se habet rationi repugnans, nec id vlli iuri diuino aut naturali aduersatur. Itaque bonâ conscientiâ potest illis Superior vsum carnium permittere, nõ obstante Bulla prædicta, aut Regulæ præscripto. Similiter etiam ipse bonâ conscientiâ potest carnibus vesci, iuxta Decessorum eius receptam consuetudinem.

9 *Subditi teneantur illam reformationem admittere.*

Vtrùm verò Religiosi teneantur admittere eã reformationẽ qua Superior priorem vsum vellet inducere, alia quæstio est. Valdè verisimile est, teneri eam admittere, cùm sit secundùm primæuã institutionem, nisi à Sede Apostolica habeant indultum vt carne vesci possint. Hoc ipso enim quo profitentur, & inseruntur Religioni, tacitè censentur se obligare ad rationabilem reformationẽ acceptandam quæ Regulæ sit conformis, si aliquando introducatur. Contrarium enim esset pernicioſum; quia impediretur via ad maiorem perfectionem, & ad rationabilem Regulæ instaurationem: qua de re multa dici possent.

NOTA *ad praxim.*

Verùm non facilè Superior talia tentare debet, sed in omnibus considerare quid magis expediat ad Dei gloriam, & subditorum salutem. Sanè melius est vt benè contenti vescantur moderatè carnibus, sicut plerisque locis Benedictini, & alij faciunt, quàm vt cum murmure & interna animi perturbatione vescantur piscibus aut oleribus. Esca enim per se nos Deo non commendat: nec regnum Dei est in qualitate cibi, sed in charitate, pace & gaudio in Spiritu sancto.

CASVS VI.

Præscriptio monasterij cõtra pias suorum fundationes.

Abbas Pamphilus cùm lustrat antiquas monasterij sui fundationes, inuenit quasdam factas à Religiosis, alias ab Abbatibus, alias à Prioribus, quæ tamen iam inde à 100. annis non sint in vsu.

QVÆRITVR, *An tanti temporis non vsus præscripserit seu extinxerit illas fundationes: adeò vt Abbas Pamphilus non teneatur easdem ad vsum pristinum reuocare?*

10 REspondeo, Si fundationes istæ Monachorũ ab exordio sui assiduè fuissent in vigore, durum videretur illas post tanti temporis continuationem subitò abolere eo nomine, quòd ex bonis monasterij videantur fundatæ. Verùm quia iam à centum annis putantur fuisse omissæ, & in specie abolitæ, suffectis in earum locum ijs quæ in reformatione Bursfeldensi præscribuntur, minor est difficultas: quia tanti temporis continuatio ijs non suffragatur: quin imò centum annorum omissio contra eas pugnat. Quare non tenetur Prælatus eas reuocare in vsum, mutato Breuiario Bursfeldensi in Romanum, nisi constet illas ex bonis alienis, non ex ijs quæ erant monasterij factas esse.

11 *Religiosi omnia acquirunt monasterio.*

Et sanè quod attinet ad fundationes factas à Religiosis ex bonis cõquisitis ab amicis, vel aliunde quàm ex beneficio; cùm illa ad monasterium statim ipso iure pertineant, non videtur ex illis potuisse fieri fundatio, ad quam monasterium ex iustitia obligaretur; quia per ea monasterium nihil accipit, nisi quod suum est: Nemo autem suis stipendijs militat se militiæ obstringens vinculo iustitiæ. Quòd autem se obligari putarit, est ex ignorantiâ; sicut & Religiosi tunc temporis ex ignorantia putabant se posse habere proprium. Quare tales fundationes facilè possunt omitti; præsertim à Successoribus, qui nihil promiserunt, neque etiam voto vel iuramento Antecessorum tenentur.

12 *Abbas ex bonis sibi propriis potest obligare monasterium.*

Idem dicendum de fundationibus factis ab Abbatibus, si ipsa dignitas Abbatialis non habet propria bona sibi assignata: quia tunc omnia sunt communia; & quidquid Abbas acquirit, non acquirit dignitati, sed communitati. Si verò dignitas illa haberet bona propria legitimè annexa, alia videretur ratio; quia ex illis bonis videtur Abbas posse facere fundationẽ in suo monasterio, sicut alibi: nec video cur monasterium non possit obligari si cum illo contrahat; quia accipit ab illo bona quæ ad monasterium non pertinebant. Idem videtur dicendum de bonis acquisitis ab amicis eo tempore quo fuit in dignitate: censentur enim acquisita dignitati.

Interdum factâ diuisione bonorum distinguntur bona Abbatiali dignitati vel mensæ assignata, à bonis monasterij. Verùm hoc non satis est vt illa dignitas dicatur habere bona propria, nisi hęc diuisio, & assignatio sit approbata à Sede Apostolica, si monasterium erat exemptum; vel certè ab Epis-

copo, si non erat exemptum. Quia dignitates cum certis fructibus (qui postea non possint à titulo diuelli) instituere, solius est Summi Pontificis, vel Episcopi.

13 Eodem modo dicendum erit de Prioratu. Si enim Prioratus habebat bona propria legitimè sibi annexa, vel si Prior eo tempore quo in dignitate fuit, bona ab amicis acquisiuit, quæ dignitati eius acquisita censeantur, potuit de ijs cum Monasterio transigere & fundationes instituere. Si verò non habebat bona propria, sed solùm communia, non potuit monasterium obligare: & omnis obligatio quæ interceſſit, profecta videtur ex ignorantia, ac proinde nullius momenti; quia fuit error in substantia contractus.

His omnibus, alijsque, quæ narrantur in casu proposito, consideratis & perpensis, videtur mihi valdè probabile in hac reformatione non teneri D. Prælatũ reuocare in vsum fundationes à Religiosis vel Abbate illius monasterij in eodẽ monasterio institutas.

Vtrùm *Prior ex bonis sui Prioratus possit tales fundationes facere, adeo vt contra religiosam paupertatem nõ peccet, vide supra* V. Religiosa paupertas. Casu 8.

CASVS VII.

§. 1.

Præscriptio per tres sententias Iudiciales conformes pro legitimitate.

Titius nobilis pluribus annis vixit cum Martha, eadem vtens vt vxore; quam & vxorem suam esse sæpiùs coram Notario & testibus iurauit; sed nullius præsentis testimonio probare potuit se cum ea matrimonium contraxisse. Procreatis verò ex ea prolibus, ipsa adhuc viuente, solemniter & in facie Ecclesiæ ducit Caiam nobilem, iuramento item addito tam suo, quàm Marthæ, se cum Martha nunquam legitimè contraxisse.

QVÆRITVR, *Vtrius filij habendi sint legitimi; Marthæ an Caiæ?*

14 PErpensa specie facti, probationibus & præsumptionibus vtriusque partis, Iurisperitorum responsis, & Iudicum sententijs: tria mihi, saluo meliore iudicio, dicenda sunt.

Solemne matrimonium præfertur cuiuis præsumpto.

Primò, In foro externo matrimonium Titij cum Caia debere pronuntiari legitimũ absolutè: quia cõtra solemnem contractum secundùm formam Iuris initum, nullæ valent præsumptiones, quãtumuis sint multæ & magnæ. Vnde si viuerent istæ tres personæ, scilicet Titius, Caia, & Martha, etiam per sententiam excommunicationis cogendus esset Titius redire ad Caiam, quam solemniter duxit, eamque, vt vxorem legitimam, tractare; & separandus esset à Martha. Quod confirmat sententia Officialis Attrebatensis, quæ omnium prima, & legitimè lata fuit, & in rem iudicatam transijt.

15 Secundò, Etiamsi pro matrimonio Titij cum Martha sint plurimæ præsumptiones, & quædam valdè vehementes, quæ rem in se possunt reddere dubiam; non sunt tamen nisi præsumptiones & coniecturæ, non autem certæ & indubitatæ probationes. Vnde non sufficiunt vt post secundum matrimonium, Iudex possit iudicare illud matrimonium interuenisse, aut validè fuisse contractũ, sed necessariò debet iudicare illud fuisse nullum. Ratio est, quia non potest iudicare vtrumque matrimonium fuisse validum; sed alterum validum, alterum nullum. Tenetur autem secundum pronuntiare validum propter solemnitatem contractus, vt dictum est. Ergo primum debet pronuntiari nullum.

16 *Martha proles non possunt censeri legitima in foro externo.*

Tertiò, Hinc rectè inferri videtur, proles ex Martha susceptas, non posse in foro externo pronuntiari legitimas. Vbi enim non potest præsumi legitimum matrimonium, saltem fide contrahentium, non præsumuntur filij legitimi. Legitimi enim dicuntur qui ex vero vel putatiuo matrimonio, bona fide partium inito, nascuntur. Atqui Iudex hîc non præsumit legitimum matrimoniũ; neque præsumit hîc aliquem matrimonij contractum bonâ fide interceſſiſſe; sicut cùm subest occultum impedimentum dirimens; sed potiùs præsumit omnia simulatè acta ad libidinem explendam. Ergo non potest pronuntiare liberos legitimos. Hoc ipso enim quo pronuntiarentur filij legitimi, tacitè pronuntiaretur de matrimonio, illud habendum esse pro legitimo, etiamsi fortè coram Deo tale non fuerit. Atqui hoc est contrarium alteri sententiæ, quâ iudicat secundum esse habendum pro legitimo. Non potest autem Iudex contraria vel alysstata pronuntiare præsumenda. Cùm enim expresse debeat pronuntiare secundum matrimonium fuisse & habendum esse legitimum; quomodo poterit implicitè & in effectu iudicare primum habendum pro legitimo, aut primum verè aut bona fide fuisse contractum; sed ob occultum impedimentum fuisse irritum, cùm nullius talis impedimenti fiat mentio?

Quinam dicendi sint legitimi.

Iudex contraria edicere non potest.

Nec obstat quòd Titius & Martha sæpiùs iureiurando coram Notario & testibus deposuerunt se verè coniunctos fuisse: quia si his in foro externo esset credendum, non deberet nec posset Ecclesia matrimonium cum Caia validum pronuntiare, quod tamen tenetur facere, vt dictum est.

17 *Quandonam fauẽdum matrimonio,*

Similiter non refert quòd causa legitimitatis & matrimonij sit fauorabilis: hoc enim intelligendũ est in dubio, & quando causa maioris momenti non obstat. Hic autem causa maioris momenti interuenit, nimirum solemne matrimoniũ cum Caia, quod pronuntiandum est fuisse validũ.

Marthæ proles non censentur in possessione legitimitatis.

Neque verum est liberos Marthæ esse in quasi possessione legitimitatis, ac proinde onus probandi incumbere liberis Caiæ. Quia postquam constat per sententiã de matrimonio legitimo Caiæ, præsumuntur omnia priora inualida, & ipsi præsumuntur illegitimi: vnde ipsis probatio incũbit. Cùm autem non habeant vllas probationes certas, sed solas præsumptiones, quæ per contrarias præsumptiones, & maximè per iuramenta Titij & Marthæ præuia matrimonio inito cum Caia, & per ipsum solemnem matrimonij contractum, abundè eliduntur; non video qua ratione illis in foro externo magnopere prodesse possint ad sententiam suæ legitimitatis obtinendam.

§. 2.

Titius Caiæ superstes inductus à prolibus Marthæ, & ab ijsdem coram Iudice Ecclesiastico citatus, declarauit eas ex legitimo connubio suo cum Martha susceptas. Iudex non euocatus ad contradicendum Caiæ prolibus, pronuntianit

nuntiauit legitimas Titij & Marthæ esse proles, quæ proinde paternam prætendunt hæreditatem. Proles Caiæ Iurium ignaræ ab hac sententia prouocant: quo facto videntur eam pro sententia legitima agnoscere: atque adeò tres sententias conformes (duæ namque præterea pro legitimitate prolium Titij & Marthæ latæ fuerunt) contra se latas debere fateri.

QVÆRITVR, *An triplex illa sententia pro prolibus Marthæ tanquam legitimis lata, efficiat vt Iudex, ad quem vltimatè hæc lis defertur, debeat pronuntiare pro prolibus Marthæ, contra proles Caiæ?*

18 *Ter victus in iudicio contradictorio non potest vlteriùs appellare.*

DIco Primò, Regula illa Iurisconsultorum, *Post tres sententias conformes non posse vlteriùs appellari*, omnino intelligenda est de tribus sententijs, quibus appellans fuit ter victus in iudicio contradictorio. Nolunt enim Iura, eum, qui ter totis viribus coram tribus Iudicibus pro suo iure contendit, & eorum sententijs occubuit, ampliùs iure experiri, sed sententiam mandari executioni: *Tria enim*, vt veteres dicebant, *sunt omnia*. Itaque Iudicium illud, in quo quis non potuit iure contendere, non potest illi nocere; neque ille in eo potest censeri succubuisse. Nemo potest dici victus in certamine cui non potuit adesse, in quo vires suas non potuit depromere. Quid autem est aliud Iudicium, quàm certamen quoddam iuriũ? Pessimi res esset exempli si huiusmodi Iudicia parti nocerent. Facile enim est Iudicibus obrepere, & rem collusione peragere.

19 *Non est iudicium cõtradictorium vbi vna pars colludit, & habens interesse non citatur.*

Dico Secundò, Prima sententia in fauorem liberorum Marthæ lata à D. Officiali Mechlinien- si anno 1599. die 26. Aprilis omnino videtur fuisse irrita, vt benè probarunt clarissimi Iurisconsulti Duacenses. Confirmatur hac ratione: Quia in ea perinde actum est ac si Titius cum filijs, quos ex Martha suscepit, iuissent ad D. Officialem, & vnanimi consensu petijssent ab eo declarari ipsi Titio cum Martha interceßisse verum & ratum matrimonium, & se esse legitimas eorum proles. Atqui certum est talem declarationem fore omnino irritam quatenus in præiudicium aliorum potest cedere. Nec refert quòd modo iudiciario processerint curando parentem citari, & per sententiam ad hoc condemnari vt eos pro legitimis haberet &c. quia ita fuerat inter eos conuentum, vt ex actis constat. Vnde in re ipsa nihil fuit nisi mera collusio & conuentio ad obtinendam huiusmodi declarationem in præiudicium matrimonij initi cum Caia, & posterorum ex ea descendentium. Illa enim simulata Iudicij forma non mutat substantiam facti. Ex quo patet nullum fuisse hic Iudicium contradictorium, nullam sententiam verè iudiciariam, cùm solùm vna fuerit pars, & altera pars cuius intererat, quæ se debebat opponere, non fuerit citata. Non enim potest dici cõtradictor in Iudicio, qui est collusor & concors, & hoc agit vt in præiudicium tertij, pars, à qua se curat citari, sententiam obtineat. Quòd autem hæredes Caiæ necessariò citari debuerint, optimè probatum est à clarissimis Doctoribus Duacensibus: quia cedebat res in maximum eorum præiudicium. Si enim matrimonium Titij cum Martha est verum & ratum; necessariò consequens est matrimonium cum Caia fuisse irritum; & consequenter proles non esse ex legitimo toro, vnde etiam carebunt successione familiæ paternæ &c. Quid nobilibus potest esse grauius?

Sententia hinc lata, est nulla.

Ex quibus patet Iudicem fuisse deceptũ. Certum enim est, si sciuisset rem in tantum aliorum præiudicium cessuram, non tam facilè sententiam fuisse laturum, nisi priùs audita parte, vt officium Iudicis postulat. Similiter si sciuisset sententiam ante annos 28. à D. Officiali Attrebatensi in legitimo Iudicio latam pro matrimonio Caiæ, nullo modo voluisset ferre sententiam illi repugnantem, nisi re maturiùs examinata. Itaque hæc sententia omnino nulla censenda, nec facit ad numerum vt possint dici tres sententiæ.

Appellatio ab ea facta non obest appellanti.

Neque his obstat, quòd hæredes Caiæ, appellando videantur eam pro sententia iudiciaria, quę ipsis nocere posset, agnoscere: Id enim ex ignorantia factum est: Si enim sciuissent modum procedendi Iuris, non debuissent illam curare, sed nouum iudicium ordiri nullâ illius habitâ ratione.

Nec refert quòd ea ignorantia fuerit Iuris, quę in foro externo obest: quia hæc toleratur in minore, in rustico, & in muliere, & in milite, ita vt illis non obsit; vt docet Molina Iureconsult. lib. 2. de Primogenijs cap. 6. n. 69. vbi etiam docet cum hac ignorantia istos posse præscribere. Non enim patitur æquitas, vt isti, in quibus non præsumitur talium subtilitatum notitia, ob huiusmodi errores ius suum amittant. Atqui appellans erat vir militaris, parùm gnarus rerum fori contentiosi.

20 *Contra tres sententias cõformes potest dari restitutio in integrũ.*

Dico Tertiò, Etiamsi concederetur fuisse tres sententias validè latas (quod tamen concedendum non est:) tamen non impediunt appellationem, quia non sunt vniformes, vt ostensum est à Iureconsultis Duacensibus. Et quamuis essent vniformes, ob magnum præiudicium potest dari contra illas restitutio in integrum, vt ijdem rectè probant; idque non solùm pro minoribus, sed etiam pro maioribus; vt ostendit ex multis Doctoribus Thomas Sancius lib. 7. de matrimonio disput. 37. n. 22. & lib. 10. disput. 9. n. 7.

21 *Secundum matrimonium solemne præferendum priori clandestino.*

Dico Quartò, Matrimonium secundum in facie Ecclesiæ contractum, præferendum est priori clandestino, etiamsi prius vno teste & famâ probatum esset; & secundum, duobus tantùm testibus probaretur. Ita Vincentius in Capitulum 2. de Clandest. desponsat. quem sequuntur Abbas, & alij Doctores in dictũ Cap. 2. Et Felinus in Cap. 1. *Vt lite non contestata*, n. 2. Quam sententiam esse communem dicit Soncinas consil. 129. & Aretinus consil. 13. in 3. dub. Vide Couarruuiam tom. 1. p. 2. de Impedimentis matrimonij n. 14. p. 173. vbi citat alios. Faber in suo Codice p. Decisiones Tholosanæ. Et tamen fama cum vno teste in alijs facit plenam probationem.

Hoc si verum est, quanto magis præferendum erit secundum matrimonium in facie Ecclesiæ contractũ quod plurimis testibus probari potest, matrimonio clandestino priori, quod solâ famâ & quibusdam indicijs, nullo autem teste probari potest? Sanè fama & illa indicia non faciunt plenam probationem, sed solùm præsumptionẽ vehementẽ generant, quàm tamen iuramenta contraria, & cõtractus solemniter initus facilè elidunt.

Hinc

22 Conclusio. Hinc clarè videtur inferri, non posse proles Marthæ pronuntiari legitimas: quia sic matrimonium clandestinum ex solis præsumptionibus præferretur matrimonio solemni contracto in facie Ecclesiæ. Hoc ipso enim quo pronuntiantur proles illæ legitimæ, matrimonium prius pronuntiatur ratum: & consequenter secundum irritum. His addi possunt rationes in 1. §. deductæ. Ex quibus perspicuè concludi videtur partes Iudicis esse vt matrimonium secundum declaret fuisse legitimum & ratum, & proles ex eo susceptas legitimas.

PRIVILEGIVM.

Priuilegium benedicendi vasa sacra & Altaria.

CASVS I.

Iulius II. concesſit cuidam Abbati priuilegium benedicēdi vasa Sacra Et vt ex antiquis monumentis colligitur, videtur Abbas ille aliquando Altaria consecrasse.

QVÆRITVR Primò, *Quid hic intelligatur nomine* Benedictionis, *& nomine* Vasorum Sacrorum.

QVÆRITVR Secundò, *Vtrùm modernus Abbas possit consecrare Altaria?*

23 AD *Primum:* Resp. Primò, Nomine *Benedictionis* sæpè intelligitur etiā ea benedictio quæ fit cum vnctione chrismatis: quia hoc nomen est generale, & comprehendit etiam consecrationē; vt patet non solùm apud Doctores Siluestrum, Angelum, & alios, sed etiam ex Pontificali Romano. Et hoc modo non dubito quin etiā in hac Bulla Iulij II. vsurpetur.

Respondeo Secundò, Nomine *vasorum Sacrorum* in hoc priuilegio maximè Calices videtur intelligi; hi enim proprijssimè sic appellantur. Alia vasa Sacra non opus habent benedictione: quia nullum Ius requirit vt vel Monstrantia, vel Ciborium benedicatur, quamuis etiam aliqua benedictio illis adhiberi possit. Vnde non dubito quin hîc concedatur Abbati consecratio Calicum monasterio necessariorum. Neque hoc nouum videri debet; quia Zabarella in Clementinā; *Attendentes* de statu Regularium, alijque docent Abbatem vtentem insignibus Episcopalibus posse de consuetudine Calices consecrare: mirum ergo videri non debet si id fiat expresso priuilegio.

24 *Ad Secundum:* Neminem reperio qui Abbati cōcedat facultatem benedicendi seu consecrandi Altaria. Tamen dubium non est, quin Papa possit eam concedere. Sentio tamen Abbatem istum nō posse in posterum vti hoc priuilegio consecrandi Altaria: quia per non vsum tanti temporis videtur illud amisisse, Episcopo contra Abbatem præscribente. quod intelligo, si occasio fuit eo priuilegio vtendi, & aliquoties non est vsus, aduocato ad hoc Episcopo.

Vtrùm *autem Abbas qui monasterij sui calices consecrare potest, possit etiam, accedente saltem Ordinariorum licentiā, externorum calices cōsecrare, vide quæ dicta sunt suprà* V. Consecratio. Casu 1.

Priuilegij perditi recuperatio.

CASVS II.

Vtrùm priuilegium alicuius monasterij Superioris negligentiā amissum, possit solā monasterij auctoritate resumi?

Professio Religiosa inualida.

Respondeo, Priuilegium per cessionem, non vsum, vel reuocationem Superioris in aliquo monasterio amissum, non potest resumi ab eodem monasterio propria auctoritate, sed debet descēdere à Superiore, nempe à Generali vel Prouinciali. Priuilegia enim Ordini conceduntur, sic tamen vt ad singulos debeant descendere secundū Superiorum ordinationem. Et hoc modo potest priuilegium illud in aliquo loco amissum restitui. *Similem ferè casum vide suprà* V. Bona Ecclesiæ Casu 8. 25

Communicatio Priuilegiorum.

CASVS III.

Communicat Pontifex alicui Ordini priuilegia alijs Ordinibus concessa.

QVÆRITVR, *An ea communicatio extendatur ad tempus præteritum & futurum?*

Respondeo, Communicatio illa, qua communicantur priuilegia alijs Ordinibus concessa, non est extendenda nisi ad concessa vsque ad illud tempus, non autem ad concedenda in posterum, nisi id exprimatur. Ratio est, quia quando Pontifices volunt ita extendi, id apertè exprimunt hac vel simili clausula: *Et in posterum concedendis.* Vnde quando id non exprimitur, censetur non fieri talis extensio. Esset enim contra proprietatē verborum. Verba priuilegiorum non plus operantur, quàm secundùm suam proprietatem significant. 26

Superior potest eligere Confessorem, à quo absoluatur à reseruatis.

Illud autem speciale priuilegium Clementis IV. puto extendi ad omnes casus siue ante siue post illam cencessionem reseruatos: quia est Iuris communis vt Prælatus possit eligere Confessorem, qui ipsum absoluat ab omnibus casibus & censuris, à quibus ipse potest absoluere suos subditos: quia non debet esse peioris conditionis, quàm subditi.

PROFESSIO RELIGIOSA INVALIDA.

Professio ante expletam ætatem.

CASVS I.

Virgo quædam annorum tredecim anno Domini 1565. professionem Delphis in Hollandia fecit. Postea nupsit, & proles procreauit.

QVÆRITVR, *An professio fuerit valida? An validum matrimonium?*

VIdetur professio fuisse valida. Quia eo tempore Delphis Concilium Tridentinum non erat promulgatum, vt refertur: primùm enim Louanij dicitur promulgatum anno 1567. ac proinde manebat ius antiquum, quod solùm 12. annos in puella expletos requirit. 1

Professio fuit inualida.

Respondeo, Multò probabilius esse, hanc professionem fuisse inualidam. Ratio est, quia decreto Concilij Trident. sess. 25. cap. 15 de Regularibus, professio facta ante annum sextum decimum ætatis expletum, redditur irrita his verbis: *Professio antea facta, sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obseruationem, aut ad alios quoscunque effectus.* Hoc autem decretum tum temporis vim habebat. Quia etsi fortè non esset illo anno promulgatum Delphis, tamen erat promulgatū Romæ; vt patet ex Bulla confirmationis Pij IV. Fuit enim Romæ confir-

matum

matum & promulgatum anno 1563. 7. Cal. Februar. Atqui probabilior, & ferè communis sententia tradit decreta Conciliorum, & Summorum Pontificum non egere promulgatione in Prouincia, vt incipiant obligare, sed sufficere promulgationem solemni ritu factam Romę: qua facta, vbique vim & robur habere. Quod etiam seruat stilus Curiæ Romanæ. Vnde Summus Pontifex in Bulla Confirmationis non iubet illa ampliùs promulgari, sed *In virtute sanctæ obedientiæ præcipit ea tanquam sufficienter promulgata vbique diligenter & inuiolabiliter tam in iudicio quàm extra iudicium obseruari*. Hinc sequitur hoc decretum anno 1565. Delphis vim & robur habuisse, & consequenter professionem fuisse inualidam.

Promulgatio Tridentini Romæ facta, vbique obligat.

Quòd si inualida professio fuit, non potuit esse impedimentum dirimens matrimonio secuto. Vnde sequitur illud matrimonium fuisse validũ & legitimum; & proles legitimas, si nullum aliud impedimentum, v.g. cognationis, affinitatis, &c. interuenit.

2 *Matrimonium est validum.*

Nec obstat quòd fortè egressa sit causâ non antè discussâ coram Ordinario, & Superiore, sicut iubet Concilium eadem sess. 25. c. 19. Quia etsi id non rectè factum sit, tamen non reddit matrimonium irritum: & credibile est ex simplicitate id factum. Vnde cùm causa nullitatis professionis sit satis manifesta, etiam re non discussa coram Iudice, ad æquum Iudicem pertinet rem adeò antiquam non mouere. Vel enim mouet eam ad instantiam partis, nempe agente Religione, vt persona restituatur monasterio; vel ex officio, vt consulatur saluti personæ. Atqui neutro modo videtur mouenda. Non primo, quia vt suppono, non est credibile monasterium vetulam post matrimonium & proles susceptas sibi velle restitui. Nec etiam secundo, quia meritò potest & debet præsumi esse in bono statu, cùm ad Religionem ratione talis professionis non obligetur, vt ostensum est. Nec refert quòd egressa sit causa non deducta coram Ordinario; quia etsi ea in re potuerit peccare, tamen peccatum illud est transitorium, & facilè per pœnitentiam deleri potuit. Deinde illud præceptum Concilij non pertinet ad ipsam, sed ad Ordinarium, qui tunc temporis erat; & solùm continet formam & ordinem iudiciarium, quem Iudex debet seruare.

Quamuis egressa sit monasterio, causâ coram iudice non deductâ.

Itaque nihil hîc video ad salutem personæ pertinens, ad quod Ordinarij partes requirantur. Vel enim agitur vt statum Religiosum repetat: & ad hunc, persona hæc non tenetur. Vel vt agat pœnitentiã de egressu facto absque sententia Ordinarij: & præsumitur hanc egisse si mala fide id fecit. Accedit, quòd vt Doctores tradunt, is qui se nouit inualidè professum, possit etiam post quinquennium egredi & fugere causâ non deductâ coram Ordinario & Superiore, quando certò putat se non audiendum. Itaque non debet egressio illius puellæ facta non seruato ordine Iuris adeò grauis videri, vt post 40. vel 50. annos ei ob illam difficultas moueatur. Videatur Nauarrus Comment. 4. de Regularibus sub finem. Denique in hanc sententiam Iudicem propendere æquum est, & nihil mouere ob fauorem matrimonij, & liberorum, ne illud videatur fuisse inualidum, & liberi illegitimi: quæ res in magnam illorum iniuriam posset redundare. Omitto, Ordinarij partes esse in rebus manifestis, vbi manifesta

3 *Non est hîc opus interuentu Ordinarij.*

est obligatio, nec probabilis suppetit excusatio, sequi illud Prouerbiorum 24. vers. 15. *Ne quæras impietatem in domo iusti, & ne vastes requiem eius.*

CASVS II.

Professio ante expletam ætatem.

Titius ante annum ætatis decimum sextum expletum edidit professionẽ in approbata Religione: post quinquennium id ei priùs per matrem innotescit. Dimisso habitu fugit è monasterio vt causam suam agat.

QVÆRITVR Primò, *An tanto tempore, bona fide in Religione permanendo, non sit factus verus Religiosus?*

QVÆRITVR Secundò, *An dimisso habitu, sic fugiens è monasterio, reddatur incapax vt audiatur?*

AD *Primum*: Respondeo Primò, Notissimi Iuris est, Professionem ante XVI. annum ætatis expletum factam, irritam esse post Concilium Tridentinum, quod sess. 25. c. 15. de Regularibus, sic habet: *In quacumque Religione, tam virorum, quàm mulierum professio non fiat ante decimum-sextum annum expletum: nec qui minore tempore, quam per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta, sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius Regulæ vel Ordinis obseruationem, aut ad alios quoscumque effectus.*

4 *Professio ante 16. ætatis annum, est ipso facto inualida.*

Respondeo Secundò, Si talis professio ab initio est nulla, vt ait Concilium, etiam nulla est nullamque inducit obligationem, quamuis per multos annos cũ ea in Religione Titius permanserit. Quia *quod ab initio inualidum est, tractu temporis non conualescit*: vt habetur Cap. *Non firmatur.* de Regulis Iuris in 6.

Nec tractu temporis conualescit

Nec obstat, quòd Concilium Tridentinum c. 19. ejusdem sessionis dicat, Nemmem Regularem qui prętendat se per vim vel metũ ingressum, aut ante ætatem debitam professum, esse audiendum, nisi intra quinquennium tantùm à die professionis. Quia, non id dicit Concilium, quasi tractu longiore temporis obligetur, aut incipiat esse Religiosus: sed quia præsumitur fraus, quando tam diu tacuit: & quia alioquin eiusmodi desertores Ordinum, & reclamationes essent nimis crebræ, cum offensione magna secularium, & molestiâ Prælatorum.

Sæpè tamen potest esse iusta ratio non reclamandi ante quinquennium, & reclamandi post.

5 *Iusta causa se non reclamandi ante quinquennium.*

Primò, Si metu sis compulsus ad professionem, & metus adhuc duret. Colligitur apertè ex Cap. *Prolatum.* De his quæ vi.

Secundò, Si nullam habuisti opportunitatem, eò quòd non posses conuenire Ordinarium, & Superiori non auderes te aperire, metuens carcerem, vel aliam afflictionẽ. Vnde Nauarrus Comment. 4. de Regul. nu. 76. inter cetera sic scribit: *Secundò infertur, quòd si metus vel impotentia reclamandi, plus quàm quinquennio duraverit, poterit post illud, ipso Iure, vel restitutione audiri.* Et infrà, dicit Romæ aliquot Religiosos, qui impedimenta reclamandi probare poterant, fuisse auditos, etiamsi ante decem annos professi essent.

Tertiò, Si vltrà quinquenniũ laborauit ignorantia impedimenti. Si enim metus durans vltra quinquennium, est sufficiens causa vt possis reclamare post quinquennium, & Iure debeas audiri, vt Ius & ratio conuincit: cur non etiam ignorantia impedimenti? Hæc enim ignorantia non minùs reddit hominem impotentem ad reclamandum, quàm metus: nemo enim potest facere quod ignorat. Itaque si impotentia reclamandi durans toto illo quinquennio, est iusta causa, cur inualidè professus sit admittendus ad reclamandum post quinquennium; etiam ignorantia impedimenti toto eo tempore durans, sufficiens censeri debet, cùm hominem omnino impotentem ad reclamãdum reddat.

6 *Per fugam hic non est redditus incapax vt causã pro se alleget.*

Ad Secundum: Respondeo, Etsi Concilium Tridentinum dicat eum qui antè habitum sponte dimiserit, non esse admittendum ad allegandam quamcumque causam: nihilominùs tamen hunc dimisso habitu fugitiuum ad allegandam causam admitti debere.

Primò, Quia non censetur sponte dimisisse, qui ob iustas causas ad tempus deposuit; vt sunt pericula itinerum per loca bellis hæreticorũ infesta, vt est Campinia Brabantiæ.

Secundò, Quia Concilium apertè loquitur solùm de eo, qui absque animo resumendi dimiserit: Talis enim tantùm censetur apostata, & incurrit excommunicationem.

Tertiò, Quia Concilium id statuit in pœnam; quàm non meretur qui bona fide processit.

Quartò, Quia ea quæ Concilium eo loco statuit, putat Nauar. Com. 4. de Reg. 77. non obligare tali modo professum in foro conscientiæ, saltẽ ad mortale. Adscribam verba eius, quia audio hæc à Iudicibus desiderari. Propositis ijs quæ ibi statuit Concilium, sic ait: *Super quibus multa dici possent: Primò quidem ea non ligare in foro conscientiæ, saltem ad peccatum mortale. Puto enim licere, cessante scandalo & præiudicio alius coram Deo, ei qui scit, vel iustè credit suam professionem coram eius diuina Majestate non valere, ante reclamationem dimittere habitum, & fugere de carcere, & non deducere causas nullitatis coram Ordinario & Superiore, & non redire ad monasterium, & non teneri ad pœnam apostatæ. Secundò, Quòd etiam quo ad forum exterius limitanda sunt non procedere in eo, qui iustam causam ea omittendi haberet; vt qui non posset habere licentiam eundi ad reclamandum, nec ire nisi dimisso habitu, vel non permittitur causas vllas proponere coram Prælato vel Ordinario, quales vidimus aliquot in Vrbe qui resumpto in ea habitu, benignè sunt auditi. Quartum enim ex æquo & bono ita intelligo, vt significet neminem quidem non portantem habitum Religionis cùm audiendus est, audiri debere; sed eum qui temerè dimisit, eo resumpto audiri posse. Iniquum enim & inhumanum videtur negare perpetuò audientiam ei, qui iustam causam habet reclamandi, eo solo quòd ad id faciendum dimisisset etiam temerè habitum; cùm id esset cogere liberum hominem per totam vitam seruire Religioni, cui nullatenus obligatur: contra leges vetantes liberi hominis venditionem & obligationẽ perpetuã ad manendũ alicubi, vel ad subeundum onus nimis onerans libertatem, & rationem naturalem, qua illæ nituntur.* L. *Titio.* §. *Titio centum* ff. de Condit. demonstrat. Hæc Nauarrus. Ex quibus verbis tota hæc quæstio facilè soluitur.

Nauarrus dicit talem fugitiuum non peccare mortaliter.

Aitq; audiendum in foro externo.

7 Ad probandum ætatem defuisse, Si libri baptismales non extant, sufficiunt duo testes; quia non plures etiam in criminalibus requiruntur. Nec Mater excludi potest: quia nemo melius potest scire ætatem filij. Quia tamen suspecta esse posset, posset exigi iuramentum, quo præstito, purgat suspicionem.

Mater testari potest de filij ætate.

CASVS III.

Professio ante expletam probationem. Seu, Tridui dimissio à Nouitiatu.

Religiosus tempore sui Nouitiatus fuit per triduum à Religione dimissus: & post triduum iterum acceptatus. Fecit postea professionem lapso anno, non tamen triduo illo, per aliud triduum, suppleto. Deinde plusquam quinquennio vt Religiosus cum cæteris vixit.

QVÆRITVR, *Vtrùm eius Prælatus possit huius rei cognitionem sumere, & professionem inualidam declarare?*

8 RESPONDEO Primò, Religiosi istius professionem non posse declarari inualidam à solo Prælato, sed adiungi debere Ordinarium, & causam diligenter antè cognoscendam: quia res est maximi momenti. Ita Concilium Tridentinum sess. 25. de Regul. cap. 19.

Respondeo Secundò, Istum Religiosum etiãsi fortè ipsius professio fuisset inualida, tamen Iure præsumi professum per mansionem quinquennij, ita vt nulla admittatur probatio in contrarium, nisi restituatur in integrum. Cùm ergo præsumatur ratificasse per lapsum tanti temporis suã professionem, non video quâ ratione possit in foro externo declarari irrita; præsertim cùm probationes in contrarium non possint à Iudice ordinario admitti.

9 Respondeo Tertio, Valdè probabile esse tridui admissionem non impedire continuationem necessariam Nouitiatus, ita vt ab initio sit repetendus: maximè cùm hæc dimissio fuerit incompleta, ipso manente illo triduo in monasterio, & curante se rursus tonderi.

Appellatio in casu ad Nuntium.

Respondeo Quartò, Si Ordinarius cum Prælato declararet professionem fuisse inualidam, posset Religiosus appellare ab hac sententia, & audiretur ab Illustrissimo Nuntio, cum periculo famæ Prælati & Ordinarij. Quare non iudico id facilè tentandum.

CASVS IV.

Professio ante expletam probationem.

Quædam ante exactum annum probationis professa est. Post decem annos fugit, nupsit, aliquot proles procreauit.

QVÆRITVR, *Vtrùm matrimonium fuerit validum?*

10 RESPONDEO, Illud matrimonium non esse inualidum ratione professionis, nisi ipsam professionem intenderit postea ratificare. Ratio est, quia professio ista inualida fuit, vt constat ex Cõcilio Tridentino sess. 25. c. 15. de Regul. Itaque quantumuis multis annis postea manserit in monasterio, non est effecta Religiosa: *Quod enim ab initio non subsistit, morâ temporis non conualescit.* Regula *Non firmatur.* de Reg. Iuris in 6.

Neque dici potest quòd eam ratificauerit tot annis manendo, & functiones professarum obeundo: quia etsi in foro externo tale quid præsumi possit, tamen coram Deo & in conscientiâ nulla fuit ratificatio, nisi sciuerit suam professionem fuisse

fuisse irritam, & intenderit eam de nouo firmare; vt passim Doctores tradunt : Nauarrus cap. 22. num. 33. Couarruuias 4. decret. 2. parte cap. 4. initio, num. 5. vbi dicit esse communem : Siluester V. Matrimonium 8. qu. 2. & alij.

Adde, Multos Doctores expresè docere, eam personam, quæ scit professionem suam fuisse irritam, & se nunquam illam ratificasse, sepositò scandalo, posse fugere è monasterio, & nuptias cõtrahere, etiamsi ampliùs quàm quinquennium post professionem illam inualidam, in monasterio mansisset. Ita tradit Nauarrus Comment. 4. de Regular. sub finem. Sancius lib. 7. disp. 37. n. 11. vbi citat alios. Vide plura apud eundem ad hanc rem pertinentia.

Ratificatio professionis inualidæ.

CASVS V.

Quidam sexto mense Nouitiatus in Ordine sancti Benedicti professionem emisit. Quam professionem fuisse inualidam primùm trigesimo anno à professione illa cognouit.

QVÆRITVR, *Vtrùm rursus debeat recipi à Capitulo & Prælato, vt possit professionem suam ratificare?*

11 VIdetur debere recipi iterum. Quia receptio illa fuit inualida : atqui requiritur valida receptio, cùm professio sit quidam contractus. Sicut cùm matrimonium est irritum ob inhabilitatem contrahentium, vt conualescat, requiritur vtriusque nouus consensus.

Probabile est professionem hãc fuisse validam.

Respondeo Primò, Si eo tempore, quo illa professio facta est, nimirum annos abhinc triginta, decretum Concilij Tridentini, quo irritatur talis professio, nondum erat receptum in illis locis, valdè probabile est professionem illam fuisse validam : vt rectè quodam loco in Concilijs docet Nauarrus tit. de Regularibus. Ratio est, quia probabile est decreta irritantia vim non habere ante receptionem, maximè quando ex contrario grauia incommoda sequerentur.

Probabile quoque est fuisse inualidam.

Respondeo Secundò, Si ponamus hoc decretum fuisse receptum, vel si velimus sequi alteram sententiam, quæ non requirit receptionem, tunc dicendum professionem illam fuisse inualidam, neque solo temporis tractu coram Deo & in veritate potuisse validam effici absque vera ratificatione : vt constat tum ex communi sententia Doctorum, tum ex Regulis Iuris, *Non firmatur*, de Regulis Iuris in 6.

12 *Ad ratificationem huius professionis nõ requiritur noua receptio.*

Respondeo Tertiò, Vt talis professio ratificetur & conualescat, non requiritur noua receptio vel admissio Prælati aut Capituli; sed sufficit prima admisio, qua ad illam inualidam professionem est admissus : modò consensum suum non reuocauerit. Ita Nauarrus de Regular. Consil. 46. Idem insinuat multis alijs locis, & expresè Consilio 35. num. 3. eodem tit. Angles 2. parte de Voto, quæst. vnica, art. 1. Sà V. Religio, & Sanchez lib. 7. de Matrimonio. Probatur ex Concilio Tridentino sess. 25. cap. 15. de Regul. vbi statuit, vt qui prætendit se metu, vel alia de causa, inualidè professum, non audiatur nisi reclamarit ante quinquennium à tempore illius professionis. Vbi Concilium supponit illum tacitè professum, & præsumit professionem tacitã intra illud quinquennium factam absque noua admisione. Idem colligitur ex Capitulo *Significatum*, de Regular. & Cap. 1. eodem in 6. vbi vt conualescat professio inualida, non requirit Pontifex nisi ratificationem ipsius professi, vel delationem habitus professorum, &c.

Dimisio inualidè professi.

CASVS VI.

Titius inualidè professus est ob ætatis defectum, vel ob non impletum annum probationis.

QVÆRITVR Primò, *An ipse teneatur manifestare professionis suæ nullitatem?*

QVÆRITVR Secundò, *An inuitus possit eijci?*

QVÆRITVR Tertiò, *An sibi, an monasterio acquirat?*

Ad Primum: Respondeo, Titius iste non tenetur manifestare professionis suæ nullitatem : sufficit vt illam ratificet, & continuet tanquam professus. Et si in culpa fuit, doleat, & confiteatur. Ad quid enim seruiret hæc manifestatio, nisi ad se infamandum? cùm non requiratur nouus consensus Prælati aut Capituli. Si non benè se gesit, emendet vitam, & in posterum viuat religiosè. 13

Ad Secundum: Respondeo, Si is qui inualidè professus est ob ætatis defectum, vel ob non completum annum probationis, omni culpa ea in re vacat, non potest eijci, etiamsi non diu in monasterio manserit; modò tamen sit benè idoneus, & se Regulæ benè accommodet. Imò videtur esse contra iustitiam si eijciatur; quia redditur infamis absque sua culpa. 14 *Non potest eijci nisi ob graues rationes.*

Si tamen aliqua ratio subsit, vt, quia deprehensus est esse molestus, vel parùm se conformare regulæ &c, ante validam professionem potest eijci intra quinquennium. Sicut enim Nouitius manet liber ad recedendum vsque ad punctum professionis, ita etiam monasterium, vt possit illum semper dimittere si causa subsit. Post tamen quinquennium non videtur posse eijci; quia ius præsumit illum professum.

Si ante quinquennium innotescat Prælato professionem fuisse inualidam, & causa subsit illum dimittendi; vt, quia minùs congruit monasterio, potest impedire ratificationem professionis, & illum dimittere. Et, si ille, postquam se Prælatus illi opposuit, & significauit se velle illum dimittere, ratificet apud se suam professionem, erit irrita : Pontifex enim non supplet defectum consensus Prælati, quia Prælatus se professioni absolutè opponit.

Ad Tertium: Respondeo, Inualidè professus acquirit sibi, non monasterio; cùm sit capax dominij, nec subsit monasterio. Nec obstat quòd illa deferat monasterio; quia id fit ex errore : sicut cùm quis soluit indebitum : putat enim ea deberi monasterio, cùm non debeantur. Potest tamen monasterium exigere compensationem alimentorum. 15 *Acquirit sibi, non monasterio*

Inualidè professus quę sibi, quę monasterio acquirat.

CASVS VII.

Quidam Professus inualidè, diu in Religione permansit fungens munere Concionatoris: quo tempore multos libros comparauit, quosdam donatione amicorum secularium, vel pecunijs ab illis acceptis: quosdam ex eleëmosynis ob pia exercitia, cum facultate Superiorum: alios ab ipsis Religiosis vel gratis, vel pro obsequijs in infirmitate præstitis accepit: alios commutatione vel pretio à Religiosis emit: alios communi partitione post obitum aliquorum, à Prælatis Ordinis cum alijs Religiosis accepit: alios constitutus in officio Pastorali emit. Postea declaratum est professionem fuisse inualidam, & ipsum esse liberum.

QVÆRITVR, *An teneatur prædictos libros Ordini restituere?*

16 *Si ab amicis dati libri, vel eorũ pecunijs empti.*

REspondeo, Quòd ad eos libros attinet, quos donatione amicorum accepit, vel pecunijs in hunc finem ab ijsdem donatis comparauit; potest hos retinere, nec tenetur Ordini restituere. Ratio est, quia mens amicorum fuit eos in ipsum conferre, & donare eo modo quo iustè id poterat fieri, & ipse capax erat; nam solùm ipsius intuitu donabant. Ergo cùm ipse verè & in re capax fuerit dominij, fuit translatum dominium in illum, vel saltem ius capiendi dominij.

Nec obstat, quòd ipse non intenderit sibi acquirere, sed Ordini & Monasterio, eò quòd putauit se professum, ac proinde incapacem dominij: quia id prouênit ex errore inculpato, ac proinde non debet ei obesse. Omnis enim donatio & cessio iuris, cuius principalis ratio fundata est in errore, est irrita; quia debet esse omnino libera: talis autem non est libera. Accedit, quòd seruus seu mancipium etsi omne quod acquirit, domino suo acquirat; tamen si postea deprehendat se non fuisse seruum, sed liberum, censetur sibi acquisiuisse, & dominus tenetur ei restituere: ergo & hîc similiter. Confirmatur, Quia si fecisset testamentum ante professionem, & facta professione amici inter se bona ipsius distribuissent secundùm testamẽti dispositionem; totum fuisset inualidum, eò quòd professio non subsitisset.

17 *Si eleëmosynis comparati cum venia Superioris.*

Idem dicendum de libris ex eleëmosynis comparatis cum venia Superiorum. Nisi fortè illæ eleëmosynæ non fuerint datæ ad ipsius vsum priuatũ, sed ad vsum monasterij seu communitatis: tunc enim etsi Superior concesit vt libros ex illa pecunia, vel eius parte emeret, non tamen intentio eius alia fuit, quàm vt illorum librorum vsum duntaxat haberet, & librorum dominium monasterio maneret. Si tamen Superior concesit illi eam pecuniam, vt pro suo arbitratu illam expenderet in bonos vsus: quo modo in quibusdam monasterijs dicitur concedi tertia pars eleëmosynarum per Concionatorem acquisitarum: tunc posset illos libros retinere; quia pecunia illa est ei absolutè concessa eo modo, quo eius est capax.

18 *Si à Religiosis accepti.*

Quos autem iustâ commutatione, vel iusto pretio à Religiosis emit, retinere etiam potest, si tamen illi potestatem alienandi in exteros habebant. Secùs verò si non poterant alienare nisi quo ad vsum, idque in suos confratres: vel si exiguo pretio comparauit, vt videri possit vsum ad vitam potiùs, quàm dominium comparasse.

Si in communi partitione.

Quos verò communi partitione post obitum aliquorum accepit, retinere non potest; quia in illam partitionem venire nõ potuit, cùm verè professus non esset, & solùm per errorem in illam partitionem admissus sit.

Si solùm ad tempus vitæ suæ.

De ijs quos accepit à quodam benefactore gratis in vsum priuatum pro tempore vitæ, cum onere vt posteà cedant Conuentui; hos omnino Conuentui post mortem restituendos curare debet.

19 *Si in Pastoratu comparati.*

De comparatis in Pastoratu, hos retinere potest. Quia acquisita ex beneficio, non acquiruntur monasterio, sed beneficio, vt sæpè Nauarrus docet. Accedit, quòd cùm ipse verè non fuerit Regularis, sibi acquisiuisse putandus sit.

Quod attinet ad tres vel quatuor libras Flandricas quas dictus Dominus Monasterio suo ex Pastoratu quotannis dependit, dum adhuc putaret se Religiosum esse, non debet quidquam repeti: quia bona fide acceptum & expensum, nec Monasterium inde factum est locupletius.

CASVS VIII.

Professio inualida defectu regulæ approbatæ.

Vtrùm qui in Ordine S. Benedicti profitetur tantummodò iuxta certas quasdam S. Benedicti Regulas, & Statuta illis adiuncta, quorum aliqua tantùm à Summo Pontifice sunt approbata, validè profiteatur?

20 *Vide infrà Casu 21. 2.*

SVppono formulam Professionis qua nunc vtuntur, non contineri inter puncta Statutorum à Pontifice approbatorum: quo posito

Vt professio sit valida, debet fieri secundùm Regulam approbatã à Papa.

Respondeo breuiter cum distinctione: Dupliciter enim potest fieri professio in tali monasterio: Primò, Intendendo expressè vel implicitè vouere obedientiam secundùm Regulam sancti Benedicti à Summo Pontifice sic temperatam. Et hoc modo professio est valida; quia fit in Religione approbata, & secundùm Regulam approbatam. Secundò, Eo modo vt affigat intentionem suam ad Regulam & Statuta quæ habet in manibus, nec intendat se ad aliud obligare. Et hoc modo professio non videtur valida. Ratio est, quia etsi fiat in Religione approbata, nempe in Ordine sancti Benedicti, tamen non fit secundùm Regulam approbatam. Illud enim corpus disciplinę quod manibus tenet, & secundùm quod vouet, non est approbatum ab Ecclesia. Etsi enim ea quæ sunt excerpta ex Regula Sancti Benedicti, sint approbata in ipsa Regula, & Statuta illa etiam ex parte sint approbata; tamen tota illa viuendi norma conflata ex parte illa Regularum, & ex Statutis, non est approbata tanquam Regula Religionis: præsertim cùm Statuta illa solùm ex parte sint approbata. Pontifex enim solùm approbauit quædam ex Statutis illis excerpta, quæ ad moderationẽ Regulæ pertinent, nimirum vt seruent Regulam Sancti Benedicti cum illa moderatione, quam in Bulla sua expressit. Ea planè videtur fuisse mens Pontificis, cuius signum est, quòd nullam mentionem faciat illius partis quæ ex Regula fuit excerpta, neque aliorum Statutorum quæ in Bulla sunt omissa. Imo ipsa omissio apertè indicat illum noluisse illa approbare.

Confirman-

Regula ex statuta ex regulis approbatis non censetur approbata.

Confirmatur hæc omnia: quia si quis colligat aliqua ex Regula S. Augustini, & alia addat ex Regula S. Benedicti, vel Basilij, vt sic integram Regulam formet, talis Regula non censeretur approbata ab Ecclesia, etsi partes eius approbatæ sint. Simile est in nostro casu.

21

Quòd autem professio, vt valida sit, debeat fieri secundùm Regulam à Sede Apostolica approbatam, est communis sententia Doctorum, vt docet Nauarr. lib. 3. de Regularibus consil. 81. num. 22. *Emisio*, inquit, *trium substantialium votorum etiam bis, ter, & sæpius repetita alibi quàm in manibus potentis aggregare Ordini per Sedem Apostolicam approbato, & secundùm Regulam à Sede Apostolica approbatam, non efficit quem Monachum vel Monacham, secundùm omnes.* Idem num. 20. dicit, *Non omnem obedientiam voto firmatam facere Religiosum, sed tantùm illam, quæ sit alicui potenti recipere professionem regularem seruandi Regulam aliquam alicuius Religionis approbatæ* &c. Idem colligitur nu. 11.

Nauarr.

Miranda.

Miranda in suo Manuali Prælatorum qu. 24. art. 5. *Conclusio est: Expressa professio fieri non potest nisi in Religione per Sedem Apostolicam approbata, & secundùm aliquam certam & determinatam regulam. Hæc Conclusio est omnium Doctorum communis, & habetur expressè Cap. Vnico, De voto & voti redemptione.* Idem quæst. 29. art. 1. hanc tradit definitionem Religiosi: *Religiosi sunt qui in Religionibus emittunt tria essentialia vota in manu Superioris, aut alterius, eius nomine, potentis Religioni incorporare, secundùm aliquam certam & determinatam Regulam per Sedem Apostolicam approbatam pro Regula certa Religionis, & non solùm pro bono viuendi modo: vt tradunt omnes communiter & vnanimiter Doctores*, &c. Hæc ille.

Definitio Religiosi.

Eman. Rodrigues.

Emanuel Rodrigues tomo 3. quæst. 21. art. 1. dicit, *Oblatos non esse Religiosos, quia non promittunt obedientiam monachalem secundùm regulam à Sede Apostolica approbatam, vt regulã Religionis.* Et infrà, *Benè dicit Innocentius ab omnibus receptus, quòd non fit quis Religiosus per omnem obedientiam, sed per monachalem tantùm, hoc est, per illam quæ sit alicui potenti recipere professionem regularem seruandi regulam aliquam alicuius Religionis approbatæ à Sede Apostolica, quæ non sunt nisi quatuor aut quinque, vt inter alios testatur D. Antoninus.* Et infrà, *Non sufficit quòd emittat tria vota essentialia in manibus eius Prælati, qui eum potest aggregare Religioni approbatæ à Sede Apostolica: cùm sit necessarium quòd illa promittantur secundùm obedientiam regularem, & habitum regularem*, &c.

22

Ex quibus patet, communem Doctorum sententiam esse, inter cætera, hæc duo requiri, vt professio sit valida: nimirum vt fiat in Religione approbata à Sede Apostolicâ, & secundùm Regulam approbatam pro Regula Religionis. Probant autem hoc ex Capitulo vnico De voto, & voti redemptione, in 6. vbi ad professionem solemnem, quæ irritat matrimonium, & quâ fit quis verus Religiosus, requirit Pontifex vt fiat in aliqua Religione à Sede Apostolica approbata. Ex quibus verbis optimè colligitur debere fieri secundùm Regulam approbatam pro Regula Religionis: quia approbatio Religionis formaliter consistit in approbatione Regulæ. Approbare enim Religionem, est approbare illam Regulam seu formam viuendi pro sancta & secura regula vitæ religiosæ, cum potestate illam exequendi, & secundùm illam gubernandi, & alios aggregandi, &c.

Approbatio Religionis formaliter consistit in approbatione Regulæ.

Vnde etiamsi Religio S. Benedicti sit approbata, nempe quatenus constat Regulâ S. Benedicti: si tamen Abbas in aliquo monasterio relictâ illâ regulâ, formet aliam, & secundùm illam curet fieri professionem: non censebitur illa professio fieri propriè in Religione approbata, sed solùm materialiter: quia forma illa, qua Religio constare debet, non est approbata. Vnde professio illa, etiamsi videatur fieri in Religione approbata, & per eam intendat quis fieri Religiosus, & excipiatur à Prælato, tamen erit inualida, nec efficiet verè Religiosum.

Professus secundùm Regulam non approbatam, non est Religiosus.

Neque mirum aut durum videri debet, quòd dicamus professionem talem esse inualidam, cùm multis modis inualida reddi soleat professio: nempe, per metum etiam reuerentialem, saltem in foro conscientiæ; per dolum, per defectum ætatis, vel anni probationis, etiamsi vel vnicus dies desit; vt omittam alios multos modos inductos per Sixtum V. & postea reuocatos.

CASVS IX.

Professio inualida ratione morbi.

In Ordine Capuccinorum est quoddam statutum, quo declaratur Religionem non obligari ad retinendum eum, qui infectus lepra, morbo gallico, vel caduco ingressus, & in anno Probationis interrogatus an aliquo tali morbo laboret, negauerit: si post professionem id patefactum fuerit.

QVÆRITVR, *Vtrùm eius professio sit irrita?*

REspondeo, Ex vi illius statuti irritam non esse. Primò, Quia hic nulla est clausula irritans; & aliàs illa deceptio non impedit, quin censeatur voluntariè admissus: quia non est circa substantiam, sed circa qualitatem rei; vt patet in matrimonio. Secundò, Quia hoc statutum non est factum nisi in fauorem Religionis, vt ipsa haberet libertatem dimittendi talem ex suo cetu, ne alios inficiat, vel ne grauis sit, si visum fuerit expediens; & aliàs posset retinere, si iudicaret sibi conuenire. Vnde non reddit irritam professionem, nec dicit illum non esse Religiosum, sed supponens validè professum, sibi cauet ne fortè illum teneatur cum graui suo incommodo retinere. Itaque si velit illum retinere, non obstante illo malo, tenetur manere. Sicut si venderes mihi domum, & protestaror me nolle teneri emptione, si domus haberet tale vitium, detecto vitio non est irrita venditio: nec potest dissolui si velim domum illam non obstante vitio retinere; quia illa clausula solùm in meum fauorem adicta fuit emptioni.

23

Professio illa non est irrita.

Inuita Religione non potest egredi.

Adde, Posse magna incommoda prouenire si talis professio esset irrita: quia crebrò huiusmodi labe infecti pœnitentiæ agendæ causâ ingrediuntur, qui postea vellent egredi cum magno incommodo Religionis; præsertim cùm morbus gallicus facilè possit curari.

Professio inualida ratione grauis metus iniustè incussi.

CASVS X.

Catharina nouitia declarat ante professionem, si profiteri compellatur, id se metu duntaxat, & nõ animo profitendi facturam. Profitetur. Declarat D. Officialis professionem esse validam, adeoque in omnem securitatem renouandam. Renouat Catharina. Ac postea iterum, auctoritate Superioris inducta, idipsum facit. Sed intereà pergit declarare se inuitã isthic detineri, & nullam votorum obligationem agnoscere. Non tamen intra quinquennium ipsa institit vt libera declararetur.

QVÆRITVR Primò, *An valida fuerit professio? An saltem vtraque illa renouatio non fuerit valida?*

QVÆRITVR Secundò, *An iure agendi exciderit, eò quòd intra quinquennium non vrserit vt libera declararetur?*

QVÆRITVR Tertiò, *An, si egeret iure restitutionis in integrum, posset illud Nuntius Apostolicus concedere?*

24 AD *Primum*: Respondeo Primò, Talem professionem fuisse irritam, quia metu graui per parentes extorta fuit: metus enim carceris, vinculorum, & flagellationis, est grauis, præsertim in puella; vt patet ex Cap. *Perlatum*. & Cap. *Abbas*. De ijs quę vi metusue causa: estque communis sententia Doctorũ. Accedit, quòd ipsa puella, vt narratur, post prædictas minas declarauerit se animum profitendi non habere; sed, si profiteri compelleretur, timore duntaxat, non se obligandi voluntate, id facturam. Vnde non solùm ratione metûs, sed etiam ratione formalis dispositionis animi professioni repugnantis, irrita fuit.

Vtraque renouatio fuit irrita.

Respondeo Secundò, Illa prior renouatio videtur omnino fuisse irrita. Quia vt narratur in specie facti, nitebatur declaratione Officialis tanquam Iudicis, qui declarabat prædictam professionem fuisse validam, & ideò renouandam. Suppono autem in illa declaratione fuisse errorem, quantum ex ijs, quæ hîc narrantur, potest deprehendi. Atqui ratificatio voti, vel professionis, vel cuiuslibet alterius actûs plenam libertatem requirentis, est irrita si nitatur errore, vt communiter docent Doctores: Caietanus 2. 2. qu. 189. nu. 5. Nauarrus cap. 12. num. 72. Lopez parte 1. c. 48. & alij. Errans enim non consentit: Putans enim se validè fecisse, renouando actum non plus intendit circa illum, quàm anteà circa illum fecit. Confirmatur, quia paulò post illam renouationem, dixit se illi renouationi non consensisse.

Respondeo Tertiò, Quòd ad secundam renouationem attinet, ad quã rursus inducta est Superioris auctoritate, sicut ad priorem inducta fuerat: hæc etiam irrita omnino videtur, ob easdem causas: quia simili modo inducta narratur. Cuius etiam signum est, quòd repertum instrumentum illius renouationis combusserit, dicens, quòd in renouationem non consensisset. Accedit, quòd toto tempore quo ibi mansit, & moribus & verbis declarauerit se ibi inuitam detineri; & nullam votorum obligationem agnoscere.

Ad Secundum: Respondeo, Non videtur Catharina iure agendi excidisse. Primò, quia reclamauit statim post professionem. Quòd autem causam non sit prosecuta, non fuit ex defectu ipsius; sed quia Superior aduersus eam iudicauit, & censuit professionem esse validam & renouandam. Itaque fuit impedita per Superiorem. Atqui error Superioris nõ debet ipsi obesse, nec ipsa debet ius suum idcircò amittere. Secundò, Ratio cur Concilium vetet tales audiri, est, quia ex taciturnitate & cessatione ab agendo per quinquennium continuata, præsumit spontaneam ratificationẽ professionis. Nisi enim hanc præsumeret, non posset ei denegare audientiam: hoc enim nihil esset aliud, quàm personam liberã & sui iuris, contra suam voluntatem, præter meritum, includere perpetuo carceri; quod est durissimum, & planè iniquum. Atqui hîc non potest præsumi spontanea & tacita ratificatio: quia contraria protestatio assidua, & detentio contra eius voluntatem facta, obstat; multoque minùs potest præcipi iure, vt in tali casu præsumatur ratificatio: ergo illa dispositio Concilij ad hunc casum non extenditur; quia solùm pertinet ad casum, in quo est præsumptio Iuris, & de Iure; hoc est, vbi sunt illæ circumstantiæ, ex quibus Ius præsumit, & præcipit vt Iudex præsumat tacitam ratificationem. 25 *Non videtur excidisse iure agendi.*

Ad Tertium: Respondeo, Restitutionem huiusmodi pertinere ad solum Summum Pontificem: quia est remedium extraordinarium concessum contra dispositionem Iuris communis: ergo solùm ex plenitudine potestatis Principis prouenire potest, qui solus est supra Ius commune, & solus potest remedia contra Ius concedere. Idem cernitur in ciuilibus: solus enim Princeps restituit in integrum contra præscriptionem, & contra sententiam, quæ lapsu decem dierum, transijt in rem iudicatam. Confirmatur: Quia solus Pontifex potest dispensare in dispositione Concilij vniuersalis. Atqui hoc remedium non potest conferri absque tali dispensatione: quia Concilium præcipit talem non audiri. Vtrùm Pontifex concesserit illud Illustrissimo D. Nuntio, me latet. Certè non est inter potestates eius ordinarias. Sed, vt dixi, nõ puto esse opus in præsenti casu hoc remedio. 26 *Huiusmodi restitutio ad solum Pontificem spectat.*

CASVS XI.

Professio inualida ratione grauis metus iniustè incussi.

Titius adolescens XVI. annorum edidit professionem extortam à matre & sorore, à quibus pendebat, metu subtractionis alimentorum, & subsidiorum quæ ad vitam sunt necessaria. Ante professionem sæpè protestatus est se nolle profiteri, & potiùs fugam initurum. In ipsa professione, quam emisit absque animo sese obligandi, prorupit in lacrymas, & postridie iterum protestatus est se inuitũ edidisse professionem. Notarius tamẽ professioni assistens scripsit metum non interuenisse.

QVÆRITVR, *An professio illa sit valida?*

27 COnsiderata specie facti, sentio hanc professionem ob duplicem rationem fuisse irritam & nullam. Prima ratio est, Quia professio Religionis debet esse libera, non coacta, non metu graui extorta: metus enim grauis irritam reddit professionem; vt patet Cap *Perlatum*. Cap. *Abbas*. *Professio debet esse libera.*

De ijs

Has fuit coacta grauis metus.

De ijs quæ vi metusue causa: estque communis Theologorum & Canonistarum sententia. At hęc professio non fuit libera, sed coacta, & graui metu extorta. Quod probatur primò, quia metus subtractionis alimentorum, & subsidiorum quæ ad vitam sunt necessaria, est metus grauis, secundùm omnes Doctores: qui metus hîc intercessit, & incussus fuit à sorore & matre, à quibus pendebat iste adolescens, ad extorquendam professionẽ; vt narratur in specie facti. Secundò, Metus amissionis maioris partis bonorum censetur grauis, & sufficiens ad irritandam professionẽ & matrimonium, iuxtà communem Doctorum sententiam. Atqui multò maior censetur metus subtractionis alimentorum ad vitam necessariorum: ergo non est dubitandum quin sit sufficiens ad professionẽ irritandam. Tertiò, In metu spectanda est conditio personæ cui incutitur, v.g. sitne senex, femina, puer, qui se alia ratione iuuare non possunt: dicitur enim grauis iuxta qualitatem personæ, vt tradunt Doctores: Nauar. cap. 22. Enchir. num. 51. Sotus lib. 7. de Iust. quæst. 2. art. 1. ad 2. & alij. Sed is de quo agitur, erat puer; nec sciebat qua ratione subsidio matris & sororis quæ nomine matris illum alebat detracto, posset viuere. Vnde apparet hunc metum, quem concepit, fuisse valdè grauem: quomodo enim puer huiusmodi assiduis minis non grauiter percelleretur? Idem confirmant lacrymæ, in quas, in ipsa professione prorupit, & tot præuij reniſus, & obluctationes. Si hic metus non est sufficiens ad irritam reddendã professionem, sanè magna parentibus patebit fenestra vt hac ratione in monasteria liberos suos intrudant, nec vllum erit contra hanc iniuriam remedium, quæ etiam in detrimentum & euersionem Religionum redundabit. Quorsum ergo Canones qui volunt professionem esse liberam, & inualidã esse iubent professionem metu extortam? aut de quo tandem metu loquuntur?

In metu spectanda est persona cui incutitur.

Ab incommodis.

28 *Defuit cõsensus.*

Secunda ratio, ob quam ista professio censeri debet irrita, est, quia ei videtur absolutè defuisse consensus. Nam adolescens iste sæpiùs testatus fuit, non obstantibus omnibus minis & importunis deprecationibus sororis, & hortationibus Prioris, se nolle profiteri, & potiùs fugam initurum: idem paulò ante professionem matri & sorori testatus est, obfirmato animo perstans in hoc proposito: ergo præsumendus est in ea voluntate permansisse, & non animo se obstringendi verba professionis edidisse. *Cùm enim constet de protestatione voluntatis, adhuc præsumitur nolle:* Cap. *Lotharius* 31. q. 2. & l. *Si quis.* 3. ff. de Legibus. Idem confirmant lacrymæ quas in ipsa professione fudit: item ea declaratio qua postridie rursus idem testatus est, vt ipse narrat. Imò in specie facti expressè dicitur, quòd, cùm instante professione amici eum obseruarent ne posset fugere, vt sæpiùs prædixerat se facturum; & minis sororis ac matris, Prioriſque illicijs, accedentibus diuersorum exhortationibus tandem cessisset, quia euadere nõ poterat, professionem emiserit absque animo se obligandi. Defuit itaque consensus essentialiter necessarius.

29 *Metus hic fuit iniustè incussus.*

Dices, Metus grauis non reddit irritam professionem, nisi sit iniustè incussus. At hic metus non fuit iniustè illatus; quia soror non tenebatur illum alere.

Respondeo, Etsi soror non tenebatur lege iustitiæ eum alere, tenebatur tamen lege charitatis, saltem eatenus ne incideret in grauem necessitatem. At minabatur se illum ita deserturam, vt sineret inediâ perire; qua in re erat iniuria, secundũ multos Doctores. Deinde saltem ex parte matris erat iniuria, cuius nomine soror hæc omnia faciebat. Nec refert quod Notarius assistens scripserit metum non interuenisse, si contrarium ritè probetur.

Testimonium Notarij inutile.

His igitur consideratis, & alijs, quæ in hanc sententiam dici possent, puto hanc professionem non fuisse validam.

CASVS XII.

Professio inualidã ratione metus reuerentialis.

Titius edidit professionem precibus importunis & metu reuerentiali extortam. Ante exactum quinquennium capit reclamare: sed precibus maternis adductus priorem professionem ratificauit.

QVAERITVR, *An possit iterum reclamare, & audiri?*

REspondeo Primò, Prima professio Titij si solùm precibus importunis, & metu reuerentiali fuit extorta, nec interceserunt graues minæ, fuit valida saltem in foro externo. Ratio est, quia metus reuerentialis cum importunis precibus non censetur in foro externo metus grauis cadens in virum constantem: ac proinde non iudicatur habere sat virium ad irritandum matrimonium vel professionem.

30 *Metus reuerentialis non irritat Professionẽ in foro externo.*

Si tamen accessissent graues minæ, vt si parentes dixissent, Nunquam ampliùs intrabis in domũ meam: nunquam videas faciem meam &c. valdè probabile est etiam in foro externo censendam professionem inualidam, si ex vi talis metûs secuta est. Quia metus reuerentialis vnà cum minis huiusmodi, æquiualet metui graui, vt rectè docet Sancius lib. 4. de Matrim. disp. 6. Dico, *Si ex vi talis metûs professio secuta est*; quia in proposito casu non videtur secuta ex metu, sed ex libera voluntate, vt narratur. Quod si verum est, professio erit valida. Et sanè ita videtur iudicandum in foro externo, si ex ipsiusmet professi testimonio probetur.

Nisi graues minæ accesserint.

Respondeo Secundò, Si post primam professionem ante exactum quinquennium cœpit reclamare, poterat & debebat audiri. Verùm non perstitit in reclamatione, sed cogitauit de ratificanda priore professione.

31

Respondeo Tertiò, Etiamsi prima professio fuisset inualida, videtur tamen omnino ratificata per secundam, quæ videtur omnino liberè facta. Nam preces maternæ non æquiualent metui graui, nec habent vim irritandi professionem. Accedit quòd ipsemet Titius publicè testatus sit se liberè, & non coactè ratificare priorem professionem.

Preces maternæ non æquiualẽt graui metui.

Respondeo Quartò, Si tamen re vera metu reuerentiali ne contristaret matrẽm, neue illam in acerbum luctum conijceret, secundam professionem emisit; non est improbabile posse reclamare, & causam Ordinario ac Superiori cognoscendam relinquere. Verùm non video qua ratione solidè eius professio possit in foro externo irrita pronuntiari. Accedit quòd videatur non posse audiri, nisi priùs restituatur in integrum; cùm prio-

rem reclamationem non sit prosecutus, & interea elapsum sit quinquennium. Quare omnibus consideratis videtur hoc frustrà tentaturus.

CASVS XIII.

Professio inualida ratione metus reuerentialis.

Titius dimisso Religionis suæ habitu apud Iudicem in foro externo contendit irritam suam esse professionem, vtpote metu reuerentiali extortam: non potest tamen iuratis testibus eum metum probare. Addit præterea se ante requisitam ætatem vouisse.

QVÆRITVR, *Quid hic Index statuere debeat?*

32 ADmodum Reuerende Domine. Non erat necesse huc mittere: habes isthic viros præclaros qui quæstioni propositæ possint satisfacere, qui & coram melius possunt cognoscere de quibusdam circumstantijs, quæ ad rem pertinent. Quia tamen meum quoque iudicium desideras, breuiter aperiam quid sentiam. Negotium videtur consistere in tribus quæstionibus. Prima est, Vtrùm metus reuerentialis satis sit ad irritam reddendam professionem. Secunda, An satis sit probatum in præsenti casu hunc metum interuenisse. Tertia est, An satis probatum sit defuisse professioni iustam ætatem, quam Concilium Tridentinum requirit.

Probabile est ex metu reuerentiali posse irritam declarari professionē à Iudice.

Quòd ad Primum attinet, Probabilis est sententia metum reuerentialem irritam reddere professionem: quam tradit Nauarrus multis locis, præsertim in Enchiridio c. 22. n. 51. & Comment. 2. de Regul. n. 31. Idem docent multi Doctores quos citat Couar. in 4. decretalium cap. 3. §. 6. n. 7. vbi dicit hanc sententiam esse communem. Et quamuis contraria sententia sit verior, tamen quia illa est probabilis, etiam in foro externo eam Iudex sequi potest, vt docet Nauar. c. 22. n. 51. præsertim quando id iudicat expedire ob varias circumstantias concurrentes.

33 De Secundo, est maior difficultas: Non enim videtur satis probatus ille metus reuerentialis vt in foro externo possit ferri sententia declaratoria irritæ professionis, vt D. Tua facilè potest aduertere. Qua in re etiam seruandum est quod præscribit Concilium Trident. sess. 25. c. 19. de Reform. regul. vbi statuit, Vt quicunque regularis prætendit se per vim & metum ingressum esse Religionem, aut ante debitam ætatem professum, non audiatur, nisi causas quas prætenderit, coram Superiore suo & Ordinario deducat: quòd si antè habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcunque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, &c. Hoc tamen Doctores ita intelligunt, vt non sit admittendus ad probationem, nisi habitum resumpserit. Hanc formam iudex inferior seruare debet, alioquin sententia ipsius non erit valida. Testes etiam debent esse iurati, vt in alijs causis grauibus: hìc autem nullos testes iuratos video. Si res ageretur in solo foro interno, non haberet magnam difficultatem: quia credi posset reo asserenti se metu compulsum vouisse. Sed in foro externo illi in suum fauorem non creditur propter præiudicium tertij, nempe monasterij, & propter scandalum.

34 Quòd ad tertium attinet, nullo modo probatus est ætatis defectus, vt oportet; imò ex probationibus potiùs colligitur ætatem fuisse legitimam &c.

Ex quibus dicendum videtur rem esse pleniùs indagandam, vt per sententiam liberari possit.

CASVS XIV.

Professio filij Presbyteri ante constitutionem Sixti V.

Petrus filius Presbyteri emisit professionem in Ordine Mendicantium priusquam ederetur Constitutio Sixti V. qua eiusmodi ad professionem inhabiles redduntur.

QVÆRITVR Primò, *An illa professio per hanc constitutionem irritetur?*

QVÆRITVR Secundò, *An possit ipse inuitus expelli ab Ordine, vel vltrò ab eo recedere?*

QVÆRITVR Tertiò, *An egeat dispensatione super irregularitate proueniente ex defectu natalium?*

QVÆRITVR Quartò, *An possit promoueri ad Doctoratum in Theologia?*

Ad Primum: Respondeo, Professionem filij Presbyteri in ordine Mendicantium factam bona fide ante Constitutiones Sixti V. editas A. Dom. 1587. & 1588. quarū prior sic incipit: *Cū de omnibus Ecclesiasticis Ordinibus*, fuisse validam, Ratio est, quia ante Sixtum V. nullum erat Ius, nec vlla etiam constitutio Monastica in Ordine Mendicantium, quę huiusmodi redderet inhabiles ad professionem. Quin imò Iura huiusmodi filios inuitant ad Religionem concesso priuilegio ordinationis, Cap. 1. *De filijs Presbyterorum*. Constitutio autem Sixti V. reddens huiusmodi inhabiles ad Religionem, præterquam ad statum laicorum, multis annis post (vt in casu supponitur) edita est; ac proinde non potest irrita reddere quæ antè legitimè sunt facta; nec enim disponit in præterita, sed in futura. Imò statim post, per Gregorium XIV. fuit ferè tota reuocata; qui solùm addit, Tunc non posse illegitimum ad Religionem admitti, quando pater eius ante vel post natiuitatem eius in eâdem est professus. Accedit, quòd qui bona fide nesciens se filium Presbyteri, professus est, non possit vllo modo ob hoc puniri aut molestari; quia nemo sine causa puniri debet. 35

Sixtus V. reddidit filios Presby. terorū inhabiles ad Religionē.

Gregorius XIV. moderatus est.

Ad Secundum: Respondeo, prędictum Religiosum ante dictam Sixti V. constitutionem professum, nullo modo posse ab prædicta Religione expelli, cùm sit legitimus illius Religiosus; nec quidquam commiserit cur tam grauis pœna in illum possit statui. Duæ enim tantū sunt causæ cur quis à Religione possit expelli; nempe si vel non sit verus Religiosus, ac proinde ius non habeat in ea manendi: vel commiserit aliquod flagitium expulsione dignum; quorum neutrum hìc inuenitur. 36

Non potest a Religione expelli.

Neque ipse à Religione abire.

Pari modo non potest prędictus Religiosus instituto suo deserto tanquam Sacerdos secularis viuere: esset enim verus apostata & excommunicatus.

Ad Tertium: Respondeo, eiusmodi Religiosum nulla egere dispensatione super irregularitate ob defectum natalium. Nam communis sententia Theologorum est Iure communi dispensari per profes- 37

Non egeti dispensatione super irregularitate.

professionem, seu per ingressum quo sit verè Religiosus, Sotus d. 25. q. 1. a. 3. Richardus eâdem dist. a. 4. q. 3. Siluester V. Irregularitas n. 15. §. *Vigesimò quæritur.* Barthol. Fumus V. Irregularitas n. 88. Angelus V. Irregularitas sub finem. Idem passim tenent Canonistæ cum Glossa in Cap. 1. de filijs Presbyterorum, & in Cap. 2. de Apostat. Vide Couarruuiam Clementina *Si furiosus.* 1. p. §. 2. num. 6.

38 *Est capax Doctoratus in Theologia.*

Ad Quartum: Respondeo, Eiusmodi Religiosum posse promoueri ad Doctoratum in Theologia, quia non est prælatura vel dignitas ad quam illegitimi reddantur inhabiles: nec vllum Ius est quod defectum natalium faciat impedimentum Doctoratus. Doctoratus enim non est beneficiũ ecclesiasticum, sed testimonium eruditionis cum potestate publicè docendi.

CASVS XV.

Professio illegitimi post constitutionẽ Sixti V.

Antonius natus ex solato & soluta, receptus est in monasterium, & ad professionem admissus tempore Sixti V. post editam supra dictam constitutionem de Illegitimis, ignarus eiusdem constitutionis, à Superiore similiter ignaro.

QVÆRITVR Primò, *An ille titulo Religionis factus Sacerdos posit relicto monasterio redire ad seculum, vtpote cuius professio fuerit inualida & nulla?*

QVÆRITVR Secundò, *An, Si professio illa fuisset inualida, posset Superior illũ inuitum eijcere?*

39 AD *Primum*: Respondeo, Probabile esse professionem irritam fuisse, ac proinde illum posse ad seculum redire; sed seruata ordinatione Concilij Tridentini sess. 25. c. 19. iuxta explicationem & limitationem Nauarri Comment. 4. de Regularibus sub finem.

Probabile est Profes. sionem esse ualidam.

Mihi tamen non minùs probabile videtur professionem validam fuisse, si in illis locis constitutio Sixti publicata non fuit. Primò, Quia id magis æquitati naturali consentaneum; præsertim cùm nõ fuerit neque inhabilitas in persona admittenda, neq; defectus in potestate admittentis: sed solùm omissio cuiusdam solennitatis in modo admittendi. Si dicas defuisse consensum necessariũ, nempe Capituli. Respondeo, hunc adfuisse implicitè in consensu Superioris, quod potest videri sufficiens positis istis alijs circumstantijs.

40 *Publicatio Bulla Sixtina debebat fieri in locis Regularium.*

Secundò, Quia Pontifex expressè loquitur de ijs qui post publicationem præsentis constitutionis in futurum recepti fuerint aliter quàm præscribitur. Hoc autem satis probabiliter intelligi potest de publicatione facta in locis Regularium, saltem aliquibus illius diœcesis. Primò, quia Pontifex cùm bis terue significasset hæc vim habere post publicationem, sub finem quasi inferendo & continuando suam intentionem ait; *Quocirca per Apostolica scripta mandamus Cardinalibus & locorũ Ordinarijs, vt curent præsentes litteras publicari: Cardinales quidem in locis Regularibus suæ protectionis; Ordinarij verò in locis Regularibus suarũ ciuitatum & districtuum; & curent eas perpetuò seruari.* Videtur itaque suprà loqui de hac publicatione; & post hanc demum curandũ vt seruetur. Secundò, Quia Pontifex statim post publicationem, vult omnia aliter facta esse irrita, & incurri pœnã excommunicationis: atqui valdè durum esset statim post publicationem Romæ factam, per totum orbem omnia aliter facta censeri irrita, & tot bonos viros sanctissimè admissos, sine vlla culpa, cum magna infamia eijci, & secularibus proponi ridendos. Confirmatur, quia par non est vt Constitutio quæ seruari non potest, vim habeat: sed hæc non potest statim vbique seruari; quia non potest statim innotescere: ergo par non est vt vbique vim habeat. Vnde in omni constitutione solet sufficiens tempus assignari, quo moraliter possit passim in omnium notitiam deuenire. Et quamuis in legibus irritantibus fortasse non sit absolutè necessarium, tamẽ quando magnum sequeretur præiudicium alteri parti ex rescissione contractus, debet secundùm rectam rationem sufficiens tempus assignari vt possit innotescere: vti videmus Ecclesiam in decreto Matrimonij sess. 24. cap. 1. & in alijs fecisse. Hinc colligo illud, *Post publicationem*, intelligendum de publicatione in locis Regularium.

41 *Leges Reuocatoriæ Iuris communis sunt odiosæ.*

Tertiò, Quia si leges reuocatoriæ priuilegiorum, non censentur habere vim nisi promulgatæ non solùm in prouincia, sed etiam in diœcesi, vt docet Sotus l. 1. de Iustitia q. 1. a. 4. & multi alij; idque propter incommoda quæ alioquin sequerentur: multò minùs obligabunt leges reuocatoriæ Iuris communis, vel quasi naturalis, quod quiuis antè habebat vt admitteretur ad Religionem, & quòd Superior habebat vt admitteret; cùm grauiora incommoda sequantur. Quartò, Quia in huiusmodi legibus valdè exorbitantibus & duris, facienda est mitior interpretatio si verba patiantur; imò interdum contra intentionem legislatoris secundùm verborum proprietatem.

42 *Si idoneus est, non posset inuitus eijci.*

Ad Secundum: Respondeo, Etiamsi professio illa fuisset inualida, Superior tamen non posset illum inuitum eijcere, si alioquin sit idoneus, seseque disciplinæ accommodet. Ratio est, quia quòd professio valida non sit, factum est per iniuriam Superioris, qui non ita illum admisit, sicut ex officio tenebatur admittere. Vnde ex hac inualiditate fundata in ipsius iniuria, non potest sibi vindicare ius expellendi illum.

Iterum tamen deberet Professionẽ emittere.

Deberet tamen illo casu prædictus illegitimus iterum profiteri expressè. Sed posset id omnino secretò fieri, si res sit occulta: & tunc videtur antiquum locum posse retinere; non enim tenetur cũ sui infamia id propalare. Si tamen passim notum sit, debet ita profiteri vt constet, & consequenter locum postremum tenere. Absolutè tamen si iste mansurus est, debet rursus profiteri, saltem priuatim, vt tollatur potestas egrediendi. Nam contraria sententia est valdè probabilis, & per illam habet potestatem egrediendi.

CASVS XVI.

Professio inualida defectu informationis.

Sixtus V. Anno Domini 1587. edidit Constitutionem, quæ incipit, Cùm de omnibus Ecclesiasticis Ordinibus, *quam renouauit Anno 1588. nouâ Constitutione, quæ incipit,* Ad Romanum spectat Pontificem. *quibus Constitutionibus præcipit ne quis ad habitum vel professionem in quocumque*

cumque Ordine Regulari admittatur, nisi certa præmissa informatione de ætate, moribus, parentibus &c. sub pœna nullitatis tam receptionis, quàm professionis. Titius conqueritur in sua receptione, & professione hanc informationem non esse seruatam.

QVAERITVR Primò, *An hæc professio fuerit valida?*

QVÆRITVR Secundò, *Ad quos hæc informatio deferri debeat?*

QVÆRITVR Tertiò, *An hæc informatio requirat iuridicam depositionem, seu testium iuramenta?*

43 AD *Primum*: Respondeo, Si nullæ informationes vel notabiliter non sufficientes habitæ fuerint de admittendis, videtur Sixtina constitutio planè locum habere. Quia in declaratione statuit professionem esse nullius roboris, si non fuerit seruata forma ab ipso in institutione præscripta. Porrò ea forma præscribit *Vt iuuenes 16. annis maiores, aut viri adulti, non possint recipi in aliquam Religionem, nisi priùs de eorum parentibus, patria, anteacta vita & moribus diligenter inquiratur. Et ex accurata informatione, & fide digna relatione compertum & exploratum sit, eos non esse reos aliquorum criminum*; vt sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia; vel reos aut suspectos existere, vt propterea damnati sint, vel damnari formident: denique ingenti ære alieno supra vires facultatum suarum grauatos, vel reddendis rationibus ita obnoxios, vt ex huiusmodi causa lis vel molestia eis iam illata sit, vel timendum sit ne inferatur. Nisi denique constet ipsos non humanâ aliquâ ratione, sed tantùm pietatis & deuotionis feruore, vitam religiosam sponte & ex animo elegisse: deque his omnibus in Generali vel Prouinciali Capitulo indubitatâ fide factâ, tam Superioris, Generalis, seu Prouincialis, quàm Definitorum consensu approbati, ad habitum Regularem admissi fuerint.

Quæ ante professionē maximèinquirenda.

Itaque forma requirit vt ante admissionem ad habitum, fiat *Diligens inquisitio* de anteacta vita & moribus &c: cui inquisitioni æquiparatur cognitio & moralis certitudo anteà habita ex longa conuersatione &c. Item requirit vt sit compertū *ex accuratâ informatione* & fide digna relatione, eos non esse criminosos &c. Quare si informationes sint notabiliter insufficientes, ita vt persona non sit satis perspecta quoad mores, & ea quæ hîc præscribuntur; videtur admissio & secuta professio esse nullius roboris, vt in declaratoria habetur.

Sufficit moralis certitudo seu cognitio personæ anteà habita.

Ad Secundum: Respondeo, Si hæ informationes non fuerint delatæ ad eos, ad quos iuxta Sixtinam oportebat; sed solùm ad magistrū Nouitiorum, non est seruata forma in re notabili. Illi enim debent ante omnes informari, & sufficientem notitiam habere, quorum est consentire & admittere. Finis quidem Sixtinarum est arcere defectuosos; sed inde non sequitur formam, si non seruetur, solùm irritam reddere professionem defectuosorum; quia præscribitur forma generalis seruanda cum omnibus; quam (ne vllo casu defectuosi admittantur) vult ita seruari, vt semper professio sit irrita, si non seruetur. Hac enim seueritate vult Superiores cogere, ne vnquam in ea seruanda fiant negligentiores.

44 *Hæc informatio deferri debet ad omnes consentientes in admissionem.*

Illa verba, *Declaramus eos*, &c. in Sixtina secunda edita Anno 1588. quæ incipit, *Ad Romanum spectat Pontificem* §. 12. manifestè accipienda de omnibus, qui post sextum decimum ætatis annum habitum susceperint, etiamsi non sint criminosi, vel rationibus reddendis obnoxij. Similiter & ista, *& eorum*, vt patet totum textum expendenti: Nam in principio 12. illuis §. *Quòd autem pertinet*, indicat apertè se loqui de professione omnium illegitimorum; & eorum qui maiores sunt sedecim annis. Vnde non video quomodo illud, *eorum*, possit restringi ad criminosos, vel alijs Bullę impedimentis obnoxios.

Ad Tertium: Respondeo, Sufficientia informationum quam Sixtina requirit, nō postulat iuridicas depositiones, aut iuramenta testium, aut Notarij operam; sed sufficit vt à viris fide dignis habeantur; ita vt rē humano modo certam reddant; &, vt Sixtina loquitur, plenam fidem faciant. Vnde etiam non puto requiri subscriptionem aut scripta vlla: quia hoc non exprimitur.

45 *Non requiritur Iuridica depositio &c.*

CASVS XVII.

Inualidè professus fugam meditās.

Titius inualidè professus, post quinquennium non reclamauit, neque potest obtinere à suis Superioribus licentiam petendi à Pontifice restitutionem in integrum vt causam suam legitimè queat deducere.

QVÆRITVR, *Quo remedio sibi possit Titius consulere: & quomodo interim à suis Superioribus haberi possit ac debeat?*

46 REuerende Pater. Accepi litteras tuas benè longas, quibus tuas afflictiones exponis; quę me permouerunt vt etiamsi nescíam quis sis, aut cuius Ordinis, responderem: charitas enim & causæ æquitas id postulare videbantur. Itaq; procedam per propositiones.

I. Supposita professionis tuæ nullitate ob impedimenta per Sixtum V. statuta, sicut scripto tuo proponitur, oportebat te reclamare intra quinquennium à die professionis tuæ computandum: & tunc potuisses audiri Iure ordinario, deducendo causas coram Episcopo & tuo Superiore; vt patet ex Concilio Tridentino sess. 25. cap. 19. de Regularibus.

II. Si post quinquennium elapsum quis reclamet, non potest audiri Iure ordinario; sed opus est restitutione in integrum, quam solus Summus Pontifex concedit. Quia præsumitur præsumptione Iuris & de Iure intra illud tempus ratificasse suam professionem.

Non reclamans ante quinquennium elapsum egot restitutione in integrum.

III. Si tamen impedimentum esset perpetuū, vt in præsenti casu allegatur, non opus esset restitutione, sed posset, & deberet Iure ordinario audiri ab Episcopo loci & suo Superiore: & probato impedimento deberet declarari liber, & sui iuris, habituque exui. Ratio est, quia hîc cessat præsumptio ratificationis. Stante enim impedimento perpetuo nulla ratificatio potest esse valida.

Extipe duos casus.

IV. Idem probabile est cum ex ignorantia vel metu non reclamauit: sed tunc ipsa ignorantia & metus deberent probari.

V. His cessantibus, Superiores talis Religiosi possunt cum illo agere, eumque coercere tanquā suum

suum subditum & verum Religiosum, eumque punire si delinquat; quia meritò vnà cum Concilio Tridentino præsumunt illũ esse Religiosum.

47 *Recursus ad Pontificem non potest impediri à Superiore.*

VI. Si tamen ille velit recurrere ad Sum. Pontificẽ vel Eminentissimos Cardinales vt impetret restitutionem in integrum ad agendam legitimè suam causam, Superiores non possunt impedire: quia Iure naturæ & Gentium quilibet inferior ius habet, præsertim in re tanti momenti, recurrendi ad supremum Superiorem. Imò si ad hoc opus esset fugâ, posset fugere, etiam dimisso habitu si esset necesse, modò caueat scandalo, mentem suã postea saltem per litteras explicando.

VII. Impetratâ restitutione à Summo Pontifice, posset etiam obtineri vt Illustrissimo Nuntio Bruxellæ causa committatur, adiuncto ei Superiore illius Religiosi, vel sine illo, prout suæ Sanctitati videretur. Sine autem restitutione, & tali commissione per Summum Pontificem facta Nuntius se non potest immiscere.

48 *Destitutus omni auxilio potest fugam capessere.*

VIII. Si restitutio & licentia agendi non posset obtineri, Religiosus ille posset fugam capessere, & redire ad sæculum, modò scandalo caueat. Quia cùm non sit verè Religiosus, nec velit esse, nullo iure obligatur in conscientia perpetuò in Religione manere; nec quisquam illum ad hoc potest cogere, vt rectè docet Nauar. de Regular. Comment. 4. n. 77. & 78. Sanchez lib. 7. de Matrim. p. 253. Vide lib. nostrum 2. de Iust. dub. 7. n. 65. &c.

IX. Ille tamen Religiosus quamdiu non potest se expedire ab Ordine, potest absolui, & frui alijs priuilegijs: quia præsumitur Religiosus donec contrarium per sententiam declaretur; quæ præsumptio sufficit ad Iurisdictionem: eaque de re nullus debet esse scrupulus. *De hoc postremo latiùs agitur Casu sequenter.*

Inualidè professus fugam meditans, interim vtens Ordinis priuilegijs.

CASVS XVIII.

Sixtus V. induxit quædam impedimenta irritantia professionem. Quidam bona fide cum tali impedimento professionem emiserunt eo tempore quo illa Constitutio vigorem habebat.

QVÆRITVR Primò, *An illa professio maneat perpetuò irrita, donec eam ratificauerint?*

QVÆRITVR Secundò, *An Superiores possint & debeant sic irritè professos, tractare vt suos subditos in administratione Sacramentorum, correctione, promotione ad Sacros Ordines, & Superioratum &c?*

QVÆRITVR Tertiò, *An Superior teneatur taliter professos inducere ad iterandam validè professionem: Et si illi id nolint, possint interim vti priuilegijs Religionis?*

49 *Inualidè professi nisi ratificent professionem, nullo tractu temporis fiunt professi.*

AD *Primum*: Respondeo, Professio eorum qui habuerunt tale impedimentum irritans inductum à Sixto V. facta eo tempore, quo illius Constitutio vigorem habuit, fuit irrita: vnde nisi cessante impedimento eam ratificauerint, manet irrita in hunc diem. Quia *Non firmatur tractu temporis quod ab initio Iure non subsistit*, Regula, *Non firmatur*. De Reg. Iuris in 6. Non ratificatur autẽ coram Deo & in foro conscientiæ, nisi quis sciens eam fuisse inualidam, vel saltem ea de re dubitans, nihilominùs velit eam firmam esse, & se de nouo Deo obstringere, vt ei in Religione perpetuò seruiat. Vel certè nisi expressè intendat de nouo obligari, etiam in euentum quo fuisset inualida: Vt cùm quis ita secum statuit: Etiamsi mea professio fuisset inualida, tamen ex hoc tempore cupio illam esse validam, & quantum in me est illam iterum coram Deo renouo & emitto.

Quare semper possunt redire ad sæcula.

Hinc sequitur, eos qui sic nulliter professi fuere, neque professionem suam debito modo ratificarunt, non esse verè Religiosos; ac proinde cessante scandalo posse egredi, & viuere in sæculo. Ita Nauar. Commentar. 4. de Regul. in fine. Sancius lib. 7. de Matr. disput. 37. n. 11. Henriques lib. 11. de Matrim. cap. 6. in Comment. finali. Emanuel Sà. V. Religio. n. 71. quod intellige, quando non sperant se posse obtinere licentiam egrediendi, eò quòd desit eis probatio, vel quia ob elapsum quinquennium non audientur: alioqui debent vti viâ à Concilio Trident. sess. 25. c. 19. de Regul. præscriptâ.

Ad Secundum: Respondeo, Superiores talium professorũ possunt & debent eos tractare vt suos subditos, audiendo eorum confessiones, & Sacramenta eis ministrando, itẽ corrigendo, puniendo. Possunt etiam ad Ordines & Superioratum promoueri. Ratio est, quia si quinquennio à professione in Religione manserint, nec reclamauerint intra illud tempus; nec etiam cessante impedimento post quinquennium, manentes per aliquot annos impedimento sublato absque reclamatione, censentur in foro externo tacitè ratificasse suam professionem: ac proinde à Superiore haberi debent pro veris professis, & vt tales in omnibus tractari. Nam Concilium Trident. statuit illud quinquennium, vt, nisi intereà reclament, præsumantur professionem suam tacitè ratificasse: & idcircò non audiantur postea, sed habeantur veri Religiosi.

50 *A Superioribus possunt & debent haberi vt veri professi.*

Non tamen debẽt mitti ad Ordines, si nolint professionem ratificare.

Si tamen illi se opponerent suæ professioni, & dicerent se nunquam suam professionem ratificasse, nec velle ratificare, non expediret eos mittere ad Ordines, aut promouere ad munus Superioris: quia etsi præsumantur esse Religiosi, tamen ipsi manifestè declarant se animo non esse Religiosos, nec velle esse, imò se cogitare de abitu: qui autẽ animo Religiosus non est, nõ est promouendus, nisi animum mutet; vt per se notum est. Deinde, quia tales in foro externo non præsumuntur esse in bono statu, sed tendere ad apostasiam: nam præsumuntur esse Religiosi. Nec refert quòd Superior priuatim credat illos verum dicere, & re vera non esse Religiosos, ac proinde eos esse in bono statu etiamsi egrediantur: Quia etiamsi hæc priuata scientia vel credulitas Superioris satis sit, vt bonâ conscientiâ permittat talem subditum celebrare, & vti Ordine accepto: non tamen sufficit vt promoueat illum ad Ordinem sacrum accipiendum, eò quòd desit illi animus Religionis. Idẽ dico de officio Superioris: In Religione enim non debent ad Ordines sacros vel Superiorum munera promoueri, qui affirmant se non esse Religiosos, nec animum ad Religionem habere, quãtumuis putẽtur esse in bono statu, & verũ dicere.

Neque debent fieri Superiores.

Ad Tertium: Respondeo, Superior non tenetur (per se loquendo) taliter professos inducere ad iterandam professionem, vel ad eam, quam olim fecerunt,

51

Non tenetur Superior illos inducere ad professionem iterandam.

fecerunt, ratificandam: nullum enim Ius id præcipit, & sæpè accidere potest vt nõ expediat illos ratificare. Imò illi non tenẽtur eam ratificare, sed possunt expectare commodum tempus fugæ.

52 *Meditãtes fugam non possunt ordinari priuilegio Religionis.*

Vtrùm verò interea dum nolunt professionem ratificare, & fugam meditantur, possit ordinari, & frui priuilegijs Religionis, quibus absoluitur Religiosus à reseruatis, & liberatur à votis, &c. vide Sancium lib. 7. de Imped. Matrim. disp. 37. q. 5. vbi fusè & eruditè hoc prosequitur. Summa est, illos non posse ordinari priuilegio Religionis, sed debere id defugere quantum possunt absque nota infamiæ. Sunt enim sæculares, ac proinde egẽt litteris dimissorijs suorum Episcoporum, & titulo patrimonij vel beneficij.

Neque ferre vocem in Capitulo

Similiter non possunt ferre suffragium in Capitulo, nec acceptare munus Superioris, sed debent hæc detrectare, & recusare quantum possunt sine infamia. Si tamen ex detrectatione & recusatione infamiæ nota eis impenderet, quam aliter non possunt effugere, sine culpa possent ita admittere.

Neque à reseruatis absolui.

Pari modo non possunt absolui à reseruatis à Confessario Ordinis, nisi eo modo quo quilibet sæcularis ab eodem Confessario absolui posset.

Neque se immiscere ijs, quæ Ordini sunt propria.

Itaque etiamsi Superior in eis regendis procedere debeat secundùm præsumptionem fori externi, & agere cum illis tanquam cum viris Religiosis: tamen ipsi in omnibus procedere debent secundùm iudicium fori interni & conscientiæ, habendo se pro non Religiosis, & defugiendo ea quæ Religiosorum sunt propria, quantum fieri potest absq; scandalo & nota infamiæ: Nisi velint suam professionem ratificare; ad quod tamen absolutè non sunt obligandi. Tenentur tamen illam ratificare, vel habere animum fugiendi oblatâ cõmodâ occasione: vt benè docet Sancius suprà.

CASVS XIX.

Professio inualida subdito ignorata.

Superior aduertit alicuius subditi professionem fuisse inualidam.

QVÆRITVR, *Vtrùm hunc defectum subdito debeat patefacere? vel quomodo se habere debeat?*

53 REspondeo, Si Superior successu temporis aduertit alicuius professionem fuisse inualidã; non semper tenetur id subdito indicare: vt si videat illum benè contentum, & speret perseuerantiam, vel si ex manifestatione metuat grauia incommoda. Fieri tamen potest vt tales sint circũstantiæ, vt teneatur ei indicare: vt si Ordini impenderet inde aliquod graue incommodum &c.

Expedit benignè agere cum illo subdito: & totum negotium cum Episcopo conferre. Non puto vi aut aliqua viâ asperâ vtendum; nisi quando constat quinquennium illius cucurrisse; nec causam ampliùs ad Ordinarium pertinere: quod hic sanè non constat. Nam in Sixtina secunda statuitur: *Vt nec tacita quidem professio inducta intelligatur si in receptione constitutionis forma seruata non fuerit.* Per quod videtur elidi omnis præsumptio ratificationis intra quinquennium; & consequenter ei, qui sic admissus, nõ cucurrit quinquennium. Vnde posset iure Ordinarij audiri.

CASVS XX.

Quid agendum cum volente discedere?

Titius Religiosus Professus multa allegat, quibus ostendit Professionem suam esse inualidam.

QVÆRITVR, *Quomodo in eo casu se gerat Superior?*

REspondeo, Si vera sunt corã Deo quę Titius allegat, potest cessante scandalo discedere, & redire ad sæculum; vt docet Nauar. Comment. 4. de Regul. in fine. Superior tamen non potest illum auctoritatiuè dimittere, vt constat ex Concilio Trident. Ea enim res deberet deduci coram Ordinario. Quòd si elapsum est quinquennium à die professionis, iam excidit omni iure reclamandi, nec illi spes à foro externo. Si tamen persona Religioni esset noxia, posset Superior se habere permissiuè, id est, non se opponere volenti discedere. Imò si multùm esset noxius, nec speraretur correctio, posset illum expellere. Tenetur autem ille, si vera sunt quæ allegat, vel professionẽ suam ratificare, vel discedere. Ne autem sit scanlo, deberet ire ad loca, vbi est ignotus. Imò potest Superior ei dicere, si vera sunt quæ allegat, Posse ipsum discedere, ita tamen vt caueatur scandalum. 54

CASVS XXI.

Professio inualida defectu regulæ approbatæ.

Hospitale est Fratrum & Sororum simul viuentium qui se pro Religiosis habent, & passim à populo tales habentur, quorum prædecessores solebant profiteri Regulam S. Augustini; moderni verò iam pridem illâ Regulâ relictâ, nouam quandam Regulam assumpserunt, quæ non est approbata à Sede Apostolica.

QVÆRITVR Primò, *An sint veri Religiosi?*

QVÆRITVR Secundò, *An relicto hospitali, ad seculũ & Matrimonium transire possint?*

QVÆRITVR Tertiò, *An Institutum istud ab Episcopo extingui queat?*

AD *Primum*: Respondeo, Fratres illos & Sorores hospitalarios, non esse censendos veros Religiosos, etsi à plebe ita vocentur, & putentur tales. Ratio est, Quia institutum & forma illa viuendi, nunquã fuit approbata à Sede Apostolica. Imò manifestè reprobatur à Canonibus: Cap. *Definimus.* & Cap. *In nullo*, 18. q. 2. & Cap. *Periculoso*, de statu Regul. in 6. Item à Concilio Tridentino sess. 25. c. 5. de Regul. Denique per Constitutionem Pij V. quæ incipit, *Circa pastoralis officij*. Ex qua Constitutione aufit fortè quis affirmare, sorores quidem eas ad sic viuendũ esse inhabiles, ac illarum quaslibet professiones & receptiones irritas & nullas declarari: non tamen idem declarari circa Professionem fratrum. Nihilominùs nõ videtur vllũ esse constituendũ discrimen inter professionem fratrum & sororum illarum, adeoque dicendum, neutros esse verè Religiosos. 55

Non est Religiosus, cuius forma viuẽdi non est approbata à Papa.

Neque obstat, quòd olim sorores, quæ has præcesserunt, fuerint professæ regulam S. Augustini; & fortè veræ fuerint Religiosæ: quia posteriores sorores regulam S. Augustini non profitentur, adeoque

adeoque regula S. Augustini non potest eas constringere: quisque enim sua tantùm professione, non aliena obligatur. Nolim tamen illis mox tam laxas præbere habenas.

56 *Inuiti ne retineantur.*

Ad Secundum: Respondeo Primò, Non videri expediens vt Fratres illi inuiti in illo Instituto retineantur; cùm Canonibus non congruat. Respondeo Secundò, Posse Ordinarium dispensare in voto Paupertatis & Obedientiæ, & absoluere ab hoc genere viuendi: & pro voto Castitatis eos remittendos esse ad Nuntium Apostolicum; qui, ad vitādum scandalum in populo putante eos esse veros Religiosos, posset ab eis requirere vt alibi habitent, præsertim si matrimonium inire velint.

Fœminæ ista non videntur egere dispensatione.

Et quamuis fortè fœminæ non egeant dispensatione suæ professionis suorumque votorum, quibus se illi instituto obligarunt, eò quòd Pius V. generatim huiusmodi fœminas inhabiles ad sic viuendum reddiderit, earumque professiones irritas esse decreuerit: tamen ad ædificationem ipsarum & aliorum, & vt agnoscant potestatem Ecclesiæ, omnino videtur expedire vt requirant dispensationē ab Ordinario & ab Illustrissimo Nuntio Apostolico.

57 *Ad Tertium:* Respondeo, Fortasse expedire vt Institutum illud, qua parte fœminas complectitur, potestate Ordinarij & Nuntij Apostolici omnino tollatur; vel certè, vt eæ à virorum habitatione penitus separentur.

Vide suprà Casum VIII. vbi fusè ostensum est, neminem posse esse Religiosum, qui non profitetur secundum Regulam à Sede Apostolica approbatam.

CASVS XXII.

Episcopus non Religionem, sed pium Institutum potest approbare.

Titius instituit domum S. Agnetis, in quâ seruetur laudabilis, pia, & bono publico expediens viuendi norma.

QVÆRITVR, *Vtrùm Episcopus, in cuius diœcesi ea domus erigitur, possit illud Institutum vt tale approbare, commendare, & declarare, illudque aliquibus priuilegijs munire?*

58 *Episcopus iure proprio potest in sua diœcesi Religionem instituere.*

REspondeo, Episcopum, cùm sit Princeps sacrorum in suâ diœcesi, posse iure proprio, & sepositâ Ecclesiæ reseruatione, etiam Religionem nouam in suâ diœcesi instituendam approbare. Nam primæ Religiones, vt S. Antonij, Basilij, Augustini, Benedicti, non fuerunt initio à Summis Pontificibus, sed à solis Episcopis locorum admissæ & approbatæ, idque magis ipso vsu, permissione, & commendatione, vel laudatione Instituti, quàm aliquo solemni actu vel instrumento. Quòd autem modò non possint, prouenit ex

Sed id modò non potest ex prohibitione Ecclesiæ.

sola Ecclesiæ prohibitione, quâ vetatur nouarum Religionum institutio absque Sedis Apostolicæ auctoritate; vt patet ex Concilio magno Lateranensi sub Innocentio III. cap. vltimo *de Religiosis domibus*: & Lugdunensi sub Gregorio X. Capit. *Religionum*, de Religiosis domibus in 6. Simili modo poterant olim in suâ diœcesi quodammodò

Vti neque Canonizare.

canonizare Sanctos, & eorum cultum publicè concedere: quod adhuc modò possent, nisi Summus Pontifex id sibi reseruasset.

59 *Potest pia Institutum approbare.*

Itaque cùm Institutum illud domûs S. Agnetis non eò tendat, vt sit, aut habeatur Institutum Religionis, sed solùm vt censeatur laudabilis, pia, & bono publico expediens viuendi norma, non est dubitandum, quin Episcopus, in cuius diœcesi erigitur, possit illud vt tale approbare, commendare, & declarare, illudque aliquibus priuilegijs munire: certum enim est hanc potestatem ei iure proprio competere, & nusquam per decreta Pontificum vel Conciliorum id ei esse prohibitum. Simili modo aliquando approbatum fuit institutum *Fratrensium*, quod tamen, præter tria vota simplicia, habitum nouum Religiosis proprium præscribebat. Vidi similem approbationem factam post Concilium Generale Lateranense ab Episcopo Tornacensi circa annum Domini 1260. qua confirmatur Institutum & Regula *Fratrum hospitalariorum*, qui seruiunt cuidam hospitali Gandaui.

Ita instituta Fratrenses, & Hospitalarij.

60

Vt autem hæc approbatio habeat plus ponderis, bonum erit si Regulæ & totum Institutum examinentur diligenter ab aliquot Doctoribus Theologis, quorū accepto testimonio, Episcopus auctoritatiuè declaret illud esse laudabile, pium, &c. & pro tali illud approbet &c. Alijs rationibus, rem adeò claram, non est opus confirmare.

REBELLIO.

CASVS I.

Resistere legitimo Principi vrbem inuadenti.

Vtrùm fidi & legitimi subditi degentes in vrbe Regi suo iniustè rebelli, possint illi vel eius militibus vrbem rebellem inuadentibus resistere?

1

REspondeo, Id eiusmodi ciues non posse: sicut nec priuatus potest resistere legitimæ potestati. Ratio est, quia Rex iure vrbem illam inuadit tanquam Iudex legitimus subditos rebelles: alioquin daretur bellum vtrimque iustum, sepositâ ignorantiâ, quod omnes DD. negant. Nec refert quòd isti ciues non sint rebelles; nec meriti sint spoliationē: quia hoc ipso quo sunt pars istius Ciuitatis, Rex habet ius inuadendi generatim omnes, & spoliandi ob delicta Ciuitatis, cujus ipsi sunt pars: si ergo resistant, faciunt ei iniuriam.

Possunt resistere prædationi.

Possent tamen resistere & sese opponere, si miles abigeret prædas, & præsumeretur id facere contra voluntatem sui Gubernatoris.

2

Si objicias Regem non præstitisse suas partes defendendo suos ciues; ac proinde ciues non teneri agere partes Regis cum tanto suo incommodo. Respondeo, Regem maximè præstitisse partes suas in hac re: Primò, Quando conatus fuit inire pacem, & sine omni incommodo suorum ciuium, rebelles illos sibi reconciliare, qui tamen pacem renuerunt. Secundò, Quando vix vllas prædationes admisit, vt lenitate reduci possent. Tertiò, Quando magna vi armorum, quod tamen posset, rebelles non obruit; ex quo maximè passi fuissent fideles isti ciues.

Quid faciunt externæ nationes isthic versantes.

Esto tamen: Concedamus fidos illos ciues non teneri pro Rege suo pugnare cum magno suo dāno; tamen non possunt pugnare contra Regem: tum quia manent subditi; tum quia non possunt iuuare rebelles, etiamsi non essent subditi. Vnde etiam externæ nationes isthic versantes, non possunt Regi resistere; quia hoc est iniquitati cooperari. Qui autem vult esse extra periculum spoliationis, debet se à rebelli Ciuitate separare.

CASVS II.

Secretarius in Oppido rebelli subscribens decretis.

Secretarius cuiusdam Oppidi ab hoste oppressi cum petuntur exactiones pro bello manifestè iniusto, resistit quantum potest; & quia aliorum vota vincunt, scribit decretum, & subscribit ex officio, non vt approbans, sed vt testificans.

QVÆRITVR, *An id salua poßit conscientia?*

3 *Ratio dubitandi.*

VIderi possit hoc omnino illicitum: Primò, quia videtur esse aperta cooperatio ad malum. Quis enim non dicat talem iuuare ad bellum, & ad exactiones illas iniustas? Deinde, ex vi illius scripti exiguntur iniquæ exactiones: atqui omnium Doctorum sententiâ Notarius tenetur quando conficit instrumentum ex cuius vi petuntur vsuræ. Tertiò, Notarius scribens sententiam capitis apertè iniquam, est irregularis, & tenetur ad restitutionẽ, quia cooperatur ad mortem iniustam. Ob has & alias rationes censeo hoc officium esse periculosum, & omnino dissuadendum.

4 *Potest id salua conscientia fieri certis conditionibus.*

Si tamen non esset alicui integrum, vel nollet omnino deserere hoc officium, videtur posse tolerari, modò scandalum absit, & ille id faciat cum animo impediendi mala, & promouendi causam iustam vbicumque poterit. Ratio est, quia posito illo statu rerum, scribere tale decretum non est per se malum, & Respublica consentit vt faciat, & mauult talem esse in officio, quàm eum qui iniusto bello faueat. Itaque cessat hîc iniuria in Rempublicam; etsi ex vi illius decreti fiat executio: non enim ipse cogit soluere, sed auctoritas Magistratûs, quam ipse suo scripto proponit. Nec etiam facit iniuriam Principi suo naturali seu legitimo: tùm, quia illa actio est solùm remota cooperatio ad bellum, & si ipse non scriberet, alius scriberet; tùm, quia Princeps mauult talem esse quàm alium sibi planè aduersum. Denique oppressâ Republicâ per Tyrannum, non tenentur omnes quæstores, graphiarij, & alij officiales sua officia deponere, etiãsi ipse noua tributa instituat; modò ipsi nihil faciant, quod per se malum sit: nam Respublica mauult vt sint Christiani, quàm Turcæ vel hæretici, modò tamen illi animum habeant, qualem diximus.

CASVS III.

Aduocatus in Oppido rebelli consultus de exactionibus.

Vtrùm Aduocatus à populo consultus poßit respondere ipsum teneri ex vi decreti suprà dicti ad solutionem exactionum pro bello iniusto?

5

REspondeo, Si Aduocato absit animus patrocinandi iniquitati, & eâ mente officio isto fungatur vt mala impediat, & iustitiam, quantum in se est, pro re natâ promoueat, non est in malo statu, poteritque respondere quidnam ex vi talis ordinationis à Magistratibus factæ sequatur, vel debeatur: non quasi hoc absolutè debitum sit, sed ex suppositione; v.g. *Sequendo ordinationem talem, ille debet tantum* &c: hoc enim declarare, non est pronuntiare, *Hoc esse iustum, vel debitum in foro conscientiæ*, sed *esse debitum in foro illius Reipublicæ sic constitutæ*. Accedit, quòd partes in hoc cõsentiant; nam quæstio ea de re inter ipsos vertitur: & quãuis fortè interrogans seu consulens non cupiat id declarari, non refert; quia Aduocatus solùm ex suppositione definit.

Adhibenda est limitatio,

CASVS IV.

Proclamatio precum pro bello iniusto.

Vtrùm sit illicita proclamatio diei precum, pro felici successu belli iniusti?

6 *Adhibenda est limitatio.*

REspondeo, Sepoßito scandalo non putarem illicitam esse illam proclamationem; cùm illam Secretarius vel Præco sine amissione officij non possit detrectare: modò felicem illum successum sanè intelligat & intendat; nimirum parti iustam causam fouenti, vt Deus illi felicem successum præbeat: parti iniquæ, vt superetur: id enim illi felicius esset, quàm vincere. Difficile tamen est videre quomodo possit vitari scandalum: videtur enim cooperari parti bellum iniquum gerenti, & illi victoriam precari.

Aduerte, Vt clariùs securiusque in hoc & similibus casibus procedatur, expedit ipsam verborum formam examinare, qua Secretarius diem precum pro felici successu belli iniusti proclamat.

CASVS V.

Collectio vectigalium.

Ciuitas gerens bellum iniustum, vt gerendo bello pecunias habeat, cogit ciues à se emere census; quos vt soluat, indicit vectigal.

QVÆRITVR, *An quis ex fidis subditis, poßit vt redemptor, hoc vectigal colligere?*

7

REspondeo, Posse: Si tamen non cogat soluere eos qui statum illum improbant, & scandalum absit. Ratio est, quia talis redemptor non est causa damni, posito illo statu rerum: & fideles subditi malunt talem aliquem esse istorum vectigalium redemptorem, quàm maleuolum vnum, qui iniustum bellum omnino promouere desiderat.

CASVS VI.

Constructio nauium bellicarum.

Vtrùm liceat Ciuitatem rebellem iuuare in constructione nauium, quibus bellum iniustum geret?

8

REspondeo, Cooperari ad ædificationem nauium Ciuitatis rebellis, non est per se malum; cùm habeat vsum indifferentem. Itaque si absit mala intentio, & te cessante æquè benè opus fiet, puto te posse cum alijs manus admouere; præsertim si aliâ ratione non possis commodè victum conquirere. Consultum tamen est abstinere quantum commodè licet.

CASVS VII.

Transuectio annonæ.

Vtrùm liceat transuehere annonam ad naues Ciuitatis rebellis, & ad præsidiarios in oppidis iniquè ab ea captis, collocatos?

9

REspondeo, Cùm transuectio illa annonæ ad naues, & ad præsidiarios in oppidis ab rebelli Ciuitate captis collocatos, per se sit indifferens, & te cessante alij plurimi non sint defuturi, qui eam suscipiant, cessante scandalo non videtur

detur omnino prohibenda, modò prava intentio absit: maximè si sine graui iactura vel incommodo non possis eam relinquere.

CASVS VIII.

Emptio spoliorū iniquè acceptorum.

Ciuitas rebellis gerens bellum iniustum, sub hasta vendit ea spolia, quæ à subditis legitimi Principis accepit.

QVÆRITVR, *An boni fidique subditi inter rebelles istos degentes, possint ea bona emere?*

10 *Affirmatur.*

RESpondeo, Spolia illa, quæ Ciuitas rebellis iniustum bellum gerens accepit è terris vel nauibus subditorum legitimi sui Principis, videntur à bonis fidisq; subditis inter rebelles illos degentibus emi posse eodem modo, quo ab alijs emuntur; cum animo tamen reliquendi ea dominis eodem pretio si compareant: ad quos, si cognoscantur, scribendum erit, an tali pretio velint illa redimi, quando magnâ quantitate emuntur. Ratio est, quia non est voluntas dominorum, vt soli rebelles & maligni illis frui possint, sed etiam boni fidique subditi; tamen cum prædicta limitatione. Valdè enim irrationabile esset bonos illos subditos, viqúe ibidem oppressos, ab illa emptione excludere: sic enim totum commodum peruenirent ad rebelles, absque vllo dominorum fructu.

11 *A simili, de bonis naufragantiū.*

Confirmari ista possunt ex his quæ habet Nauarrus cap. 17. numero 98. de proiectis in mare per naufragium, si domino ita pereant vt non habeat spem recuperandi. Hæc enim si quis recuperet suo periculo, potest ea retinere; nisi dominus malit ei pretium restituere. Idem videtur si suo sumptu recuperet.

Dices, Est dispar ratio: Quia in mari ita perirent, vt dominus nullum ius in illa, vel in alia acquireret. At per emptionem non pereunt, sed manent in eius dominio; & illis consumptis, habet actionem personalem in emptores.

Respondeo, Hoc ius valdè parui æstimari à dominis, & quasi pro nihilo reputari; nec esse rationabile vt propter illud velint excludi bonos fidosque subditos, aut eorum conscientias grauari, si cum prædicto animo emerint. Addo quando tali animo emunt, non teneri ad restitutionē cum suo damno; quia causâ gestionis negotij possunt repetere pretium & sumptus factos.

RELIGIOSVS.

CASVS I.

Reuocatio factę donationis ob ingressū Religionis.

Titius donauit Caio fratri pensionem annuam ex bonis suis. Caius ingreditur Religionem. Offensus ob hoc Titius donationem reuocat.

QVÆRITVR, *An Caius possit priuari illa donatione ob ingressum Religionis?*

1 *Census consignatiuus, quid.*

VT ad Casum propositum clariùs respondeatur:

Notandum Primò, Hîc esse donationem census, quem Doctores vocant *consignatiuum*. Datur enim ius percipiendi quotannis certam pensionem ex bonis donatoris [illegible], & in defectum solutionis obligantur quædam in specie. Quale ius quisque super se & bona sua in genere, vel in specie constituere potest, modò ipse sui iuris sit: & hoc ius *Reditus* seu *census consignatiuus* dici solet.

Notandum Secundò, Tale ius etiamsi sit quid spirituale, non minùs posse transferri in alterum, & donari, quàm res corporales, vt agros vel domos: & donatarium non minùs acquirere dominium vel quasi-dominium talis iuris, quàm rei corporalis donatæ, vel venditę. His positis vt certissimis & notissimis in vtroque Iure.

Habet natura rei coporalis.

Respondeo, Titium non posse reuocare illam donationem semel factam Caio fratri, ex causa ingressus Religionis. Ratio est, quia hæc donatio fuit valida, & legitimè acceptata, & per eam translatum fuit dominium illius iuris in Caium. Fuit etiam hæc donatio absoluta, non restricta ad vllum statum, vel vitæ conditionem; nullo etiam onere grauata. Postquam autem semel facta est donatio aliqua absolutè, non potest ei postea vllum onus, vel conditio, vel limitatio apponi absque consensu donatarij, vt communiter docent Doctores. Quòd autem per hanc donationem fuerit translatum dominium in Caium absolutè, ex eo manifestum est, quòd integrum ei fuerit hunc censum alteri vendere vel donare: quod est clarissimum perfecti dominij signum.

2 *Hæc donatio non potest reuocari.*

Quòd verò ob ingressum Religionis reuocari non potuerit, perspicuum est: Primò, Quia tres solùm casus assignantur à Doctoribus, in quibus donatio valida acceptata reuocari potest. Primò, Ob ingratitudinem donatarij. Secundò, Ob prolem suscepta. Tertiò, Si sit inofficiosa. Nullus horum casuum hîc locum habet, vti suppono.

3 *Non potest reuocari ob ingressū Religionis.*

Secundò, Quia nemo potest spoliari re sibi debita, aut iure quod possidet, propter opus bonum & laudabile, quale est ingressus Religionis. Hoc enim impium & sacrilegum esse docet sanctus Basilius in Regulis fusiùs disputatis quæst. 9. & Saluianus lib. 3. de Auaritia, etiamsi prætendatur quòd Religio non egeat. Quòd si id impium & sacrilegum ceseat in parentibus denegantibus legitimam portionem filijs Religionem ingredientibus, quam tamen portionem filij nondum possident, sed solùm habent ius ad rem, vt loquuntur Iurisperiti: multò magis impium & sacrilegum erit, si quis spolietur re quam nunc possidebat pleno iure dominij, eò quòd Religionem ingreditur? præsertim cùm illa Religio in magna sit egestate, & aliæ circumstantiæ concurrant quę hîc allegantur.

Ex quibus benè expensis, apertè concluditur Titium non posse priuare Caium fratrem suum bonâ conscientiâ donatione olim factâ census illius: sed peccare contra Iustitiam, & teneri restituere in integrum, non solùm soluendo in posterum pensiones annuas, sed etiam soluendo easdem pensiones pro annis præteritis quibus non soluit, & farciendo damnum omne quod Caius ob denegatam solutionem per Titium incurrit.

4 *Tenetur Titius ad restitutionem.*

De hac materia vide infrà V. Testamentum Casum 1. 2. 3. 4. & 5. Item vide quæ dicta sunt supra V. Bona Ecclesiæ. Casu 1. 2. 3. 4. & 5.

CASVS II.

Religiosus est capax Pastoratus.

Vtrùm Religiosi Iure communi sint capaces Pastoratuum cum venia Superiorum & Episcopi illius diœcesis? &, An teneatur Superior eos recipere si infamiâ laborent?

9 EXpendi ea quæ Illustrissima Dominatio Vestra ex Nicolao Garcia p.7. cap. 10. num.17. & sequentibus, notauerat. Nihilominùs maneo in sententia, Religiosos Iure communi esse capaces Pastoratuum cum venia Superiorum, & Episcopi illius diœcesis. Hæc enim est communis sententia Doctorum, vt docet Panorm. in Cap. *Quòd Dei timorem*, de Statu Monachorum. Et constat ex multis Iuribus 16. quæst. 1. Ex quibus etiam patet ferè omnibus sæculis hanc praxim in Ecclesia fuisse.

Nec obstant Auctores quos Garcias in contrarium adducit: tùm, quia pauciores sunt; tùm, quia illi ipsi docent Episcopum posse illis concedere, & cum illis dispensare vt Pastoratum habeant. Atqui hęc dispensatio semper, vel ferè semper interuenit. Episcopi enim est Parochos admittere, & plerumque ipse etiam est collator. Hoc ipso autem quo admittit, censetur dispensare. Imò hoc ipso quo permittit illũ Pastoratu fungi, eumque non expellit, ostendit illum esse capacem Pastoratus: Si enim non est capax, tenetur expellere.

6 Quòd verò ad illum attinet, de quo agitur; ille duobus modis se tueri potest. Primò, Quòd ab Episcopo admissus, & tam diu permissus fuerit illud munus obire. Secundò poterit se tueri per Regulam Cancellarię de Possessore triennali.

Infamiâ laborantes non tenetur Superior recipere.

Si tamen infamiâ laboret de turpitudine, poterit ei indici purgatio Canonica; quam nisi possit præstare, poterit suspendi ab officio, & etiam priuari; quia infamis vtiliter nequit Pastoratum gerere.

Abbas tamen, cùm semel separatus ille fuerit à monasterio, cogi non potest vt illum recipiat, sed manet ille sub potestate Episcopi, vt communiter tradunt Doctores ex Cap. *In Parœcia.* 16. quæst. 1. de quo videndus Nauar. Cap. *Non dicatis.* n. 7.

CASVS III.

Fuga ex monasterio.

Vtrùm Religiosus fugiens ex monasterio timore pœnæ, sit excommunicatus; qui tamen non dimisit habitum, antequam eo per sententiam fuit priuatus à Prouinciali & Capitulo? &, An Episcopus possit vti eius operâ?

7 REspondeo Primò, Non est excommunicatus per hoc quòd fugerit: vt docet Nauarrus Comment. 2. de Regularibus num. 61. quia id nullo Iure cauetur.

Secundò, Non est etiam excõmunicatus quòd dimiserit habitum, postquam à Prælato & Capitulo priuatus est habitu & Ordine ob sua delicta: quia non temerè dimisit, vt Canon requirit; nam licitè potuit parère illi sententiæ. Vnde etiam potuit vti habitu Clericali, sine vlla dispensatione Papæ: vt idem Nauarrus docet Comment. 6. num. 36.

Tertiò, Potest Episcopus vti eius operâ, & dare illi nouam iurisdictionem. Non tamen potest vti eâ iurisdictione quam habuit à Religione; nam hæc per dimissionem est extincta.

CASVS IV.

Obligatio Statutorum Monasticorum S. Benedicti.

Vtrùm omnia illa quæ in Clementina Ne in agro, *de Statu Monachorum. Et Cap.* Cùm ad monasterium, *eodem in 3. imperantur Monachis Benedictinis, eos obligent ad peccatum mortale?*

RESpondeo, Non omnia obligare. Tum, quia non omnibus additur verbum præceptiuum; tum, quia materia in plerisque est leuis; tum denique, quia principalis intentio non est vbique singulos actus prohibere, sed consuetudinem & continuationem. Vnde, etsi dicatur, *Firmiter inhibemus ne quis de cetero Monachorum lineis camisijs vteretur*, non tamen putandum est, si semel, bis, terue quis vtatur talibus, fore peccatum mortale; quia materia videtur leuis, & intentio Pontificis est consuetudinem prohibere. Videtur tamen fore peccatum mortale si ordinariè vtatur; quia materia videtur grauis, & aliàs apponitur verbum præceptiuum. Fortè tamen verius est ne quidem tunc obligare sub peccato mortali: sic enim sentit Siluester Verbo *Religio*, 7. quæst. 15. ex Archidiacono; quia nõ videtur maioris momenti quàm comedere carnes; quod tamen non est mortale, vt multi Doctores docent. Verba præceptiua non semper indicant præceptum perfectum obligans sub peccato mortali. 8

Vsus linei camisij.

Quæ verò dicuntur de silentio certis locis & horis seruando; de non vescendis carnibus in refectorio; de modo succurrendi inferioribus: puto non obligare nisi ad pœnam seu castigationem regularem sustinendam: quia nulla ponuntur verba quæ strictum præceptum significent. Eiusdem generis censeo esse ea quæ habentur Clementina *Ne in agro*, de Statu Monachorum, §. *Statuimus.* hoc enim verbum iuxta Doctores non significat præceptum: Item ea quæ §. *Sanè*, De menstrua confessione & communione, & expositione Regulæ lingua vulgari. Vnde initio §. *Si quis*, dicitur, *Si quis præmissorum temerarius violator extiterit, regulari subiaceat disciplinæ.* Nec obstat, quòd §. vltimo, dicitur, *Præmissa omnia expressè volumus & statuimus firmiter obseruari*; quia hæc verba non significant præceptum, sed statutum. 9

Silentium certis locis & horis, &c.

Confessio & Communio mensirua.

Maior difficultas est de ijs quæ habentur §. *Si quis*, de Sotularibus altis; de Caputijs non fissis; de venatione clamosa: quia pœnæ quædam imponuntur. Sed hæ pœnæ non sunt adeò graues vt requirant peccatum mortale. 10

De Sotularibus, caputijs & venatione.

Alia est ratio de ijs quæ habentur §. *Quia verò*: nam verba sunt præceptiua, & grauis pœna imponitur. Idem dico de ijs quæ habentur §. *Ad hæc.* quia dicitur, *Perpetuo prohibemus edicto.*

Petes: Vtrùm posito quòd singula suprà dicta cadant sub præcepto obligante ad culpam mortalem; si alibi tanta obligatio non sit in vsu, vel Religiosis ante professionem non sit insinuata, possit eadem adhuc vim obtinere? 11

Obligatio mortalis potest consuetudine fieri vanialis.

Respondeo, Sicut lex potest abrogari per consuetudinem, ita etiam potest abrogari obligatio; si nimirum sensim incipiat lex seruari tanquam res libera, nemoque [illegible] se vinculo peccati teneri si omiserit.

omiserit. Non tamen sufficit quòd mihi profitenti hæc obligatio insinuata non fuerit: quia hoc ipso quo inferor professione alicui monasterio, tacitè susçipio omnes leges & consuetudines illius; idque cum ea obligatione, quâ ibidem vigent.

CASVS V.

Superior tenetur ad Religiosam reformationem, non obstante suo iuramento in cõtrarium.

Prælatus Arsenius *in sua inauguratione iurauit*, Quòd bonas consuetudines, laudabiles & approbatas monasterij obseruabit, & obseruari curabit: *& in fine iuramenti additur hæc clausula*, Præmissa per me lecta, promitto tenere & adimplere, prout & in quantum iure teneor.

QVÆRITVR, *An saluo isto iuramento possit consuetudines quasdam minùs laudabiles, & Religioni incongruas, quæ tamen immemorabili tempore seruatæ sunt, abrogare?*

12 *Affirmatur.*

REspondeo, Prælatum *Arsenium* per illius iuramenti formulam, nullo modo impediri, quin possit & debeat procedere in reformãdo suo monasterio, & tollendis quibusdam consuetudinibus etiam immemorialibus, quarum in articulis à Religiosis propositis, fit mentio.

Primò, Quia Abbas solùm iurat *Quòd bonas cõsuetudines, laudabiles & approbatas monasterij obseruabit, & obseruari curabit*. At illæ consuetudines, quas ipse cupit tollere, quarum mentio fit in articulis, non sunt *bonæ & laudabiles*: vt est illa de Taillis & Contingentibus, de mensis separatis, de trimestri recreatione nouem dierum, de absentia à choro post certum annorum numerum in Religione transactum, & similia. Sunt enim apertè contra regulam, quam sunt professi: nec solùm contra regulam, sed etiam contra vitæ regularis rationem & essentiam; & continent in se vel violationem votorum, vel illius violationis aut certè peccati mortiferi periculum. Vnde non consuetudines bonæ, sed tanquam corruptelæ sunt censendæ.

13 *Si conditio non inest promissioni, iuramentum superueniens non obligat.*

Secundò, Quia in iuramẽto additur hæc clausula: *Præmissa per me lecta promitto tenere & adimplere, prout, & in quantum iure teneor*. Per quam clausulam omnia restringuntur ad ea duntaxat, ad quæ aliàs iure tenebatur. Itaque cùm nullo iure, sepositò iuramento, teneretur illas consuetudines seruare aut permittere, iuramentum superueniens nullum vinculum inducit: quia solùm est accessorium, supponens obligationem iuris, ratione officij; quæ obligatio cùm non subsit, nihil etiam subest quod iuramento confirmetur. Sicut cùm quis promittit, & iurat soluere vsuras in quantum iure tenetur, nullam per hanc promissionem aut iuramentum obligationem contrahit: secùs tamen esset si illa clausula, *in quantum iure teneor*, abesset. *A simili de vsuris.*

Confirmatur, Quia illud, *in quantum iure teneor*, vim habet cõditionis, *si iure teneor*: atqui conditione non subsistente, sub quâ iuramentum est præstitum, perspicuum est ipsum esse irritum, & nullam prorsus inducere obligationem.

14 Tertiò, His addo, etiamsi Prælatus expressè iurasset se seruaturum omnes illas consuetudines iam dictas, tamen nullo modo teneretur; sed posset & deberet illas tollere, modò facultas exequẽdi suppetat. Ratio est, Quia iuramentum non potest esse vinculum iniquitatis. Atqui iniquum est & illicitũ vt Superior illas consuetudines seruet, aut seruari curet, aut permittat. Item, Nemo potest se iuramento obstringere ad aliquid, quod repugnat ipsius officio, seu ad cuius contrarium ex officio tenetur: atqui Prælatus ex officio tenetur ad tollendas huiusmodi consuetudines; quia tenetur reformare suum monasterium, & ad veterem disciplinam reducere, vt statuit & præcipit Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 1. de Reformat. Vnde, sicut si iuramento promitteret se nõ reformaturum suum monasterium, iuramentum esset planè irritum; ita etiam irritum esset, si promitteret se consuetudines illas seruaturum, aut permissurum ab alijs seruari. *Iuramentum non est vinculũ iniquitatis.*

Denique, nullum iuramentum potest obligare contra bonum cõmune, aut contra decreta Conciliorum, vel Summorum Pontificum, aut aliorũ legitimorum Superiorum: quia auctoritas Superioris semper censetur excepta circa materiam illi subiectam. 15 *Iuramentum contra bonum commune non obligat.*

Ex his luce meridianâ clarius est, iuramentum illud nullo modo impedire Prælatum, quin possit & debeat reformationem sui monasterij instituere, & suprà dictas consuetudines, quantum in ipso erit, è medio tollere.

CASVS VI.

Reformatio à Nouitijs inchoanda.

Vtrùm Prælatus Arsenius *possit suis Nouitijs ità professionem emissuris, hanc formulam promissionis & renuntiationis proponere, & exigere ab ijs scriptum, quo testentur se in eam consentire?*

16 *Formula Nouitijs proposita in ordine ad inducendam reformationem.*

FOrmula est huiusmodi: *Ego, N. Nouitius Religionis monasterij* S. Paphnutij *professionem solemnem ibidem hodie emissurus, cum à Reuerendo admodum in Christo Patre ac Domino D. Arsenio dicti monasterij Prælato, iuxta Statuta Synodi nuperrimè celebratæ, de voluntate mea circa obseruationem regulæ, & reformationem examinatus essem, tam secretò & particulariter, quàm publicè coram toto Conuentu; respondi & respondere paratus sum, id quod præsenti scripto sincerè & ex animo respondeo & testor: me paratum esse & foro, vt quouis post meam professionem tempore, obseruem, Deo dante, totam ac integram Regulam* S. Paphutij. *Itemque decreta ac reformationes non tantum factas, sed & ex regulâ aut secundùm regulam prædictam ad melioremeius obseruationem faciendas: quæ omnia sinè resistentiâ, contrauentione, aut contramachinatione amplectar; & obseruabo quandocunque à S. Sede Apostolica, Nuntijs eius, vel à Synodo, aut à præfato Domino nostro Prælato, aut alio pro tempore existente, fuerit inunctum aut præceptum.*

Et ne huic præsenti bonæ voluntati impedimentum postea interueniat; declaro præsenti eodẽ scripto, me desiderio perfectæ subiectionis ac paupertatis Christi Domini imitandæ permotum, renuntiare omni iuri & prætensioni iuris ad certas portiones, aut portionis quantitates, aut qualitates in cibo aut potu; ad vestitus pretium seu taxam; ad vina seu emolumenta ex officijs & laboribus; ad certas recreationes, exemptiones ab officijs diuinis, alijsque regularibus: demum cuicunque iuri quomodocunque orto, renuntio in præsens, & futurum; voloque haberi incapax huiusmodi iuris acquisiti vel acquirendi; ita vt nullo prætextu vel colore quidquam mihi vt debitum postulare vnquam possim aut valeam.

Promittoque me fore contentum nuda & sola Regula prædicta, & Reuerendi Domini pro tempore Prælati mei dispositione; quam, vt à Deo profectam, ipso auxiliante, æquo semper animo & gaudente suscipere conabor. In cuius rei fidem & testimonium, hoc scriptum manu propria subsignaui, hac die &c.

17 *Oppositio quorundã contra prædictam formulam.*

Quidam ex dicto monasterio contendunt hanc formulam non posse à Prælato Nouitijs proponi; imò eam irritam esse & nullam; & volunt vt Prælatus per instrumentũ eam irritam declaret: *Quia*, inquiunt, *est actio purè personalis inter contrahentes contraria priuilegijs & consuetudinibus antiquis & immemorabilibus huius domus*: addentes, *se non reputare illos Religiosos ad aliud obligatos, quã ad id, quod verbaliter in Capitulo promiserunt iuxta nuperam Synodum, Quæ dicit debere eos examinari de voluntate obseruationis Regulæ, non obligans eos vt id scripto suo testentur.*

18 *Sententia Auctorũ pro prædicta formula.*

Expensis sacris Canonibus & in primis S. Oecumenici Concilij decretis, & communi Doctorum de Statu Regularium doctrina: Respondeo non videri vllum dubiũ quin Prælatus huiusmodi formulam suis Nouitijs proponere possit; & exigere ab illis vt scripto testentur se in illam consensisse. Primò, Quia in hac formulâ nihil habetur, quod non contineatur implicitè in ipsa professione, & ad quod, cùm quis accedit ad profitendum, non debeat esse paratus. Quod patebit, si singulæ eius clausulæ considerentur.

1. *Religiosus tenetur ad obseruationem Regulæ.*

Prima est, *Qua testatur se esse & fore paratum ad seruandum totam Regulam S. Paphnutij*. At commune est omnibus Religiosis vt regulam sui Ordinis seruare parati esse debeant; & in omnibus Ordinibus benè constitutis sæpiùs à singulis exquiri solet, An regulam Ordinis integrè parati sint seruare. Imò hoc ipso quo quilibet votum obedientiæ in professione emittit, obligat se ad parẽdum omnibus, quæ secundùm Regulam præcipientur; vt omnes Doctores tradunt: D. Thomas quodlib. 1. qu. 9. art. 4. & quodlib. 10. art. 10. & 2. 2. qu. 186. art. 9. ad 1. Siluester V. Religio 1. num. 8. & 10. & Religio 6. num. 6. vbi dicit; *Si Prælatus præcipit secundùm Regulam, id est, secundùm contenta in regula explicitè vel implicitè, vt sunt omnia sine quibus ordo regularis, & plenior obseruatio conseruari non posset, obedire tenetur secundùm omnes*: nimirum *ex vi voti obedientiæ*, vt ibidem explicat.

Neque his obstat quòd aliqua fortè in regula per legitimam dispensationẽ sunt sublata, vel mutata; quia de his non agitur, si quæ talia sint; sed de alijs quæ essentiam instituti Regularis vel morum decentiam magis attingunt, & praua consuetudine sunt abolita, vt nu. 20. dicetur. Neque tamen hîc exigitur, vt regulã statim integrè, etiam quoad ista, seruent, & omnes illas consuetudines regulæ repugnantes deserant; sed solùm vt parati sint eam integrè seruare, & illas consuetudines religioso statui minimè congruentes relinquere, quando legitima auctoritate reformatione inducta, præcipietur.

19 2. *Tenetur ex voto Obedientiæ ad legitimas reformationes.*

Secunda est, *Qua testatur se etiam esse & fore paratum ad seruãda decreta & reformationes tum factas, tum legitima auctoritate faciendas; idque sine resistentia & contramachinatione*. Sed & hæc clausula iustissima est: quia ad hoc totum omnis bonus Religiosus semper paratus esse debet, & per votum obedientiæ se ad hoc totum obligat. Quia eo ipso quo vouet obedientiam, obligat se ad omnia quæ præcipientur & ordinabuntur consentaneè ipsi regulæ: vt omnes Doctores tradunt.

20 3. *Tenetur renuntiare ijs, quæ repugnant Paupertati.*

Tertia est, *Declaro me renuntiare omni iuri & prætensioni iuris ad certas portiones, aut portionis quantitates, aut qualitates in cibo & potu, ad vestitus pretium seu taxam, ad vina seu emolumenta ex officijs & laboribus; ad certas recreationes, exemptiones à diuinis officijs & obseruantijs alijs regularibus; & volo haberi incapax huiusmodi iuris*, &c. Hæc omnia iustissima sunt, & statuì Religioso intrinseca: quia ex vi voti Paupertatis in professione emissi, omni iure ad pecuniam, & ad res pecuniâ æstimabiles, se spoliat quilibet Religiosus, & fit incapax talis iuris. Et ex voto Obedientiæ, priuat se iure ad actiones & recreationes externas. Vnde prætendere ius ad pecuniam, vel res temporales, pecuniâ æstimabiles, vt ad certam quantitatem vel qualitatem cibi, ad vestitus pretium, ad emolumenta ex officijs diuinis &c. ita vt de his independenter ab arbitrio Prælati possis disponere, nec Prælatus possit ea tibi auferre, est manifestè contra votum Paupertatis; estque vitium proprietatis, quod tantopere sancti Patres in Religiosis semper sunt detestati. Simili modo prætendere ius ad certas exemptiones à choro, ad recreationes & ambulationes per villas & agros &c. est cõtra votum Obedientiæ: quia est nolle subesse Superiori in istis actionibus. Sicut enim Paupertas Religiosa postulat vt in vsu omnium rerum externarum, quæ pecuniâ æstimantur, pendeat Religiosus à voluntate Superioris, ita vt Superiori liberum sit res istas auferre, earumque vsum prohibere; ita Obedientia postulat vt in omnibus actionibus externis in agendo & cessando ab actione pendeat à nutu Superioris, ita vt Superiori liberum sit illam actionem permittere vel non permittere, & exemptionem ab aliquo onere communi concessam reuocare.

Religiosus in omnibus pendet à Superiore.

Hæc omnia ita clara sunt in verâ Theologiâ, vt nullus de ijs dubitare possit, omnibus Doctoribus, sine discrepantia vlla, consentientibus. Itaque solùm vnum, vel alterum adducemus. Martinus Nauarrus scribens in illa verba Regulæ S. Augustini: *Non dicatis aliquid proprium* &c. Comment. 1. n. 24. *Paupertas*, inquit, *seu Expropriatio quæ omnino necessaria est ad Religionis substantiam & essentiam, debet esse Primò, interior, qua quis sponte vult omnino carere omni iure pecuniario suo, etiam quatenus est instrumentum exercendæ virtutis. Secundò debet esse comitata paupertate exteriori, de qua suprà n. 12. Tertiò, vt non solum sit voluntaria omnium vel aliquorum iurium pecuniariorum præsentium vel futurorum, sed absolutè omnium.* Et infrà dicit omnes Religiosos facere huiusmodi donationes & renuntiationes (nimirum omnium rerum & iurium suorum) expressas vel tacitas adeò necessariò, vt aliàs non essent Religiosi. Cap. *Non dicatis*, 12. q. 1. & Cap. *Cùm ad monasterium*, de statu monachorum.

Nauarrus.

Ne quis autem putet per *ius pecuniarium* solùm intelligi ius ad speciem pecuniæ numeratæ, idem Nauarrus eodem Comment. 1. n. 16. sic ait: *Pecuniæ appellatione non solùm venit pecunia numerata, sed etiam quidquid eâ est æstimabile.* d. Capitulo *Totum*, 1. quæst. 3. & l. *Pecuniæ nomine, non solum pecunia numerata, sed etiam omnes res tam soli, quàm mobiles, & tam corpora quàm iura continentur*: n. De verborum significatione; *quæ probat etiam iura, puta obligationes & actiones, pecuniam dici*; vt ponderauit Glossa d. Cap. *Totum*.

Quid sit ius pecuniarium.

Ex qui-

Ex quibus patet Religiosum, qui res pecuniâ æstimabiles, vel ius ad illas retinere vult independenter ab arbitrio sui Prælati, nõ minùs esse proprietarium, quàm eum, qui pecuniam retinet.

Siluester. Silu. V. Religio, 6. n. 7. explicans ad quid obliget votũ Paupertatis: *Monachis*, inquit, *prohibitum est sub terribili præcepto habere propriũ*: De statu monachor. Cap. *Cùm ad monasterium*, & Cap. *Monachi*. *Proprium tripliciter sumitur.* *Quod quidem proprium sumitur tripliciter. Primò, secundum Hostiensem, vt importat dominium rei iustis modis acquisitum. Secundò, pro dominio vsurpato: & sic quantum ad Religiosos, Proprium, secundum Archidiaconum post Ioannem Andream, dicitur, Quidquid celatur Abbati, vel alij Prælato suo, vel contra eius voluntatem tenetur.* Et infrà, dicit non posse Summum Pontificem dispensare cum Religioso manente Religioso, vt possit vti re aliqua ad libitum propria auctoritate absque dependentia ab arbitrio Superioris. Quod etiam docent S. Thomas, Paludanus, Archidiaconus, quos ibidem citat.

21 *4 Tenetur obedire dispositioni Superioris.* Quarta clausula est. *Promitto me fore contentum nudâ & solâ regulæ supradictæ, & Reuerendi Domini pro tempore Prælati mei dispositione; quã vt à Deo profectam, ipso auxiliante, æquo semper animo & gaudenti suscipere conabor.* Nihil est hîc quod non sit summè laudabile, quodque professio Religiosa non exigat, & ipsa Regula non requirat. Capite enim 3. dicitur, *In omnibus omnes magistram sequantur regulam, neque ab ea temerè declinetur à quoquam. Nullus in monasterio proprij sequatur cordis voluntatem; neque præsumat quisquam cum Abbate proteruè intus vel foris contendere.* Et cap. 5. *Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora: hæc conuenit his, qui mox vt aliquid imperatum fuerit à Maiore, ac si diuinitùs imperetur, moram pati nesciunt in faciendo; de quibus Dominus dicit, In auditu auris obediunt mihi,* &c.

22 *Clausula quare rectè addita.* Quinta est. *In cuius rei fidem & testimonium hoc scriptum manu propria subsignaui.* Meritò hoc exigitur, vt si fortè contingat Religiosum flaccescere, ad laxiora diffluere, & velle resistere reformationi; possit suo scripto conuinci & confundi. Multi enim magno cum feruore incipiunt, sed posteà vel sponte languescunt, vel ab alijs corrumpuntur, & disciplinæ religiosę iugum nituntur excutere: vnde bonis Prælatorum studijs disciplinam instaurare conantium se opponunt; sicque fit vt prauæ cõsuetudines confirmentur, & omnis reformatio impediatur. Itaque non satis erat hanc formulam ab illis suscipi; sed oportebat vt etiam posteris tẽporibus constaret quid suscepissent, ad quid se expressè paratos ostendissent; ne auderent disciplinæ reformationem impedire.

23 *Conclusio.* Ex his perspicuum est D. Prælatum potuisse hanc formulam à suis Nouitijs exigere, & petere vt scripto testarentur se illam per omnia admittere: neque solùm id potuisse, sed etiam debuisse facere: quia cùm teneatur Iure diuino ad reformationem sui monasterij, & hoc medium videatur necessarium ad hanc reformationem aliquando suauiter introducendam, tenetur illud amplecti; præsertim cùm sit valdè suaue, & nihil noui oneris adferat, quod ex ratione professionis secundùm Regulam non insit, & à Nouitijs non libenter suscipiatur. Quisque enim tenetur vti medijs ad finem propositũ opportunis. Confirmatur, quia Synodus huius Religionis nuper celebrata præcipit substantiam huius formulæ his verbis; *Hæc formula est conformis Synodo Prouinciali.* *Ij qui admittentur in his monasterijs, examinari debebunt si parati erunt post professionem diligenter obseruare Regulam, decreta & reformationes, non modò factas, sed etiam quæ fient in posterum; & in eo acquiescere quod à Summis Pontificibus, eorum Nuntijs, & Synodis statuetur.* Hîc expressè habes omnia, quæ cõtinentur primâ, secundâ, & quartâ clausulâ formulæ, & implicitè quæ in tertiâ.

Nec obstat quòd Synodus non iubeat scriptum exigi: quia etiã nõ prohibet, sed hoc relinquit prudentiæ Prælati. Nemo enim dubitare potest quin is qui iure exigere potest aliquam promissionem vel declarationem sui propositi, possit etiam huius actus petere testimonium in scriptura: Scriptura enim non imponit nouam obligationem, sed solùm præbet testimonium rei transactæ, & valet ad coarguendum mendacium, si fortè alter velit negare quod fecit. *Vtilitas proprij scripti.*

Ex quibus patet quàm friuolum sit quod suprà num. 17. obiectum est. Synodus prædicta non obligauit eos vt scripto suum actum testentur: ergo Prælatus non potuit hoc exigere. Itẽ, Ergo formula illa est irrita declaranda. Nulla enim hîc est rationis connexio: quia etiamsi Synodus nihil de totâ re statuisset, Prælatus tamen sua ordinaria auctoritate poterat totam illam formulam à suis Nouitijs exigere; sicut & quilibet alius Superior alterius Religionis; vt ex suprà dictis est manifestum. 24 *Soluuntur Obiectiones num. 17. relata.*

Non minus infirmum est illud: *In illa formula est actio purè personalis inter contrahentes*, nimirũ inter Abbatẽ & Nouitium: *ergo est inualida.* Esto, sit actio purè personalis inter contrahentes: an ideò scripto fieri non poterit? aut si scripto fiat, ideò erit inualida? Vt interim omittam non esse purè personalem, cùm Abbas vices suas alteri committere possit. Sed neutrum planè ad rem pertinet. Si dicant se non in hoc vim facere, sed in eo quod sequitur, nimirum: *Quòd sit actio contraria priuilegijs & consuetudinibus antiquis & immemorialibus huius domus*, Hoc certè magis erat explicandum. Nõ enim putamus vllũ in orbe esse monasteriũ, quod ex priuilegio Sedis Apostolicę (cuius est priuilegia dare Ecclesijs & monasterijs exemptis) habeat, vt Prælatus non possit à Nouitijs suis ista exigere. Cui enim id esset priuilegiũ seu beneficium? Non Abbati, vt, cui potestas ordinaria maximè intrinseca officio, suspenditur. Non monasterio, quia aperit portam ad ruinã & totius disciplinæ euersionem. Quid enim magis noxium esse potest monasterio, quàm Nouitios debere admitti sine accurato examine, & exploratione voluntatis circa totam regulam &c; & si obiter examinentur, non posse huius rei peti scriptum testimonium?

CASVS VII.

Religiosus vouendo intendens Prælaturas vel officia.

Vtrùm si quis Religionem Mendicantium sit ingressus cum animo vt fiat Prior, vel Procurator, vel vt certo loco habitet, professio eius sit valida, ita vt si posteà prætextu illius finis non obtenti egrediatur, non sit verè apostata & excommunicatus?

25 *Intentio superueniens professioni, non potest eã vitiare.* REspondeo, Iste Religiosus vel concepit animum illum post professionẽ seu vota emissa, vel ante. Si post professionem concepit, non potest vllo modo professionem & promissionem antecedentem Deo factam infirmare. Multi enim

sunt in Religionibus, qui post professionem ita sunt affecti, vt nollent profiteri, si res adhuc integra esset, nisi hanc vel illam libertatem, hoc vel illud officium, hunc vel illum locũ putarent sibi concedendum: non tamen idcircò laxari potest illorum promissio, quæ absolutè facta. Idem cernitur in alijs omnibus contractibus humanis, vbi non licet pœnitere, etiamsi quis videat se grauari contractu, quando aliàs legitimè celebratus est. Nec refert quòd dicat, Si tale quid sciuissem fore, noluissem me obligare, noluissem cõtrahere: quia talis conditio nihil ponit in re, cùm non extiterit: ac proinde contractum non potest irritum reddere, qui absolutè & absque eiusmodi conditione initus est.

26 *Intentio ante emissam professionem tripliciter se potest habere.*

Quòd si habuit animum illum ab initio ante professionem seu votorum emissionem, id tripliciter fieri potuit. Primò, vt intenderit tale officium, vel commorationem in tali loco tanquam finem principalem: vt si quis tantummodò moueatur desiderio Prælaturæ, vel similis officij ad se mancipandum Religioni. Secundò, vt solùm ei fuerit finis secundarius, vel potiùs causa sine quâ non: vt si ingrediatur quidem principaliter vt Deo seruiat, non ingressurus tamen, nec professionem facturus, nisi simul putaret fore vt eligatur in Priorem vel Procuratorem. Tertiò, vt sub hac conditione ingressus & professus fuerit.

1. *Si intendat Prælaturam vt finem principalem.*

Si primo modo intenderit tale quid consequi, omnium Doctorum sententia est, professionem esse ratam; ac proinde non posse absq; peccato apostasiæ & excommunicationis egredi, etiamsi id quod intendit, non consequatur. Vide Caietanũ q. 88. a. 2. Sotum lib. 7. q. 1. a. 3. dub. 1. assert. 2. Azor. lib. 11. cap. 15. dub. 3. Nauarrum c. 12. n. 32. & alios. Ratio est, quia etiamsi tale quid intenderit cõsequi in Religione, & talj intentione motus fuerit ad vouendum; tamen absolutè vouit, & vouit illud quod melius est Deoq; gratius, quàm eius contradictorium. Vouit enim Pauperta-tem, Castitatem, & Obedientiam perpetuam seruare in Religione, sicuti ceteri seruant: quod sine dubio Deo gratius est, quàm oppositum: & consequenter promissio eius facta Deo inducit insolubilem obligationem. Quod confirmatur à simili: Quia si quis voueret Deo ædificare templum vel monasterium, etiamsi ad id moueretur vanâ gloriâ vt nomen ipsius apud omnes celebretur; tamen omnium iudicio tenetur voto, nec potest resilire, etsi intentionem illam mutare debeat. Quia quod Deo promisit, bonum est, & melius quàm oppositum. Ergo similiter obligatur qui vouit in Religione eo animo vt aliquando fieret Abbas, Prior, vel Procurator.

2. *Si eam intendat vt finem secundarium.*

Hinc patet etiam obligari, Si secundo modo se habuerit in vouendo, proponendo sibi tale officiũ tanquam causam sine qua nollet vouere, nisi putaret se consecuturum: quia tunc ex bona intentione motus fuit ad vouendum, & iste animus non facit vllo modo vt id quod vouetur, malum sit exequi, aut minus bonum quàm eius oppositum; sed est quiddam comitans actum vouendi, nullo modo ipsum votum inficiens. Si enim finis principalis non reddit votum irritum, multò minùs id facit finis secundarius.

3. *Si eam intendat sub conditione: idq; dupliciter.*

Si tertio modo se habuerit in vouendo, fieri id potuit dupliciter: Primò, vt vouerit Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam Deo, ea lege vt Religio vicissim ei promittat quòd ipsũ faciet Priorem vel Procuratorẽ &c. ita vt sit contractus quidã inter ipsum & Religionem: & sic debuisset mentẽ suam Religioni explicare. Nõ enim potest iniri cõtractus, nisi vtraq; pars cõsentiat, ac proinde vtrimque debent conditiones explicari. Hoc modo quidem non teneretur, sed votum esset planè absurdum & irreligiosum, & cùm graui peccato fieret. Secundò, vt vouerit hæc, ea lege apud se statuendo vt nolit obligari nisi in euentum futurum; nempe, nisi contingeret ipsum fieri Priorem vel Procuratorem, & in eo officio continuari, ita vt si non continuetur, cesset obligatio. Hoc modo obligatio voti esset suspensa vsque ad impletionem euentus futuri, & duraret tantùm durante illo euentu, & cessante euentu cessaret: quæ ratio vouẽdi esset absurda & impia. Accedit, quòd in foro externo nunquam admitteretur qui vellet allegare se hoc animo, & hac tacita conditione vouisse: Nullus enim est qui non posset tales intẽtiones & prætextus allegare. Denique talis cõditio cùm sit absurda, & contra perfectionem religiosam, haberetur pro non oppositа.

RESTITVTIO.

CASVS I.

Restitutio famę.

An qui bonâ fide alterum infamauit, teneatur ad restitutionem? Item, *An Superior possit condonare infamiam suo subdito factam?*

AD *Primum*: Respondeo, Qui bona fide procedens aliquem infamauit, non tenetur ad restitutionem, secundùm Doctores, si non potest eam facere sine suo graui incommodo: si autem sine tali incommodo possit, tenetur: sicut qui damnum alteri intulit sine sua culpa graui, nõ tenetur compensare domino cum graui sua impensa. Ratio est, quia ille infamator non tenetur ratione iniustæ læsionis, cùm non fuerit formalis iniustitia; neque ratione rei acceptæ, quæ neque extat, neque potest reparari sine graui incommodo. 1

Ad Secundum: Respondeo, Superior, iuxta quorundam probabilem sententiam, potest condonare infamiam illatam inferiori: præsertim si iusta causa intercedat. Alioquin verius puto condonationem non valere; quia Religiosus non cessit iure famæ suæ, vt rectè docet Nauar. Comment. 2. de Regul. n. 2. 2

CASVS II.

Dilatio restitutionis ne coniectura fiat de fure.

Titius differt restitutionem furti: Primò, ne per eam fiat coniectura de auctore furti. Secundò, ne per hanc coniecturam (restitutionem faciente Confessario) violetur sigillum confessionis.

QVÆRITVR, *An sit causa sufficiens differendi restitutioni?*

RESpondeo, Non apparet vlla ratio cur pecunia illa non sit statim restituenda. Quia ex ipsa restitutione non magis innotesceret auctor furti, quàm anteà innoterat. Neque Domina illa facta restitutione, magis certa erit de auctore, quàm erat cùm furtum fuit commissum, vel cùm Confessarius ille indicauit se posse efficere vt fiat restitutio. 3

Accedit,

Coniectura de auctore furti ex restitutione per Confessarium, non violat sigillum.

Accedit, quòd Confessarius qui à pœnitente accipit aliquam pecuniam nomine eius restituendam, non violet vllo modo sigillum confessionis illam restituendo, etiamsi persona cui fit restitutio, inde coniecturâ aliquam factura sit de auctore: quia nemo violat sigillum faciendo id ad quod obligatur ex iustitia, modò prudenter & circumspectè id agat. Quòd si inde capiat dominus rei aliquam coniecturam de auctore furti, id planè per accidens sequitur ex illo facto; nempe ratione alicuius circumstantiæ, vel facti quod anteà notum erat.

Neque idcircò censendus est Sacerdos vllo modo violare sigillum confessionis. Quod etiam ex eo clarè conuincitur: Nam obligatio restitutionis non oritur ex vi Sacramenti Pœnitentiæ, aut ex præcepto Confessionis, sed ex iure naturę. Vnde etiamsi non esset à Christo institutum hoc Sacramentum, nihilominùs auctor furti teneretur vel per se, vel per alium restituere, etiamsi inde oriretur aliqua suspicio de ipso auctore apud dominum rei. Et sicut tunc si per alium restitueret (v. g. per Titium Sacerdotem cui non fuit confessus) ille non censeretur violare secretum naturale, etiamsi oriretur inde suspicio de fure: ita modò dum restituit per Titium cui fuit confessus, Titius non censetur violare secretum confessionis, etiamsi talis suspicio ex restitutione oriatur.

4 *A simili.*

Idem ex alio capite Confirmatur: quia quando interuenit consensus pœnitentis, non violatur sigillum: vt quando pœnitens cupit vt Confessarius conferat de casu dubio cum certo Doctore cui fidit: tunc enim potest cũ illo conferre adhibita circumspectione, etiamsi putet Doctorem coniecturum in animo de quo agatur: ergo multò magis si committatur illi restitutio facienda certę personæ, potest illam facere, etiamsi persona illa conijciet auctorem: quia actio illa fit ex consensu & commissione pœnitentis.

Denique hæc restitutio non potest vllo modo odiosam reddere confessionem, cùm iure naturæ sit debita: ac proinde nõ potest censeri vllo modo violatio sigilli. Omnis enim violatio sigilli odiosam reddit confessionem.

Ex quibus patet nullam probabilem causam hic subesse, cur ista pecunia non debeat statim restitui.

CASVS III.

Acceptio pignoris ab eo qui foro cessit.

Henricus foro cessit. An possit tradere creditori certum aliquod pignus, si solùm indeterminatè pignus aliquod ante cessionem promiserat?

REspondeo, Id fieri posse, quamuis tunc non sit soluendo omnibus alijs creditoribus. Ratio est, qui anteà legitimè contractum erat, & solùm dilata fuit eius traditio ex benignitate creditoris, quæ ei non debet obesse. Quòd autem ab initio contracta fuerit obligatio pignoris, & non tantùm exacta à debitore promissio de contrahẽda obligatione, quando creditor vellet; Valdè credibile est: quia non solet exigi promissio de contrahenda tali obligatione in futuro: (cur enim non contrahatur in præsenti, cùm nulla sit ratio differendi:) sed solùm exigi promissio de tradendo pignore in futuro, quando volet creditor, concesso interim vsu pignoris ipsi debitori: traditio autem pignoris non est necessaria in foro conscientiæ.

5 *Si promissum pignus indeterminatum.*

Nec refert quòd ab initio pignus non fuit determinatum: quia potest contrahi obligatio pignoris indeterminatè, vt videlicet tradatur id quod volet creditor, vel quod erit iudicio boni viri sufficiens.

6 *Si solùm data promissio de contrahendo super dando pignore, quãdo volet creditor.*

Sed: Quid si contractus pignoris ab initio nõ fuit initus, ne implicitè quidem ex intentione contrahentium; sed solùm data sit promissio de cõtrahendo quando vellet creditor: An tunc possit certum pignus tradere?

Respondeo, Probabilius videri tale pignus posse tradi, & talem traditionem validam esse, si hæc promissio acceptata fuit à creditore. Ratio est, quia debitor ex illa promissione acceptata, tenebatur ex iustitia constituere pignus, volente creditore: ergo illud constituendo & tradendo quando factus est impotens, non fecit contra statutum vrbis sue non gratificandi vni creditori in præiudicium alterius. Non enim hoc est gratificari, seu gratis facere, sed ex obligatione iustitiæ. Promissio enim acceptata in rebus magni momenti, & ex causa, inducit obligationem strictam iustitiæ, quamuis ex ea non detur statim actio in foro ciuili.

Confirmatur, Quia creditor hic duplicem habet obligationem iustitię, nempe fideiussionis seu impliciti mutui, & promissionis pignoris: alij autem tantùm habent simplicem, vti supponitur in casu: ergo hic est præferendus iure naturæ, nec vllum Ius positiuum obstat. Sicut enim is qui habet expressam hypothecam præfertur iure naturę nullam habentibus hypothecam, cur non etiam præferatur is qui habet promissionem expressam hypothecæ obligantem ex iustitia?

Consectarium notabile.

Hinc sequitur, In primo & secundo casu potuisse creditorem illum sibi integrè ex pignore satisfacere, vel accipere solutionem ab ipso debitore, exclusis alijs creditoribus, vsque ad pignoris valorem. Neque in conscientia teneri restituere donec per sententiam cogatur. Quamuis nec ipsa sententia obligaret in conscientia; quia falsa præsumptione niteretur ob defectum probationum iuridicarum.

7 *Si promissio non fuerit acceptata.*

Sed: Quid si promissio illa acceptata nõ fuisset? Respondeo, Non potuisse posteà pignus tradi. Hoc enim Iuri communi, & statuto vrbis istius repugnaret: nec posset creditor ille præferri ceteris. Nam contractus ille fideiussionis seu mutui impliciti non induçit tacitam hypothecam, nec facit priuilegiatum in ordine restitutionis; cùm neque expressum mutuum gratuitum id faciat nisi in paucis casibus Iure expressis. Nec vsquam memini me legere Doctorem qui gratuitas præstationes, id est, mutuationes putaret inducere tacitum pignus, aut priuilegium Prælationis.

CASVS IV.

Compositio cum eo qui foro cessit.

An facta compositione & remisso reliquo, quuis è creditoribus possit sollicitare & integrum debitum recuperare, siue Henricus qui priùs foro cessit, posteà ad ampliores fortunas perueniat, seu non perueniat?

8

REspondeo, Facta compositione & remisso reliquo, quemuis è creditoribus posse sollicitare

citare & integrum debitum recuperare, quando is qui foro cessit, posteà ad ampliores fortunas peruenit. Ratio est, quia diligentia quâ creditor debitum conatur recuperare, facit Iure communi illum potiorem. Nec obstat remissio facta: quia censetur coacta, & conditionalis, nisi constet de contrario.

Idem videtur dicendum quamuis non prouenerit debitor ad fortunas ampliores; modò facta iam sit compositio cum omnibus; & coacta fuerit. Ratio est, quia debitum reliquæ partis solutionis non fuit extinctum per illam compositionem & remissionem; sed solùm consopitum, ita vt reuiuisceret, quando foret soluendo. Ergo si possum illum inducere vt mihi integrè satisfaciat ante illud tempus, & ipse consentiat, non videtur ei fieri iniuria: quia volenti non fit iniuria. Neque etiam facio iniuriam alijs creditoribus: tum, quia non sum causa ne alijs soluat hoc pro rata; suppono enim quòd alijs non esset soluturus etiamsi ego nõ peterem: tum, quia diligentia me potiorem fecit Iure communi: tum, quia debitor soluens ad instantiam creditoris, non censetur gratificari. Vnde non videtur hoc repugnare Statuto Oppidi, quod vetat gratificationem; & videtur intelligendum de gratificatione quæ fit ante cõpositionem; nisi aliunde constet de contrario, pro quo verba Statuti essent expendenda.

CASVS V.

Restitutio ex lucro Bursę Antuerpiensis.

Vtrùm mercator qui pecuniam suam dedit ad lucrũ iuxta Bursa Antuerpiensis consuetudinẽ & cursum, teneatur ad restitutionẽ lucri: & si ipse nõ restituat, an heredes teneantur?

9 *Ratio dubitandi.*

PRo parte affirmante, nimirum talem vel heredes eius teneri ad restitutionem, esse videtur communior sententia Doctorum, quæ docet non posse quidquam accipi in mutuo, nisi ratione lucri cessantis, damni emergentis, vel periculi sortis. Atqui in huiusmodi contractu non semper interueniunt isti tituli, vel saltem non tanti æstimantur, quantum cursus Bursæ assignat: ergo.

Negatur.

Pro altera tamen parte, quòd non teneatur, sunt hæc argumenta. Primò, quia multorum DD. sententia est (quam etiam notauit Emanuel Sà V. Restitutio) quando quis bona fide fecit aliquem contractum, qui posteà deprehenditur non fuisse iustus, illum non teneri in conscientia ad restitutionem, si alio titulo tantundem ab eo lucrari potuisset: v. g. per cambium, vel censum annuum vtrimq; redimibilem, vel per triplicem contractũ cum mercatore. Nã quiuis vir bonus intendit cõtrahere & lucrari omni titulo iusto, qui cõtractui subest, & omni meliore modo quo potest. Atqui is qui ad Bursam dedit, potuisset tantundem lucrari ab eodem, si dixisset, Nolo dare ad Bursam, sed dabo ad cambium. Ergo non tenetur restituere. Idem videtur sentire Gregorius à Valentia.

Cõtractus iniquus bonã fide initus excusari potest à restitutione.

10 *Cõtractus iniquus bonæ fidei in re mobili patitur præscriptionem.*

Secundò, quando quis ex inculpata ignorantia fecit contractum iniustum de re mobili, probabile est, si bona fide triennio possederit, nasci præscriptionem seu vsucapionem, qua rem faciat suã, & non teneatur ad restitutionem. Ita Ioannes Medina q. 17. Cod. de Restitutione. & fauet Couarruuias Regula *Possessor* p. 2. §. 7. n. 6. & Molina Iureconsultus l. 2, de Primogen. cap. 6. n. 69. Atqui contractus Bursæ est de re mobili, quiâ pecuniarius: ergo

Tertiò, quia hanc sententiam debent admittere omnes, qui admittunt cambia prout sunt in vsu. Omnia enim cambia eò plus lucrantur, quò longius est tempus solutionis: cuius non est alia ratio, quàm quòd communi mercatorum iudicio concurrentibus circumstantijs quæ ordinariè concurre solent, carentia pecuniæ eò pluris æstimetur, quò est diuturnior. Quòd si mercatores possint hoc modo pretia cambiorum statuere, cur non etiam pretia Bursæ? Vnde etiam huic sententiæ apertè fauet Molina disp. 404. §. *Timoratus*, vbi docet, pretium quod cõmuniter statuunt mercatores pro cambio secundùm longius vel breuius tempus nundinarum, cẽsendum esse iustũ. *Mercatores licitè statuunt pretia cãbiorum & carentiæ pecuniæ.*

Ob hæc argumenta iste vsus Bursę, qui est Antuerpiæ inter mercatores, nõ videtur damnandus, modò constitutionem Caroli V. non excedant. Et consequenter hęredes eorum qui tales contractus fecerunt, non videntur in rigore teneri ad restitutionem. Vnde mercatores à quibus hęredes ad sopiendos scrupulos & causâ tranquillitatis conscientiæ, petunt remissionem, non debent se præbere difficiles. Non enim constat illis coram Deo quidquam deberi. Qua ergo conscientia volunt sibi restitui, maximè cùm ipsimet huiusmodi contractus faciant? Vnde præter inhumanitatem, seipsos manifestè redarguunt iniustitiæ: Si enim isti contractus sint iniusti, quomodo ipsi eos faciunt? Si verò putant iustos, quâ conscientiâ volunt sibi restitui? 11 *Conclusio.*

Quia tamẽ neutra ex parte res est satis liquida, optimum consilium iudico vt tale lucrum expendatur in pias causas, in bonum eius ad quem Deus nouit pertinere: vt si inde aliquid debebat restitui, Deus illud acceptet pro salute animæ & bonis successibus creditoris. Si verò nihil erat restituendum, heredi & parentibus illius prosit. De hoc casu *vide plura lib. 2. de Iustit. cap. 20. dub. 14. & hic suprà V. Mutuum, Casu 3.* *Notabile ad praxim.*

CASVS VI.

Restitutio ex damno per pecora illato.

Puer oues, vaccas & animalia totius pagi custodit: Hæc ductu vel permissu ipsius intulêre agris vicinis damna aliquot centenariorum florenorum spatio duodecim annorum. Sed toto eo tempore non sciebat se peccare hoc faciendo. Posterioribus tamen annis esi sciret se malè facere, tamen non curabat. Hic iam est viginti quinque annorum; & legato, vel aliter acquisiuit aliquot centenarios florenos.

QVÆRITVR, *An ex suo teneatur restituere damna in pueritia illata per animalia malè per ipsum ducta vel custodita?*

REspondeo, Nõ tenetur de damnis illatis toto eo tempore quo ignorabat se malè facere, ista permittendo. Quia non tenetur ratione rei acceptæ, cùm non sit inde factus ditior: nec ratione iniustę acceptionis, cùm ignorauerit se malè facere. Sed difficile creditu est fuisse ignorantiam. 12 *Non tenetur de damnis prioris temporis.*

De posterioribus tamen damnis tenetur. Quia ex officio tenebatur cauere ne animalia ista dampnum inferrent. Nec refert, quòd hoc cesserit in commo- *Sed posterioris.*

commodum eorum, quorum erant animalia, & ita ipsi teneantur tanquam inde facti ditiores: tũ, quia damnum longè maius est, quàm cõmodum, vt quando vastant segetes; tum, quia sæpè nullum est commodum, vel certè nullius monenti. Adde, etiam mancipium & Religiosum ex damno dato culpâ suâ teneri naturaliter & in conscientia, etsi non ciuiliter.

Tituli excusantes à restitutione.

Posset tamen excusari, si domini, quibus illata damna, censerentur à tali non petere restitutionẽ; vt si essent ex ijs quorum erant illa pecora: item, si essent ignoti: si eorum hereditas in multos diuisa, ita vt singulis parũ deberetur: si non fuit lata culpa quę sub peccato mortali obligaret, iuxta multos Doctores: item si propterea punitus fuisset. Denique si ipse sit pauper secundùm suam cõditionem, non tenetur statim restituere, sed potest ducere vxorem & dare operam vt sensim restitutio fiat, vel condonatio obtineatur.

CASVS VII.

Restitutio ex prodito thesauro alieno.

Miles in depopulatione vrbis inuadens domũ meam, petit sibi ostendi thesaurum in ea reconditum, in qua, quod miles nescit, bona Cai sunt deposita & abscondita. Ego mortis metu coactus, ostendo bona Cai, non mea.

QVÆRITVR, *An tenear Caio restituere?*

13 SI miles, obiecto mortis metu, iubeat sibi ostẽdi thesaurum alienum, possum ostendere: & si dixerim, Ibi est, accipe; non ideò teneor ad restitutionem, si æquè benè erat accepturus: quia ista vox non est causa damni.

Si iubeat sibi ostendi thesaurum meum, & ego illi ostendam alienum tanquam meum; teneor ad restitutionem. Ratio est, quia censeor illum, proposito obiecto inducere vt accipiat alienum, cùm anteà non haberet voluntatem determinatam: vnde muto ipsius voluntatem, adeoque teneor; sicut tenerer si expressè dicerem, Relinque meum thesaurum, ostendam tibi thesaurum Petri.

Si tamen miles diceret: Ostende mihi thesaurum Petri, alioquin accipiam tuum; possum ostendere; quia iam est in illo voluntas determinata accipiendi thesaurum Petri. Vnde ostendendo, non induco illum, sed solùm facio opus de se indifferens: non enim cum tanto meo damno teneor rẽ illam non pandere.

Si miles iubeat ostendi omnem thesaurum in hac domo reconditum, possum ostendere alienum ibidem reconditum, tacito meo; & dicere, Nullũ esse amplius. Ratio est, quia iam est determinatus ad omnem auferendum; & ego non magis teneor ostendere meum, quàm alienum. Hæc videtur fuisse mens istius militis in depopulatione vrbis.

CASVS VIII.

Restitutio ex re malè dispensata.

Titius administrator bonorum sui Principis, consumpsit decem millia florenorum in itineribus & negotijs sui domini conficiendis cùm sufficerent mille.

QVÆRITVR, *An teneatur, ad restitutionem?*

14 REspondeo, De Titio administratore bonorum illius Principis, qui decem millia florenorum consumpsit in itineribus & negotijs domini sui conficiendis, cùm mille abundè sufficerent: non videtur dubitandum quin teneatur ad restitutionem; nisi re vera dominus condonet. Quia hoc non est administrare bona sui domini, sed dissipare. Tenetur enim ea prudenter & bona fide administrare. Credibile est illum excessum versum in rem Titij, etsi dicat expensum in itineribus. Habet hîc locum parabola Euangelica de villico, qui diffamatus est apud dominum suum, quasi dissipasset bona illius, qui haud dubiè tenebatur ad restitutionem. Neque vt dominus censeatur tam immanem summam condonare, sufficit quod Titium valdè charum habuerit, & quòd Titius minùs fortè fraudis fecerit quàm priores administri, &c. vt per se constat. Itaque puto illũ obligandum, nisi obtineat condonationem. Si verè intendit in omnibus vtilitatem sui domini, sed peccauit solùm excessu v. g. accipiendo comitatũ militarem ingentem, vbi exiguus sufficiebat, &c. & non conuertit illa in rem suam, cur domino suo non aperuit, & petijt condonationem? Denique nisi plura & certiora signa condonationis appareant, non ausim excusare.

Villicus iniquitatis.

CASVS IX.

Restitutio ex tibi cõmissa emptione.

Titius habens mandatum à Caio vt Parisijs emat merces pro Caio, ijs vili pretio emptis, tanquam institor Parienſis vendit easdem Caio pretio maiore.

QVAERITVR, *An teneatur ad restitutionem?*

REspondeo, Certũ est Titiũ teneri ad restitutionem. Quia cùm damno mandantis fecit contra mandatum: mandatũ enim ei est vt Parisijs à mercatoribus & institoribus Parisiensibus emeret merces pro Caio: at ille inueniens illas merces Parisijs emi vili pretio, emit sibi eas, vt ipse tanquam institor Parisiensis vendat easdem Caio pretio maiore. Itaque decipit Caium, persuadens illi tanti tales merces Parisijs constare. 15

CASVS X.

Restitutio imeriti stipendij ex tibi commissa informatione.

Plures deputati. V. G. tres vel quatuor ad capiendas informationes alicuius negotij, committunt examen vni, eiusque iudicio ipsi subscribunt.

QVÆRITVR, *An singuli possint statuta stipendia recipere?*

RESp. Videndũ est an illi tres vel quatuor deputati ad capiendas informationes illius negotij; satisfaciant intentioni eorũ, quorũ voluntate & auctoritate deputantur, si vnus solus negotiũ examinet, alijs absentibus & nihil agentibus, sed solùm subscribentibus iudicio vnius, qui negotiũ examinauit. Si enim satisfaciunt illorum menti, possunt stipendia statuta recipere. Si non satisfaciunt, sed agunt contra illorum mentem; non video quomodo possint illa stipendia integra recipere, cùm officium impositum non præstiterint. Longè solidior est informatio capta à pluribus siue iunctim, siue separatim, quàm ab vno. Faciliùs vni, quàm pluribus imponitur. Plura vident multi, quàm vnus solus. Faciliùs etiam vnus corrumpitur, quàm plures &c. 16

Verosimilibus negatur.

CASVS

CASVS XI.

Restitutio lucri ex commissa tibi sollicitatione.

Titius sollicitator pecunias accepit vt Caio officium procuraret.

QVÆRITVR, *An Titius possit illas pecunias retinere si gratis hoc beneficium Caio procurauerit?* Item, *An possit plus accipere à suo cliente, quàm Iure sit sollicitatoribus statutum?*

17 AD *Primum.* Respondeo, Sollicitator, qui pecunias accepit, vt alteri officiū procuraret, potest illas pecunias ex quâdam ἐπιείκεια retinere, si in gratiam ipsius officium clienti datum est; quia gratiam suam apud amicos expendit, eoque fauore impetrauit, pro quo fauore alliciendo, alter pecuniam obtulit. Vnde eo nomine manet illis obstrictus: quanquam fortasse amici illi ægrè ferrent, si hoc scirent; eò quod contrahant opinionem apud clientem, quod per sordes & munera dent officia.

18 *Ad Secundum:* Respondeo, Sollicitator nō potest accipere à suo cliente amplius, quā Iure sit statutum; nisi māiores labores subierit, quàm ordinariè sit consuetum. Nam quod Iure statutum est, censetur stipendium, & quasi pretium legitimum: nisi fortè longâ consuetudine id non seruetur: nā consuetudo Ius abrogat.

CASVS XII.

Restitutio lucri ex commissa tibi venditione reditûs.

Titius Brugis habet reditum 27. florenorum annuorum nummo 18. difficilis solutionis. Committit Caio & Sempronio vt illum vendant, & quidquid obtinere poterunt vltra 400. florenos & 8. pensiones annuas ex retroactis, sit ipsorum. Dum hæc aguntur iam reditus ille, vnà cum agro in quo fundatus erat, translatus erat in alium virum bonum & facilem, ignorante Titio. Hunc adeunt isti duo quibus venditio commissa, & facilè ab illo obtinent redemptionem cum solutione annorum præteritorum: ita vt supra summam à Titio expressam singulis obuenerint 8. libræ flandricæ.

QVAERITVR, *An possint retinere?*

19 RESpondeo, Non videntur posse retinere. Primò, quia ipsis commissa solùm venditio ad quam requiritur industria quæ meretur mercedē. Atqui hîc non est venditio, sed pura redemptio, in qua nulla vel parua extitit industria. Termini autem in huiusmodi mandatis strictè accipiendi iuxta mentem mandantis. Secundò, quia non erat mens Titij committere venditionem Caio, nisi suppositio priori statu rei, qui status erat tota ratio cur vellet alienare. Vnde cùm status rei esset mutatus, tenebatur mandatarius monere mandantem, an vellet ipsum procedere ad venditionem; quod cùm non fecerit, egit contra officium suum. Mandatarius enim tenetur agere iuxta expressam vel tacitam intentionem mandantis, & vtiliter eius negotium gerere, & sic exigere mercedem constitutam. Vnde non puto illum posse in hoc casu plus exigere vel retinere, quàm æstimatio operæ ab ipso præstitæ valeat.

Mandatarius nō potest agere nisi ex tacita vel expressa intentione mandantis.

CASVS XIII.

Restitutio lucri ex commissa tibi venditione reditûs.

Titius habens reditum octo librarum flandricarum super agro cuiusdam nobilis, cuius difficilis solutio: dixit Caio, Vende mihi hunc reditum, & quidquid supra 400. florenos, & 8. annos pensionum obtinere poteris, tuum erit. Acceptat Caius. Sed antequam expediatur in Curia procuratorium venditionis, deprehendit Caius agrum esse venditum, & reditum refusa sorte cum pensionibus in manus magistratus dissolutum. Caius hoc videns non monet ea de re Titiū, sed solùm indicat reditum illum constitutum nummo 18. non 16. Rescribit Titius se omnia ratum habiturum quæ ille fecerit. Itaque Caius perinde ac si vendidisset reditum cum pensionibus, mittit Titio 928. florenos, nempe 400. & 11. annos pensionum.

QVÆRITVR, *An possit reliquum retinere?*

RESpondeo, Non posse: quia non accepit illam pecuniam ex venditione: nec induxit dominum agri vt redimeret; nec aliquid omnino egit vt illa refusio sortis fieret. Solùm autem erat ei data commissio vendendi, & accipiendi quidquid supra 400. florenos, & pensiones 8. annorum ex illa venditione proueniret. Hîc autem nec vlla venditio ipsius operâ facta est, nec quidquam ex venditione prouenit. Vnde illa pecunia magistratui numerata, statim cessit in dominium Titij: nec Caius vllum ius in illam aut partem eius habet; sed solùm potest exigere aliquid pro labore, si quē subijt &c. Neque Titius putandus est tantam summam donare, nisi re totâ intellectâ illud declaret. Quis enim præsumatur donare gratis 600. vel 700. florenos, ei qui nihil operæ præstitit? Neque refert siue illa refusio sortis & pensionum facta sit ante procuratorium expeditum, siue post, quandoquidem Caius nihil ad hoc operæ contulerit. Alia esset ratio si reditum illum ipsemet emisset à Titio: tunc enim distinctio illa posset locum habere, & videndum esset an emptio facta sit ante refusionem, an post. 20

CASVS XIV.

Restitutio ex cōfiscatione.

Gubernator Dunckerkanus, ortâ inter eum & Anglos controuersiâ, fisco addicit merces Anglicanas Dunckerkæ existentes. Similiter Regina Angliæ fisco addicit merces Titij Dunckerkani in Anglia existentes.

QVÆRITVR, *An Gubernator Dunckerkanus teneatur Titio de damno mercium eius in Anglia confiscatarum?*

RESpondeo, Duobus modis potuit Gubernator illâ confiscatione mercium Anglicarum dedisse Titio causam damni iniustè: Primo, si illam præcipitanter fecit, non missis priùs vltrò citroque litteris vel nuntijs ad rem componendam; sic enim videtur occasionem dedisse Reginæ confiscandi bona Titij. Secundò, si ita occultè illam confiscationem fecit, vt non potuerit commodè 21

venire

venire ad notitiam aliorum mercatorum, vt possent sibi cauere. Dum enim Princeps talia vult facere, tenetur subditos monere per edictum vt sibi caueant: alioquin est illis causa damni, & tenetur ad restitutionem.

CASVS XV.

Restitutio ex omissa delatione reorum ad fiscū.

Carolus Officialis ærarij Regij adeundo officio iurauit se omni modo curaturum vtilitatem Principis, & eiusdem damna auersurum: præterea, quantum in ipso erit, effecturum vt placita & decreta Principis obseruentur, inter quæ vnum est, ne mercatores maius interesse recipiant quàm 12. in 100. idque sub graui pœna. Ipse autem Carolus egens pecunia in obsequium Principis, accepit à mercatore Antuerpiensi pecuniæ sub tali interesse.

QVÆRITVR Primò, *An Carolus vi huius iuramenti teneatur deferre ciuem vel mercatorem quem occultè nouit hic præuaricari: & si non detulerit, teneatur fisco de damno?*

QVÆRITVR Secundò, *An possit illum mercatorē Antuerpiensem arte aliqua excusare, ne vt reus à fisco deprehēdatur & mulctetur?*

22 AD *Primum*: Respondeo, Carolum, ex eo quòd sit officialis Principis, & tale iusiurandum fecerit, non teneri deferre ciuē vel mercatorē, quē occultè nouit factitare vsuras, etiamsi inde commodum confiscationis Principi obueniret. Ratio est, quia hoc est proprium munus Promotoris fiscalis, & eorum qui ex peculiari officio tenentur commoda fisci procurare: quamuis nec hos putem ex iustitia, sed solùm religione iurisiurandi ad hoc teneri vt inde fiscus ditetur.

Nec obstat quòd Carolus iurauerit se procuraturum commoda Principis, & occursurum damnis eiusdem, & curaturum vt decreta eiusdem & mandata seruentur: quia non videtur hoc ita generaliter intelligendum. (alioquin omnes Officiales æquè ad eadem obligarentur) sed secundùm conditionem officij, & in ijs quæ officium cuiusque propriè concernunt. Hinc consequens est, quòd non teneatur fisco de damno.

23 *Ad Secundum*: Respondeo, Carolum non teneri accusare mercatorem illum Antuerpiensem cum quo contraxit, eò quòd ipse supra taxam pragmaticæ, Principis nomine interesse exegerit. Primò, Quia non videretur vsus bona fide, petendo ab illo pecuniam mutuam, & consentiendo in tale interesse. Secundò, Quia id posset cedere in damnum Principis, si aliàs opus esset pecuniâ. Tertiò, Quia mercatores dicunt illam pragmaticā de non accipiendo nomine interesse 12. pro 100, non esse iam plurimis annis in vsu, & contraria consuetudine esse abrogatam: vnde non esse illius habendam rationē. ita mihi ante aliquot annos responderunt. Quod si verum est, non solùm Carolus non teneretur curare mercatorem illum Antuerpiensem mulctari, sed etiam posset eum tueri, si contingeret eum deferri. Quod si non est verum, non posset eum tueri si ab alio deferretur, nisi id putaret pertinere ad obsequium Principis; vt si metueret se aliàs pecuniam ab illo, vel alijs non obtenturum, nisi eum tueretur.

SIMONIA.

CASVS I.

Beneficiū mihi ab altero simoniacè obtentū.

Titius beneficium simoniacè obtinuit per ignorantiam simoniæ ab alio commissa in eius fauorem.

QVÆRITVR, *An teneatur restituere fructus extantes: & quodnam illi à Iure remedium?*

RESpondeo, Qui beneficium simoniacè obtinuit per ignorantiā simoniæ ab alio cōmissæ in eius fauorem, quādiu fuit in illa ignorantia seu bona fide, non tenetur restituere fructus non extantes, quibus non est factus ditior: Sed quam primùm sciuerit, tenetur restituere fructus extantes, vel componere cum Pontifice. 1 *Si plane ignorauit simoniam.*

Quòd si bene functus sit officio, & fructus non superent ipsum officium, vt si beneficium erat tenue, vt Canonicatus 150. vel 200. florenorum, probabile est Episcopū dispensare posse vt fructus extantes retineat; maximè si difficilis esset ad Pontificem aditus propter sumptus &c. Secundò tenetur beneficium resignare in manus Episcopi, si ipse est collator, qui poterit de integro illi collationē facere. Similiter in manus Capituli, si Capitulum ius cōferendi habeat. Hæc omnia facile ex Iure probari possunt, vt Cap. penult. de Electione. & Cap. *Ex insinuatione*, de Simonia.

Si autem sciuit alterū simoniacè pro se paciscī, vel certè scire potuit & debuit, aut postea sciens ratum habuit, nō potest ab Episcopo vel alio collatore rehabilitari, sed eget rehabilitatione Papæ, vt patet ex ijsdē locis, adiuncta Glossa: & tenetur restituere fructus etiam non extantes, quantum commodè potest; (non enim tenetur se in extremā inopiam conijcere:) vel tenetur compositionem facere cum Pontifice, vel Nuntio Apostolico. 2 *Si aliquando fuit conscius simoniæ.*

CASVS II.

Permutatio beneficij ratione seruitij præstandi.

Titius Parochus obligat se ad permutationem Pastoratus cum Caio ratione seruitij à Caio præstandi, addita hac conditione, Si Pontifex consenserit.

QVÆRITVR, *Vtrū in hoc contractu sit simonia?*

RESpondeo, Omnino in hoc contractu videtur esse simonia: quia ille Parochus obligat se ad permutationem Pastoratus cum alio ratione seruitij præstandi ab altero, & illa permutatio est veluti pars stipendij: vt si Episcopus dicat alicui, Seruias mihi duos annos, dabo tibi centum florenos, & præterea beneficium si contigerit vacare. Nec refert quòd dixerit, Ea spe innixus: nam sic sæpè consueuerunt obligationem exprimere. Non est hæc tamen simonia confidentiæ, vt patet ex 4. speciebus huius simoniæ, in Bulla Pij V. enumeratis, sed alia inducens pœnas Iuris ordinarias si vtrimque completa fuerit, id est, si seruitium sit præstitum, & permutatio promissa sit secuta. 3

Aduerte tamen, Si per illa verba, Ea spe innixus &c. non intendit se obligare, sed solùm bonam spem dare se hoc facturum amicitiæ & gratitudinis causâ, non esse simoniā in foro conscientiæ. Nec refert quòd velit pensionem seruare, quia conditio addita, si Pontifex consenserit, speciem simoniæ abstergit.

Resignatio sub onere expensarum in acquisitione factarum.

CASVS III.

Titius fecit expensas ad plenum ius beneficij acquirendum. Sed, nondum perceptis ex beneficio fructibus, illud Caio resignauit pro expensis in beneficij acquisitione factis.

QVÆRITVR, *An in isto contractu sit simonia?*

4 REspondeo, Hic manifesta est simonia: quia expensas illas pro se fecit, nempe quia beneficium eas postulabat vt ipse pleno iure illud possidere posset. Vnde friuolum est dicere, quòd repetat illas ab alio, tanquam pro ipso factas. Si enim pro alio factę fuissent, debuisset beneficium tunc alterius esse. Cõstat autem ex communi sententia Doctorum, expensas quas ego feci pro instrumẽtis & similibus ad beneficij plenum ius acquirendum pertinentibus, non posse postea in pactum deduci, vt à resignatario mihi reddantur: id enim esse apertam simoniam. Itaque si volo beneficium meum resignare, non possum expensas exigere, sed debeo illas amittere, etiamsi nihil fructuum perceperim. Omnis enim pactio in beneficijs sine auctoritate Pontificis facta, est simoniaca & nulla, vt plurima Iura docent. Neque verum est illas expensas esse antecedenter tantũ annexas beneficio; quia verè consequenter annexæ sunt: nemo enim fit debitor istarum expensarum nisi ratione beneficij iam collati.

CASVS IV.

Cessio & dein permutatio litigiosi beneficij inter ipsos litigantes.

Conuentum est inter Iulium & Caium prætendentes ius ad idem beneficium, vt Caius Iulio cederet iure suo ad beneficium pro expẽsis factis in capienda possessione beneficij. Posteà inter eosdem accessit beneficij permutatio.

QVÆRITVR, *An debeat Iulius procurare* Perinde valere *vt beneficium retineat?*

5 OMnibus consideratis, mihi probabile est Iulium posse retinere Canonicatum; nec opus esse iterata collatione, seu *Perinde valere*. Ratio est, quia illa cõuentio inter Iulium & Caium, qua Caius pro expensis factis in capienda possessione beneficij cessit iure suo, Vel non fuit simoniaca ex parte Iulij, sed redemptio vexationis, vt tunc passim doctiores ibi iudicabant; vt si Caius nullum verum ius habuerit, sed solùm apparentem iuris vmbram: Vel si ille ex parte rei aliquid iuris habuit, Iulius excusatur per bonam fidem: & consequenter non incurrit pœnas à iure statutas, nec factus est inhabilis ad illud beneficium. Nam hæc inhabilitas pœna est, quæ in foro conscientiæ non incurritur quando abest culpa.

6 Itaque cùm Iulius non sit factus inhabilis per illum priorem cõtractum, potuit hoc beneficium aliâ viâ eidem Iulio validè conferri, v.g. viâ permutationis. Vnde permutatio, quæ posteà inter Iulium & Caium intercessit, potuit ex parte Iulij esse valida, quamuis re vera Caius non esset verè dominus beneficij. Hæc enim permutatio facta est independenter à priore contractu: suppono enim priorem contractum non esse factum eo fine vt veniretur ad permutationem, sed simpliciter & absolutè ad vitandam litem. Itaque permutatio illa ex parte Iulij fuit valida, & ipse verè acquisiuit ius & dominium illius Canonicatus ex illa permutatione.

Nec refert quòd Caius non fuerit verè dominus illius beneficij: satis enim est in foro conscientię, quòd ipse, quantum in se erat, & ad ipsum pertinebat, illud deposuerit in manus Collatoris causâ permutationis, & Collator illud contulerit in Iulium. Non enim Iulius accepit illud à Caio, sed à Collatore immediatè. Valida itaque fuit collatio, etsi permutatio ex parte Caij fuerit inualida. Accedit, quòd Collatores absolutè conferre soleãt, non restringentes actum suum ad formam huius vel illius contractus præcedentis. Vnde cùm Iulius verum ius habuerit saltem ex præsentatione, collatio fuit valida in foro cõscientię.

Denique probabile est non esse simoniam si quid detur parti pro expensis litis, vt habet Sà V. Simonia, nu. 1. atqui quod Iulius dedit Caio, æquiparatur ei, quod datur pro expensis litis: quia datum est ad vitandam litem, & quidem vt videbatur iniustam. Quibus omnibus perpensis iudico non esse absolutè necessarium, vt Iulius procuret *Perinde valere*: sed posse in conscientia beneficium retinere.

CASVS V.

Pensio statuta & soluta non habitâ licentiâ Ordinarij in litigioso beneficio.

Titius accepit Capellam à Nuntio Apostolico, quæ pertinebat ad ius Patronatus Principis Biarnensis. Caius hoc intellecto accedit Procuratorem illius Principis, & impetrat ab illo præsentationem, interim dum ipse Princeps adhuc esset hæreticus & excommunicatus nominatim à Sixto V. virtute cuius præsentationis litem mouet aduersus Titium. Titius tandem vt liberetur molestijs Cai, facit pactum vt ille cedat iure prætenso, & ipse det pensionem; assignato Procuratore qui eam curet cõstitui ab Ordinario quando vellet Caius. Verùm tergiuersãte Caio, eò quòd speraret se amplius posse impetrare, pensio non fuit constituta, & tamen aliquot annis soluta.

QVÆRITVR, *An sit commissa simonia? & quid remedij pro Titio?*

7 *Si Caius nullum habuit ius, Titius potuit redimere iniustam vexationem.*

REspondeo, Si ponamus Caium nihil probabilis iuris habuisse ad beneficium illud (eò quòd sciret iam legitimè esse collatum ab Illustrissimo Nuntio Apostolico, & ipse impetrauerit ab hæretico nominatim excommunicato, essetque infamis ob crimen depositione dignum) sic lis ab eo intentata, solùm fuit iniusta vexatio: ac proinde solutio pensionis ante legitimam eius constitutionem, nihil fuit aliud quàm redemptio vexationis. quare in ea solutione non fuit admissa simonia. Qui enim iam habet ius in re indubitatum, potest ei qui illum iniustè turbat, aliquid temporale promittere & soluere vt cesset, vt Doctores passim fatentur: non enim dat aliquid temporale pro spiritali, cùm alter nihil iuris spiritalis habeat; sed dat temporale vt cesset ab iniuria, seu vt cedat iure prætenso, quod re vera nullum est.

8 Si tamen ponamus Caium aliquid probabilis iuris habuisse (quod tamen ego non video) solutio pen-

Alioquin est simonia

tio pensionis ante legitimam constitutionem simoniaca fuit; similiter & pactum quod anteceſſit, nisi auctoritate Ordinarij, vel alterius potestatem habentis, fuerit approbatum; imò illa solutio conuentionem simoniacam compleuisset, facta simonia reali ex conuentionali: & proinde induxisset pœnas Iuris, id est, excommunicationem & inhabilitatem ad illud beneficium. Quare hoc beneficium retineri non posset, nisi à Sua Sanctitate impetraretur dispensatio, & rescriptum quod vocant *Perinde valere*. Mihi tamen probabile est Titium nõ incurrisse pœnas nec inhabilitatem, eò quòd videatur bona fide & ex simplicitate soluisse pensionem, vti narratur: nam constituit Procuratorem qui curaret pensiones ab Ordinario constitui volente Caio: & quòd constituta non fuerit, fecit tergiuersatio ipsius Cai, cuius erat sumptus facere.

Quid agendum Titio.

CASVS VI.

Resignatio præuiâ promissione gratitudinis.

Titius resignauit Canonicatum in Sempronium hortatu amici Semproniy, qui dixit ipsum non fore ingratum. Vnde Titius expectat à Sempronio 300. vel 400. libras Flandricas.

QVÆRITVR, *Vtrùm Sempronius possit illas soluere nomine gratitudinis?*

9 *Hæc resignatio est simoniaca.*

REspondeo Primò, Hîc commissam videri simoniam saltem mentalem, quia animus Titij præsumitur fuisse obligare Sempronium ad insignem aliquam summam, qualis ferè dari solet in expressa venditione Canonicatus. Idem videtur fuisse animus amici asserentis illum non fore ingratum. Imò videtur hæc simonia satis prodita actu externo, spectatâ consuetudine loci vbi commissa: nam huiusmodi fuco verborum solent contractus simoniacos palliare. Soluere enim ingentem summam pecuniæ vocant *courtoſiam* & gratitudinem.

Soluendo pecuniam, vtrimque completur.

Respondeo Secundò, Si Sempronius soluerit hanc summam quasi ex obligatione, seu vt satisfaciat obligationi, quam Titius ei intendit imponere, metuendum est ne fiat simonia realis vtrimque completa, quæ inducit pœnas Iuris, nimirum excommunicationem latę sententię, & inhabilitatem ad idem beneficium, & irritum reddit contractum, iuxta ea quæ communiter tradunt Doctores, Nauar. cap. 23. Enchir. nu. 104. & alij quos ibi citat: quo casu non posset retinere beneficium.

10 *Si non soluerit, non incurrit pœnas Iuris.*

Respondeo Tertiò, Si nihil soluerit, etiamsi in contractu fuisset expressa conuentio simoniaca, non incurrit pœnas, nec tenetur dimittere beneficium; sed potest illud retinere non obstante præuiâ promissione: quia simonia conuentionalis non inducit pœnas Iuris, nec reddit collationem irritam, vt docet Nauarrus suprà, & alij Doctores.

Si soluerit ex meræ gratitudine, non est simonia.

Respondeo Quartò, Si soluerit animo merè gratuito, non ex vi & debito obligationis, probabile est non esse simoniam: in foro tamen externo iudicabitur simonia realis, & priuabitur beneficio. Ratio est, Quia tanta summa pecuniæ non solet dari per modum *courtoſiæ*, vt nunc loquuntur, seu honestatis & gratitudinis, sed videtur dari in pretium. Vnde nemini velim esse auctor vt aliqua ratione, aliquoúe respectu talem summam accepto beneficio numeret. Accedit, quòd difficile sit ita animo esse comparatum, vt talem summã intuitu solius gratitudinis numeret.

11 *Ex gratitudine potest refundere expensas.*

Respondeo Quintò, Si Titius expensas fecit in adipiscenda possessione, & soluendis iuribus consuetis, nec tamen vllum emolumentum percepit ex beneficio, posset Sempronius gratitudinis ergò refundere expensas, modò nullum antè ea de re pactum interuenerit. Quia consentaneum & æquũ videtur vt seruet suum benefactorem indemnem.

CASVS VII.

Acceptatio beneficij à Patronatus onere pensionis.

Titius resignauit certam præbendam in manus sui Principis ius Patronatûs habentis in favorem Cai, idque sub pensione centum florenorum; & pensione necdum confirmata, Caius cepit possessionem dictæ præbendæ, eoque titulo promotus est ad Subdiaconatum.

QVÆRITVR, *An hîc commissa sit simonia?*

12

SVppono, Eum qui solùm habet Ius Patronatûs non posse creare pensiones; imò nec imponere onus creandæ pensionis dum præsentat aliquem, nisi singulari priuilegio id ei à Sede Apostolica sit indultum, sicuti Regibus & Principibus concessum videtur, à quibus quotidie videmus Abbatijs pensiones imponi; quæ tamen videntur omnino confirmari & creari debere à Sede Apostolica.

Itaque si Caius acceptauit beneficium cum illo onere sub beneplacito Sedis Apostolicæ, nõ commisit vllam simoniam. Quòd si acceptauit absolutè, intendens absolutè soluere pensionem ante Sedis Apostolicę approbationem, commisit simoniam conuentionalem: ratione tamen cuius non est priuatus beneficio cuius possessionem accepit, vt Nauarrus & alij quidam docent iuxta stilum Curiæ Romanæ. Cauere tamen debet ne illam soluat ante Sedis Apostolicæ approbationẽ: quia sic simonia conuentionalis transiret in realem vtrimque completam, quæ inducit pœnas Iuris, redditque omnia irrita, inferens simul excommunicationem & inhabilitatem ad idem beneficium. Et hoc omnino verum est, nisi fortè, quod tamen non puto, Princeps ille potestatem habeat pensiones imponendi, quæ non egeant Sedis Apostolicæ confirmatione.

Quare vt Caius securè procedat, non soluat nisi Sedes Apostolica omnia probauerit. Potest tamen interim retinere beneficium, & illud administrare, pœnitentiâ conceptâ, si intentio non fuit qualis debuit.

CASVS VIII.

Pacisci de parte fructuum vt pacificè reliquum recipias.

Existente bello inter Reges Galliæ & Hispaniæ, cùm occupasset Rex Catholicus Ardeam, cõtulit Titio quandam Abbatiam olim deletã, cui nihil super est præter nomen & partem redituum, ea intentione vt à Sua Sanctitate peteretur confirmatio, quàm Titius neglexit petere. Posteà inita pax inter Reges, vbi art. 9. inter conditiones habetur, vt prouisiones beneficiorum vtrimque factæ ratæ sint. Nihilominus Galli volunt Titium exturbare.

QVÆRITVR, *An Titius, vt se tueatur, quia via Iuris non super est, possit pacisci cum Gubernatore Ardeæ pro parte fructuum?*

13 *Supponitur prouisio legitimè facta.*

VT ad quæstiones propositas respondeam: Suppono prouisionem factam Titio exuli Gallo de illa Abbatia per Regem Catholicum fuisse validâ: quia Rex Catholicus tunc iure belli obtinebat illa loca; & consequenter successerat in omne ius Regis Galliæ, cuius erat ad illam Abbatiam præsentare, vti nunc suppono. Nec obstat quòd Abbatia sit beneficium regulare, cuius Titius cùm sit secularis, non est capax sine dispensatione: quia iam ab annis centum & ampliùs consueuit illa Abbatia conferri seculari, cùm monasterium sit deletum. Nunc

Etsi Titius sit secularis.

Titius potest sic pacisci, quia habet ius ad rem.

Respondeo Primò, Quòd si illa prouisio valida fuit, sequitur Titium acquisiuisse saltem ius ad rem. Ac proinde posse redimere vexationem, si quis ipsum velit ab hoc per manifestam iniuriam deturbare; modò illi qui iniuriam & vexationem inferunt, tales sint, vt solùm possint obesse, & non prodesse; vti accidit in præsenti casu, sicut patet ex narratione facti. Ita docet Sotus lib. 9. quæst. 6. art. 1. in responsione ad 5. & alij quidam doctissimi recentiores. Potest igitur pacisci cum illo Gubernatore pro parte fructuum, quandoquidem nulla alia via tuendi sui iuris superest contra inuasores.

14 *Titius solùm potuit colligere fructus vt administrator.*

Respondeo Secundò, Titium per præsentationem Regis Catholici non acquisiuisse ius in re; neque factum dominum illius beneficij aut tituli (nisi fortè Rex Galliæ plus aliquid habuerit in huiusmodi beneficiorum dispositione quàm Rex Catholicus habeat in Abbatijs & Prioratibus suarum Prouinciarum, quod ego non credo.) Vnde sequitur non potuisse Titium fructus illos percipere nisi per modum administratoris sequestrando illos, donec à Sua Sanctitate obtineret tituli collationem, ad quem erat præsentatus. Neque conueniebat vt tam diu differret hanc tituli impetrationem seu confirmationem, vti narratur distulisse. Nihilominùs tamen si eos percepit tanquam suos, sufficit modò vt id in supplicatione exprimatur, & petatur condonatio. Quamuis etiam probabile sit hoc non requiri: nam fructus debentur præsentato, si confirmetur.

Quomodo supplicabit Papa vt fructus faciat suos.

Respondeo Tertiò, Vt Titius à Sua Sanctitate impetret titulum, nulla requiritur Regis Galliæ commendatio aut præsentatio; sed sufficit præsentatio Regis Catholici legitimè facta, & confirmata per articulum 9. pacis inter Reges initæ; de qua constabit ex litteris administrationis.

CASVS IX.

Exigere aliquid in admissione ad monasterium opulentum.

Vtrùm sit Simonia, si monasterium satis opulentum exigat aliquid in receptione Religiosorum vel Religiosarum, pro victu, vestibus, conuiuijs & similibus; alioquin non recepturum eos?

15 *Probabilius est esse simoniam.*

RESpondeo, Etsi probabilius sit esse simoniam, quando monasterium satis opulentum exigit aliquid in receptione Religiosorum vel Religiosarum pro victu, vestibus, conuiuijs & similibus, alioquin non recepturum eos; vt patet Extrauag. Vrbani I V. & ex Francisco Victoria 2. parte de Simonia num. 12, vbi ait hanc esse communem sententiam Doctorum, nempe Veterum: Tamen pro babilis est sententia eorum, qui dicunt hoc Ius per contrariam consuetudinem, Prælatis conniuentibus, esse sublatum; modò non exigatur pro ipso statu Religionis. Ita multi Doctores in Hispania & Italia, qui dicunt hanc sententiam esse securam. Quia simonia iuris positiui potest consuetudine aboleri: talem autem dicunt hanc esse. Idem tenet Nauarrus cap. 27. num. 106. dum ait, quòd excusentur à mortali, vbi est consuetudo contraria. Ex quo manifestè sequitur non esse simoniam. Vnde

Probabile quoque est, non esse.

Infero Primò, Post factum posse hanc sententiam teneri, & non esse censendos excommunicatos, qui id fecerunt: præsertim cùm ad hanc excommunicationem requiratur præsumptio; id est, vt sciant esse prohibitum sub pœna excommunicationis.

16 *Consectaria.*

Infero Secundò, Omnibus modis conandum vt hæc consuetudo tollatur, vbi commodè fieri potest: quia potiùs est corruptela, quàm consuetudo, vt inquit Vrbanus; & maximè illa de conuiuijs; idque proprium est Episcoporum si Superiores non fecerint: quia tenêtur monasteria reformare præsertim in similibus excessibus. Colligitur ex Concilio Tridentino cap. 8. 9. & 12. de Reform. Regular. sess. 25.

Infero Tertiò, Alteram sententiam, nempe quòd sit simonia, cùm sit probabilior, posse etiam teneri, & ex ea Religiosos vrgeri ad reformationem, iuxta Extrauag. Vrbani I V. quæ habetur inter communes post sextum Decretalium.

17 *Quando vti liceat sententia vtrimque probabili.*

Hoc tamen obseruandum generatim, quando de aliqua re contrariæ sunt sententiæ, & vtraque est probabilis; posse nos nunc hâc, nunc illâ vti, pro vt magis ad Dei gloriam & animarum salutem fore videbitur. Quando tamen aliquid est contra Iura, vel habet speciem mali, non facilè id est permittendum, præsertim ante factum.

CASVS X.

Exigere aliquid in admissione vt monasterium seruet indemne.

In quodam monasterio consuetudo est petere ab ijs qui ad Religionem admittuntur, vt supellectilem, aut bona alia secum conferant.

QVÆRITVR Primò, *An hoc simpliciter petere, sit simoniacum?*

QVÆRITVR Secundò, *An hoc petere pacto inito sit simoniacum?*

AD *Primum*: Respondeo & Dico Primò, Nullam hîc esse simoniam, quando non initur pactum de illis rebus adferendis, vel soluendis; sed solùm dicitur esse consuetudo, & petitur titulo consuetudinis, ne monasterium grauetur; & persona nihilominùs esset admittenda, si aliàs esset benè idonea; nec haberet facultatem ista præstandi. Neque de hoc potest esse dubium.

18 *Licitum est petere titulo indemnitatis.*

Dico Secundò, Si monasterium ita esset opulentum vt facilè posset suos sustentare, & simul eos quos admittere desiderat, essetque status rerum tranquillus, ita vt non sit vllum periculum egestatis, probabilius est fore simoniam, saltem Iuris humani, aliquid exigere in admissione, etiam pro indemnitate. Colligitur ex S. Thoma 2. 2. quæst. 100. art. 3. ad 4. & fusè probat Suares lib. 4. de Simonia cap. 17. & contrariam consuetudinem dicit esse corruptelam.

Secùs est si monasterium sit opulentum.

Ad Secundum:

19 *Hæc tempora multum excusant monasteria.*

Ad Secundum: Respondeo, Monasterium (qualia sunt pleraque in Campinia Brabantiæ) hisce temporibus videri planè eo esse in statu, vt etiam licitè possit inire pactum (quatenus se aliquo modo seruet indemne) cum Nouitijs, quibus media suppetunt, vel cum eorum parentibus, vt secum deferant libros, vestes, vtensilia cellarum, & alia quæ necessaria, donec incorporati fuerint monasterio. Si enim, vt patet ex Concilio Trid. sess. 25. cap. 16. potest monasterium accipere, imò & exigere pro victu & vestitu tempore probationis, vt docet Suares de Simonia lib. 4. c. 17. multò magis poterit illa iam dicta exigere quæ minoris sunt sumptûs. Confirmatur, quia passim Doctores tradunt quando monasterium est pauper, vel est in periculo egestatis propter damna vel casus impedentes, posse pacisci de alimentis totâ vitâ Religiosi necessarijs; multò magis de istis minutioribus.

Vnde meritò, cùm illi qui nondum audiuerunt Philosophiam, cupiunt admitti, potest Prælatus exigere à parentibus vt præstent sumptus tempore studiorum necessarios.

20 *An ideò differenda professio.*

Vtrùm autem aliquantulum possit differri professio, si putentur parentes facta semel professione non soluturi quæ promiserunt, vt hac ratione inducantur ad celeriorem solutionem, puto relinquendum iudicio Prælati: modò non sit valdè diuturna ea dilatio.

Itaque sentio R. D. Prælatum tutâ conscientiâ in hac recepta monasterij sui cõsuetudine pergere posse; cùm nec sacris Canonibus, nec rationi naturali repugnet, nec vllius simoniæ sit periculum; cùm non obstatum religiosum, sed ad aliquam monasterij indemnitatem ista exigantur.

SOCIETAS IESV.

CASVS I.

Obligatio Regulariũ Societatis Iesv

Vtrùm Violatio Regularum Societatis Iesv *sit peccatum?*

OMissis ijs quæ in vtramque partem dici possent:

1 *Præcisè vt est violatio Regulæ, non est peccatum.*

Respondeo Primò, Hanc violationem per se & præcisè consideratam, quatenus est violatio talis regulæ, peccatum non esse, nec mortale, nec veniale. Ratio est, quia obligatio legis positiuæ pendet ex voluntate legislatoris volẽtis per eam subditos obligare. Atqui Auctor Regularum *Societatis* Iesv expressè explicuit nolle se vt illę ad peccatum obligarent: ergo per se non obligant. Tribuunt tamen ius Superiori imponendi pœnitentias seu afflictiones corporis eas violantibus: hæc enim fuit mens Auctoris, & hoc modo à singulis sunt acceptatæ.

2 *Est tamen peccatum ex alijs capitibus.*

Respondeo Secundò, Quamuis regulæ illæ per se vim obligandi ad peccatum non habeant, possunt tamẽ ex alijs capitibus vim obligandi habere, ita vt si contra eas fiat, peccatum committatur. Primò, Ratione voti. Sic omnes illæ quæ pertinent ad vsum rerum, donationem, acceptionem, commutationem &c. obligant sub peccato, vt 24. 26. 27. Summarij. Item 7. 8. 9. 11. 17. 25. ex Communibus. Vsus enim vel vsurpatio cuiuslibet rei absque dependentia à voluntate Superioris, peccatum est contra votum paupertatis, etsi non semper mortale, ob paruitatem materiæ.

1. *Ex voto,*

Secundò, Potest obligare ex lege alicuius virtutis. Hoc modo plurimæ obstringunt sub peccato, maximè consideratâ modestiâ, maturitate & ædificatione, quam iure naturæ tenetur præbere Religiosus *Societatis*, id est, talis Religionis, quæ ad talem finem est instituta. Tales sunt ex Summario, 6. saltem quo ad primam partem, 8. 10. 14. 16. 17. 20. 22. 28. 29. 30. 42. 43. 44. 46. 49. Item ex Communibus, 13. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 28. 29. 30. 31. 32. 34. 37. 38. & similes. Nam quod his continetur, ferè totum ad ius naturæ & legem virtutum pertinet, vt quis deprehendet, si rem benè expendat. Idem cernitur in regulis plurimis particularium officiorum.

2. *Ex lege alicuius Virtutis.*

Tertiò, Potest obligare ratione peculiaris promissionis, vt 9. & 40. Summarij: omnis enim violatio promissionis sine iusta causa, peccatum est.

3. *Ex peculiari promissione.*

Quartò, Ratione scandali. Hoc modo plerumque peccatum est violatio regularum coram alijs, etiamsi re vera illi non peruertantur: non enim tantùm ab omni malo tenemur abstinere secundùm Apostolum, sed etiam ab omni specie mali, & hoc propter alios. Atqui violatio regulæ coram alijs haud dubiè speciem mali habet.

3 4. *Ex scandalo.*

Quintò, Ratione læsionis disciplinæ. Pulchritudo enim & decus religiosæ familiæ consistit in bona disciplina seu conformatione morum cum regulis: sicut enim mirè Religionem ornat, si in ea suis temporibus seruetur silentium, si omnia tranquilla, omnia benè composita, si omnes statis temporibus surgant, orent, studeant, comedant, corpus exerceant, si morem Superioribus gerant &c. ita è contrario illam dedecorat, si omnia plena tumultu, strepitu, cachinnis, loca publica immunda; si quisque surgat, oret, comedat dum lubet; si nulla cum Superioribus coniunctio, nulla erga illos vel socios reuerentia. Qui ergo violando regulas, notabiliter lædit disciplinam, haud dubiè peccat; quia magnum Religionis bonum & ornamentum euertit, vel commaculat. Imò ratione huius læsionis violatio regulæ posset esse graue peccatum, si nimirum inde sequeretur grauis læsio disciplinæ: vt cùm quis sua libertate & laxitate alios ad laxitatem inducit. Ob eandem causam Superiores grauiter peccant, qui suâ negligentiâ patiuntur disciplinam collabi. Et subditi, qui nolunt se ad eam accommodare, vel eo sunt ingenio vt non sperentur se accommodaturi, possunt & debent eijci tanquam pernicioſi bono *Societatis*.

5. *Ex læsione disciplinæ.*

Sextò, Ratione negligentiæ. Ita D. Thomas 22. quæst. 186. artic. 5. ad 1. & Caietanus ibidem. Idem tenent alij Doctores. Hoc in primis locum habet in ijs quæ ad cultum diuinum pertinent: vt si quis ex torpore quodam omitteret meditationem, Sacrum, lectionem rerum spiritualium, examen: est enim ille torpor, Acediæ peccatum, quod quisque vitare tenetur: similiter si quis hæc cum tali negligentia & torpore præstet. Deinde etiam id locum habet in alijs: eorum enim omissio ex negligentia est peccatum: vt si ex negligentia omittas lectionem, studium, officia charitatis &c. quia homo tenetur vt nõ operetur aut cesset ex tædio laboris: quod maximè verum est si non dentur actus indifferentes.

4 6. *Ex negligentia.*

7. Ex affectu minùs ordinato.

Septimò, Si ex libidine Regulam violem. Ita D. Thomas suprà, id est, ex nimia cupiditate, vt exponit Caietanus, vel alio affectu minùs ordinato. Sic sæpè violatur silentium, comeditur vel bibitur extra tempora, luditur, iocatur, &c: quidquid enim ex inordinato animi motu fit, peccatum est; quia est contra legem diuinam, secundùm quam animus se in appetendo & fugiendo debet componere.

8. Ex contemptu.

Octauò, Ratione contemptûs. Ita D. Thomas suprà. Potest autem hic contemptus fieri tribus modis. Primò, Si nihil æstimes Regulam, & ideò nullam curam habeas eius seruandæ. Et hoc sine dubio est graue peccatum; imò videtur mortiferum: nam ex vi votorum teneris habere propositum generale viuendi secundùm Regulam; vt colligitur ex D. Thoma loco citato. Secundò, Si nolis Regulã seruare, vt te illi vel Superioribus non subijcias: v. g. si frangas silentium, si omittas meditationem ne te Regulæ aut potestati Superioris submittas: hoc enim esse peccatũ mortale non est dubitandum; nam ex vi votorum subiecisti te potestati Superioris & Regulæ, vt docet Caietanus. Differunt hi duo modi; quia aliud est non habere curam seruandi, aliud nolle amplius esse subiectum. Tertiò, Si nolis seruare Regulam, vt sic ostendas te illam vel Auctorem eius nihili pendere.

6 Ex his patet qua ratione violatio Regulę peccatum esse possit.

Promissio seruandi regulas, nõ obligat sub peccato in singulis regulis.

Dices, Videntur Regulæ omnes etiam obligare ratione promissionis; quia singuli promiserunt se illas seruaturos: quisque autem tenetur seruare promissum Iure naturæ, nisi iusta causa non seruandi interueniat. Confirmatur, quia inter Religiosum & Societatem initur quidam contractus reciprocus, in quo ille se tradit Religioni & promittit seruare Regulas, si Religio illum velit admittere; & vicissim Religio hac lege illum admittit: ergo tenetur bona fide id præstare ex vi contractus. Cuius signum est quòd si nolit eas seruare, Religio possit illum expellere, tanquam qui fidem Religioni datam non seruarit.

Respondeo, Hæc ratio satis probat Religiosum debere retinere propositum generale seruandi Regulas, & vitam suam eis conformandi: sine enim tali proposito Religio nullo modo vellet illum retinere; & si simularet se habere illud cùm non habet, grauiter peccaret, quia deciperet Religionem: nam Religio hoc propositum requirit tanquam conditionem sine qua nollet illum admittere: itaque illud primariò censetur promittere. Non tamen sic promittit obseruationem singularum regularum in quouis casu. Neque Religio hoc ab illo requirit, sed solùm vt bona fide agat, & si contingat labi, non detrectet pœnam. Itaque ratio illius generalis promissionis non videtur solidè posse probare esse peccatum in singulis violationibus; quamuis probabiliter dici possit.

CASVS II.

Emissio votorũ simpliciũ ante expletum biennii.

Titius Nouitius Societatis Iesu *aliquot diebus vel horis ante expletum biennium emisit vota Scholasticorum. Deinde per plures annos sua vota cum ceteris renouauit. Denique solemnem 4. votorum professionem emisit.*

Qværitvr Primò, *An prima votorũ emissio fuerit valida?*

Qværitvr Secundò, *Quid operata fuerit sequens illa votorum renouatio?*

Qværitvr Tertiò, *An professio illa sit valida?*

Ad Primum: Respondeo, Si biennium probationis non sit expletum, non videtur probabile per talia vota fieri Religiosũ: quia Canone 10. Congregationis. Quintæ ita statuitur, *Nullo casu exerceri liceat facultatem dispensandi in contrahẽdo biennij spatio ad hoc, vt quispiam ante expletum biennium censeatur verus Religiosus, & Scholasticus approbatus per emissa vota simplicia Scholasticorũ Societatis.* Biennium autem non est expletum si adhuc restent aliquot dies, imò si aliquæ horæ. Computatio enim facienda de momento ad momentum, quando requiritur tempus expletum: sicut si vigesimus quartus ætatis annus nondum est expletus, sed restet vnus dies, non potes initiari Sacerdotio: similiter non valet professio in alijs Religionibus si vel vnus dies desit anno probationis, vel ætati requisitæ. Non negauerim tamen quin si paucæ tantùm horæ desint, probabile sit valere. 7

Illud quod adfertur de matrimonio, nullo modo est simile: quia ipsa Iura expresè statuunt malitiam ibi posse supplere ætatem.

Ad Secundum: Respondeo, Ad ratificanda talia vota Scholasticorum ante expletum biennium facta, sufficit vt sciens vel dubitans de illorum validitate intendat in proxima renouatione illa ratificare. Nec opus est Superiorem esse conscium, aut eum secundò admitti. 8

Ad Tertium: Respondeo, Professio, si secuta sit ex errore, quòd putaret se teneri votis Scholasticorum ante biennium expletum emissis, videtur irrita. Quia actus, cui error dat causam, est irritus, præsertim qui versatur circa totum actum, eiusq; substantiam. Si autem non ex illo errore, sed sponte eam faciat, quia per se placet, ita vt error non sit eius causa, valet. 9

Vide similem Casum suprà V. Professio Religiosa inualida, Casu 3. & 4.

CASVS III.

Votum simplex Scholasticorum facit eos Religiosos.

Quomodo simplex votum Scholasticorum possit eos facere Religiosos, cùm non admittatur à Societate. *Non enim offertur homini, nec ab homine admittitur, sed soli Deo, vt habetur in Constit. p. 5. c. 4. §. in declarat. littera D, vbi sic dicitur:* Vt hoc votum soli Deo offertur & non homini, ita nemo id admittit: propterea in nullius manibus id fieri dicitur. *Admissio tamen est omnino necessaria vt quis fiat Religiosus: vt passim Doctores.*

10 *Dupliciter potest spectari votũ.*

Respondeo, Votum Scholasticorum dupliciter considerari posse. Primò, vt est votum seu promissio. Secundò, vt est formula quædam habens vim tradendi se in ius & corpus Religionis, quã vim habet ex ordinatione & intentione Societatis ab Ecclesia approbatæ, & ex intentione ipsius vouentis, qui per illa vota transacto biennio sic facta coram Superiore, se intendit in ius Religionis

Religionis tradere, vt fiat verè membrum illius, illiq́ue subiectus.

1. *Vt non admittitur ab homine.*

Si primo modo votum Scholasticorum spectetur, sic non admittitur ab homine, id est, non acceptatur: quia nemo potest acceptare promissionem quæ ipsi non fit, sed alteri. Itaque cùm soli Deo hîc fiat promissio, non homini; rectè dicitur non admitti, id est, non acceptari ab homine. Secùs est in professione, & in voto Coadiutorũ formatorum; quia in illis non soli Deo, sed etiam homini fit promissio, vt patet ex formulis.

11

2. *Vt admittitur ab homine.*

Si verò secundo modo spectetur, sic admittitur ab homine. Quia ipse vouens intendit se per illam formulam vouendi tradere in ius Religionis, & eius fieri membrum; & Superior illum intendit admittere, & Religioni incorporare, licet non omnino completè. Itaque est æquiuocatio in voce admissionis. Hinc sequitur Superiores & Societatem ius habere in Scholasticos, non ex vi promissionis ipsis factæ in votorum formula, sed ex vi traditionis, qua se per eandem formulam intẽderunt tradere in corpus Religionis, eam traditionem acceptante Superiore. Neque id mirum videri debet: quia perfectio Religionis non postulat vt aliqua promissio fiat homini; sed solùm requirit vt promissio fiat Deo, quòd homini, tanquam locum Dei tenenti obedies, & in omnibus ab ipso dependebis. Potest itaque Ecclesia statuere vt per talem promissionem fiat quis verè Religiosus, si per eam intendat se tradere in ius certę Religionis, & Superior illius Religionis eum intendat admittere & incorporare illi Religioni.

Per talem traditionẽ fit verè Religiosus.

CASVS IV.

Priuilegium erogandę Eucharistiæ.

In Compendio Priuilegiorum V. Eucharistia §. 4. *dicitur*: Possunt nostri, in nostris Ecclesijs ministrare, ac ministrari facere Sacramentum Eucharistiæ quibuscumq; personis, quoties opus fuerit.

QVÆRITVR, *An Nostri per externos Sacerdotes possint id facere?*

12 REspondeo, Affirmatiuè. Primò, quia alioquin ibi esset inepta eiusdem repetitio. Secundò, quia non distingueretur à §. 3. idem enim diceretur. Tertiò, quia est beneficium Principis concessum in bonum alicuius communitatis, nemini præiudicans, ac proinde amplè interpretandum. Quòd nemini præiudicet, patet ex D. Thoma opusculo contra Impugnantes Relig. c. 4. col. penult. Quòd itaque amplè interpretandum, patet ex communi sententia Doctorum in Cap. *Olim*, de Verborum significatione, Oldrado Consil. 300.

Quomodo intelligendum sit Priuilegium de Eucharistia distribuenda tempore Paschali & die Resurrectionis Domini, vide quæ dicta sunt in 3. *p. q.* 82. *a.* 3. *num.* 12.

CASVS V.

Scholæ Societatis Iesv.

Vtrùm Schola Societatis Iesv *obsint bono publico, vel etiam Vniuersitatibus?*

13 VIderi possint alicui obesse. Primò, Quia per eas fit vt Professores Vniuersitatis habeant pauciores discipulos, multis ad scholas *Societatis* confluentibus: quò fit vt parùm animentur ad studia, & Vniuersitates destituantur eruditis Professoribus.

Argumenta aduersariorum.

Secundò, Quia didactra & emolumenta Magistrorum minuuntur, dum in scholis *Societatis* gratis docetur.

Tertiò, Ad honorem & splendorem Principis pertinet, vt eius Professores doctrinâ, famâ, & numero discipulorum sint maximè celebres.

Quartò, Per scholas *Societatis* fit vt optima quęque ingenia se ad illum Ordinem conferant, præsertim ex Philosophia: & ita pro ministerijs Ecclesiæ & Reipub. mediocria vel tenuia duntaxat ingenia relinquuntur. Quò fit vt & Parochi, & Aduocati, ac alij, qui Reipub. vel Ecclesiæ seruiunt, sint minùs idonei.

Quintò, Quia *Societatis* homines nimis magnâ auctoritatẽ per scholas acquirunt tum apud plebem, tum apud primarios quosque: quæ res posset periculum creare Principi, si in aliqua dissentione se plebi contra Principis mandata vel petitiones coniungerent.

Hæ ferè sunt rationes, quas ego à varijs audiui iactari, & exaggerari.

Contrarium tamen, Scholas *Societatis Iesu* non obesse, sed prodesse plurimùm tum Vniuersitatibus, tum maximè bono publico, multis rationibus clarè demonstrari potest. 14

Primò, Quia illæ Vniuersitates maximè florent in quibus *Societas* docet: vt patet Mussiponti, Treuiris, Coloniæ, Moguntiæ, Ingolstadij, Grecij, Flexiæ, Lugduni, Conimbricæ, alijsque locis, vbi cùm anteà pauciſſimi essent auditores, & omnia languerent, nunc per *Societatis* scholas Vniuersitates illæ abundant studiosorum numero, & omnibus disciplinis florent. Idem cernere est in Vniuersitate Duacensi.

Societas suis scholis ornat Vniuersitates.

Secundò, Plurimi occasione nostrarum scholarum animum ad studia litterarum appellunt, qui alioquin nunquam studuissent: partim ob bonam disciplinam, quam in scholis nostris ipsi vel parentes eorum vident, partim ob gratuitam institutionem. Ex his plurimi se posteà ad Vniuersitates conferunt. Olim Antuerpiæ, Bruxellæ, Traiecti, Gandaui, Cortraci, Valencenis, in S. Audomaro, alijsque magnis Oppidis, vix centeni, vel vt summùm ducenteni reperiebãtur qui litteras Latinas degustarent: nunc 500, 600, 700, 800, reperiuntur qui Latinâ, & Græcâ literaturâ instituantur; aucto in quadruplum studiosorum numero. Ante scholas *Societatis* cùm istæ Prouinciæ florerent, & ex Hollandia, Zelandia, Frisia, Geldria, Germania, Gallia studiosi liberè huc conuenirent, non erant plures Philosophiæ studiosi, quã modò sunt, quãdo ex illis locis non veniunt. Imò modò sunt longè plures connumeratis omnibus qui student Louanij & Duaci. Vnde dimidia pars Belgij dat modò plures Philosophiæ studiosos, quàm olim totum Belgium cum Prouincijs vicinis. Olim enim non erant in vniuersum Philosophiæ studiosi (Logicis & Physicis computatis) vltra 500. vel 600. At modò in sola Vniuersitate Louanienſi quotannis non multò pauciores numerantur, quibus si iungamus eos qui Duaci Philosophiæ dant operam, reperientur supra mille, & sæpè supra mille ducentos. Quis vnquam in tam exigua Prouincia, & tam afflictis temporibus, vsquam terrarum vidit tantum Philosophiæ studio-

Auget studiosorum numerum.

sorum numerum? aut vbi terrarum in vna Vniuersitate reperiuntur 500. vel 600? Tam numerosæ iuuentutis, tantique ad Philosophiam concursus alia non est causa, quàm scholæ *Societatis*, quæ vbique studia excitarunt, quarumque opportunitate plurimi ad præclaras disciplinas animum adiecerunt. Ex quibus manifestum est, si numerũ & cõcursum studiosæ iuuentutis spectemus, scholas *Societatis* bono publico & ipsis Vniuersitatibus plurimùm profuisse.

15 *Tractatione disciplinarum illustrat.*

Si verò disciplinarum tractationem, & iuuentutis in illis institutionem consideremus, apparebit etiam hac ex parte scholas nostras bono publico & ipsis Vniuersitatibus nõ parum contulisse. In litteris humanioribus à rudimentis ita instituuntur, vt quinquennio Latinâ & Græcâ litteraturâ exculti, non solùm in vtraque & carmine & prosâ, pro captu illius ætatis, cum plurimorum admiratione excellant, sed etiam historiam Romanam ac Græcam, cęteraque quæ ad notitiam antiquitatis pertinent, addiscant: quorum pleraque anteà in scholis erant penitus ignota. In Philosophicis biennio ita docentur & exercentur, vt sub finem cursus Theses difficillimas ex vniuersa Philosophia publicè cũ laude tueri possint: quod anteà nunquam in Belgicis Vniuersitatibus vsurpatum. Olim Metaphysica præcipua Philosophię pars non attingebatur: nunc accuratè omnes eius quæstiones traduntur. Conferantur commentaria & dictata antiqua cum nouis, & exercitationes antiquæ cum exercitationibus Philosophicis huius temporis, & patebit quantum omnia sint cultiora, & meliora, aptioraq; ad superiores disciplinas reddita? In Theologicis olim erat vna lectio è Magistro Sententiarum, & vna S. Scripturæ, & vix duodecim annis cursus absoluebatur: pauca de controuersijs huius temporis, vel de ijs quæ ad conscientiæ quæstiones, & Parochorum institutionem pertinent. *Societas* omnia hæc studia excitauit, & compendiaria methodo coniunxit: nã quadriennio omnes materias Theologicas ita absoluit, vt sub finem illius spatij, studiosi conclusiones ex vniuersa Theologia tam morali quàm speculatiua publicè tueri possint: quod nunquam anteà in Belgio factum. Casus conscientię & controuersias cum subtilitate scholastica ita coniungit, vt Parochi abundè ad munus suum comparati, & ad congrediendum cum hæreticis instructi esse queant. His simul adiungit Scripturarum vtriusque Testamenti explicationem: adeò vt quatuor annorum spatio, qui bono sunt ingenio, & mediocrem adhibent diligentiam, possint assequi totius S. Theologiæ, hoc est, subtilitatum Scholasticarum, Casuum cõscientię, Scripturarũ, & Controuersiarum insignem notitiam. Rogatos velim eos qui olim hîc in Vniuersitate 12. vel 15. annis studuerunt, vt secum perpendant, vtrũ tales conclusiones ex vniuersa Theologia, quales modò quarto anno cursus Theologici apud nos defenduntur, multi eorũ propugnare potuissent? Possent hac de re plura dici, sed sileo, & equis Iudicibus, qui vtraq; videre, consideranda relinquo. Hi iudicent vtra ratio docendi, & tradendi disciplinas magis sit ex vsu publico, & Vniuersitatum bono, illane quæ olim fuit, an ea quæ per *Societatem* inducta.

16 Si consideremus disciplinam morum, & institutionem in ijs quæ ad Religionem, Pietatem, Timorem Domini, & morum honestatem pertinent; nemo negare potest quin *Societatis* scholæ hac in re potissimùm excellant. Idcircò enim adeò exosæ hæreticis, quia in ijs iaciuntur solida Religionis catholicæ fundamenta, & iuuenum animi aduersus hæreses muniuntur, patefactis hæreticorum strophis. Ob hanc enim potissimùm causam *Societas* litteras humaniores & prophanas disciplinas tradit, vt ea occasione iuuentutem in ijs quæ Religionem, morum probitatem, & salutem concernunt, informet. Itaque præcipua cura & studium *Societatis* est, vt iuuentus in his maximè proficiat. In eum finem docetur exactè Catechismus, explicantur mysteria fidei Christianæ, declarantur & refutantur hæreticorum errores: instituuntur sodalitia B. Virginis, habentur crebræ exhortationes, confitentur singulis mensibus, & plerique etiam sæpiùs. Denique ad Christianam pietatem, & ad peccatorum, quibus illa ætas obnoxia, fugam, & ad omnem modestiam, quàm diligentissime instituuntur. Quantum autem hinc boni proueniat, æstimari non potest. Hac enim ratione catholica Religio iam fugiens & exolescens, vtcunque retinctur, & hæreseos flamma quæ omnia absumptura videbatur, sistitur, & Respublica viris probis & Catholicis repletur. Hinc catholici & fideles Aduocati, Magistratus, Consiliarij, ac locorum Gubernatores. Qui enim ab ineunte ætate in vera Religione & Domini timore probè educati sunt, plerumque retinent hoc bonum per totam vitam; & si Reipublicæ admoueãtur, iustè & Christianè cum maximo Reipublicæ bono munus suum obeunt. Nihil est quod maiorem vim vel ad bonum vel ad malum habeat, quã prima illa institutio. Vnde Scriptura Prouerb. 22. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab eâ.* & Aristoteles lib. 2. Ethicorum c. 1. *Non parùm refert, sed permultùm, vtrùm sic, an sic, à pueris assuescamus; imò verò totum in eo positum est.* Itaque cùm totum bonum Religionis & Reipub. pendeat ab institutione iuuentutis, meritò hæc summi momenti ducenda est, & omni diligentia & industria procuranda. Vnde scholæ illæ, in quibus ea ex professo & omni conatu præstatur, non parui ducenda, neque sæcularium scholis in quibus ea minùs curatur, postponendæ. Ob hanc causam Philippo II. Regi Catholico glor. mem. valdè curæ fuit vt *Societas* vbique, & præsertim in oppidis recens subiectis, scholas haberet, eamque rem Principi Parmensi commendauit. Videbat prudentissimus Princeps difficile esse inueteratos in hęresi animos conuertere, & ad obedientiam Ecclesiæ, suique Principis legitimi reuocare: ac proinde à iuuentute, quæ nondum corrupta esset, incipiendum; atque in ea fundamentum boni status Reipub. ac Religionis collocandum. Huic prudentissimo consilio respondit euentus. Plurimi enim nunc per ciuitates longè aliter in Religionem & suum Principem animati, quàm primis illis temporibus, quando altaria & imagines frangebantur. Denique quàm accurata in scholis nostris Christianę pietatis sit institutio, & quantam vim in animis ea habeat, non solùm ex crebro Sacramentorum vsu, & eorum modestia, morumque honestate, sed etiam ex multitudine eorum qui ex nostris scholis ad varios Religiosorum Ordines in illo ætatis lubrico se conferunt, perspicere licet: adeò vt vix sit vllum monasterium, in quo non

Pietatem & religionem singulariter docet.

Prouerb. 22.

Aristoteles.

Philippus II. Societatis scholas propagauit.

non plurimi insignes Religiosi ex scholis *Societatis* reperiantur. qua ratione factum est, vt omnes ferè Ordines in Belgio & numero, & disciplina, & eruditione non parum reformarint, cum maximo Ecclesiæ & Reipub. bono. Nihil enim Reipublicæ salutarius, nihil ad eam tuendam & conseruádam incolumem efficacius, quàm si plurimos habeat pietate & doctrina insignes, qui suis precibus & bonis operibus eam communiant, & suâ doctrinâ vitæque exemplo ad Christianè viuendum excitent.

17 *Forma scholarum Societatis.*

Denique consideranda est scholarum forma, & Magistrorum conditio. Classes studiosorum non sunt confusæ & permixtæ, vt olim passim parùm decorè visitatum; sed distinctæ per varia loca, ita vt singulæ suam scholam habeant, nec alia aliam disputando & respondendo perturbet ac impediat. Singulæ suum habent Magistrum, qui totus in eam formandam incumbit. Singulæ classes distinctæ per decurias, inter quas assidua concertatio. Ad studia excitantur nõ plagis seruili modo, sed laude & munusculis, vt decet ingenuos & charissimos filios. Vnde nõ intuentur Præceptorẽ tanquam seuerum censorem, vt plerumq; fieri solet; sed amant vt patrem, & libenter cum illo ac familiariter colloquuntur. Quanto autem sint efficaciora illa incitamenta, quàm virgæ & plagæ, iam longa probauit experientia. Denique tota ratio exercitationum & lectionum per horas, semihoras & quadrantes accuratè est definita & præscripta in singulis classibus; à qua præscriptione fas Magistro non est suo arbitrio recedere. Quò fit vt omnia rato tenore procedant, & omnis confusio in tanta discipulorum, lectionum & exercitationum multitudine vitetur.

18 *Magistrorum Societatis quatuor conditiones*

Quòd ad Magistrorum conditionem attinet, multa considerari possunt, quæ alibi non reperiuntur. Primò, quòd ex proprio instituto sui Ordinis, & vocatione diuinâ *Societas* nostra ad munus docendi est comparata. Vnde non est dubitandum, quin Deus peculiari auxilio & prouidentia adsit & dirigat vt hoc munus quàm optimè præstet, & prosperos successus habeat. Deus enim cuique Ordini peculiarem largitur gratiam & opem, ad munus propriè vocationis dignè & fructuosè obeundum. Et hęc est præcipua causa tantorum successuum in scholis nostris; nimirum Domini benedictio, quę & Magistros illuminat, & animos excitat, & conatus adiuuat; & discipulos dociles, morigeros, ac amantes suorum Magistrorũ ac studiorum efficit. Seculares verò Magistri non ita ad munus docendi sunt vocati. Sed plerique sese ad hoc, lucri, aut beneficiorum Ecclesiasticorum spe applicant; & cùm id quod petebant consecuti fuerint, deserunt: vnde mirum non est si similem Dei opem & tantos successus non habeant.

1. *Gratia vocationis.*

2. *Solo Dei intuitu laborem subeunt.*

Secundò, quòd nulla spe lucri temporalis, officij, beneficij, vel dignitatis consequendę doceant; sed solo desiderio glorię Dei & salutis proximi, simplici victu & vestitu contenti, qui nulli sęculari Magistro satis esset. Plerisque sęcularium Magistrorum 400. 500. 600. floreni in annos singulos, imò multis etiam 1000. satis nõ sunt, beneficia & pensiones suis stipendijs addendo: nec inuidemus: quia viri eruditi etiam pluribus digni sunt, modò benè vtantur. Professoribus *Societatis* in singula capita, 200. floreni sufficiunt ad victũ, vestitum, libros, cæteraque omnia. Nemo conuictoribus suis tam exiguo pretio omnia necessaria suppeditauerit. Et sanè nisi magna parsimonia & industria adhiberetur, quantumuis viuamus in communi, nullo modo summa illa sufficeret, vt quiuis rei œconomicæ intelligens facilè iudicare potest. Nos tamen eo modulo contenti essemus, si ad eum pertingere daretur: verùm longè absumus, cùm in multis Collegijs vix 100. annuos in singula capita habeamus.

Itaque cùm *Societas* nihil temporale in munere docendi quærat, sed tantùm Dei gloriam, & adolescentum, qui filij sunt Dei, salutem; fit, vt hoc munus non perfunctoriè, sed magna sinceritate, & diligentia præstet, & maximè cordi habeat. Inter famulos qui eidem domino seruiunt, nulli bonum domini magis cordi habent, aut fideliùs seruiunt, quàm qui non sui commodi causâ, sed solius domini amore, illius duntaxat commodum & honorem spectantes seruiunt.

3. *Liberi sunt ab impedimẽtis.*

Tertiò, Quòd plurimis impedimentis, quibus alij detinentur & impediuntur, nostri Professores sint expediti. Non enim sibi victum, vestitum, libros, aliaque necessaria curare debent: sed hæc omnia illis Superiorum vigilantia procurat. Liberi etiam sunt à conuiuijs, litibus, curis beneficiorum, & ab alijs occupationibus, quibus animus distrahitur, & plurimùm à studijs auocatur, & professio disciplinarum obiter & perfunctoriè sæpenumerò peragitur. Itaque cùm nostri his omnibus impedimentis sint soluti; integras ingenij vires ad studia conferunt, & duplo vel triplo plus temporis eis impendere possunt, quàm plerique magistri sæculares. Neque his quidquã detrahunt statæ preces, & quotidianę rerum diuinarum meditationes: quia his maximè mens humana ad sublimium rerum cognitionem illustratur, & apta redditur. Plerique sanctorum Patrum plus oratione & meditatione, quàm multâ librorum lectione profecerunt; quamuis etiam hac in re *Societas* sæcularibus non cedat; sed fortasse non parùm etiam superat, quod & alijs iudicandum relinquo, & ex plurimis libris excusis cognosci potest.

4 *Habent adminicula ad docẽdum aptiss.*

Quartò, quòd multa adminicula habent quibus alij carent. Nam primò, Qui litteras humaniores docturi sunt, plerique per multos menses accuratè ad hoc instruuntur in seminario formandis magistris peculiariter instituto. Secundò, Qui Philosophiam, non solùm in Philosophicis probè sunt versati, sed etiam Theologica studia (quibus cognitio Philosophica mirè iuuatur & perficitur) plerumque absoluerunt. Tertiò, Omnes nostri Professores habent suas regulas, quibus tota docendi ratio & modus exercitationum scholasticarum accuratè præscribitur, à quibus non possunt pro arbitrio recedere. Quartò, Habent Superiorum vigilantiam qui omnibus superintendunt, & regulas seruari curant; & si quid minùs rectè processerit, statim emendant. Quintò, Præfectus studiorum assiduè circumit, & omnia inspicit, vt iuxta regularum præscriptum peragantur, omnesque suo probè fungantur officio. Denique datur opera vt Professores ab omnibus alijs oneribus & curis, quæ munus professionis & instituendæ iuuentutis impedire aut retardare possent, sint exempti. Omitto crebras Professorum cum Præfecto consultationes de discipulorum tum in moribus,

ribus, tum in disciplinis profectu, & varias ad hoc excogitatas industrias laudum, præmiorum, monitionum, disputationum, examinum. Omitto crebra cum illis colloquia, quibus studiosi ad studia & pietatem excitantur.

19 *Conclusio.* Ex quibus patet, si Professorum *Societatis* conditionem spectemus, quatuor in illis reperiri, quę non reperiuntur in alijs. Primò, quòd ex sua vocatione & instituto ad munus docendi etiam perpetuò, si Superiori videtur, sint comparati. Secundò, quòd nulla temporali mercede, sed solo Dei & proximi amore doceant, nihil aliud quàm profectum discipulorum quęrentes. Tertiò, quòd plurimis impedimentis, quibus seculares distrahuntur, sint exempti. Quartò, quòd optimis ad munus docendi præsidijs sint instructi; & optimâ in eo directionem habeant. Hæc cùm ita sint, mirum non est, si nostræ scholæ floreant, & ad illas magnus fiat vbique concursus, nostrique discipuli breui spatio magnos progressus faciant. Ex quibus ęstimare quilibet poterit quantum scholę nostræ Reipubl. & Ecclesiæ contulerint. Nec refert, quòd scholę secularium Professorũ modò passim meliùs se habeant, quàm olim: id enim æmulatione nostrorũ factum, nemo non intelligit. Nihil hac ęmulatione inter Professores ad studia excitanda vtilius: sine hac statim omnia in pristinum languorem reciderent.

Henricus IV. ob scholas reuocauit Societatem in Galliam. Hæc cùm perpenderet Henricus IV. Galliæ Rex, tanti scholas nostras fecit, vt earum causâ potissimùm *Societatem* in Galliam reuocarit, & in maioribus oppidis Collegia & scholas habere voluerit, vt iuuentus Gallica ab ea institueretur. Cùm enim *Societas* expulsa esset, nullis edictis cõtineri iuuentus potuit, quin relicta patria scholas *Societatis* frequentaret; adeò vt Duaci in nostro Collegio supra 500. vel 600. nationis Gallicæ (inter quos plurimi nobiles) aliquot annis numerati fuerint.

20 *Responsio ad argumenta num. 13. proposita.* Nunc veniamus ad argumenta Aduersariorũ.

Ad Primum, & *Secundum*: Respondeo Primò, Si munus docendi esset quędam nundinatio doctrinæ ad quæstum & priuatam vtilitatem, vel ad honorem & famam Magistrorum instituta, obiectio illa fortasse aliquem colorem haberet. Verùm cùm bonum publicum & institutio iuuentutis in litteris ac pietate hîc quæratur, si meliùs vel certè commodiùs id præstatur in scholis *Societatis*, parui videtur faciendum, quòd aliqui Professores seculares pauciores auditores habeant. Id enim paucorum est incommodum, cui, tantum bonum meritò præponderat.

Respondeo Secundò, etsi multi ad scholas *Societatis* confluant, cæteri tamen Professores tam Louanij, quàm Duaci non destituuntur honesto auditorio, adeò vt modò etiam Louanij ferè tot habeant, quot olim ante annos 40. Neque modica ab his emolumenta percipiunt, vt quæ 400. 500. 600 florenos dicantur excedere: imò quibusdam supra victum & amictum quotannis tantum supereat, vt paucorum annorum decursu sumptus Licentiæ & Doctoratus facilè tolerẽt, ad quos supra 1200. vel 1500. florenos opus est. Taceo de didactris, & alijs sumptibus plurimùm auctis. Quando Professores sunt diligentes & assidui in professionis munere, & bonam seruant disciplinam, nunquam deest discipulorum copia, vt experientia plurimis iam annis ostendit.

Ad Tertium: Fateor ad honorem Principis & bonum publicum pertinere, vt habeat Professores celebres & eximios, qui nominis sui & doctrinæ ac disciplinæ famâ possint vndique iuuentutem allicere. At huic rei impedimento non est *Societas*, sed maximo adiumento; vt quę omnia studia excitarit, & ad accuratiorem disciplinarum scrutationem & tractationem suo exemplo præiuerit. Conferantur antiqua commentaria & exercitia cum nouis, & magna cernetur discrepantia. Deinde non minùs ad honorem Principis & bonum publicum pertinet vt scholæ *Societatis* floreant, & præclaros Professores habeant: tum, quia *Societas* ex instituto sui Ordinis ad docendum est mancipata, & Reipublicæ ad hoc se adstringit; eique & Principi in eo inseruit non minùs, quàm seculares Magistri, qui pro suo arbitrio id munus capessunt & deponunt: tum, qui docent, & qui docentur in scholis *Societatis*, non minùs sunt subditi Principis, & Reipublicæ Belgicæ ciues, quàm in scholis aliorum Magistrorum: tum, quia institutio in scholis nostris non minùs est accurata, imò in religione & moribus si communi hominum iudicio credimus (vt de disciplinis nihil dicam) multò accuratior. Solùm in eo est discrimen, quòd Professores *Societatis* solo victu & vestitu contenti, solius Dei amore, & desiderio profectûs iuuentutis doceant, nec vlla stipendia à Principe, Republica, vel iuuentute expectent. Seculares verò Magistri ampla stipendia, beneficia, ac dignitates sibi propositas habeant. An idcircò minorem fauorem *Societatis* scholæ merentur, aut minùs Principi & Reipubl. curæ esse debẽt quòd *Societas* gratis huic muneri vacet, cæteri stipendia, beneficia, & honores expectent? Itaque iniuriam faciunt tam Reipubl. quàm *Societati*, qui ita de scholis *Societatis* loquuntur, ac si bono publico non essent institutæ, sed ei potiùs officiant. Quasi bonum publicum in eo situm sit, vt scholæ Magistrorum secularium in Vniuersitatibus magno studiosorum numero abundent. Sanè in Galliæ regno plusquam 20. locis in scholis *Societatis*, petente Rege & Prouinciarum Rectoribus, Philosophia traditur, vt non opus sit ciuibus eam ob causam ad Vniuersitates liberos suos cum ingenti sumptu & periculo corruptelę mittere. Qua commoditate oblatâ tota ferè nobilitas Gallica Philosophiâ suos filios excoli cupit; quod in magnum illius regni cedit ornamentum: fiunt enim hac ratione ad omnia Reipub. munia longè aptiores: Nihil est quod æquè ingenia acuat & aperiat. Nihilominùs Vniuersitates sat multos habent auditores: Nam plerique qui Philosophiam extra Vniuersitates audiuerunt, pulchritudine disciplinarum capti conferunt se postea ad Vniuersitates, vt Superioribus disciplinis dent operã, qui alioqui nunquam ad Vniuersitates fuissent venturi. Hoc tamen vt in Belgio fiat, non ago. Solùm volo ostendere bonum publicum non esse in eo situm vt Vniuersitates maximâ multitudine adolescentum in scholis sæcularium Magistrorum abundent.

21 *Gloria scholarum Societatis redundat in Principem.*

In Gallia florent Societatis scholæ.

22 *Non obest Reipubl. multa præclara ingenia Religionem ingredi.* *Ad Quartum*: Fatemur quotannis ferè aliquot ex discipulis se nostro Ordini addicere, sed triplo plures ad alios Ordines transeunt. Neque id in detrimentis Reipub. sed in benedictionibus deputandum: quia Deus per tales disponit Reipublicæ benefacere. Si enim Reipub. bonum est

habere

habere multos ciues, qui chari sint Principi & familiares, per quos multa impetrari à Principe queant; multò magis bonum est habere multos ciues, qui sint chari Deo summo Principi (à cuius prouidentia tota Reipubl. prosperitas pendet) & multa ab eo in salutē Reipubl. impetrare possint. Nulla re magis Respubl. firmatur, quàm Religione, & Religiosorum virorum precibus & meritis, vt præter alios, multis locis Iustinianus testatur, & omnes pij Principes semper senserunt. Parùm Christianum est, damnum Reipubl. ducere, quòd insignes adolescentes seculo deserto Christi vestigia sequantur, & ad *Societatem*, vel aliam Religionem se conferant. Cùm Mauritius Imperator ad instaurandum exercitum Romanum bellis Persicis valdè attritum lege sanxisset, Ne quis ante militiam expletam ad Religionem transiret, S. Gregorius se illi opposuit, impiam, Deoque contrariam legem esse dictitans, vt constat ex Epist. 61. lib. 2. Quantò magis impium, Deoque aduersum sensisset impedire ne adolescentes in illo ætatis lubrico & salutis periculis, se Christo addicant? Denique sepissimè fit vt qui in seculo Reipubl. & Ecclesię fuissent parùm vtiles; vel etiam noxij morum licentiâ, vel opum ac honorum studio, in Religione sint vtilissimi. Imò in *Societate* omne studiū omnisque industria in eo versatur, vt quàm plurimum boni in Republ. & Ecclesia suis ministerijs quisque præstet.

Mauritius Imperator id prohibens reprehenditur.

Doctorum nunc plena omnia.

Quod ad Parochos attinet, nunquam maior doctorum & præstantium Parochorum in Ecclesia copia, nunquam magis instructi ad hoc munus accesserunt. Testantur id multi Episcopi, qui discrimen quorundam antiquorum, & nouorum considerant. Olim nihil ferè aut parum de conscientiæ casibus plerique nouerant. vnde & modò reperiuntur varijs locis, qui neque de censuris, neque de distinctione peccati mortalis, & venialis, neque de contractuum iustitia & limitibus, alijsque ad hoc munus pertinentibus, vel mediocriter sunt instructi. Pari modo Curiæ plenę sunt doctis Aduocatis, & Consiliarijs, & vbique magnus doctorum virorum numerus.

Quòd si *Societas* in varijs disciplinis videatur aliquid amplius præstare quàm multi sæculares, huius rei causa non tam est ingenij excellentia, quàm assiduum studium, & vacuitas ab alijs occupationibus & distractionibus, & gratia propriæ vocationis: quibus rebus fit vt duplo vel triplo plus temporis ad studia conferre possint, quàm sęculares qui plurimis curis distrahuntur, & Deus conatibus eorum, quos ad hoc munus vocat, peculiari gratiâ aspirat.

23 *Ad Quintum*: Optandum Principi & Reipublicæ moderatoribus bonum publicum quærentibus, vt & Clerus & Religiosi Ordines multum auctoritatis apud plebem habeant. Hæc enim auctoritatis maximam vim habet ad plebem in Religione & obedientia Principis retinendam: Nusquam maior tranquillitas aut Reipub. prosperitas, quàm vbi magna est plebis erga Clerum & Religiosos ordines reuerentia. Quòd ad *Societatem* attinet, mirum est eam posse in suspicionem conspirationis aduersus Principem vocari: cùm suæ fidelitatis difficillimis temporibus tam illustre documentum dederit. Cùm enim tempore rebellionis & sæculares & Ecclesiastici, & plerique ex varijs Ordinibus religiosi, & multi ex Vniuersitatibus, iuramentum contra Principem susciperent; nemo ex *Societate* illud vnquam admisit, etsi bonorum omnium iacturam, cicctionem in exilium aduersarij minarentur, & magnum vitæ periculum impenderet. Si illis temporibus cùm tanta impenderent pericula, & communis error excusationem aliquam perfidiæ poterat prætexere, & capita Religionis ac Reipub. suo exemplo peirent, *Societas* in fide sui Principis perstitit, quâ ratione suspecta reddi potest extra pericula, & vbi nulla perfidiæ foret excusatio, sed labes manifesta & æterna? Qui in maximis Fidelis fuit, non dubitandum quin etiam in minimis talis sit futurus.

Societatis in suum Principem constans fides.

Denique considerentur illi qui *Societati* sunt addicti, eamque magni faciunt; & deprehendetur eos maximè & Religioni Catholicæ, & Principis sui obsequio esse addictos: quales si multi fuissent primis illis rebellionis temporibus, cùm imagines disturbarentur; credibile est totum illud malum, facilè fuisse impediendum: quo impedito nunquam calamitates illæ, quæ inde secutæ, Patriæ obuenissent.

Hæc sicut à me sincerè ex conscientiæ iudicio coram Deo, & in timore Domini scripta sunt, vt obtrectatoribus scholarum nostrarum responderi queat; ita velim à lectore accipi: quem rogo vt singula diligenter examinet, & tanquam coram diuino tribunali constitutus sincerè iudicet, & sententiam ferat.

SOCIETAS OFFICIORVM ROMÆ.

CASVS VNICVS.

Vtrùm Societas officiorum, prout Romæ iniri solet, sit licita?

NOtandum est, Romæ esse varia officia quæ varijs modis vendi solent, vt officium Notarij, Cursoris, & similium. 1 *Triplicitèr initur hæc Societas.*

Primus modus est, Petrus volens emere officium Notarij, quod vendi solet ad vitam 20. millibus aureorum, cùm solùm 10. millia habeat, adsciscit Paulum in societatem emptionis, sumens ab eo alia 10. millia: & sic comparat illud officium in commodum vtriusque pro ratâ pecuniæ collatæ. Ipse tamen manet primarius possessor & administrator officij, solumque soluit alteri 12. in centum quotannis. Hæc enim pensio ordinariè est constituta in huiusmodi officiorū societate. Hac tamen lege, vt si Paulus moriatur ante Petrum, Petrus non teneatur illi aut hæredibus restituere pretium 10. millium, quod Paulus contulerat; sed Paulus illud amittat. Si verò Petrus ante moriatur, teneatur Paulo pretium restituere. Atque hic est primus modus ineundæ istius societatis. 1. *Modus.*

Secundus modus est, cùm Petrus totum officium sibi comparauit suis pecunijs, & posteà admittit Paulum in societatem eiusdem officij; accepto ab illo pretio dimidiato, vel tertia aut quarta totius pretij parte. 2. *Modus.*

Tertius modus est, cùm miscetur tertia persona, v. g. Iacobus: quod sic vsurpatur. Iacobus egens summa 5000. aureorum, adit aliquem, v. g. Andream, vt hanc pecuniam mediante societatis contractu sibi comparet; quod vt fiat, vterque 3. *Modus.*

adit

adit Petrum : & Andreas numerat Petro quinque millia aureorum vt in societate illius officij pro rata illius summæ admittatur. Petrus acceptâ illâ pecuniâ Andream admittit : sed mox eandē summam numerat Iacobo qui pecuniâ egebat, transferens simul in illum onus soluendi quotannis 12. in centum ipsi Andreæ, ita vt Andreas nihil amplius à Petro possit exigere, sed totum ius quod habebat in Petrum, Andreas nunc habeat in Iacobum, vtroque ita volente & liberè consentiente. ita tamen vt si contingat Petrum officialem mori ante Andream, Iacobus teneatur Andreæ restituere sortem totam, nempe 5000. aureorum. si verò contingat Andream mori ante Petrum, Iacobus lucretur sortem, nec aliquid teneatur restituere hæredibus Andreæ. Denique licitum est vtrique parti singulis semestribus contractum dissoluere repetita sorte vel sponte refusa. His positis in specie facti

2 *In primo est vera societas.*

Dico Primò, Si hic contractus ineatur primo modo dum comparatur officium, est verus contractus societatis, ac proinde ex natura sua licitus, habens coniunctum pactum euentus fortuiti, qui etiam per se licitus est. Quòd sit contractus societatis, patet; quia sunt socij in emptione officij & in eius dominio ; & consequenter in lucro. In omni enim societate requiritur vt res, ex qua lucrum capitur, sit communis, & vterque efficiatur illius dominus, non totalis, sed partialis: ita vt omnes socij simul habeant integrum dominium, singuli verò seorsim dominium partiale Quòd si vnus tantùm esset dominus plenum habens dominium, non esset contractus societatis, sed censualis ; nam alij non haberent nisi ius fructuum pro rata pecuniæ collatæ.

3 *In 2. nec est contractus societatis, nec census realis.*

Dico Secundò, Si officium esset grauatum supra eius æstimationem, vel etiam ad æqualitatem æstimationis, & postea aliquis admitteretur, non esset verè contractus societatis, nec etiam census realis.

Prior Pars, Quòd non esset contractus societatis, patet; quia non potest quis fieri socius in re aliqua, nisi possit in illum transferri dominium partiale, & ius ad partē lucri illi dominio respondentem. atqui hoc fieri non potest quando ab alijs res tota est plenè possessa, ipsisque omnis fructus & lucrum debetur. nisi fortè aliquis illorum desinat esse socius, & ius suum in illum qui accedit, transferat. Vnde si administrator officij seu Officialis partem sibi competentem alteri vendat, poterit alter fieri socius, quia intrabit in partem dominij & iuris ad lucrum quod restabat Officiali.

Quòd etiam non posset esse contractus census realis quo emitur ius ad fructus alicuius rei, manifestum est ; quia omnes fructus alijs debiti sunt. nemo autem potest vendere aut emere ius quod aliorum est.

4 *Potest tamen censeri intervenire implicitus cōtractus census personalis.*

Dico Tertiò, Posset tamen in hoc casu ex quadam æquitate censeri emptio census personalis cum pacto euentus fortuiti : & hac ratione posset iste contractus vindicari ab iniustitia. Ratio est, quia est regula à multis Doctoribus recepta in foro conscientiæ, quòd quando partes intendunt iustè contrahere, & bona fide procedunt, etiamsi fortè cōtractus non sit iustus spectato titulo quem concipiunt expressè, tamen si alius titulus subsit iuxta quem contractus iustè fieri possit, contractum ad formam illius tituli reducendum : quia cùm iustè intendant contrahere, non censentur velle inhærere illi priori titulo quem concipiunt, sed alteri qui eos latebat ; hunc enim implicitè intendunt. Hoc modo Gregorius à Valētia & multi viri docti (a) hic Romæ circa annum Domini 1580. congregati excusabant contractum depositi pecuniæ pupillaris, qui in plurimis regionibus adhuc est in vsu, cùm tamen videatur manifesta vsura. Non facilè enim damnandum quod vulgò receptum, nec à nobis emendari potest: sed potius vt consulatur conscientijs, videndum an nulla ratione excusari possit. Quare cùm in hoc casu, per contractum census personalis, adiecto pacto euentus fortuiti prædicto, possit hic contractus cum tali lucro iustificari, nō putarem facilè damnandum à Confessarijs. Etsi enim expressè non intendant hunc contractum & sub proprijs terminis, tamen intendunt implicitè ; quia intendunt obligare personam Officialis, siue officium sit grauatum supra suam æstimationem, siue non. hoc autem propriè ad censum personalē pertinet.

(a) *Hinc collige hoc responsum ab Auctore Romæ datum.*

Confirmatur, Quia nisi id intenderent, & ita suum contractum vellent intelligi, exponerent se periculo perdendi totius lucri, quando officium esset grauatum : quia nullo titulo possent aliquid exigere ; & ita nunquam contraherent nisi re diligenter antè discussâ constaret illis officium non esse grauatum. Quare cùm non sit moris vt de ea re multùm sint solliciti, signum est eos intendere immediatè obligare personam Officialis quod ad censum personalem pertinet.

Mediante censu personali potest ad tantum lucrum peruenire.

Qnòd autem mediante censu personali possit ad tantum lucrum peruenire, sic ostendi potest. Census personalis perpetuus ordinariè reddit 6. vel 7. vel etiam 8. in centum quotannis pro locorum varietate, & semper manet sors salua donec refundatur: vt ergo sors possit extingui moriente emptore ante venditorem, potest emptor exigere 5. vel 6. in centum quotannis. nam in censu vitali vbi sors morte certæ personæ extinguitur, facilè 16. in centum accipi solent : ergo.

Obiectio

Dices, Est contra naturam reditus personalis vt sors ab emptore possit repeti, vt omnes fatentur : videtur enim manifesta vsura.

Solutio.

Respondeo, Esse contra naturam census personalis, si absolutè & purè hic contractus sit initus, non autem si adijciatur pactum quo hoc onus cōpensetur ; vel si ea in pensione adhibeatur moderatio per quam onus hoc compensari queat ; vt si cùm possis exigere pensionem 13. vel 14. in centū, exigas solùm 12. nam detractio illa duorum in centum videtur esse in compensationē istius oneris. & credibile est eos qui taxam illam 12. in cētum statuerunt, omnibus vtrimque oneribus & iuribus consideratis & pensatis, ita statuisse. ita enim æstimatio rerum & iurium taxari debet. Securius tamen esset si emptor non poset pecuniam suam repetere : tunc enim accederet magis ad naturam census : quia reuerà non est contractus societatis quando res est grauata supra æstimationem.

5 *3. contractus videtur licitus.*

Dico Quartò, Quòd ad tertium modum attinet, si contractus primus, nempe qui cum Officiali initur, est licitus, etiam licitus est secundus, quo Officialis consentientibus partibus transfert totum onus in tertiū. quia hoc nihil est aliud quàm cessio contractus in alium; qui contractus cessionis fieri licitè potest etiamsi primus contractus ex

parte

parte eius qui cum Officiali contraxit societatem veram vel simulatam, fuisset iniustus, vel etiã vsurarius. Nam qui acceptâ pecuniâ ab vsurario grauatur vsurâ, potest statim cedere contractu in aliũ id petentem, numerata illi sorte accepta, & translato in illum onere soluendi vsurario: nihil enim ipse lucratur, nec alteri mutuat sub vsura, sicut fecit vsurarius cum ipso, sed cedit contractu cum vsurario inito, petente id altero.

Si tamẽ census personales istis locis nullo modo sunt permissi, res est difficilior, nec volo tales contractus excusare. *Alterum de hac materia Casum vide infrà* V. Vsura Cas. vlt.

SPONSALIA.

Sponsalia cum multis fictè inita.

CASVS I.

Titius adolescens Antuerpiensis multas virgines paris conditionis sub ficta promissione cõiugij corrupit in Anglia & alibi.

QVÆRITVR, *Quam teneatur ducere: & ad quid teneatur?*

1 *Ducat primam, si illa fraudem non aduerterit.*

DIco Primò, Tenetur ducere primam, si ipsa fraudem aduertere nullo modo poterat. Secundam vel tertiam ducere non tenetur: quia etiamsi seria promissio fuisset & iuramento confirmata, irrita esset, cùm iam sit primæ obstrictus: nõ enim poterat cum iniuria primę validè promittere secundæ vel tertiæ. Vnde sequitur, etiamsi contingat illum cum prima transigere, tamen non teneri ad secundam. Sicut qui seriò cum duabus cõtraxit sponsalia, non obligatur secundo cõtractu, etiamsi transigat cum prima: eò quòd contractus secundus ab initio irritus fuit, qui non conualescit per illam transactionem.

Secundam, si prima aduerterit, & sic deinceps.

Dico Secundò, Si prima potuit facilè aduertere subesse fraudem, tenetur ducere secundam; nisi & hæc idipsum aduertere potuerit: tunc enim tenetur ducere tertiam, & sic deinceps. Ratio est, quia ex contractu & commercio cum prima, non fuit orta obligatio, ac proinde mansit liber, & sic potuit se obstringere secundę &c.

2 *Ductâ primâ, ceteris tenetur de damno, si secutum.*

Dico Tertiò, Eo casu quo tenetur ducere primam, tenetur cæteris de damno, si quod secutum fuerit occasione huius factæ promissionis. Hoc enim locum habet in omni contractu. Nam qui malâ fide init aliquem contractum cum aliquo, si non impleat, tenetur de damno inde secuto. Si nullum damnum secutum est, vt si æquè benè nupsit, si Religionem ingressa est, si cælibem vitam ducere statuit, denique si res secreta mansit, non videtur ad vllam restitutionem teneri, sed solùm ad aliquam satisfactionem pro iniuria. Non videtur autem damnum secutum, nisi quando à ditioribus & honestioribus ob hanc causam reijcitur, qui eam aliàs libentur accepissent. Vel nisi grauia incommoda ob hanc causam à marito, qui postea id deprehendit, perferre cogatur. Vel denique nisi proles secuta sit: hanc enim pater alere tenetur vnà cum matre. Præsumetur autem esse proles ipsius, si tempus respondeat, nisi constet eam alijs corpus suum vulgasse: Præsumitur enim non violasse fidem datam, nisi de contrario constet, &c.

Si secuta proles.

In dubio damni.

Dico Quartò, In dubio tenetur inquirere eo modo quo potest & debet fieri in re magni momenti, an damnum secutum sit: & si quid deprehensum sit, compensare pro sua facultate. Quia omne damnum iniustè datum, compensandum, quantum fieri potest.

Dico Quintò, Sunt aliquot causæ quæ possent prædictum adolescentem excusare ne vel teneatur ducere, vel damnum compensare. Primò, Si illæ virgines facilè aduertere vel suspicari potuerunt fraudem subesse. Tunc enim neque tenetur ducere, neque damnum compensare: quia eas non decepit, neque causa damni fuit per iniuriam, sed ipsis consentientibus.

3 *Quibus casibus non teneatur ducere, vel damnum cõpensare.*

1. *Si poterant suspicari fraudẽ*

Secundò, Si sit hæretica: tunc enim non tenetur ducere, nisi velit fieri Catholica: Nec etiam tenetur damnum compensare: Quia hoc ipso quo excusatur ab illa ducenda ex culpa illius, excusatur etiam à damno sarciendo.

2. *Si hæretica.*

Tertiò, Si fornicata sit postea: imò si antè fornicata est, & ipse id ignorauit quando cum illa cõtraxit. Quia hoc satis est ad seria sponsalia, etiam iurata dirimenda: & ipsa cogitare debebat quod ei fidẽ nõ esset seruaturus si hoc resciscceret. Vnde nec tenetur damnum compensare.

3. *Si postea fornicata.*

Quartò, Si parens puellæ nolit eam dare. Quo casu etiam non tenetur compensare.

4 *Si earum parentes nolint.*

Quintò, Si facultates non suppetunt ad damnum compensandum, & singulis solùm modicum quid restituere possit, quod non sit tanti momenti vt prudentis arbitrio ad illas regiones sit mittẽdum, aut vlterior inquisitio facienda: tunc enim non teneretur de damno ob impossibilitatem.

5. *Si ipse sit pauper.*

Sextò, Perpendendum etiam an non cum manifesto periculo animæ esset rediturus, v. g. in Angliam, vt primam, vel secundam ducat: tunc enim non teneretur eò ire.

6. *Si periculum sit animæ.*

Septimò, Si illa vocata nollet venire Antuerpiam; quia tenetur sequi sponsum, nisi contrarium in contractu expressum sit, præsertim cùm sciret illum esse externum. Itaque si vocata nolit venire, manet liber ab ea ducenda, & etiam à damni compensatione. Posset hac ratione etiam vti cum alijs quas non tenetur ducere, vel cum parentibus earum. Videndum tamen an non promiserit se rediturum, & eam ibi ducturum &c.

7. *Si nolit ad eum vocata venire.*

Ex his colligi potest quid fieri possit in præsenti casu. Mirandum non est si in praxi hic casus sit difficilis, nec facilè tales adolescentes extricari possint: quia damna multiplicia sunt, & fraudes obligationesque variæ.

4

CASVS II.

Promissio dandę tibi pecuniæ, nisi te ducam.

Quidam adolescens nobilis 17. vel 18. annorum sub Curatoribus constitutus, cum ageret Parisijs, incidit in quandam mulierculam, quæ ita suis blanditijs & amoribus illum sibi obstrinxit, vt schedulam ab eo extorserit, in qua scripsit se ab ea mutuò accepisse mille quingentos aureos gallicos, illi restituendos, nisi eam in vxorem duceret.

QVÆRITVR, *Vtrùm ratione illius schedulæ aliquid in conscientia ei debeatur, aut in foro externo aliquid ab eo possit exigi?*

5 *In foro conscientiæ ad nihil tenetur.*

REspondeo Primò, Certum est Nobilem illum Adolescentem in foro conscientiæ ad nihil teneri: quia fundamentum totum falsum est. Dicitur enim debere ex mutuo, cùm non solùm nullam ab ea pecuniam mutuam acceperit; sed multas & profusas largitiones in eam fecerit.

Deinde adolescens nullum habuit animum tam immanem summam soluendi, aut se obstringendi: sed fecit hanc syngrapham ad eius petitionem, vt posset eius amoribus frui; vt ipse testatur.

Nec in foro externo. Respondeo Secundò, Sed nec in foro externo aliquid exigi potest. Primò, Quia facilè probari potest fundamentum totum falsum esse. Vnde enim illa meretricula tantum pecuniæ, nimirum 1500. aureos Gallicos (tantum enim dicitur mutuasse adolescenti) habuisset? & cur illam pecuniam non voluisset sibi restitui, nisi in euentu quo non procederet matrimonium? Denique, cùm ipsa illi litem intentarit ad obtinendum eius matrimonium, cur nullam huius mutui mentionem fecit, sed solùm petijt à Iudice, vt quo casu illam non esset ducturus, condemnetur in pœnã 1500. aureorum sibi ab illo promissorum? vbi manifestè detegitur mutui figmentum. Nihil quoque obtinuit, præterquam quòd duabus sententijs conformibus ab eius matrimonio repulsa fuerit.

Secundò, Quia minor non potest se validè obligare absque Curatoris auctoritate, vt ex multis Iuribus constat l. 3. & 5. Cod. *De in integrum Restitut. min.* Et si in aliquo contractu læsus sit, potest vti beneficio restitutionis in integrum. Et si non soluerit, potest petentem submouere exceptione minoris ætatis. Atqui in ista promissione enormis læsio continetur.

Tertiò, Etiamsi verum esset illum accepisse pecuniam istam mutuam (quod tamen constat esse falsum) tamen non teneretur soluere beneficio legis: quia nihil ex ea pecunia in rem eius conuersum, sed tota in luxum & lasciuiam effusa fuit. l. 2. C. *De filio familias.*

CASVS III.

Dilatio promissi matrimonij in triennium inuitâ parte.

Laurentius dedit Mariæ spem matrimonij, & eo modo impetrauit vsuram corporis. Deinde cum iuramento id ei promisit absolutè. Posteà tamen coram patre & matre Mariæ dixit se contentum illam ducere, si posset id fieri cum bona parentum suorum gratia. Denique solemniter cum illa contraxit sponsalia coram Parocho.

QVÆRITVR Primò, *An Laurentius teneatur, & possit cogi Mariam ducere?*

QVÆRITVR Secundò, *An possit Laurentius vt suis parentibus satisfaciat, differre matrimonium ad triennium? Et quo pacto impediri possit ne aliam ducat?*

6 *Tenetur eam ducere.*

AD *Primum*: Respondeo, Non videtur dubitandum quin Laurentius teneatur, & possit cogi Mariam ducere. Primò, Quia hoc ipso, quo ab illa impetrauit vsuram corporis, potest & debet cogi per Iudicem (querelâ ad eum delatâ) vt eam ducat, etiamsi nulla promissio interuenisset: vt patet ex cap. 1. *de Adulterijs*, & communiter tradunt Doctores. Vide Couar. de Sponsal. parte 2. cap. 8. §. 8. Secundò, Non solùm potest cogi per Iudicem vt eam ducat, sed etiam tenetur in foro conscientiæ ante omnem sententiam. Cùm enim dedit spem matrimonij, & eo modo impetrauit vsurã corporis, censetur aliquo modo tacitè promisisse. Spes enim non datur alteri nisi aliquo modo promittendo, saltem sub aliqua cõditione: ac proinde, nisi res sint valdè mutatæ, tenetur implere. Deinde, quia posteà cum iuramento promisit filiæ absolutè, quòd illam esset ducturus, à quo iuramento nemo potest illũ liberare absque cõsensu filię, sed sub peccato mortali tenetur implere. Nec refert quòd posteà coram patre & matre filiæ dixerit se contentum illã ducere, si posset id fieri cum bona parentum suorũ gratia, vbi videtur apponere conditionem: quia hanc conditionem antè non apposuit, quando promisit filiæ absolutè cum iureiurando. Præterea tenetur, quia cõtraxit solemniter coram Parocho sponsalia cum illa, & promisit illi nuptias absolutè, nulla addita conditione de consensu parentũ suorum. Nec refert quòd posteà talem conditionẽ addiderit: quia contractu absolutè semel inito, fas non est ex interuallo aliquam conditionem vel restrictionem apponere inuita parte, vt docet Couar. lib. 1. Variar. cap. 14. Idem habetur expresè L. *Perfecta*, C. De donat. quæ sub modo.

Ex quibus perspicuum est Laurentiũ teneri in conscientia Mariam ducere, nec posse ab hoc vinculo à quoquam illâ inuitâ absolui.

Ad Secundum: Respõdeo Primò, Quòd ad tempus attinet: non tenetur puella expectare trienniũ; 7 nec parentes Laurentij possunt talem terminũ statuere: sed tenetur Laurentius primo quoque tempore iuxta mentem, quam in sua promissione habuit, exequi quod promisit: & ad hoc cogi per Iudicem potest. Omnes enim huiusmodi promissiones nisi aliud expresè caueatur, ita intelligendæ sunt, vt censeantur se obligasse ad exequendum primo quoque tempore. Quo modo etiam vota sunt interpretanda. *Puella non tenetur expectare triennium.*

Nec obstat quòd ipse alteri magistro operã addixerit; quia illa obligatio est posterior: vnde nihil circa priorem obligationem mutare potuit. Deinde, quia etiã junctus matrimonio illi obligationi posteriori poterit satisfacere, vt narratur.

Neque refert quòd Laurentius dicat se non habuisse intentionẽ se obligandi: quia id solũ videtur dicere de promissione illa solemni facta corã Parocho: vnde saltẽ in priori promissione facta puellæ sub iureiurando, animum se obligandi habuit. Deinde, etiamsi diceret se nunquam habuisse animum sese obligandi, id minimè curandum: quia in foro externo præsumendum contrariũ, & omnes huiusmodi fraudes sunt reijciendæ: alioqui nihil esset tutum in contractibus humanis, nec societas humana posset subsistere. Itaque nulla ratio habenda talis excusationis. Imò qui talia de se dicit, grauiter suum honorem lædit; quia se impostorem fatetur.

Respondeo Secundò, Modus quo Laurentius impediatur ne aliam vxorẽ, pendente controuersia ducat, Mariâ, cui honorem abstulit, infami relictâ, est varius: Primò, Vt moneatur Episcopus vt sub pœna excommunicationis id ei prohibeat, & præcipiat vt expectet finem controuersię. Secundò, Vt moneantur Parochi ne illum coniungant. Tertiò, Vt rogetur Episcopus ne dispensęt in proclamationibus. 8 *Modus cogendi Laurentium.*

Quòd ad parentes Laurentij attinet, ipsi non possunt impedire hoc matrimonium, sed tenentur illud permittere. Quia non possunt impedire ne filius exequatur id, ad quod tenetur. *Parentes nõ possunt obsistere huic matrimonio.*

Possent hæc omnia & singula multis Iuribus & rationibus confirmari: sed in re clara non est opus immorari.

CASVS

CASVS IV.

Matrimonium de præsenti nullum non inducit sponsalia.

Puella quædam Nobilis sedecim annorum, cuidam Nobili Adolescenti, sed inferioris fortunæ; multis verborum lenociniis inducta, tandem hac forma verborum se obstrinxit. Ego N. promitto Domino N. fidem & fidelitatem, iurans per sanctam Trinitatem, per sancta Euangelia, & per Iesum quē spero in cælis, me nunquam alteri nupturam: eumque accepi, & ex nunc accipio in maritum, etiamsi nostrum matrimonium intra multos annos non sequatur: si fortè eius parentes vel mei, id vellent impedire. Supra hoc do hanc meam signaturam prædicto Nobili. *Postmodum vehementer pœnituit hanc puellam facti, & parentes admodum repugnant.*

QVÆRITVR, *An ex hoc contractu maneat obstricta?*

9 *Non est hic Matrimonium.*

VT respondeam: Suppono tanquam certum, hunc contractum non efficere matrimoniū: quia initus est, vt suppono, absque præsentia Parochi & testium, eo loco, vbi Concilium Tridentinum de clandestinis matrimonijs, quod habetur sess. 24. cap. 1. est promulgatum.

Dubitatur an sint sponsalia.

Sed difficultas est, Vtrùm non habeat saltem vim sponsalium. Videtur enim habere: Primò, Quia videtur esse promissio de futuro, quatenus *iurat se nunquam alteri nupturam*: insinuat igitur & tacitè promittit se nupturam illi: atqui talis promissio efficit sponsalia, si sit reciproca.

Secundò, Quia confert ipsum matrimonium in tempus futurum, dum ait: *Etiamsi nostrum matrimoniū intra multos annos non sequatur, si fortè* &c: ergo intendit contrahere sponsalia.

Tertiò, Quia matrimonium impuberum contractum per verba de præsenti, etiamsi non habeat vim matrimonij, tamen habet vim sponsalium: vt patet Cap. vnico, De desponsatione Impuberum in 6. quia censentur velle contrahere quantum possunt: ergo similiter hic.

Quartò, Quia omnis promissio, etsi per se inualida, si tamen accedat ius iurandum, & res sit talis quæ sine salutis dispendio fieri possit, seruanda est: vt expressè habetur Capit. *Quamuis pactum*, de Pactis, in 6. hic autem talis est promissio: ergo.

Quintò, Quia partes videntur omni modo voluisse contrahere; vnde quædam verba sonant cōtractum de præsenti, quædam de futuro, vt si non valeret vno modo, valeret altero.

10 Hæ rationes non parum adferunt difficultatis. Vnde pro maiori certitudine putarem inquirendam puellæ mentem: an re vera intenderit omnibus modis se obstringere; an verò solùm cogitauerit de matrimonio, & cur illa alia verba addiderit. Si tamen de mente eius constare non possit, & tota res ex istis verbis definienda sit, adhuc *Probabile est non esse sponsalia.* satis probabile videtur non esse sponsalia.

Primò, Quia per illa verba: *Ego promitto domino N. fidem & fidelitatem, iurans* &c: (quæ maximè videntur fauere sponsalibus) videtur tantùm intendisse matrimonium de præsenti: quia alioquin illa quæ subijciuntur; *Eumque accepi, & ex nunc accipio in maritum*, non possent habere vllum sensum: nō enim possunt aliter aceipi, quàm quòd verbis præcedentibus intenderit contrahere matrimonium. Itaque illa promissio intelligenda est de fide, & fidelitate maritali. Adijcit autem iramentum non habendi alteri, ne sponsus metueret illam recessuram à contractu clandestino, qui testibus probari non poterat.

Secundò, Quia illa verba, *Eum accepi, & ex nunc accipio in maritum*, aptissimè significant contractum de præsenti, non sponsalia. Nec obstant illa quæ subijciuntur, *etiamsi nostrum matrimonium intra multos annos non sequatur*: quia illa intelligēda sunt de contractu publico & solenni, qui etiamsi matrimonium occultè antecā contractum sit, fieri consueuit.

Probabile est clandestinū matrimonium non habere vim sponsalium.

Tertiò, Quia quidam DD. docent matrimoniū clandestinum ex dispositione Concilij Tridentini ita esse nullum, vt etiamsi contrahentes intendant se obligare eo modo quo possunt, tamen non habeat vim sponsalium: eò quòd contractus exterior sit nullus, & interna intentio sine actu externo valido, non sufficiat ad inducendam obligationem: ita noster Thomas Sanchez vir doctissimus lib. 1. de Matrimonio disp. 20. nu. 6. Puto tamen hanc sententiam non esse veram: & quamuis vera esset, non satis benè posse aptari nostro casui: quia non desunt verba quę possint significare promissionem de futuro: non tamen nego esse probabilem, etiam in nostro casu.

Quibus omnibus consideratis, probabile iudico non esse obligationem sponsalium, aut vllam aliam, ac proinde puellam illam liberam esse. Valdè tamen probarem vt agatur cum adolescente, vt vicissim se liberent, & à iuramento absoluant.

11 *Studetur vt vicissim sese liberēt promisso.*

Addo, Etiamsi teneremus contractum illum habere vim sponsalium; si tamen parentes puellæ nullo modo vellent consentire ob imparitatem, & putarentur grauia incommoda secutura ex matrimonio sic inuitis parentibus inito, posse peti dispensationem à Summo Pontifice, inuito iuuene. Quia quando causa legitima subest, potest Pontifex absoluere à iuramento in præiudicium tertij; vt docet Paludanus in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 2. conclus. 3. & alij Doctores, præsertim cùm id præstitum sit à puella, iuuene, & multis blanditijs illecta. Imò probabile est tali casu dum grauia incommoda timentur, vt odia, rixæ, inimicitiæ inter consanguineos sponsorum, vel odia parentum in liberos, non opus esse dispensatione: tum, quia tacitè huiusmodi euentus censentur excepti: tum, quia iustitia non potest obstringere ad id, quod sine peccato fieri nequit; quale est, contrahere matrimonium cum scandalo proximorum, & parentum graui & iusta indignatione. Ita tenet Nauarrus cap. 16. num. 18. Lopez 1. parte cap. 76. Sanchez lib. 1. disp. 14. vbi etiam alios pro hac sententia citat. Nec obstat iuramentum: quia de actu illicito non obligat, quamuis id fiat cum præiudicio tertij.

Posset peti à Pontifice dispensatio inuita parte.

Probabile tamen est non esse opus dispensatione.

Ad Primam rationem: Patet responsio ex dictis. Illud enim iuramentum factum videtur ex suppositione matrimonij, ad reddendum alterum securum. Vnde cùm suppositio fuerit falsa, iuramentum concidit: quia actus non operantur vltra intentionem agentium.

12 *Soluuntur argumenta contraria sententia.*

Ad Secundam: Puella hæc non confert in futurum, nisi contractum solennem; sicut olim interdum faciebant qui clandestinè contrahebant de præsenti.

Cur matrimonium impuberũ potiùs habeat vim sponsaliũ, quàm matrimonium clandestinum.

Ad Tertiam: Neganda est consequentia: est enim dispar ratio. Contractus enim Impuberum per verba de præsenti, habent vim sponsalium; quia sponsalia cẽsentur contineri in matrimonio, sicut votum simplex in professione, nisi Ius impediat. Hîc autem non impedit, sed approbat, & sic illorum contractum interpretatur; vt patet Cap. vnico, de Desponsatione Impuberum in 6. Secùs verò est in contractu matrimonij clandestini: nam Ius huic contractui resistit, eum penitùs irritum reddens, tanquam noxium bono communi. Concilium enim Tridentinum sess. 24. cap. 1. De reform. matrim. non solùm huiusmodi contractum prohibet, sed etiam *contrahentes ad sic contrahendum inhabiles reddit*: si sunt inhabiles, ergo nullus omnino sequitur effectus, nulla obligatio. Præterea, etiam ipsum *contractum irritum & nullum decernit*: at non esset contractus irritus, si haberet vim sponsalium: sicut contractus impuberum de præsenti non est irritus, etsi matrimonium non efficiat. Hanc sententiam tenent multi Auctores qui post Concilium Tridentinum scripserunt, vt Nauarrus, Ledesma, Lopez, & alij, quos citat Thomas Sanchez lib. 1. disp. 20.

Ad Quartam. Iuramentum confirmat quidem promissionem de futuro: sed hîc non est promissio de futuro, sed de præsenti; cui Ius omnino resistit & irritum reddit, nullam ex eo volens oriri obligationem. Sic qui contraxit matrimonium iniusto metu compulsus, etiamsi millies iuret se contrahere & accipere hanc in coniugem, nihil facit.

Ad Quintam. Patet ex dictis.

CASVS V.

Promissio matrimonij sub conditione copulæ.

Adolescens Belga Nobilis obtinuit copulam carnalem Puellæ imparis conditionis Parisijs, sub promissione matrimonij.

QVAERITVR, *An illo actu censendus sit consummasse matrimonium?*

13 *Censetur hæc promissio fuisse ficta & simulata.*

ADolescens ille duobus modis se tueri potest, quòd illo actu matrimonium non consummarit. Primò, Quia non præsumitur ex animo, sed fictè & simulatè promisisse matrimonij, ad obtinendam solùm vsuram corporis. Quod præsumi potest, tùm ex imparitate conditionis, tum quia clanculum absque consueta solemnitate inter amores hæc promissio facta. Vnde non est præsumendum quòd eam cognoscendo voluerit consummare matrimonium, ne videlicet fornicando peccaret. Sic passim Doctores ante Concilium Tridentinũ cùm valerent matrimonia clandestina, & sponsalia vera transibant in matrimonium per copulam carnalem, docent ex imparitate conditionis, cùm promittitur matrimonium sub conditione copulæ, præsumi verum animum contrahendi defuisse, & ita promissionem non transire in matrimonium per copulam: imò nec talem cogi posse vt puellam ducat. Quæ doctrina communiter recepta hîc omnino locum habere videtur.

Secundò, Se tueri potest, quia matrimonia clandestina saltem ab anno 1602. Parisijs habita fuerunt irrita, vt in adiunctis narratur ex responso primarij Doctoris Domini De Val. Si habita fuere irrita, re vera sunt irrita. Nam ideò habita sunt irrita, quia ab eo tempore receptum fuit decretum Concilij: tunc enim in omnibus parochijs decretum illud fuit promulgatum, vt hîc narratur: & ab eo tempore matrimonia clandestina fuerunt irrita iudicata. Nec obstat quòd alia quædam auctoritate regia fuerint addita, v. g. de consensu parentum habendo, &c. quia *Vtile per inutile non debet vitiari*: sunt enim hæ planè diuersæ leges, quarum altera non pendet ab altera. 14 *Clandestina matrimonia ab A. 1602. Parisijs irrita.*

Dices, Illam promulgationem non factam fuisse auctoritate Ordinarij, sed regia, quæ in re spiritali non potest vim legi dare. 15 *Quomodo possit laicus promulgare leges Ecclesiæ.*

Respondeo Primò, Regem non promulgasse illud decretum tanquam suam ordinationem, sed tanquam ordinationem Concilij, quam & ipse sua auctoritate præcipiat seruari. Vnde id fecit tanquam instrumentum Ecclesiæ, & cum expresso vel tacito Ordinarij consensu. Et quamuis potestas laica non possit suo præcepto in materia spiritali imponere obligationem subditis, potest tamen cum cõsensu expresso vel tacito Ecclesiæ statuere pœnas transgressoribus legum Ecclesiæ: & ad hoc valet promulgatio auctoritate laica facta.

Respondeo Secundò, Etiamsi promulgatio illius decreti non pertineret ad Regem, nec eam consensu Ecclesiæ fecisse præsumeretur, sufficit tamen illud decretum communiter esse receptum in singulis parochijs: receptio enim supplet vicem promulgationis. Non enim requirit Concilium promulgationem in singulijs parochijs tanquam essentialiter necessariam ad obligationem, sed vt decretum ad omnium notitiam possit deuenire, nec quenquam possit latere, vt expressè cap. illo primo, sessione 24. dicitur. Et quamuis statuat vt huiusmodi decretum in vnaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, à die primę publicationis in eadem parochia factæ numerandos; non tamen ideò negat absque tali publicatione per receptionem & vsum vim habere posse. Cur enim vellet excludere modum illum inducendæ obligationis communem omnibus legibus? Sic leges Imperatoriæ etiamsi requirant promulgationem in prouincia, tamen si contingat illas recipi in prouincia ante illam promulgationem, haud dubiè obligabunt. Vnde si post illam promulgationem in S. Germani, de qua D. Bouchier, receptum fuisset hoc decretum in omnibus parochijs tanquam promulgatum in singulis, verè ex eo tempore vim habuisset. Verùm non fuisse receptum indicat D. De Val, qui dicit Sorbonam iudicasse matrimonia clandestina valida vsque ad annum 1602. *Promulgatio non requiritur, quando aliunde lex satis innotescit.*

CASVS VI.

Votum Castitatis dirimit sponsalia.

An Virgo emissione voti simplicis Castitatis, possit se soluere obligatione sponsalium simplicium de futuro?

ETsi Dominatio Tua facilè possit ex Auctoribus qui circumferuntur, dubitationem propositam soluere: tamen quia placuit ad me mittere, respondebo breuiter. 16

Sentio

Sentio itaque Virginem illam posse se soluere obligatione sponsalium simplicium de futuro, per votum simplex castitatis. Ita enim sentiunt magni Auctores: Angel. V. Sponsal. n. 40. *Sextus decimus*, inquit, (scilicet casus quo soluuntur sponsalia) *propter votum castitatis postea factum: vt in* Cap. *Veniens*, Qui Cler. vel vouentes, *secundùm vnum intellectum*. citat pro eâdem sententiâ Directorium, & Ioannem And. in Cap. *De illis*, de Sponsalibus. Eandem sententiam vt probabilem tenet Richardus in 4. dist. 27. *In tertio principali*. qu. 4. §. *Decimus*. Dominicus Soto in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 5. sic ait: *Vtrùm per votum castitatis dirimantur sponsalia, disputari solet: attamen in dubium vocari non debet quò minùs tale votum sit licitum, atque adeò sponsalia dirimens, cùm sit melioris frugis; quæ exceptio semper in sponsalibus implicatur*. vide sequentia. Omitto Recentiores, qui passim hanc sententiâ sequuntur. Eadem sententia colligitur ex D. Thoma in Addit. quæst. 53. art. 1. ad 1. *Propter votum*, inquit, *simplex sponsalia sunt dirimenda*. & Siluester Verbo Sponsalia, num. 10.

Itaque censeo securè permitti posse isti Virgini vt votum castitatis, in seculo manens, emittat; & sic sese ab obligatione sponsalium simplicium liberet.

CASVS VII.

Electio Sacerdotis qui matrimonio affistat.

Titius magnæ vir nobilitatis, multo tempore inescatus amoribus puellæ inferioris conditionis, vult cum ea inire matrimonium, sed planè clanculum ob graues causas. Quare petit secum dispensari in proclamationibus, & vt coram ignotis testibus & Religioso aliquo Sacerdote liceat contrahere.

QVÆRITVR, *An validè & licitè talis dispensatio indulgeri possit?*

17 *Dispensatio hæc est valida.*

REspondeo, Dubium non esse quin matrimonium secundùm formam propositam contractum, sit validum: non enim requiritur vt testes norint eos qui contracturi sunt, neque vt proclamationes fiant; & ex parte Sacerdotis assistentis sufficit vt ei sit facta potestas ab Illustrissimo Domino Nuntio, vel Archiepiscopo, quorum iurisdictioni vterque, vel saltem alter contrahentium subest.

Sed regulariter illicita.

Sed dubitari meritò potest, Vtrùm expediat huiusmodi potestatem dari, & tale matrimonium permitti. Sanè si res generatim consideretur, videtur id periculosum. Primò, Quia si vir iste velit malignè agere, poterit posteà, quando libuerit, cum alia matrimonium publicè contrahere, & negare priorem coniugem: quia testibus de priore contractu conuinci nō potest, cùm illum non nouerint. Nec Sacerdos ille Religiosus poterit solus se illi opponere; neque fortè, si posset, id expediret. Secundò, Quia verendum ne nascatur scandalum: putabitur enim passim esse concubina. imò si quid amici intellexerint, debebit ipsemet dicere esse concubinam, quia nolet fateri vxorem. Tertiò, Proli fiet iniuria, quia non poterit succedere, & habebitur illegitima.

18 *Circumstantiæ quædam possunt eã facere licitam.*

His tamen non obstantibus, puto in particulari eas posse circumstantias concurrere, vt expediat huiusmodi matrimonium permittere, & potestatem dare Sacerdoti vt illi assistat: vt si vir ille nobilis ita esset amoribus istius puellæ implicatus vt non speretur posse ab ea auelli; & aliàs crebrò in periculo mortis, & consequenter æternæ damnationis versaretur, nulloque modo expediret amicis tale matrimonium innotescere. Hoc sanè euentu charitas videtur postulare vt ei talis modus cōtrahendi permittatur ne pereat; quia cùm hic modus non sit ex se malus, ratione circumstantiarum poterit fieri vt omnino sit licitus & expediens, quales circumstantiæ videntur esse, quas proposui. Confirmatur, quia Ecclesia ob salutem animarum sæpè dispensat in voto castitatis perpetuæ & religionis, quod sanè longè maius est & difficilius.

Ad Primum incommodum: Non est præsumendum illum velle malignè agere, quia aliæ causæ multæ possunt incidere cur ita contrahere velit. Ad Secundum: Non erit scandalum si occultè ad eam accedat. Ad Tertium: Cauere seu prouidere debet aliquo scripto, vt constet postea liberos fuisse legitimos, & vt eam portionem consequantur, quæ iure debebitur.

TESTAMENTVM.

CASVS I.

Præteritio hæredis necessarij si colat cælibatum.

Titius Martiæ necessariæ hæredi sua reliquit testamento bona sua cum onere, vt si vel Religionem ingrediatur, vel cælibatum colat, Legataria tantū sit, & certâ summâ contenta, reliqua verò distribuantur in pias causas.

QVÆRITVR, *Vtrùm hoc testamentum censeri possit validum?*

1 *Si hæres necessarius non instituatur hæres, irritum est testamentum.*

REspondeo, Expensis verbis huius testamenti: Primò, Mihi videtur hoc testamentum esse irritum. quia Titius Martiam suam neptem, quæ loco patris sui succedere debet vt hæres, non instituit hæredem prout iure debebat; sed si colat cælibatum, vel ingrediatur religionem priuat illam iure hæredis, & ex hærede vult esse legatariam, & contentam mille florenis. hoc autem facere non potest. Vnde hoc testamentum est irritū duplici nomine: Primò, Quia in casu præsenti quo Martia colit castitatem in sæculo, vel si ingrediatur religionem, testamentum hoc caret institutione hæredis. Secundò, Quia ipsa repræsentans proprium & vnicum filium Titij, suum parentem, non instituitur hæres, sed excluditur hæreditate, & iubetur esse contenta certâ summâ vt legataria, hoc autem testamentum reddit irritum. Nec sufficit, quòd relinquat ei per modum legati aut donationis, vel alio modo, quod legibus ei erat debitum: vt expresse habetur Authent. *Vt cùm de appellatione cognoscitur* §. *Aliud quoque capitulum*. item ex Authent. *Non licet*, & Authent. *Ex causa*, C. De liberis præteritis.

2 *Item, si ei non relinquatur legitima.*

Secundò, Etiamsi poneremus ipsum testamentum hac ex parte non esse inualidum (quod tamen non putamus:) tamen certum est ei deberi tertiam partem bonorum, iure communi debitam: neque posse illam minui ob religionis ingressum, vel cælibatum in sæculo, ex omnium Doctorum sententiâ. vnde ipsa ad eius supplementum agere potest. Neque notabilis summa pecuniæ quæ patri eius data fuit, in hac legitimâ cōputanda est, cùm illa à Titio in eum finem data non fuerit, vti suppono. Legitima enim censenda tertia pars bonorum tempore mortis inuentorum,

Quænam censenda legitima.

quando sunt pauciores quàm quinque proles. Itaque cum Martia sit vnica hæres, omnino debetur ei tertia pars horum omnium tanquam vera legitima. Nimis auara & odiosa esset illa interpretatio, quâ ea, quæ donata Ioanni vnico filio Titij parenti Martiæ, computarentur in legitimâ, cùm aliæ nullæ proles sint in quarum incommodum cedat ista donatio. Colligitur Authent. *De triente & semisse*, §. 1. & 2. Authent. *Nouissima.* & Auth. *Vnde si pater*, C. De inoffic. testament.

3 *Pia causa non potest instituì hæres, præterito hærede necessario.*

Ad ea quę hic obijciuntur de testamentis factis ad piam causam, quasi pia causa possit hæres instituì præterito hærede necessario: Respondeo, Hoc testamentum non videri factum ad piam causam saltè principaliter, quia pia causa hîc nõ instituitur hæres, sed ei relinquitur residuum bonorum instar legati, excluso anteà legitimo hærede. Imò videtur factum contra piam causam, cùm hæres auocetur per hoc ab ingressu Religionis, & consilijs Euangelicis: quod illicitum esse & irritum colligitur ex L. *De nobis*, §. 1. C. de Episcopis & Clericis. Deinde etiamsi diceretur factum ad piam causam, tamen quando supereſt legitimus hæres qui necessariò erat instituendus, non potest præteriri vel exhæredari sine iusta causa.

Vtrùm autem in eo casu sit planè irritum, an solùm cõpetat hæredi querela inofficiosi ad suppletionem legitimæ, Iurisperitis disputandum relinquo.

CASVS II.

Substitutio seu fidei-cõmissum in odium Religionis.

Fuluia à sua matertera hæretica in quadrante hæres instituta cum onere restituendi hæreditatem Titio, si statum religiosum vel spiritualem capesseret. Fuluia facta est Beguina.

QVÆRITVR, *Vtrùm ex vi illius testamenti teneatur relinquere illa bona Titio, nec possit de illis disponere in pias causas?*

4 REspondeo, Fuluiam posse, non solùm in foro conscientiæ, sed etiam in foro externo, si ius diceretur, de illis bonis in pias causas disponere.

Hæretici sunt intestabiles.

Probatur Primò, Quia tota illa dispositio fuit irrita, vtpote hæreticæ, & in hæresi publica mortuæ. Atqui hæreticis prohibitum est testari, & facti sunt intestabiles; vt patet L. Manichæos C. de Hæreticis, vbi dicitur: *Ergo & suprema illius scriptura irrita sit siue testamento, siue codicillo, siue epistola, siue quolibet alio reliquerit voluntatem, qui Manichæus fuisse conuincitur*: quod posteà extensum ad omnes hæreticos, etiam ad credentes, id est, ad eos qui generatim credunt quòd aliqua secta hæreticorum, v. g. quod Caluinistæ, Lutherani, Anabaptistæ &c. docent, aut credunt. item ad fautores & defensores, vt patet Auth. *Credentes*, C. eodem titulo, quæ est Frederici Imperatoris. Et Cap. *Excommunicamus*, §. *Credentes*, de hæreticis; vbi Concilium Generale Lateranense repetit & confirmat Authenticam Frederici. Si testamentũ talium est irritum: ergo non potest obstringere successores ab intestato, nec illis aliquod onus imponere, sicut nec executoribus; quia dispositio irrita & nulla nullam vim habet obligandi. Manet ergo Fuluia tam libera, quàm si nulla talis clausula testamento apposita fuisset; aut si ab intestato sine vllo testamento successisset. Quare sicut tunc potuisset de illis bonis ad salutem animæ suæ disponere, ita & modò poterit.

Item fautores & defensores.

Probatur Secundò: Quia etiamsi testamentum esset validum, illa clausula, *qua iubetur restituere Titio hæreditatem, si ipsa statum spiritalem acceperit*, habenda est pro nõ adiecta: vnde illam nullo modo obligat in foro conscientiæ. Antecedens patet: Quia illa clausula præsumitur adiecta in odium & veluti in pœnam status Ecclesiastici, vtpote ab hæretica: cuius etiam signum est quod expressè hæredibus suis in sæculo manentibus permittat vt omnia ista bona alienent & distrahant prout ipsis bonum & expediens visum fuerit; & statum Ecclesiasticum capessentibus non permittat dispositionem. Neque dici potest, quòd Ecclesiasticis hoc non permittat, quia non sunt habituri liberos quibus ea relinquant; sæcularibus autem permittat, quia sunt habituri liberos: hoc, inquam, dici non potest; quia non semper præsumuntur sæculares habituri liberos; nam & ipsa testatrix liberos non habuit, etsi multis annis fuerit iuncta matrimonio; & sæcularibus absolutè permittit alienationem, siue habeant liberos, siue non: ergo non tam causâ liberorum manentium in sæculo, quàm in pœnã susceptæ Religionis id videtur statuisse: ac proinde censeri debet non adiectum tanquam conditio turpis puniens susceptionem status spiritalis.

5 *Clausula Si statum religiosum acceperit, habetur pro non adiecta.*

1. Repugnat statui Ecclesiastico.

Confirmatur, Quia illa conditio auocat à meliori bono, nimirum à statu perfectionis & consilij Christi: ergo haberi debet pro non adiecta argumento L. *Titiæ.* 7. De condit. & demonstrat: sicut olim iure Pandectarum conditio *Si non nupserit*, censebatur pro non appositа; quia putabatur auertere à maiore bono, vt communiter tradunt Doctores in d. L. *Titiæ.*

2 Repugnat consilijs Christi.

Hinc passim docent Doctores, Si leges hac forma, *Lego Titiæ* 200 *si nupserit*, 100 *si Religionem ingrediatur*; *Titiam habituram* 200. *etiamsi Religionem ingressa fuerit*: quia illa conditio *si nupserit*, quatenus potest auertere à Religione, habenda est pro non adiecta: Siluester V. hæreditas. 4. q. vltima. Medina. C. De restit. qu. 23. Panor. cap. *In præsentia* de Probat. estque communior sententia Doctorum. & fatetur Molina distinct. 207. cum Couarr. esse probabilem. Colligitur apertè Nouella 123. de sanctiss. Episcopis, cap. 37. vbi sic habetur, *Si quis sub conditione nuptiarum, siue liberorum, siue dotis causa, siue antenuptialis donationis, donauerit, siue reliquerit suis liberis, siue alij cuicunque personæ hæreditatem siue legatum; aut ab initio pure relinquens eis, oneret eos substitutione aut restitutione, aut sub vna prædictarum conditionum reliquerit, vel donauerit, substitutiones verò vel restitutiones eis fecerit adiectis conditionibus quibuscunque ex iis quæ superius enumeratæ sunt: sancimus si personæ talibus conditionibus subiectæ siue masculi siue feminæ monasteria ingrediantur, aut Clerici, aut Diaconissæ, aut ascetriæ fiant, tales conditiones inualidas, & pro non scriptis esse. Hoc autem solatio & Clerici & Diaconissæ fruantur, si vsque ad vitam suam in his perseuerauerint, vt res sub tali conditione donatas aut relictas, ad pia opera expendant, aut relinquant.*

3. Repugnat legibus.

Nouella 123.

6 *Obiectio, quòd hæc Nouella nitatur præsumptione.*

Dices, Id ita statutum ab Imperatore, quia præsumebat talem testatorem vel donatorem de monasterio vel statu Ecclesiastico non cogitasse, & si cogitasset, eum non fuisse talem conditionem additurum. Vnde Imperatorem non velle vt hęc

locum

locum habeant, quando testator expressè monasterium excludit.

Refellitur. Respondeo, Hæc expositio est contra communiorem ac receptiorem Doctorum sententiam, qui docent hanc constitutionem non procedere ex præsumptione, sed absolutè in fauorem sanctioris vitæ esse factam, ne quis à statu sanctioris vitæ per huiusmodi clausulas abstraheretur. Sicut olim iure digestorum diximus conditionem illam *Si nō nupserit*, habitam pro non adiectâ, ne quis per eam à nuptijs, quas putabant præstare vitæ cœlibi, auertertur. Ita auctores suprà citati, & passim Iuris vtriusque interpretes, quos citat Felinus Cap. *In præsentia*, de Probat. nu. 37. vbi idem Felinus hanc sententiam egregiè tradit. Quomodo enim præsumi potest talis incogitantia in factione testamenti, cùm homines omnia solent perpendere, omnes status animo voluere, vt de rebus suis iuxta suum affectum disponāt; maximè cùm mentio nuptiarum & liberorum insinuet mox cogitationem status religiosi; nihilque sit tam procliue quàm ex cogitatione illius, in cogitationem huius status delabi? Deinde, quomodo præsumi potest talis affectus passim in hominibus erga monasteria vel statum religiosum, quo, si cogitarent de illo, vellent illi tantundem relinqui? Sanè nec tempore Iustiniani, nec posteà passim in hominibus talis affectus fuit, sed potiùs contrarius: putant enim perire familię quod ad monasteria peruenit. Vnde idē Imperator statuere coactus est ne proles ob ingressum monasterij possent priuari legitimâ, sed ea simul transiret in monasterium; vt patet eādem Nouellâ cap. 41. Et alia multa in fauorem monasteriorum, & vitæ sanctoris eādem Nouellâ sanxit, vt patet cap. 38. vbi bona ingredientis monasterium iubet deferri monasterio, nec patitur à sanguine iunctis occupari: & cap. 39. vbi solutis sponsalibus per ingressum monasterij, vult solùm simplices arras reddi, nihil amitti &c. Ex quibus omnibus colligo illam constitutionem non procedere ex præsumptione, sed ex eo, quòd pietati voluit fauere. Ex his patet non videri dubitandū quin clausula illa sit habenda pro non adiecta, etiamsi aliàs testamentum validum esset.

Statuta in fauorē vitæ religiosæ.

7 *Præditta clausula non comprehendit Fuluiam.*

Tertiò, Etiamsi clausula illa vim obtineret, neque Fuluia inde posset se tueri; tamen adhuc ex alio capite defendi potest; eò quòd illa clausula ipsam non comprehendat, ac proinde non magis ipsam obstringat, quàm si non esset apposita, cùm sit illi omnino impertinens. Ratio est, quia institutum Beguinarum non est status religiosus, aut spiritalis alicuius Ordinis. Primò, quia non est status. Ad rationem enim status requiritur immobilis obligatio, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 183. art. 1. & Caiet. qu. 184. art. 4. At Beguinæ non habent immobilem obligationem; quia solùm habent votum temporale, & possunt egredi quando volunt. Secundò, quia status religiosus nullus est nisi qui habet tria vota substantialia, & profitetur regulam à Sede Apostolica approbatam, vt communiter docent Theologi cum D. Thoma 2. 2. qu. 184. art. 4. & qu. 189. art. 2. ad 1. & Canonistæ Cap. *Cùm ad monasterium*, de Regularibus. At Beguinæ non profitentur tria illa vota, nec habent regulam à Sede Apostolica approbatam. Tertiò, quia nullum institutum est Ordo, vel status religiosus, nisi sit ipse-met, & non solùm regula à Sede Apostolica approbatus: vt constat Cap. *Ne nimia*, de Religiosis domibus, & Cap. *Religionum*, in 6. estque certa doctrina omnium Doctorum: tale autem non est institutum Beguinarum. Denique quòd illud institutum non sit status Ecclesiasticus aut religiosus ex eo manifestum est, quòd Beguinæ, Antuerpiæ, vbi hęc res agitur, non sunt exemptę à vectigalibus & foro seculari, tanquam veræ Laicæ.

Beguinæ non debent censeri religiosæ, vel ecclesiasticæ.

His adde, cùm hæc clausula sit in odium piæ causæ, strictè nomen status religiosi esse accipiēdum, ne alijs pijs causis hoc nomine non comprehensis noceat.

Nec obstat quòd testatrix dicat, *Qui se tradent spirituali statui, qualis est Ordo aliquis monasteriorum, conuentus virorum & feminarum, vel similes spirituales obligationes*; vbi extrema illa verba, *Spirituales obligationes*, videri possint complecti Beguinas: hoc, inquam, non obstat: quia illa verba intelligenda non de quauis obligatione spiritali (alioquin si votum castitatis apud se nuncuparet manens in sæculo, excluderetur, etiamsi haberet posteà vel anteà liberos, quod est absurdum, & contra mentem testatricis) sed de obligatione constituente statum religiosum alicuius Ordinis, vel etiā fortè sacerdotalem. Voluit enim varijs modis exprimere statum regularē, vt illum excluderet: cuius euidens signum est, quòd idem sæpè repetens in eodem testamento, non repetat illa verba, sed solùm exprimat statum spiritualē *Geestelyckeu staet*. Itaque omnibus illis verbis nihil aliud volunt significare, quàm statum religiosum, & fortè etiam sacerdotalem, vt dictum est. 8

Quid prius intelligendum per Statum spiritualē.

Ex his infertur Primò, Fuluiā non teneri restituere illa bona Titio, qui ipsi fidei-cōmissaria substitutione subrogatus est. Primò, quia non tenetur seruare dispositionē testatricis, vtpote quæ sit irrita & nullius roboris; & ipsa illi ab intestato succedere debeat. Secundò, quia conditio, sub qua est fidei-commissum, habenda est pro non adiecta. Tertiò, quia conditio illa in ipsa locū non habet. 9 *Conclusio.*

Infertur Secundò, Fuluiam posse disponere de illis bonis in pias causas, siue ingrediatur Religionem, siue maneat in sæculo. Quia cùm onus fidei-cōmissi sit nullum, & ipsam nullo modo grauet, nihil est vnde prohibeatur liberè de illis bonis disponere, tanquam hæres ab intestato. Et quidem si in sæculo maneat, ipsa testatrix facit ei potestatē *disponendi in vita pro suo arbitrio, & commodo, & pro vt negotia eius exigent, vel vtile erit*, quibus verbis nullo modo excluduntur negotia pietatis & salutis. Nihil enim magis expediens aut commodum, quàm quod negotio salutis est expediens.

Infertur Tertiò, Fuluiam, etiamsi sæcularis maneat, posse hæc bona etiam testamento ad pias causas relinquere. Quia cùm ostensum sit testamentum testatricis esse irritum, non potuit illam obligare in conscientia ad relinquendum ea, quę ipsi in vita superessent, amicis sæcularibus. Deinde, quia verba testamenti non obstant: nam quando dicitur, *quòd non possint bona testantia, testamento, vel codicillo, vel donatione mortis causâ alienari in extraneos*, non excluduntur piæ causæ, sed solùm prophanæ: Christus enim cui dātur in suis membris, & ad cuius honorem dantur, & anima ad cuius vtilitatem dantur, non censentur extranei. Nō enim spectanda est persona cui datur materialiter, sed formaliter, & ipsa ratio dandi. Nec obstat quòd Fuluia approbarit testamentum: quia per

hoc non intendit sibi obligationem imponere ad obseruandas omnes eius clausulas, sed ad se tuendum in foro externo, quatenus testamentum ipsi fauet.

Infertur Quartò, Quòd, etiamsi Fuluia voueret castitatem & obedientiam perpetuã apud Beguinas, non tamen idcircò censenda esset religiosa aut Ecclesiastica: quia ad hoc requiritur status immobilis, & tria vota substantialia .. Religione approbata: vel certè Ordo sacer.

10 Petes: Quid si contingeret Fuluiam successu temporis emittere votum castitatis perpetuæ & permansionis in Beguinagio, Vtrùm rogata ad instantiam partis aduersæ à Iudice sub iuramento an aliquod votum fecerit, aut Beguinagio se voto obstrinxerit, possit negare, dicendo Se nullum votum fecisse, nec esse vllo voto obligatam, addita aliqua restrictione mentali?

Licet in casu negare, & iurare cum mentis restrictione.

Respondeo, Illam cum iuramento posse negare, tacitam restrictionem mentalem habente, v.g. intelligendo de voto quo efficiatur religiosa, aut persona propriè Ecclesiastica, sicut sunt verè religiosi: de quali voto Iudex intelligit, vel certè deberet intelligere suam interrogationem: vel intelligendo se non ita fecisse vt teneatur in iudicio confiteri. Ratio est, quia nemo tenetur fateri in iudicio aut extra aliquid occulti, ex cuius patefactione illi sequeretur damnum, vel ablatio eius quod ipse iustè possidet: quam ob causam non tenetur fateri crimen occultum. Vnde eo sensu quo potest illud negare simpliciter & absque iuramento, potest illud etiam negare cum iuramento, si necessitas postulet. Sic Doctores multi docent eum, qui ad portas ciuitatis rogatur ab excubitoribus, an non transiuerit talem vrbem vbi putant grassari pestem; si ille scit ibi pestem non grassari, vel ita obiter & cautè transiuit vt moraliter certus sit nihil in se esse periculi, posse cum iuramento negare se illum locum transiuisse. Vide lib. 2. de Iustitia, q. 42. dubit. 9. vbi id fusè multis rationibus, exemplis, & auctoribus probatur.

CASVS III.

Onus fideicommissi eliditur per ingressũ monasterij.

Titius instituit sororem suam Adrianam hæredem cum hac clausula: Casu quo soror mea Adriana moriatur absque hærede è suo corpore & legitimo matrimonio, volo vt eo casu omnia bona per me relicta redeãt ad proximiores consanguineos viuentes, ea conditione vt soluant omnia mea debita &c. *Adriana ingressa est monasteriũ capax successionis, non inito matrimonio, nec liberis susceptis.*

QVÆRITVR, *Vtrùm substitutis debeant obuenire ea bona statim emissâ professione, an expectanda sit mors eius naturalis?* Item: *An absolutè possint in monasterium transferri, ita vt fideicommissum expiret?*

11 Respondeo, & Dico Primò, Substitutis non videri vllum ius competere ante mortem naturalem Adrianę. Testator enim manifestè intelligit mortem naturalem, & veram: professio autem non est mors vera, sed ficta, & solùm dicitur mors ratione quorundam effectuum: ergo non est coarctanda ad professionem, quasi mortua dicatur esse sine liberis, quia est professa. Confirmatur, quia in pijs causis tanquam maximè fauorabilibus benigna & fauorabilis interpretatio facienda est. Itaque fideicommissum illud saltem vsque ad mortem naturalem Adrianæ monasterio relinquendum est.

12 Dico Secundò, Non solùm talis hæreditas monasterio vsque ad mortem Adrianæ, sed absolutè & in perpetuũ relinqui potest; ita vt monasterium tanquam filius excludat substitutum, & fidecommissum per professionem expiret. Habetur expressè Nouella 123. cap. 37. *Si quis sub conditione nuptiarum, siue liberorum, siue dotis causâ donauerit siue reliquerit suis liberis siue alij cuicunque hæreditatem aut legatum &c. Sancimus si personæ talibus conditionibus subiectæ siue mares siue feminæ, monasteria ingrediantur, tales conditiones inualidas, & pro non scriptis esse:* & paulò post: *In personis enim quæ in monasterium vel asceterium ingrediuntur, & relinquunt huiusmodi conuersationem castam, monasterio aut asceterio, vbi à principio ingrediuntur res sub tali conditione donatas aut relictas cum alia eorum substantia competere volumus.* Excipit tamen nisi substitutio facta sit in aliam causam piam.

Monasterium tanquam filium excludit substitutum.

Idem insinuatur Auth. *Nisi rogati*, C. ad S. C. Trebellianum. Idem definitur Cap. *In præsentia*, de Probationibus, illis verbis: *Intelligendum non est sine hærede decedere qui monasterium sibi hæredem instituit.* vbi Glossa V. *Instituit: Ingressus monasterium fingitur habere hæredem, cùm rogatus est restituere priuato, vel cùm priuatus ei est substitutus.*

Eadem est communis sententia Doctorum, vt docet Antonius Gomezius De substit. fideicommiss. n. 34. Couarr. l. 1. variarum resolut. cap. 19. nu. 6. & sequent. Molina disp. 190. §. *quando quis*, vbi citat alios.

13 Ratio est, vel ne quis hac ratione, si cogatur fideicommissum alijs relinquere, retrahatur à statu perfectiore; vel quia monasteriũ est instar filij, vt passim Doctores volunt; vel denique quia præsumitur testator nõ minùs dilexisse monasterium, quàm filios grauati fideicommisso. vnde si de eo, ac professione emittenda in eo per hæredem grauatum cogitasset, non fuisse prælaturum fideicommissarium monasterio. Itaque non videtur dubitandum quin vtroque Iure & Canonico & Cæsareo passim apud Catholicos recepto, monasterium excludat fideicommissarium in hoc casu, illique possit hæreditas relinqui.

Non obstat conditio apposita.

Nec obstat quòd in dispositione sit apposita conditio talis, *Si decedat sine hærede ex suo corpore & matrimonio legitimo*; quia nihilominùs monasteriũ est præferendum substituto: vt expressè docet Couar. suprà nu. 11. addens hanc sententiam frequentiori Doctorum calculo receptam in d. Authent. *Nisi rogati.* & in d. Cap. *In præsentia.* Et esse opinionem magis communem asserunt Alex. consil. 121. l. 2. nu. 11. Decius in d. Cap. *In præsentia*, num. 59. Molina suprà, & alij quos citat Couar. Id probat ratio allata, & colligitur ex Nouella Iustiniani, qua absolutè sancitur omnes tales conditiones de liberis suscipiendis esse inualidas & pro non scriptis habendas, si hæres grauatus monasterium ingrediatur.

CASVS

CASVS IV.

Substitutio ad vsus pauperum.

D. Clara testamento relicta sunt octo millia aureorum, vt ex ijs reditus constituatur, cum ea clausula, Vt si ipsa sine liberis decedat, is reditus impendatur vel in dotem orphanorum nubentium, vel filiarum tenuioris fortunæ vt Religionem ingrediantur. *Posteà verò ipsa D. Clara Religionem ingreditur.*

QVÆRITVR Primò, *An vsumfructum illius reditus transferre possit in monasterium: & an etiam proprietatem?*

QVÆRITVR Secundò, *Si non potest transferre proprietatem in monasterium, ad quē spectet post eius mortem decernere vt vsus fructus impendatur vel nubentibus, vel Religionem ingredientibus?*

14 PErpensis omnibus quæ Domina Clara Serenissimi Principis voluntate huc ad me directa proposuit.

Ad Primum: Respondeo, Si D. Clara Religionem ingrediatur, saltem vsusfructus illius reditus, qui ex 8000. aureorum constituetur, pertinebit ad monasterium: quia ipsa D. Clara etsi extra monasterium maneret, haberet vsumfructum per totam vitam, donec morte naturali defungatur; vt apertè ex testamento colligitur.

Imò valdè probabile est D. Claram non solùm vsumfructum, sed etiam proprietatem & dominium illius reditus posse in monasterium iure perpetuo transferre. Quia ex communi ferè Iuris speritorum sententiâ non censetur sine liberis decessisse, qui monasterium ingreditur, cùm monasterium sit liberorum instar. Accedit, quòd omnis clausula quæ aliquo modo retraheret ab ingressu Religionis, habeatur pro non adiecta in vltimis voluntatibus: Nouella 123. cap. 37. de sanctis Epis. & Authent. *Nisi rogati*, C. ad S. C. Trebellianum; ita sentiunt plerique Doctores.

Non censetur sine liberis discedere, qui monasterium ingreditur.

15 Si tamen sequamur sententiam contrariâ, quòd nempe non possit proprietas & dominium talis reditus in monasterium transferri, quæ sententia etiam valdè probabilis est, quamque tenet Couar. l. 1. variarum cap. 19. cum multis quos citat, & Molina disput. 207. debebunt fructus illius reditus post mortem Claræ impendi vel in dotem orphanorum nubentium, vel in dotem filiarum tenuioris fortunæ vt Religionem ingrediantur, vt manifestum est ex verbis Testamenti.

Contrariū est etiam probabile.

16 *Ad Secundum*: Resp. Electio alterius partis in hac alternatiua, videl. vt vsusfructus istius reditus impendatur vel in dotem orphanorum nubentiū, vel puellarum religionem ingredientium, singulis vicibus pertinebit ad Episcopum, ad quem pertinet omnis executio piarum causarum in defectum aliorum executorum: non verò pertinebit ad Principem.

Electio pertinet ad Episcopum.

CASVS V.

Hæres institutus vt in pauperes hæreditatē eroget.

Sempronius institutus est hæres à Titio ea mente, vt quod solutis legatis supereret, Sempronius in pauperes conferat.

QVÆRITVR, *An Sempronius partem illam in qua institutus est hæres, sibi possit retinere?*

REspondeo, Verius omnino esse Sempronium partem illam in qua institutus est hæres à Titio, non posse sibi retinere. Ratio est, quia vel Titius intendit Sempronium verè instituere heredem in residuo illo quod solutis legatis supereset, cum obligatione & grauamine illud conferendi in pauperes: vel non intendit illum instituere, sed solùm finxit, nomine hæredis intelligendo tantùm & intendo illum facere executorem, vt in casu proposito factum indicatur. 17

Si primo modo, Sempronius non potest illud residuum retinere, sed vt summū detrahere Trebellianicam, vt in alijs fideicommissis; vt patet L. 1. & sequent. C. ad Senatus Consultum Trebell. & §. *Sed quia stipulationes*, Instit. de fideicōmissarijs heredit. Sed hic non potest Trebellianicam detrahere; quia à legatis pijs non detrahitur, nisi fortè hæres ipse sit pia causa. Couar. de Testamentis c. 18. n. 13. Authent. *Similiter*. C. ad L. Falcidiam.

Si secundo modo, non potest etiam retinere; quia testator nō intendit ei quidquam donare aut relinquere, sed solùm simulare, idque ipse nouit, vt suppono. quo casu nulla lex ei quidquam iuris tribuit, nisi sit hæres ab intestato, & testamentum careat aliqua necessaria solemnitate, iuxta sententiam Couarr. & multorum aliorum.

CASVS VI.

Legatum pauperibus relictum, sed in Religiosos distributū.

Titius Pater spiritualis Capuccinorum scribit ad Magistratum vt partem legati quatuor milliū aureorum relictorum ad distribuendū pauperibus, vellent applicare Capuccinis, cùm illi reuerà sint inter pauperes illius oppidi. Magistratus hac occasione bonam aliam partem distribuit alijs monasterijs, adeò vt pauca vel nulla portio peruenerit ad viduas & orphanos, quos tamen in suo Testamento Sempronius maximè commendarat.

QVÆRITVR, *Vtrùm Titius scribendo ad Magistratum peccarit? & Magistratus rectè de legato isto disposuerit?*

REspondeo, Titium non peccasse scribendo ad Magistratum vt pars legati 4000. aureorum relictorum ad distribuendū pauperibus, vellent applicare Capuccinis, cùm illi reuerà fuerint inter pauperes illius oppidi. Quando enim aliquid relictum est distribuendum pauperibus loci, non sunt excludendi Religiosi pauperes, nisi constet aliam esse mentem testatoris, vel eius qui illa contulit. Atqui hæc mens habitualis Sempronij testatoris qui sub fideicommisso illa 4000. reliquerat, erat vt monasterio Capuccinorū inde aliqua darentur. Itaque certum est Titium ea in re non peccasse: interpretatus est enim istam dispositionem eo modo quo quiuis doctus & prudens interpretaretur. 18

Titius rogando Magistratum, non peccauit.

Nec obstat quòd ea occasione Magistratus etiā in alia monasteria aliqua contulerit, & pauca vel nulla in orphanos & viduas, de quibus tamen Sempronius in sua dispositione maximè cogitarat; quia id Titius, cùm moneret Magistratum de dando aliquid domui Capuccinorum, præuidere non potuit, saltem ei non occurrit; vel si occurrit, non putauit esse periculum, quòd ita essent facturi.

Magistratus

Neque Magistratus peccauit sic distribuendo.

Magistratus quoque meritò ita potuit interpretari dispositionem Sempronij: nam quando nõ constat de cõtraria mente testatoris, nomine pauperum etiam comprehenduntur monasteria, præsertim quæ egent. Imò piæ causæ omnes hoc nomine in Iure comprehendi solent. Et sanè nullis pauperibus salubriùs datur quàm Religiosis, qui sunt pauperes spiritu, qui recipiãt datores in æterna tabernacula; de quibus dictum, *Beatus vir qui intelligit super egenum & pauperem*, vt pulchrè Hieronymus epist. 8. ad Demetriadẽ sub finẽ, & 53 contra Vigilantium. Itaque nõ expedit quidquam ampliùs mouere. Nam credo Magistratum nullo modo peccasse: & quamuis aliquid erroris commissum esset, moraliter est impossibile illam pecuniam à monasterijs recuperare: nec posset id fieri sine graui motu & scandalo.

CASVS VII.

Hæreditas repudiata. Vel incapacibus relicta.

Hæreditas ex Testamento defertur illis qui sunt incapaces, vt sunt Capuccini; vel delata repudiatur.

QVÆRITVR, *Ad quem illa hæreditas peruenire debeat?*

19 REspondeo, Talem hæreditatem deuolui ad alios hæredes iure accrescendi, etsi testatoris intentio fuerit vt applicarentur pijs causis alijs. Si tamen Testator expresserit se velle vt pijs alijs causis bona ista applicentur, tunc poterit Episcopus agere pro causa pia, si fortè propinqui Testatoris obsisterent.

Pia tamen alia legata eiusdem Testatoris in eodem illo testamento descripta, in alios pauperes distribuenda sunt: legata enim pia valent, etsi hæredis institutio sit nulla.

Testamentum Episcopi.

CASVS VIII.

De quibus bonis testari possit Episcopus?

20 *Pro libitu potest testari de patrimonialibus, & industriâ acquisitis.* REspondeo Primò, Potest Episcopus, sicut & quilis alius beneficiarius, testari de bonis patrimonialibus, vel suâ industriâ conquisitis, in quascuis causas siue pias, siue prophanas, relinquendo ea consanguineis, etsi minimè egeant: nec opus est ad hoc facultate Summi Pontificis, præsertim hoc tempore, vt probat Couar. in cap. 1. de Testamentis, nu. 5. dicitque esse sententiam communem.

21 *Non verò de ijs quæ supersunt honestæ sustentationi.* Dico Secundò, De bonis ex beneficio, vel Episcopali dignitate acquisitis, quoad eam partem quæ superest honestæ sustentationi, sicut non potest sine peccato mortali eam expendere in vsus prophanos in vitâ, ita multò minùs potest de eâ ad causas prophanas testari: siue obtinuerit licentiam à Summo Pontifice, siue non. Ita plerique Doctores cum Nauarro. Illa enim pars ex mente Ecclesiæ & fundatorum, debet expendi in pios vsus, etiamsi concedamus ipsum, & quemuis beneficiarium, obtinuisse illius dominium; quia acquisiuit illud cum tali onere. Et quamuis aliqui contrarium teneant, & putent Episcopum posse omnia talia bona relinquere consanguineis, ob consuetudinem, quam putant vigere in Galliâ, Germaniâ, & Belgio, vbi Camera Apostolica nullum habet ius spoliorum: tamen plerique sentiunt cum Nauarro, cuius sententia seruatur passim ab omnibus pijs, etiam non Episcopis. Quâ in re Doctores Louanienses dant alijs bonum exemplum; qui etsi pleraque sua bona labore & industriâ suâ comparauerint, tamen quia simul aliquod beneficium Ecclesiasticum habuerunt, ferè omnia relinquunt ad pias causas pro salute animæ suæ, & bono Ecclesiæ: & parum relinquunt suis consanguineis etsi tenuibus. Multò magis id deberent facere Episcopi, non modò quoad eam partem, quæ sustentationi fuit superflua; sed etiam quoad omnia, quæ ab Ecclesiâ acceperunt, & in morte supersunt.

Laudantur Doctores Louanienses.

Potest testari de sibi subtractis. Dico Tertiò, Episcopum & quoslibet beneficiarios absolutè non teneri eam partem, quam iure insumere potèrant, & de industriâ sibi subtraxerunt, in causas pias impendere; sed posse eam consanguineis relinquere. Ita Nauar. Couar. & alij.

22 *Licentia testandi necessaria in quibusdam locis.* Dico Quartò, In illis locis vbi Camera Apostolica habet ius spoliorum, ibi non possunt testari de bonis ex Ecclesiâ acquisitis, absque facultate & priuilegio Summi Pontificis. Ratio est, quia tale testamentum cedit in damnũ Cameræ Apostolicæ. Hinc Episcopi in regno Castellæ, & in totâ Italiâ, non possunt testari absque hac facultate: quia Camera seu Fiscus Apostolicus habet in istis locis ius spoliorum, mortuis Episcopis. Imò in Italiâ nullus beneficiarius potest sine simili priuilegio testari de bonis ex beneficio acquisitis: quia Camera habet ius spoliorum in omnibus beneficijs.

23 *Prouincia exempta.* Dico Quintò, In Belgio, Germaniâ, Galliâ, & Lusitaniâ non habet Camera hoc ius, ne quidẽ in bonis Episcoporum, vt docet Nauar. Tract. de Spolijs Clericorum, num. 14. Vnde non videtur absolutè hæc facultas necessaria. Quam sententiam puto omnino veram, quoad testamenta, vel dispositiones ad pias causas. Quoad alia, puto etiam consuetudine obtentum, vt non censeatur necessaria: cui consuetudini quoad hoc, licitè Episcopi huius patriæ stare possunt, modò disponant de eâ parte, quam licitè impendere potuissent, sicut dictum est. Consuetudo enim facere potest, vt talis petitio licentiæ testandi non censeatur ampliùs necessaria; etiamsi olim necessaria fuerit.

24 *Licita est donatio inter viuos ad pias causas.* Quòd ad donationem inter viuos attinet, quæ fit ad pias causas, nullo Iure illa vel Episcopo, vel alteri Clerico est prohibita, etiam retento vsu ad vitam. Imò est Canonibus valdè consentanea, & ipsi sacræ Scripturæ. Melius enim est in vitâ benefacere, quàm post mortem &c. Ecclesiastici 14 vers. 12. & sequent.

CASVS IX.

Actio ex substitutione & ex statuto consuetudinario.

Titius prælegauit bona quædam filio suo Caio, eique substituit sorores ipsius, in eventũ quo Caius moriatur naturaliter, non accepto statu honorabili. Caius sit Religiosus.

QVÆRITVR, *An bona Caio legata ex vi huius substitutionis peruenire debeant ad eius sorores, vel iure consuetudinario ad eius matrem superstitem, quæ secundas nuptias contraxit, cum ibi soleant parentes superstites in bona filiorum intestatorum succedere?*

25 QVia res ista à Clarissimis Iurisconsultis isthic tractata est, qui omnes circumstantias melius norunt, & ad forum externũ pertinet, non censui me im-

me immiscendum. Quòd si solùm quæratur ob conscientiam, vtraque sententia est satis probabilis, vt vtraque pars possit esse secura si quid ex illa hæreditate possidet. Quia tamen heredes scire desiderant quid ego sentiam, paucis expediam. Itaque

Ratio pro hisce sororibus.

Respondeo, Et in foro conscientiæ, & in foro externo puto iudicandum pro sororibus. Ratio est, Nam in testamentis & vltimis voluntatibus etiam in foro externo (quando aliæ solemnitates Iure requisitæ non desunt) spectanda est mens testatoris, etiamsi rigor verborum non conuincat. l. 96. π. de Reg. Iuris. vbi dicitur, *In ambiguis orationibus maximè sententia spectanda est eius qui eas protulisset.* Atqui dubium non est quin mens testatoris fuerit vt sorores succederent, cùm apertè illas substituerit: si enim voluit eas succedere in euentum quo frater moreretur naturaliter, non accepto statu honorabili, quæ ratio potuit illum mouere, vt idem non vellet, si moreretur ciuiliter? Nec refert quòd non videatur mortuus ante statum illum, sed ipsius status acceptione: Non enim id curauit testator, cùm nihil ad rem faciat; quia tantùm videtur voluisse significare sorores debere succedere si filius decederet non inito matrimonio. Vocat autem matrimonium statum honorabilem, fortè quia audierat ita vocari ab Apostolo ad Heb. 13. vel vt excludat illegitimos. Accedit, quòd testamentum inter liberos sit maximè fauorabile; vnde etiam valet in foro externo etsi aliquę solemnitates aliàs requisitę desint, vt habetur l. *Hac consultissima*, §. *Ex imperfecto*, C. de Testamentis. vbi Bartolus n. 2. & 3. & alij passim Doctores. Ergo sicuti in ambiguis iudicandum pro dote, l. 85. π. de regul. Iur. ob fauorem dotis; ita in hoc casu iudicandum in fauorem liberorum, maximè cùm secundæ nuptiæ & testatori & liberis sint odiosæ. Denique vitanda est interpretatio vltimæ voluntatis, quæ illam facit carentem ratione, & amplectenda, quæ facit prudentem & circumspectam. Quam ob causam quod dispositũ est in casu mortis naturalis, debet intelligi dispositum in casu mortis ciuilis, nisi contrarium sit expressum: supposito quod Monasterium non succedat.

Testamentum respectu filiorũ valet, licet careat solemnitatibus.

26 *Soluuntur argumenta pro matre.*

Nec obstat quod in loco illo dicantur succedere parentes liberis intestatis sine prole decedentibus; quia id intelligendum de bonis omnino liberis, non autem de illis quę vinculo fidei commissi obstricta.

Si dicas cessare fidei commissum, quia cessat conditio: Respondeo non cessare conditionem, vt ex prædictis satis colligitur. Illa enim conditio prudenter & secundùm mentem testatoris est interpretanda. In foro tamen externo factum est aliquod præiudicium aduersus sorores, quòd permiserint matrem succedere. Possent tamen dicere se reuerentiâ maternâ permisisse; &, si erant minores, petere restitutionem in integrum.

Portio primogeniti quousque possit grauari.

CASVS X.

Titius pater reliquit Sempronio filio natu maiori hæreditatem cum onere vt fratrem iuniorem cum suis sustentet.

QVÆRITVR, *Quousque hæc obligatio sese extendat?*

AD hęc responderi exactè non potest absque cognitione iuris Anglicani. Solùm in genere dici potest hæreditatem illam, quam Titius Sempronio primogenito suo reliquit, & relinquere iure tenebatur, non potuisse ampliùs grauari, quàm lex Anglicana vel consuetudo nobiliũ paris conditionis concedat, quæ habet vt primogenitus prouideat fratribus & sororibus de alimentis vel dote. Vnde cùm Sempronius solùm vnum fratrem habuerit, tenetur huic prouidere de alimentis, nisi fortè Titius pater ei anteà prouiderit: non autem omnibus eius filijs & filiabus. 27

Maior natu non est grauandus vt alijs cũ imminutione status sui succurrat.

Porrò certum videtur non potuisse ita grauari vt Sempronius nõ possit viuere secundùm dignitatem & splendorem maiorum suorum: quia id planè videtur contra intentionem Legum, quæ idcircò totum primogenito assignant, vt splendor familiæ in ipso conseruetur. Quare tota dispositio Titij qua parte iustum & rationabilem modum excedere iudicabitur, censenda inualida, ita vt Sempronium in conscientiâ non obliget.

CASVS XI.

Vtrùm Testamentum manu propria à Testatore ad pias causas confectum & subscriptum, non adhibitis testibus sit validum?

Testamentum ad pias causas subscriptum sed sine testibus.

VIdetur non esse validum: quia ad tale testamentum saltem duo testes requiruntur, vt patet cap. *Relatum*, 1. de Testamentis. 28

Affirmatur esse validum.

Sed contraria sententia, Tale testamentum validum esse, videtur omnino verior. Quam tenet Molina disput. 134. Couar. in cap. *Relatum* n. 9. & 12. Corueus & Tiraquellus, quos ibidem citat Couar. Ratio est, Quia duo testes Iure Canonico non requiruntur ad testamenti in piam causam conditi necessariam solemnitatem, quasi sine illis testamentum sit inualidum (sicut iuxta plurimorum sententiam requiritur certus testium numerus Iure ciuili ad testamenta in causas profanas) sed solùm ad necessariam probationem, vt suprà dicti auctores rradunt, & apertè colligitur ex d. cap. *Relatum*, ponderando rationem quam adfert; nimirum; quia *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum*: vbi insinuat apertè testes requiri ad probationem, non ad validitatem: quę duo multum differunt: Nusquam enim Iure Canonico statutum est vt testamentum ad piam causam, si testibus careat, habeatur pro infecto.

Derogatum est hic Iuri ciuili.

Neque refert si dicas id Iure Ciuili statutum in genere de omnibus testamẽtis: quia summus Pontifex derogauit Iuri Ciuili hac in parte, in fauorem salutis animæ, ne bonorum operum cursus in eo articulo, quo quisque maximè pro sua anima est sollicitus, impediretur. Vnde non voluit aliud ad talia testamenta requiri, quàm quod iure Gentiũ est necessarium, vt ijdem Doctores tradunt: nimirum, vt testator habeat potestatem testandi, & heres vel legatarius sit capax, & duo testes sufficiant ad probationem, si aliunde non constet. Vnde si aliunde constet de voluntate libera testatoris, nimirum quia agnoscitur manus eius, nec occurrit vlla iusta ratio dubitandi quin hæc fuerit eius voluntas, non opus est etiam in foro externo probatione testium. Nam iure Gentium scriptura propria in maximis quibusque causis satis est. 29

CASVS

CASVS XII.

Testamentum propria manu scriptum, sine testibus.

Parochus quidam in diœcesi Gandensi scripsit anno 1607. *suum testamentum, sed non adhibitis testibus: quos tamen constituerat adhibere. Nam ita scribit;* Acta sunt hæc coram his testibus ad hoc specialiter vocatis. *Deinde relictus est locus vbi testium nomina scriberentur. Neglexit deinde Parochus testes adhibere. Imò cùm in morbum incidisset, iussit vocari Notarium & testes, tanquam aliud testamentum conditurus. Sed cùm Notarius non adesset, accidit illum è vita decedere, priusquam aliud conderet.*

QVÆRITVR, *An prius testamentum sit validum?*

29

Consuetudo loci.

VIdetur esse validum, quia Gandaui est consuetudo (quæ ad totum territorium extenditur) vt vltima voluntas scripto manu propriæ expressa, habeatur valida, etiamsi nulli testes fuerint adhibiti.

Videtur inualidum.

Respondeo, Re benè expensa, hoc testamentũ videri inualidum. Ratio est, quia non fuit perfectum, sed relictum est imperfectum, idque de industria: atqui testamentum imperfectum est inualidum. L. *Si is qui testamentum.* & L. *Ex ea scriptura.* Qui Testamenta fac. pos. L. *Furiosum.* C. Qui test. fac. possunt. Denique hæc est communis sententia Doctorum, vt ostendit Couar. de Testamentis cap. 11. n. 13. vbi eadem confirmat.

Cõsuetudo repugnans Iuri communi, strictè interpretanda.

Nec obstat dicta consuetudo loci; quia ea intelligenda est de scriptura omnino perfecta, quam testator voluit esse plenam & perfectam. Cùm enim ea consuetudo repugnet Iuri communi, strictè interpretanda est; præsertim cùm agatur in fauorem piæ causæ. Si enim testamentum fuerit inualidum, succedet Ecclesia, cùm bona illius Parochi omnia ab Ecclesia quã rexit, prouenerint.

CASVS XIII.

Compẽsatio testamenti promissi.

Aurelia præstitit marito suo multa obsequia indebita spe fauorabilis testamenti, quod maritus addixerat. Ille autem intestatus moritur.

QVÆRITVR Primò, *An possit sibi partem ex defuncti viri supellectile vindicare, quæ spei suæ respondeat?*

QVÆRITVR Secundò, *An possit Aurelia retinere auream catenam quam iussit maritus eius pro illa fieri, vt eius obsequia compensaret?*

30

AD *Primum*: Respondeo, Secundùm rigorem iuris non posse Aureliam sibi illam partem ex supellectile viri defuncti vindicare. Neq; enim nomine compensationis, neque nomine donationis id potest; tantùm enim duo hi tituli possunt hîc prætendi.

Non potest sibi aliquid vindicare nomine compensationis.

Non nomine compensationis: quia quòd voluerit carere prole & matrimonij voluptate, & conseruare viri famam, & multa obsequia indebita ei impendere, nõ fecit animo exigendi mercedem; neq; hoc modo à marito fuerunt excepta. Neque fecit animo consulendi marito, eiusque rẽ benè gerendi, sed fecit animo consulendi rebus suis; nempe vt his modis induceret maritum in sui amorem; & mediante amore ad condendum testamentum in sui fauorem. Itaque, sicut famulus aliquis qui apud dominum suum vult permanere, priuat se multis commodis quæ apud alios haberet, eique multa obsequia indebita præstat, non vt rem domini meliùs gerat, sed vt hac ratione dominum inducat ad conferendũ aliquod officium, quod animo præcepit, non potest ratione priuationis illorum commodorum, vel ratione obsequiorum indebitorum aliquid accipere, si casu mors domini spes eius intercepit: ita neque Aurelia in illo euentu. Confirmatur, Quia compensatio non habet locum nisi vbi est debitum ex iustitia liquidum; vt omnes Doctores docent: atqui ea omnia quæ Aurelia præstitit, non causant debitum ex iustitia in viro, sed solùm ex gratitudine: ergo non potest vti compensatione.

Neque etiã nomine donationis.

Sed neque nomine Donationis; quia donatio facta non fuit, sed tantùm habuit animum donãdi; vti in casu narratur.

Ad Secundum: Respondeo, Probabile videri secundùm epieikiam, Aureliam posse retinere illam auream catenam, quam pro ea maritus iusserat fieri vt eius obsequia compensaret; vel si hanc nõ potuit obtinere impedientibus hæredibus, quanti illa valebat. Ratio est, Quia, vt hîc narratur, maritus iam conuenerat cum aurifabro vt vxori catenam auream conficeret: quo actu satis significauit exterius voluntatem suam esse, vt vxor catenam hanc haberet, nisi eam voluntatem reuocaret. Neque refert quòd hîc non interuenerit expressa donatio; quia sufficit donatio implicita & virtualis: atqui actus ille censeri potest implicita & virtualis donatio; nam ex vi illius prouenisset donatio expressa, nisi mors interuenisset. Virtualis autem donatio in foro conscientiæ & intra limites iuris naturę, eam vim habet, quam expressa, nisi reuocetur.

31

Aurelia potest retinere istam catenam.

Adde, Iure naturali voluntate transferri dominia; voluntate, inquam, signo externo declarata. Atqui hîc fuit sufficiens voluntas in marito, qua vellet Aureliam fieri dominam huius catenę, eaque satis fuit declarata, quando iussit illam in eum finem fieri: ergo. Sentio igitur Aureliam non esse cogendam in foro conscientię vt catenã, vel valorem catenę acceptum in supellectili restituat heredibus mariti.

32

Sola voluntate transferuntur dominia.

CASVS XIV.

Dispensatio in testamentis.

Titius in testamento suo statuit, his verbis: Ordino & requiro à principali meo hærede, vt mittat ad Dominam nostram Montis serrati, simul cum imagine Dominæ nostræ ex argento duarum marcarum.

QVÆRITVR Primò, *Quot hîc sint obligationes?*

QVÆRITVR Secundò, *An illæ obligationes sint personales an reales?*

QVÆRITVR Tertiò, *A quo tolli vel commutari possint?*

AD *Primum*: Respondeo, Sunt hîc duæ obligationes, altera mittẽdi hominis peregrinationis 33

Sunt duæ obligationes.

nationis causâ; altera mittendæ simul statuæ, quam ibi offerat: id enim apertè præ se fert illa loquendi forma.

Amba Reales.

Ad Secundum: Vtraque obligatio est realis, ac proinde transit ad hęredes. Sic Doctores communiter docent votum mittendi hominem ad Limina Apostolorum, aut in subsidiũ terre sanctæ esse reale, & transire ad hæredem. Vide Syluestrum V. Hæreditas. 3. qu. 12. & V. Votum. 2. qu. 11. & quãuis Archidiaconus dicat aliquos putare votum mittendi incertum hominem, seu hominem in genere, esse personale: ipse tamen eam opinionem non approbat: & sanè caret fundamento; si enim reale est votum mittendi Sempronium, vt omnes fatentur, cur non etiam mittendi aliquem hominem? Ideò enim tale votum est reale, quia totum vel præcipuum onus est ex sumptu, qui faciendus est.

34 *Non possunt à Cõfessarijs commutari in alia pia opera.*

Ad Tertium: Non possunt Confessarij (qui alioquin potestatem habent vota commutandi) tale onus hæredi in alia pia opera commutare: quia hæres non tenetur ex voto, sed ex ordinatione defuncti; ac proinde ex quasi contractu: hoc ipso enim quo adit hæreditatem, sponte suscipit omnia onera quę defunctus imponit. Vnde sicut alias vltimæ voluntatis dispositiones tales Confessarij non possunt mutare, ita nec hanc. Imò etiamsi defunctus nihil ordinasset, sed solùm fecisset votum mittendi hominem, adhuc nihil puto tales Confessarios posse circa hæredem: quia hęres non tenetur immediatè ex voto, sed ex quasi contractu: vt diximus lib. 2. de Iustit. cap. 40. num. 66. sicut si promisisti Titio votum eius soluere, non possum te liberare. Et quamuis hæres ille originaliter obligetur ex voto, hoc tamen votum commutare Confessarij isti non possunt, cùm auctor neque cupiat, neque verò extet. Non enim potest votum commutari nisi petente auctore, eoque viuente: nam requiritur acceptatio eius, & consequenter tacitum votum circa nouam materiam.

35 *Recurrè hic posset ad Nuntium Apostolicum.*

Itaque recurrendum est ad eos qui possunt in vltimis voluntatibus, seu oneribus inde prouenientibus dispensare. Potest autem meo iudicio in præsenti casu Illustrissimus Dominus Nuntius Apostolicus: quia sufficiens causa subest, nempe magnus sumptus, & tenuitas hæredis; & quia est hæres secundus seu mediatus, scilicet nepos Testatoris: nam hæres proximus, nempe parens huius, neglexit. Posset res fieri absque sumptu notabili, si expectaret donec inueniat aliquem qui illam peregrinationem obeat, cui posset committi vt eâdem operâ etiam subeat peregrinationem hîc à Testatore præscriptam.

VECTIGAL.

Vectigal impositũ ciuibus in Arce regia potantibus.

CASVS I.

Quidam Castelanus seu Gubernator Arcis regiæ accepit à caupone in singulos menses 30. Philippicos, & cereuisiam domui suæ necessariam, ea conditione, vt caupo posset à ciuibus ex vrbe ibi potantibus meliori pretio ob immunitatem à vectigalibus, exigere vnum liardum in singula pocula.

QVÆRITVR Primò, *An iustè possit Castellanus iste lucrum illud sibi sumere?*

QVÆRITVR Secundò, *An iustè possit à caupone tantùm exigere?*

AD *Primum:* Respondeo, Non video vllam rationẽ cur meritò quis possit dubitare an iustè Castellanus iste lucrũ illud sibi possit sumere; quandoquidem ciuibus magna in eo fiat gratia, & nulli fiat iniuria: sicut enim Regia Majestas potuisset hoc lucrum sibi vindicare, ita potuit illud Castellanis concedere: & quod alijs concessum est, etiam huic vsurpare licet. Nec refert quòd militibus in arce dentur ista paulò minori pretio: quia potest illis facère maiorem gratiam si velit, quàm ciuibus; nec vllo iure tenetur concedere ciuibus quod concedit suis militibus. Satis est quòd ciues non grauet supra communem æstimationem quæ est in oppido: quod infra hanc æstimationem exigitur ab illis, est gratia, non debitum. Idem receptum in omnibus regnis. Sicut enim Clericis in huiusmodi fit gratia vectigalium & impositionum, ita etiam militibus in suis locis. 1

Ad Secundum: Respondeo, Supposito quòd lucrum istius liardi in singulos menses tanti æstimetur (de quo non video dubitari) non video cur Castellanus non possit pro eo 30. Philippicos, & cereuisiam domui suæ necessariam accipere. Cùm enim auctarium istud iustum sit, cur non possit iusto pretio vendi vel elocari? Idem dico de 7. illis florenis quos accipit à Tabernario in singula vasa vini pro iure vnius placcæ in singula pocula. Neque vllus est Doctorum qui in supradictis contrarium sentiat, vel dubitandum iudicet, quantum liquet ex libris eorum, qui de materia vectigalium scripserunt. 2

CASVS II.

Hydalgia importat immunitatem à vectigalibus.

An, vt Titius sit immunis à vectigalibus, sufficiat Maiores illius ab 80. annis fuisse immunes?

VT Titius probet suam *Hydalgiam*, & consequenter exemptionem à vectigalibus &c. non sufficit si probet suos Maiores olim tales fuisse: quia etiamsi ita esset, ipse tamen, & parentes, & aui possent non esse *Hydalgi*; quia nobilitas varijs modis potuit esse amissa. Amittitur enim multis modis, vt ostendit Tyraquellus. Idque videntur Maiores ipsius iam ab 80. annis confessi, cùm soluerint vectigalia, vel impositiones factas à Magistratibus. Si dicat illos iniquè ad id fuisse compulsos, hoc est probandum: nec sufficit sola assertio, vel etiam fama; præsertim cùm tanto tempore Magistratus videatur præscripsisse, ipsis non facientibus protestationem dum soluerent. Nisi clarè probetur ista iniuria, non video illi remedium à Iure. Si tamen possit probare Maiores suos fuisse nobiles, poliet confugere ad gratiam Regiam, & supplicare pro restitutione illius iuris, saltem pro sua persona. 3

VOTVM.

CASVS I.

Votum Castitatis in sęculo.

Vtrùm laudabile sit & salutare votum perpetuæ Continentiæ emittere in sæculo?

4 ERror est, ne dicam hæresis, asserere non esse laudabile & salutare in sæculo emittere votũ Continentiæ perpetuæ, & ducere vitam spiritualem illi statui congruentem ex iudicio prudentis Confessarij; aut eas, quæ id faciunt, nihil mereri.

Hæresis Iouiniani circa celibatum.

Sciendum, olim docuisse Iouinianum, Continentiam siue in sæculo, siue in monasterio seruatã, non esse meliorem coniugio, nec amplius mereri coram Deo; vt patet ex D. Hieronymo lib. 1. contra Iouinianũ, & ex Augustino lib. ad Quodvult-Deum, de hæresibus, hæresi 82. Qui igitur dicunt virginitatem in sæculo cultam & seruatam non esse laudabilem & meritoriam, etsi in monasterio laudabilis sit & meritoria, cur nõ sint censendi Semi-Iouinianistæ non video? Sanè si tempore D. Hieronymi extitissent, & talia effutiuissent, sanctissimus ille vir in eos tanquam in Iouiniani socios inuectus fuisset. Omnia enim argumenta quæ ille contra Iouinianum instituit, generalia sunt, ac proinde & contra istos vim habent. Neque vllus vnquam Patrum, qui vel de virginitate, vel de cælibatu scripsit, monasticam dumtaxat continentiam laudauit, sed etiam eam quæ in sæculo seruatur. sed nunc breuiter id probemus.

5 *Cælibatus laudatur ab Apostolo.*

Primò Probari potest ex Apostolo, 1. ad Corinth. 7. quem locum diligenter expendit D. Hieronymus contra Iouinianum: apertè enim ibi docet Apostolus, esse consilium Christi Domini seruare virginitatem, etiam in sæculo, nam loquitur de ijs quæ in sæculo manentes virginitatem seruant; vt patet tum ex verbis Apostoli, tũ ex Hieronymo loco citato. Quæ siuerant enim Corinthij ab Apostolo per epistolam, vt docet D. Hieronymus, Vtrùm illæ quæ in virginitate erant cõuersę ad Christum, non deberent in ea permanere; an possent nubere. Non dubitabant an deberent ingredi monasterium, cùm eo tempore fortè nullũ ibi esset, sed an manentes in sæculo, deberent seruare virginitatem. Respondet Apostolus, non esse præceptum Domini: tamẽ esse valdè laudabile, & saluberrimum consilium à coniugio in sæculo abstinere, & virginitatem seruare: idque probat pulcherrimè. Qui ergo dicunt id non esse laudabile & meritorium, apertè repugnant Apostolo: ac proinde doctrinam erroneam docent.

6 *Bum colait Deipara.*

Secundò, B. Virgo virginitatẽ vouit in sæculo, vt Patres colligunt ex illo Lucæ 1. *Quomodo fiet istud, quoniã virum non cognosco?* Hanc igitur imitantur omnes quæ in sæculo virginitatem vouent. Quòd si tunc laudabile, & meritorium erat coram Deo, cur non & modò?

4. Prophetissa.

Tertiò, Philippus Diaconus habuit domi suæ quatuor filias virgines prophetissas, vt patet Actorum 21. In quem locũ notat Theophilactus; ideò Scripturam disertè exprimere voluisse, fuisse virgines & prophetissas, vt insinuaret donũ prophetiæ fuisse præmium virginitatis Deo consecratæ: non enim fuisse aliam causam hoc exprimendi.

Viduæ.

Quartò, Apostolus 1. ad Timoth. 5. apertè significat illo tempore viduas plurimas solitas vouere continentiã in sæculo, cùm ait: *Adolescentiores viduas deuita* (id est, non eligas:) *cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationẽ, quia primam fidem irritam fecerunt:* vbi Doctores & Patres intelligunt votum continentiæ. vide quæ sequuntur. Ex quibus patet in sęculo hæc præstita.

Quintò, Matth. 13. Qui in terram bonam seminatus est, hic est qui audit verbum, & intelligit, & fructum adfert; & facit aliud quidem centesimũ, aliud sexagesimum, aliud verò trigesimum. Multi Patres hunc locum explicantes, fructum centesimum virginibus tribuunt, sexagesimum viduis, tricesimũ coniugatis. Ita D. Hieronymus in hunc locum, & lib. 1. contra Iouinianum in principio, & Athanasius epistola ad Ammon Monachum, & Augustinus de sancta Virginitate c. 44. etsi idem Augustinus alibi centesimum ad Martyres, sexagesimum ad virgines, tricesimum ad coniuges referat. Neque dici potest hoc intelligi tantùm de virginibus in monasterio constitutis: quia Patres diuidunt totam doctrinam in tres status, scilicet coniugatorum, viduarum, virginum; ac proinde intelligunt omnes virgines, quæ in Ecclesia vniuersa virginitatem colunt.

7 *Parabola de fructu centesimo.*

Sextò in Scripturis passim commendatur virginitas & continentia, nõ tantùm coniuncta paupertati & castitati in monasterio, sed etiam per se & seorsim spectata, vt in sæculo colitur. Matth. 19. *Sunt Eunuchi qui se ipsos castrauerunt propter Regnum Dei. Qui potest capere, capiat.* vbi Dominus generatim hortatur ad virginitatẽ, neque adstringit ad monasterium. Sapientiæ 3. *Felix sterilis & incoinquinata, quæ nescíuit torum in delicto; habebit fructum in respectione animarum sanctarum.* *Eunuchi.*

Septimò probari potest rationibus. Primò, Si meritorium est colere virginitatẽ in monasterio, cur non etiam in sæculo? Non enim circumstantia loci facit meritum, sed pia voluntas, & operis sublimitas. Atqui hæc pia voluntas potest etiam extra monasticam vitam haberi. Potest enim virgo velle abstinere à nuptijs, Deoque suam virginitatem consecrare, quia consilium est Christi: quia Deo gratum: quia imitatio Christi, Beatæ Virginis, & illustrissimorum Sanctorum: quia species vitæ Angelicæ: & similes ob causas. Sublimitas quoque operis in se spectati par est. Cur ergo extra monasterium non mereantur quæ virginitatem vouent & colunt? 8 *1. Ratio.*

Secundò, Non solum in monasterio, sed etiam in sæculo valdè meritorium est ieiunare, orare, eleëmosynas corporales & spirituales in proximos conferre, & ad hoc se voto obstringere. cur non etiam seruare virginitatem, & ad eam se voto adstringere? Si enim alia opera bona non amittunt suam dignitatem & pretium apud Deum, ex eo quòd fiant in sæculo, cur virginitas suam dignitatem non retineat in sæculo? cur cultus corporis modestus & grauis non habeat suum meritum in sæculo? *2. Ratio.*

Tertiò, Valdè laudabile est & meritorium cõiuges ex mutuo consensu abstinere ad tempus ab vsu coniugij, vt vacent rationi, etsi maneant in sęculo, vt docet Apostolus: ergo multò laudabilius est vt quis perpetuò abstineat, & voto ad hoc se astringat, etsi in sæculo manere velit. 9 *3. Ratio.*

Quartò, Valdè laudabile est & meritorium vt coniuges mutuo consensu voueant cõtinentiam, etsi in sæculo manere velint; vt patet ex vsu Ecclesiæ, *4. Ratio.*

clesiæ, & passim docent Patres. de qua re vide pulcherrima testimonia apud D. Augustinum epistola 45. ad Armentarium, & epistola 70. ad Bonifacium, & 199. ad Ediciam. cur ergo non sit laudabile virginibus in seculo viuentibus virginitatem perpetuam vouere?

5. Ratio. Quintò, Fide tenendum est esse laudabile & meritorium si adolescentes & viri in sæculo continentiam voueant: imò Ecclesia compellit illos vouere qui sacros Ordines capessunt. Cur ergo non sit laudabile idipsum facere feminas? Non enim Deus sexum respicit, sed voluntatem. Si dicas ob pericula. At longè plura sunt pericula viris plerumque, quàm feminis: viri enim Ecclesiastici maiore libertate versantur inter homines quàm feminæ virgines, multasque habent illecebras libidinum, quibus feminæ carent. vnde videmus etiam longè plures labi, quàm virgines.

10 6. Ratio. Sextò, Virginitas etiam culta in sæculo liberat à sollicitudinibus huius sæculi, quibus iuncti matrimonio mirè implicantur, vt docet Apostolus 1. Corinthiorum 7: *Tribulationem carnis habebunt huiusmodi. Volo autem vos sine sollicitudine esse.* Ergo est valdè laudabilis & meritoria.

7. Ratio. Septimò, Valdè laudabile est & meritorium id amplecti, *quod facultatem præstat sine impedimento Deum obsecrandi, & cogitandi ea quæ Domini sunt, quomodo placeamus Deo.* Atqui hoc præstat virginitas, etiam in sæculo, vt docet Apostolus 1. Corinth. 7. *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu.* Et infrà: *Beatior erit, si sic permanserit secundùm meum consilium: puto enim quod & ego spiritum Dei habeam.* Non ergo habent spiritum Dei, qui docent quòd non mereatur, si sic manserit: si enim non meretur, non est beatior.

11 8. Ratio. Octauò, Omnibus ætatibus post mortẽ Christi, plurimæ extiterunt quæ in sæculo vel virginitatem, vel continentiam in statu coniugali, vel post statum coniugalem coluerunt, & voto firmauerunt, vt patet ex historijs. Imò Illustrissimæ virgines quas Ecclesia colit, tales fuere; vt Tecla, Agnes, Agatha, Cecilia, Lucia, aliæque innumeræ, & ipsa Virgo Virginum B. Maria, quę omnibus virginibus proposita est exemplum. Nulla est in orbe Christiano Prouincia, quæ non hodieque plurimas eius imitatrices habeat in sæculo. Mira temeritas, mirum supercilium id audere improbare, quod omnibus sæculis in vsu & veneratione fuit, & etiamnum apud omnes Catholicas nationes viget.

12 9. Ratio. Nonò, Non omnibus conuenit status monasticus. Multæ enim virgines & viduæ vel non sunt idoneæ ad omnes illas obseruantias, idque vel ob inualetudinem, vel ob aliquam aliam causam; vel si sunt idoneæ, non habent animum: & cur non habeant, sæpè non carent iustissimis rationibus. Quis coget has ingredi monasterium, vel iungi nuptijs? Cur his non liceat in sæculo permanere, & virginitatem colere, & eandem voto firmare? Certè nemo id potest improbare nisi spiritu Iouiniani præditus. An quia non vult ingredi monasterium, ideò debet iungi nuptijs? Si non vult id quod summum tibi videtur, ideò non potest capere medium, sed tenetur vel summum, vel infimum aggredi?

13 Iam verò quòd ad habitus modestiam attinet, quòd crispantia collaria non gestent, quòd auro & serico non fulgeant, quòd omnia ad simplicitatem Christianam composita habeant, quis potest non laudare nisi Iouiniani socius? Legant illi D. Hieronymum epistola ad Lætam de institutione filiæ virginitati ab auia destinatæ; & ad Demetriadem de virginitate seruanda. præterea ad Saluinam, & aliam ad Furiam de viduitate seruandâ, & videbunt qualis debeat esse virginum & viduarum continentiam seruantium habitus. *Habitus modestus.*

14 *Directio Confessarij* Denique valdè laudabile esse quòd à prudente Confessario dirigantur, clarum est: vt insanus sit, qui neget. Quis enim ita sapiens est, vt per se omnia sciat quæ ipsi in via spirituali sunt conducibilia, vel propria? Quod si per se non potest scire, expedit vt aliquem habeat quem consulat. Quis autem ad hoc est aptior quàm Confessarius vir doctus & prudens, qui conditionem sui pœnitentis perspectam habet? Ineptus est ad directionem conscientiarum, tùm is qui indoctus est, quantumuis se putet spiritualẽ & mysticæ Theologiæ cultorem, vt multis exemplis posset ostendi. vnde Tobias monebat filium, *Consilium semper à sapiente perquire.* indocti enim ex figmentis sui capitis, non ex Patrum doctrina consilia ingerunt, cum magno detrimento eorum qui consilium petunt: tum etiam ij qui conscientiarum regendarum vsum non habent; vt sunt illi qui confessiones non audiunt. vnde monet Sapiens Ecclesiastæ 6. *Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi vnus de mille.*

Obserua Lector, *Ex hoc Responso fusiorem ab Auctore nostro editum esse Coloniæ Anno 1615. libellum* De bono statu eorum qui vouent & colunt Castitatem in sæculo, *sub nomine* Leonis Hubertini, *quem deinde vir Clarissimus Balthazar Moretus Typographus Antuerpiensis* Lessianis *Opusculis inseruit Anno 1626.*

CASVS II.

Votum non petẽdi dispensationem à suo voto.

Titius vouit instituere scholas si amicus conualesceret, & simul vouit se non petiturum dispensationem huius voti aut commutationem.

QVÆRITVR, *An amico conualescente possit vllo modo eam petere?*

15 REspondeo, Si iusta causa à pijs & prudentibus viris iudicetur subesse petendi dispensationem vel commutationem; potest primò petere dispensationem voti secundi, quo vouit non petere dispensationem de priore: qua dispensatione obtenta, potest etiam petere de priore. Sunt enim hic duo vota distincta; de quorum altero potest immediatè petere dispensationem, de altero non potest immediatè, sed tantùm obtenta dispensatione secundi voti.

Addo, Hoc votum non petendi dispensationem non obligare, nisi quando melius iudicatur omnibus consideratis non petere: vt rectè docet Richardus in 4. dist. 38. artic. 9. quæst. 3. Sotus autem lib. 8. quæst. 1. artic. 9. sub finem, dicit huiusmodi vota esse futilia. Idem sentiunt multi alij, vt Siluester, Antoninus &c. *Quidam censent hoc votum non obligare.*

Dispensatio Voti.

CASVS III.

Quidam Laici vouent se Deo seruituros in Hospitali leprosorum, hac formula: Ego Frater N. facio professionem, & voueo Deo, & B. Virgini MARIÆ, *& omnibus Sanctis, & tibi Sorori pro hoc tempore Magistræ huius domus Hospitalariæ in hac Dei-domo loco Reuerendissimi Domini nostri Episcopi, & tuis successoribus: me in posterum victurum in vera obedientia, in castitate corporis, & in voluntaria paupertate; & Ordinis vestes gestaturum iuxta regulam & bonam consuetudinem huius domus vsque ad mortem. Et præterea voueo me ægris huius domus vsque ad mortem adfuturum, eosque non deserturum. Ita me Deus adiuuet, & omnes Sancti eius. Circa hanc formulam vouendi.*

QVÆRITVR Primò, *An vota illa sint perpetua, an tantùm temporalia?*

QVÆRITVR Secundò, *An qui sic vouerunt, possint sua auctoritate hoc Institutum relinquere?*

QVÆRITVR Tertiò, *An Episcopus loci possit in prædictis votis dispensare?*

EXpensâ hâc formulâ vouendi seu profitendi, & simul statutis eiusdem domus Hospitalis:

Ad Primum: Respondeo, Vota illa esse perpetua, non temporalia. Sunt autem hîc quinque distincta, quæ Deo vouentur; scilicet, obedientia, castitas, paupertas, gestatio habitus, & obsequium infirmorum: & hæc omnia vsque ad mortem obseruanda vouentur: nam bis repetitur illud *vsque ad mortem*, semel vt determinet quatuor vota, quasi principalia & religiosa constituentia quendam statum Euangelicæ perfectionis: & secundò, vt quintum votum determinet, quod respicit principalem functionem illius institutionis, quæ est seruire infirmis.

16 *Sunt hæc Vota perpetua.*

Nec obstant illa verba formulæ, *Iuxta regulam, & bonam consuetudinem huius domus*, in regula autem tribus locis videatur significari illos liberè posse discedere quando voluerint, vt §. *De sanis recipiendis*, §. *De recedentibus ad seculum*, & §. *De omnimoda eiectione*: hæc, inquam, verba formulæ non obstant. Tum quia illa verba solùm videntur determinare gestationem vestium ordinis; hic enim videtur esse sensus, quòd voueat se gestaturum vestes regulares, vti præscribit regula & habet consuetudo domus: idque additum, vt sciretur quales essent istæ vestes, & cur deberent gestari. Tum, quia qui vult recedere, non potest dici facere secundùm regulam & bonam consuetudinem domus, sed potiùs contra regulam & bonam consuetudinem. Tum denique quia repugnantia quædam est si voueas te aliquid vsque ad mortem præstiturum, & nihilominùs velis esse liber vt non præstes si placuerit. Si enim vis esse liber, quomodo te obstringis vsque ad mortem? & si obstringis te vsque ad mortem, quomodo vis non esse obstrictus nisi quamdiu libuerit? Vnde si mens formulæ vel vouentium est, vt non obligentur nisi quamdiu placebit in illa domo commorari, non oportebat dicere, *Voueo hæc me præstiturum vsque ad mortem*, sed, quamdiu hîc sum commoraturus. Sed hanc non esse mentem, patet partim ex dictis; partim ex nomine *professionis*, quæ perpetuitatem significat: partim quòd bona recedentibus non restituantur; partim quia §. *De sanis* dicitur, *elapso tempore probationis si remanere debeat, sub stola in manu Capellani faciendo promissionem, promittat stabilitatem in domo ista*: atqui non est stabilitas si retinet libertatem abeundi: partim quia §. *De leprosis recipiendis*, expressè dicitur *leprosos non debere vouere castitatem, aut abrenuntiationem paupertatis, vt caueatur ijs qui matrimonio iuncti sunt, & alijs qui fortè à domo per malitiam sunt recessuri*: vbi satis insinuatur eos qui vouent, & posteà recedunt, peccare contra votum suum, nec habere libertatem recedendi aut matrimonium contrahendi, aut proprium habendi

Soluitur obiectio ex verbis formulæ.

Neque obstat quòd §. *De sanis recipiendis* dicitur, *Consuetudines domus secundùm posse suum promittat se seruaturum, non sub voto, sed sub pœnâ inferiùs annotata*: hinc enim non sequitur eos non obligari sub voto ad stabilitatem, & ad alia quæ expressè vouent; quia multis Religionibus id est commune, vt consuetudines & regulæ non obligent nisi sub pœna. 17 *Soluitur obiectio ex statutis loci.*

Similiter non obstat quod §. *De recedentibus ad seculum*, dicitur; *Cùm sanus recedit post factam professionem, vel leprosus post annum, nihil omnino eis dabitur*, id est, ex ijs quæ intulerunt. Non enim hîc significatur quòd possint recedere, sed potiùs contrarium, quia nihil eis restituendum iudicatur.

Denique non obstat §. vltimus *De omnimoda eiectione*: quia ex eo quòd quis possit eijci in perpetuum, non sequitur, eum qui eijcitur, non fuisse obligatum ex parte sua perseuerare: tum quia post vota simplicia licitum est eijcere regularem; illa autem vota sunt tantùm simplicia: tum quia etiam in probatis Religionibus licet eijcere etiam post professionem, idque iure naturali.

Ad Secundum: Respondeo, Non posse eos, qui sic vouerunt, sua auctoritate hoc institutum relinquere. Suppono enim esse pium, & consilia Euangelica continere: quamuis possint in quamcumque Religionem approbatam commutare. Nam omne votum potest in Religionis approbatæ professionem commutari, argumento Capit. *Peruenit* 2. de Iure iurando. & Cap. *Scripturæ*. de Voto; estque communis sententia Doctorum: Caietani Verbo *Voti commutatio*. Soti lib. 7. de Iustitia qu. 4. art. 3. & aliorum. 18 *Non possunt sua auctoritate Institutum relinquere.*

Ad Tertium: Respondeo, Episcopum posse in prædictis votis dispensare, excepto voto castitatis. Probatur, quia Episcopus potest dispensare in omni voto, quod expressè Iure vel consuetudine non est reseruatum Sedi Apostolicæ; vt docent omnes Doctores Theologi & Canonistæ, teste Soto suprà, Nauarro cap. 12. nu. 75. & alijs. Reseruata autem Sedi Apostolicæ sunt tantummodò quinque vt summum: scilicet, Religionis, Castitatis perpetuæ, Professionis Hierosolymitanæ, Peregrinationis ad Limina Apostolorum, & ad S. Iacobum in Compostella; vt Nauarrus & Sotus suprà, 19 *Episcopus potest dispensare in omni voto non reseruato Papæ.*

ius suprà, & alij passim docent. Ex prædictis autem votis nullum est Sedi Apostolicæ reseruatum, præter votum Castitatis perpetuæ: vt colligitur ex Auctoribus citatis: non enim votum Obedientiæ, Paupertatis, & Stabilitatis est reseruatum, nisi fiat in vera Religione, seu in veto statu Religionis; vt omnes vnanimi consensu docent. Atqui Institutum illius domus, non est vera Religio, cùm non sit pro tali approbatum à Sede Apostolica: quod tamen ad statum Religionis necessarium esse, saltem à tempore magni Concilij Lateranensis sub Innocentio III. (quod celebratum est circa annum Domini 1215.) patet ex Decreto eiusdem Concilij, Cap. *De nimia.* de Religiosis domibus; & Cap. vnico. §. 1. eodem Tit. in 6. ex Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. ex quibus omnino constat hæc vota reseruata non esse, sed posse ab Episcopo dispensari, vel commutari, præter votum Castitatis.

Vide suprà, verbo Professio Religiosa inualida, *Casu 21. & 22.*

20 *Ad hanc dispensationem non requiritur consensus tertij.*

Nec obstat quòd votum obedientiæ, & votum inseruiendi infirmis videatur esse in fauorem tertij, ac proinde non posse eo dispensari sine consensu tertij: Tum quia in casu Titij hîc proposito, de cuius dimissione agitur, adest omnis consensus requisitus ex parte ipsius domus, & Superioris eius, vti narratur: Tum quia hæc vota non sunt principaliter in fauorem tertij, sed accessoriè (nam principaliter fiunt Deo ad animæ salutem:) Tum denique quia tota domus, vti suppono, subest iurisdictioni Episcopi loci, qui proinde potest tamquam verus Superior hoc ius remittere, sicut poterat immediatus Superior ipsius domus.

21 *Dispensatus potest fieri sacerdos secularis.*

Hinc sequitur prædictum Episcopum posse dispensare cum suprà dicto Titio, vt relicto Instituto illo & habitu, fiat Sacerdos secularis. Cùm enim possit dispensare in omnibus votis prædictis, præter votum Castitatis, potest illum liberare ab omni obligatione, quam habet erga illam domum ratione suorum votorum, ac proinde vt redeat ad statum & habitum secularem, sic tamen vt teneatur seruare castitatem: & tunc nihil habet impedimenti quo minùs sine alia dispensatione possit ad omnes Ordines promoueri.

22 *Non obest quòd vota sint iurata.*

Nec obstat quòd eadem vota videantur iuramento firmata, dum dicitur in formula, *Ita me Deus adiuuet, & omnes Sancti eius*, ac proinde duplici vinculo ligare: quia Episcopus potest in ijsdem iuramentis dispensare. quando enim votum & iuramentum in eandem materiam cadunt, quicumque potest in voto dispensare, potest etiam in iuramento: Siluester Verbo *Iuramentum*. 5. quæst. 3. Dominicus Soto lib. 8. de Iustit. qu. 1. art. 9. Caietanus 22. quæst. 89. art. 9. & alij complures, estque communior sententia Doctorum, & nemo dubitat quin saltem Episcopus possit dispensare in votis iuratis.

VSVRA.

CASVS I.

Testamentum vxoris publici Vsurarij.

Vtrùm per Cap. Quanquam *de Vsuris in 6. inualidum reddatur testamentum Caiæ vxoris Sempronij vsurarij publici, quo, relictâ prolibus suâ legitimâ, instituit maritum hæredem, iniuncto ei onere restitutionis quæcunque facienda esset?*

AD huius quæstionis decisionem: Suppono Primò, Vsurarium etiam publicum & manifestum iure naturæ non esse intestabilem, seu inhabilem ad condendum testamentum: sed posse de rebus suis testari sicut quemlibet alium, transfuso onere restitutionis in hæredes. Quilibet enim est arbiter rei suæ cuius habet dominium: atqui vsurarius non solùm habet dominium sortis, quâ primò cæpit facere vsuras, sed etiam ipsarum vsurarum, vt plurimi Doctores tradunt: quod maximè locum habet quando pecuniæ vsuris partæ fuerint cum proprijs permixtæ; vt communiter docent Doctores, & intelligitur apertè ex l. *Si alicui*, 78. ff. de solutionibus, & alijs Iuribus. Similiter acquirit dominiũ pecuniæ quã accipit ex vẽditione pignorũ, & c. l. *Qui vas*, in fine ff. de furtis. Itaque si ius naturæ spectetur, potest de illis disponere præsertim per testamentũ, non minùs quã alij de rebus suis: quia onus restituendi transit ad hæredes, & ita nullũ fit præiudiciũ creditoribus.

1 *Vsurarius solo Iure Canonico est inhabilis ad testandum.*

Suppono Secundò, Inhabilitatem testandi vsurarijs esse inflictam in pœnã solo Iure Canonico, idq; vt resipiscant: sicut & aliæ quædam pœnę eodẽ Iure in eos statutæ sunt, vt patet Cap. *Quanquã* de vsuris in 6. Vnde sicut aliæ leges humanę per vsum contrariũ, vel etiã per non vsum certi temporis tolli possunt & abrogari, ita etiam hæc, maximè qua parte pœnalis est, & hanc inhabilitatem infligit. Facillimè enim leges humanæ abrogãtur quâ parte dispositionẽ pœnalẽ continent; vt innumeris exemplis in censuris, irregularitatibus, & inhabilitatibus ostẽdi potest, etiã manente legis dispositione quoad actus prohibitos vel præceptos.

2 *Hæc inhabilitas per non vsum tolli potest.*

Suppono Tertiò, Hanc pœnam non habere locum nisi in vsurarios manifestos; vt apertè ex d. Cap. *Quanquam* colligitur. Vnde non pertinet ad eos qui manifesti nõ erant, vel manifesti nõ habebantur. *Manifesti* dicuntur *qui facto, vel iure sunt notorij esse tales.* Facto manifesti & notorij sunt, *qui ita palam vsuras exercent, vt nulla tergiuersatione negari possit.* Iure verò sunt manifesti, *qui Iudicis sententia de hoc crimine sunt condemnati*: Vel, *qui de seipsis legitimo iuris ordine hoc crimen coram Iudice sunt confessi*: Vel denique, *de quibus id per idoneos testes in iudicio est plenè probatum*, vt docet Couarruuias lib. 3. variarum cap. 3. n. 4. & 5. Infamia & semiprobatio non sufficit, vt idem ostendit. Imò nec confessio extra iudicium coram Parocho & testibus, vt docet Molina disput. 333. quia confessio extraiudicialis non inducit notorium Iuris.

3 *Soli vsurarij manifesti sunt inhabiles ad testandum.*

His positis, tanquam certis & receptissimis; Respondeo, hoc testamentum, de quo agitur, ita validum censeri, vt ratione Cap. *Quanquam*, nulla ratione possit infringi à prolibus.

4 *Testamentum Caiæ est validum, vtpote non manifestæ vsurariæ.*

Conuincitur id Primò: Quia hoc Caput solùm loquitur de manifestis vsurarijs. *Testamenta*, inquit,

manifestorum vsuriorũ aliter facta (nõ facta satisfactione nec præstita idonea cautione) *nõ valeant, sed sint irrita ipso iure.* Atqui vxor vsurarij, de qua est quæstio, nõ fuit manifestè vsuraria; quia neque ipsa notoriè fœnus exercuit, neque de hoc crimine vnquam à Iudice fuit condemnata, aut conuicta, vel confessa in iudicio. Imò tantùm abest vt notoriè talis fuerit, vt ne infamiâ quidem huius criminis laborasse videatur: quia passim à suo Pastore viro docto & probo publicè ad Sacramenta tanquam honestæ vitæ persona admissa fuit. Itaque nisi de contrario manifestè constet, præsumendum est illam habitam honestam, neque laborasse huius criminis infamiâ: quia præsumendum Parochum debitè functum suo officio: graui autem sacrilegio se obstrinxisset, si personam de tali crimine publicè infamem, ad Sacramenta publicè admisisset: & tamen infamia non sufficit vt irritum sit testamentum. Multò minùs dici potest illam fuisse manifestè vsuriariã, quia sic multò grauiùs peccasset Pastor illam ad Sacramenta admittendo, & meruisset excommunicationẽ illam tradendo Ecclesiasticæ sepulturæ, per Clementinam de Sepult. *Eos qui*. Nec potuissent ista fieri sine magno scandalo & obloquio populi.

Etsi cõsenserit in fœnus mariti.

Nec obstat quòd fortè consenserit vt maritus fœnus exerceret: quia ille consensus non est notorius, nec ipsam fecit manifestam vsuriariã apud populum. Similiter non obstat quòd fuerit vxor vsurarij; quia crimen mariti non debet refundi in vxorem, nisi constet ipsam fuisse in crimine sociam. Vxor, sociam tori denotat, non criminum & iniuriarum mariti.

3 Testamentum publici vsurarij potest ex triplici causa esse validum.

Secundò, Etiamsi publica vsuraria fuisset (quod tamen nullo modo admittimus) tamen adhuc testamentum eius validum censeri debet, idque triplici de causa. Primò, Quia in morte dedit omnem cautionẽ quam ab ea Parochus exegit: alioquin eam non absoluisset, nec ad Sacramenta, & Ecclesiasticam sepulturam admisisset. Quòd si Parochus non exegit ab illa talem cautionem, qualem Ius præscribit, hoc illi fraudi esse non debet, quæ parata fuit præstare omnia quæ ad salutẽ necessaria; vt manifestè colligitur ex testamento, quo ita maritum instituit hæredem, vt omnia restitutionis onera impleat.

1 Ex recõciliatione.

2. Ex recõsuetudine.

Secundò, Quia longissimi temporis consuetudine obtentum in hisce prouincijs vt testamenta vsuriariorum, præsertim accedente Principis concessione, valeant, ita vt nemo se illis ratione Cap. *Quanquam* opponat. Atqui consuetudo habet vim tollendæ legis, etiam Canonicæ, vt communiter tradunt Doctores, & apertè colligitur ex Cap. fin. de Consuetudine, qua de re videatur Couar. lib. 3. variarum cap. 13. Idque maximè procliue est quando agitur de lege pœnali, qua parte pœnam statuit: hâc enim ex parte facillimè tollitur, vt suprà nu. 2. dictum est. Quantum autem temporis ad hoc requiratur, disputant Doctores. Sed omnes consentiunt legem Canonicam, etiam qua parte dispositiua est, tolli consuetudine 40. annorum: quanto ergo facilius qua parte pœnalis est? Atqui hæc consuetudo est plusquam centum annorum, ita vt omnem hominum memoriam superet. Ergo non est dubitandum quin potuerit pœnalem illam constitutionem Capitis *Quanquam* abolere.

6

Tertiò, Quia Principes Belgij legitima præscriptione videntur sibi iam olim comparasse ius illud quo concedunt priuilegium testandi vsurarijs. Nam plusquam à 150. annis, nempe à tempore Philippi Boni, vsi sunt hoc iure, nemine repugnante, adeò vt testamenta vsuriariorum concessu Principis (*Octroy* vulgò dicunt) facta, habita fuerint valida. Atqui certum est tanto temporis vsu potuisse Principem tale ius acquirere, præsertim cùm solùm agatur de tollenda quadam inhabilitate inducta per legem Canonicam: & Principi supremo (seposita Ecclesiæ dispositione) iure Gentium conueniat talis potestas circa suos subditos. Confirmatur, quia si Principes possunt longissimi temporis vsu præscribere ius præsentandi ad quædam beneficia Ecclesiastica (quod tamen natura sua est spirituale) & cognoscendi in plurimis causis quando agitur de possessorio: quãto faciliùs possunt præscribere hoc ius quo suis subditis concedant potestatem testandi, cùm ius istud non sit spirituale, sed ipsi principatui quodãmodò annexum. Non videtur itaq; dubitandum quin Principi tale ius per tanti temporis vsum & possessionem verè sit acquisitum, quamuis anteà per Ecclesiã ob altiorem finem fuerit ademptum vel suspensum: ac proinde testamenta vsuriariorum, quibus ipse priuilegium testandi dederit, valida erunt, nec ab Ecclesiastico Iudice poterunt infringi: quia vis dispositionis Cap. *Quanquam* quoad hanc partem, tanti temporis vsu contrario, iam pridem hîc eneruata est.

3. Ex cõcessione Principis.

CASVS II.

Requisita vt quis censeatur manifestus vsurarius.

Caia iuncta fuit matrimonio Sempronio, quem sciebat publicum vsurarium; & cum eo multis annis vixit.

QVAERITVR, *Vtrùm idcircò Caia in foro exteriori debeat censeri manifesta vsuraria, & incurrisse pœnas Iuris statutas Capitulo* Quanquam, *De vsuris in 6. & nominatim pœnam inualidi testamenti?*

7 Esse vxorem vsurarij nõ facit esse manifestã Vsurariam.

CErtum videtur, ob illam causam quòd Caia fuerit vxor Sempronij manifesti vsurarij, nõ posse dici *manifestam vsurariam*. Primò, quia matrimonium non est societas scelerum, sed officiorum ad vitam & procreationem necessariorum. Vnde scelera mariti nõ possunt ratione matrimonij refundi in vxorem, nec contrà; vt per se notũ est: sed aliunde societas scelerum probari debet. Imò tantùm abest vt idcircò vxor censenda sit manifesta vsuraria, vt vix aliquod leue indicium seu leuis præsumptio inde sumi queat ad probandum ipsam simpliciter vsuriariã fuisse. Itaque hac in re nulla potest esse dubitatio.

8 Qualis probatio in iudicio requiratur vt quis incurrat pœnam Cap. Quanquam

Secundò, In præsenti negotio, nempe ad effectum incurrendi pœnas Capitis *Quanquam*, non sufficit probatio plena in iudicio, qua quis probatur esse vel fuisse absolutè vsurarius; sed requiritur probatio talis, quâ probetur plenè fuisse vsurarius manifestus; vt docet Baldus l. 1. C. de sacrosanct. Eccl. col. 4. vbi dicit; *Non sufficere ad hoc vt quis sit vsurarius manifestus, vt probetur eum vsurarium esse; sed requiri probationem actuum publicè & palam gestorum super eiusdem criminis exercitio.* quod est valdè notandum. Idem docet Bartolus l. *Fur.* π. de furtis, *Quando quæritur*, inquit, *Vtrùm quis sit manifestus peccator alicuius delicti, non sufficit vt faciaş*

faciat semel aut bis illud delictum, sed requiritur vt stet publicè paratus ad illud delictum faciendum; sicut meretrix in prostibulo, vel vsurarius ad banchum. vt l. *Palam*, in princ. π. *de Ritu nuptiarum* &c. Itaque etiamsi probari posset Caiam aliquando dedisse ad vsuram absente marito, hoc tamen non sufficit vt censeatur *publica vsuraria*; aut vt testamentum eius censeatur inualidum. Idem disertè docet Couar. lib. 3. Variarum cap. 3. n. 5.

9 *Non sufficit quòd post mortem fiat manifestũ, viuentem fuisse vsurarium.*

Tertiò, Pari modo non sufficit vt post mortẽ incipiat esse manifestum, ipsam ante mortem fuisse vsurariam: sed requiritur vt tempore quo testatur, fuerit manifestè vsuraria. Secùs si ante & post illud pœnituit: aut si ante mortem fuit occulta vsuraria, & post mortem id incipit esse manifestum: tunc enim testamentum valebit. Ita in terminis docet Angelus in quodã Consilio, quod incipit; *In causa prædicta*, &c. Et probat ex d. Cap. *Quanquam*, vbi dicitur primò, *Nullus vsuariorum manifestorum testamentis interfit.* vbi apertè loquitur de testamentis eorum, qui tempore factionis testamenti, erant manifesti vsurarij. secundò dicitur, *Testamenta manifestorum vsuariorum aliter facta, non valeant, sed sint irrita ipso iure.* Quod necessariò intelligendum de testamentis eorum, qui saltem ante mortem manifesti erant vsurarij.

10 *Nec quòd quis sit in iudicio cõfessus se simpliciter fuisse vsurarium.*

Quartò, Imò non satis est ad incurrendas pœnas Capitis *Quanquam*, vt quis in iudicio confessus sit se vsurarium fuisse simpliciter, aut vsuras exercuisse: quia etsi talis confessio in genere sufficiat ad effectum, vt quis post confessionem censeatur vsurarius manifestus, id est, manifestatus & publicatus, & vt puniatur per sententiam Iudicis pœnâ pecuniariâ, vel aliâ per leges iustè statutâ, non tamen vt dicatur manifestus ratione manifesti exercitij & negotij: quod tamen requiritur ad pœnas cap. *Quanquam*. Ita disertè Couar. lib. 3. Variarum cap. 3. n. 5. & probat optima ratione: quia alioqui sequeretur eum qui semel & occultè ad vsuram dedit, & id in iudicio confessus est, grauissimis illius Capitis pœnis teneri: quod à ratione alienum est, & contra mentem Ecclesiæ & praxim. Itaque etsi confessio in iudicio & sententia Iudicis dicantur inducere notorium Iuris, vt docet Glossa 2. q. 1. Can. *Manifesta*. Nauar. Enchir. cap. 25. n. 73. & cap. 27. n. 255. & alij: tamen ad pœnas Capitis *Quanquam* non sufficit, nec facit tali modo manifestum, qualis ibi requiritur.

Nec sufficit infamia.

Quintò, Neque etiam infamia sufficit, vt omnes Doctores fatentur. Fama enim non facit rem manifestam, ita vt nulla tergiuersatione queat negari; sed solùm mouet suspiciones. Vnde etiam ad alias pœnas inferendas, quæ non postulant crimen manifestum, non sufficit, sed requirit alia adminicula, quæ per se probent plusquàm semiplenè; vt docet Couar. suprà n. 4.

11 *Frequentatio Sacramentorum arguit aliquem non esse publicè vsurarium*

Sextò, Tantùm verò abest vt prædicta Caia manifestè fuerit vsuraria, dum viueret, vt ne quidem infamiâ huius criminis laborasse videatur. Si enim infamiâ laborauit, quomodo eius Parochus, vir doctus & probus, eam tanquam probã feminam publicè ad Sacramenta admisit? quomodo eam publicè ad altare comparentem, non repulit? Graui profectò sacrilegio se obstrinxisset, & magnam scandali dedisset occasionem populo, si personam publicè de tali crimine infamẽ, ad Sacramenta admisisset. Atqui nullo modo præsumendum, Parochum tali crimine se voluisse contaminare: ac proinde non potest præsumi eam tali infamiâ laborasse, nisi id manifestè constet. Quòd si ne infamiâ quidem laborauit, multò minùs potest dici illam *manifestè* talem fuisse. Idem confirmatur ex eo, quòd cùm Caia esset mortua, etsi initio ob suspicionem aliquam motam Capitulo Canonicorum negata fuerit ad aliquot dies sepultura sacra, postea tamen est admissa; nimirũ re meliùs discussâ & suspicione ablatâ. quod ipsum firmissimum argumentum est, illam non fuisse manifestam vsurariam. alioqui grauissimè Capitulum peccasset illam ad sepulturam admittendo; vt patet Clementina *Eos qui* de sepult. vbi infligitur excommunicatio ei, qui manifestum vsurarium Ecclesiasticæ sepulturæ tradiderit.

Denique vt quis dicatur manifestus vsurarius iuxta mentem Capitis *Quanquam*, requiritur vt ratione manifesti & publici exercitij, & actuum vsuræ ita id clarum & perspicuum sit, vt nulla tergiuersatione negari queat: vt optimè docet Couar. suprà. Hoc autem locum non habet in nostro casu. Imò etiamsi hoc nomen accipiatur latiùs, vt extendat se etiam ad confessos, & conuictos in iudicio, & ad eos qui per sententiam de crimine damnati, sicuti multi alij Doctores accipiunt, vt Siluester V. vsura 9. & alij Summistæ: nihilominus hîc locum non habet; quia Caia nõ fuit vnquam confessa in iudicio, quòd vsuras exerceret, nec conuicta de eo, multò minùs ea de re damnata.

12 *Quid requiratur vt quis dicatur manifestus vsurarius.*

Ob has & alias rationes, quæ adduci possent, omnino concludendum videtur Caiam non esse manifestam vsuriã censendam, nec pœnas Cap. *Quanquam*, nominatim quoad testamenti irritationem, in ea locum habere.

CASVS III.

Pecunia pupillaris data ad Vsuram.

Tutores & præfecti Cameræ pupillorum coguntur pupillares pecunias dare fœnori ad rationem 8. *vel* 10. *in* 100.

QVÆRITVR, *Vtrùm id licitè facere possint?*

13 REspondeo, Tutores & præfecti Cameræ pupillorum coacti pupillarem pecuniam fœnori dare ad rationem 8. vel 10. in centenarium, possunt excusari per triplicem contractum si contrahant cum mercatore, & expresè vel implicitè triplicem illum contractum intendant.

Nec refert, quòd in illis locis vsuræ putentur licitæ ab hæreticis Magistratibus qui id præcipiunt: quia hi id non præcipiunt in contemptum Religionis vel fidei: sed quia id putant non esse iniquum, præcipiunt tanquam vtile pupillis. Et sanè réditus ibi longè pluris valent, quàm hîc, similiter etiam lucrum cum mercatore pluris ibi valet.

Si contrahant cum non mercatore, poterunt excusari ratione interesse; quia à mercatore tantundem habere facili negotio poterant. *Vide suprà Verbo* Census, *Casum* 3. 4 5. *& Verbo* Mutuum, *Casum* 4.

CASVS IV.

Mutuare Vsurario bona fide sub lucro 8. in 100.

Titius dedit bonam summam pecuniæ vsurario publico, Episcopo sciente, putans id licere: accipit 8. *pro* 100. *Postea intelligit id illicitum esse.*

QVÆRITVR Primò, *An pecuniam illam possit aliquantisper relinquere donec tutò eam possit recuperare; alioquin enim periculum est ne vel totam, vel magnam partem amittat?*

QVAERITVR Secundò, *An possit retinere lucrum quod percepit bona fide?*

14 AD *Primum*: Respondeo, Titium tuta conscientia posse relinquere pecuniam suam ad tempus apud Vsurarium, si anteà non potest eam sine periculo notabilis damni repetere. Ratio est, quia non est per se malum mutuare vel relinquere pecuniam suam vsurario, modò id non fiat animo iuuandi illum in vsuris exercendis; vel ob alium malum finem, qui si antè fuit, facilè potest intentione mutatâ tolli. Confirmatur, Quia ille nemini facit iniuriam: Non Vsurario, quia hic optat illam habere; non etiam ijs qui ad vsuram petunt, quia hi optant Vsuriariũ habere multas pecunias.

15 *Lucrum ex dato mutuo vsurario, restituendum.* *Ad Secundum*: Respondeo, Titium teneri ad restitutionem lucri percepti ab vsurario, nisi aliquam speciem iusti contractus explicitè vel implicitè cum illo inierit; vt per se patet: quia alioquin caret titulo iusto. Certum autem est non posse accipere titulo mutui vel depositi, neque titulo contractus societatis iuncto contractui assecurationis capitalis, & lucri certi minoris pro maiore incerto; quia negotiatio vsuraria quam exercet vsurarius est per se iniusta, nec vllũ lucrum parit.

Nisi Vsurarius gratuitò donet. Solùm videntur hîc duo tituli posse interuenire: alter est donationis, alter lucri cessantis. Titulus donationis vix potest præsumi; nam vsurarius non censetur facilè donare. Si tamen esset diues, & ob commoditatem perceptam ex alterius pecunia, expresè diceret se donare animo rependendæ gratitudinis, non cogerem ad restitutionem: quia vsurarius habet dominium suarum pecuniarum, & bona ipsius non sunt hypothecata ratione vsurarũ. Titulus autem lucri cessantis hîc locum habere potest, si ille, priusquam pecuniam vsurario mutuaret, animum habebat illam applicandi ad iustum aliquod lucrum per mercaturam, vel emptionem reditûs &c; & mutuatio facta vsurario causa fuit cur illud propositum non sit executus: tunc enim mutuatio est causa lucri cessantis.

Vel sit titulus lucri cessantis.

Mutuare vsurario titulo lucri cessantis, 12. in 100.

CASVS V.

An liceat ei qui dat Vsurario mutuum, aliquid exigere titulo lucri cessantis, maximè si vsurarius offerat 12. pro 100. vel etiam 16.

16 *Mutuare Vsurario sine causa, solùm titulo lucri cessantis, est peccatum.* REspondeo & Dico Primò, Mutuare Vsurario cum pacto sarciendi lucri cessantis, speciem habet mali, estque offensiuum populi; & si fiat sine causa, est peccatum. Primò, Quia quisque ex charitate tenetur impedire peccatum proximi sui quantum commodè potest: atqui hîc commodè potest impedire peccata vsurarij, saltem ex parte; & non impedit. Secundò, Quia videntur tales cum vsurario conspirare, eumque in suis vsuris velle iuuare præbendo instrumenta. Vnde etiã simplex mutuatio ipsi facta sine pacto lucri, non censetur honesta.

17 Dico Secundò, Hoc tamen peccatum quod committitur quando sine causa quis ei mutuum dat cum pacto de lucro cessante, non obligat ad restitutionem faciendam vel vsurario, vel ijs quibus ipse ad vsuram dedit, si illa mutuatio causa fuit lucri cessantis; & spes lucri reuerà tanti æstimata. Probatur, Quia neque ex officio tenebatur impedire vsurarium ne daret illam pecuniam ad vsuras: neque ita censetur iuuare vt sit causa damni mutuatarijs. Cuius signũ est quòd nullus illorum æstimet sibi fieri iniuriam, per illam mutuationem: Nam omnes qui petunt ab ipso, optant illum pecunijs abundare.

Non tenetur obligatur ad restitutionem.

Dixi, *Si mutuatio causa fuit lucri cessantis*: quia alioqui titulus lucri cessantis locum non habet. Quòd verò spes lucri, tanti debuerit reuerà æstimari, quantum exigit, Patet, quia in omni tali contractu hoc est necessarium, alioquin non seruaretur æqualitas.

18 *Si Vsurarius per hoc interesse fiat impotens?* Dices, Vsurarius soluendo pro lucrò cessante 12. in 100. fit impotens ad restituendum omnibus quibus debet: ergo qui accepit 12. ab illo, tenetur restituere.

Respondeo Primò, Non semper est certum quòd fiat impotentior ad soluendum: multi enim sunt valdè diuites, ita vt duplo vel triplo amplius habeant, quàm debeant ratione vsurarum.

Quid si hoc sciuerim, & creditores à me exigant restitutionem? Respondeo Secundò, Etiamsi fieret impotentior ad restituendum, is tamen qui contrahit cum illo titulo oneroso, non tenetur ad restitutionem, si id ignorauit. Quòd si id sciuit, adhuc non tenetur nisi à creditoribus ipsius exigatur: solùm enim datur illis actio rescissoria vt rescindant cõtractum, quatenus per illũ factus est impotentior, vtque exigant illud lucrum. vt colligitur ex Cap. *Quæ in fraudem creditorum.* Lege vltima. Et ff. eodem Tit. l. 1. cum seq. & l. vltima. Quòd si creditores vsurarij ab illo nihil exigant, ad nihil tenetur: nam vsurarius est dominus rerum suarũ, & potest de illis disponere maximè per contractus onerosos, & etiam gratuitos (præterquam in vltimis voluntatibus) & consequenter dominium transferre; neque creditores illius ius habent in illas, nisi personale, id est, quamdiu apud ipsum sunt: Nisi quatenus Ius positiuum disposuit de actione rescissoria casu suprà dicto.

19 *Si faciendâ esset restitutio, esset faciendo ipsi vsurario.* Dico Tertiò, Posita necessitate restituendi (quę tamen non est ponenda, nisi plus acceperit quàm spes lucri cessantis æstimata fuerit; vel nisi agant creditores vsurarij actione rescissoriâ; vel aliquod statutum particulare alicuius loci, quod nõ puto, omnes tales contractus cum vsurario irritos reddat) tenetur restituere vsurario: ab illo enim accepit. Id autem quod ab aliquo iniustè acceptum est, restituendum est ei, à quo acceptum. Si tamen velit, potest restituere ijs quibus vsurarius debet. Nam qui soluit creditori sui creditoris, liberatur à suo creditore; quia transfert in se actionem creditoris ipsius. Interdum fieri potest vt quis teneatur ex charitate restituere creditoribus vsurarij; quando nimirum sunt pauperes, & credibile est quod vsurarius illis nunquam restituet, & ille nihil timet incommodi ab vsurario.

Vel eius creditoribus.

20 *Mutuare vsurario cum iusta causa, non est peccatum.* Dico Quartò, Si aliqua iusta causa subsit mutuandi vsurario, etiam cum pacto lucri, nullum est peccatum. Probatur, Quia non est per se & intrinsecè malum; & iusta causa facit vt non teneatur impedire ipsius peccatum, & vt non censeatur illud approbare.

Neque

Neque refert quòd petat compensationem lucri cessantis: quia potest illud petere quando reuerà subest iustus titulus exigendi. Neque ideò mutuare vsurario sine causa malum est, quia ab eo exigitur compensatio lucri cessantis; sed quia per mutuationem præbetur instrumentum dandi ad vsuram, vt dictum. Vnde non minus malum est gratis ei mutuare, quàm cum lucro.

Commoditas iusti lucri non est sufficiens causa mutuandi vsurario.

Dices, Semper erit iusta causa mutuandi cum lucro; quia ipsa commoditas iusti lucri quæ offertur, erit sufficiens causa.

Respondeo Negando quod assumitur: Cùm enim non possit pro mutuo exigere quidquam nisi ratione lucri cessantis, nec possit plus exigere quâ valeat illa spes lucri; deberet potiùs prosequi negotiationem honestam, quâ sperabat magnum lucrum, quàm illâ relictâ mutuare vsurario: Nisi alia quædam grauis causa intercedat: v. g. Si amitteret amicitiam alterius qui potens est, vel, si abeo sibi timeret.

CASVS VI.

Tributũ ab vsurario acceptum.

Princeps consuetum tributum ab vsurario pendi solitum auxit ad ter mille florenos, quos in honorarium dedit Titio.

QVÆRITVR, *An Titius vel eius hæres teneatur ad prædictæ summæ restitutionem?*

21 *Vsurarijs licitè imponitur tributum.*

SOlutio pendet ex duobus. Prius est: Vtrùm Princeps tantum possit exigere ab vsurario. Non enim potest exigere per modum pœnæ, cùm vsuræ Iure Ciuili communi & passim prouinciali permittantur. Sed si potest exigere, potest per modum tributi siue pacti vel potiùs pretij pro immunitate & licentiâ, sicut exigere potest à meretricibus & Iudæis &c. quod tributum, non facilè quis dixerit, esse iniquum, cùm vbique ferè exigatur; & Principes iam illud vsucapione præscripserint. Credibile quoque est iustas causas illius augendi subfuisse; præsertim cùm hoc tempore plurimùm lucrentur. Neque idcircò vsuras augeri puto, quia illæ passim sunt taxatæ; nimirum vt soluatur pro singulis heddomadibus octaua pars assis in singulos florenos, quod excrescit ferè ad 33. in 100. quotannis &c; neque existimo permitti vt amplius exigant, cùm exacto anno fiat venditio pignoris, nisi redimatur; & quod superat sortem & vsuras, domino non restituatur.

Alterum est, Vtrùm vsurarius per hanc solutionem non sit redditus impotens ad soluendum creditoribus. Non enim potest tantum exigi vt fiat impotens solutionis priùs debitæ; vt per se patet.

22 Ex his colligi potest Responsio: Cùm enim præsumendum sit Principem iustè exigere illud tributum, ob causas dictas, quamdiu de contrario non constat; neque vsurarius videatur per solutionem 3000. florenorum factus impotens restitutionis, non est Titius aut eius hæres obligandus in conscientiâ ad restitutionẽ dictorũ 3000. sed potest ea retinere. Quamuis laudabilius esset, si ea, quæ ab vsurario accipiuntur, in causas pias expenderentur; quia plerumque omnia illorum sunt obnoxia restitutioni. Si tamen in particulari non constet, non est obligatio imponenda.

Quid in casu suadendũ Titio.

CASVS VII. & VIII.

§. 1.

Contractus vsurarius in societate officiorum.

Titius officialis super officio suo summam pecuniæ accipit à Sempronio, ob quam hic in societatem officij admittitur, vt proportione ad summam à se collatam, partem fructuum quotannis vsque ad mortem suam naturalem recipiat. Ad vitandas contentiones, quæ ob fructuum percipiendorum incertitudinem oriri possent, transigunt vt Titius pensionem 12. in 100. quotannis soluat, anticipando ante singula semestria pensionem semestris secuturi, siue sex in 100. sic vt si quando id non præstiterit, possit Sempronius exigere vt sortem totam Titius intra dies quindecim refundat.

§. 2.

Titius officium suum Mœnio dat mutuum, siue elocat ad hunc solum effectum, vt Mœnius super illo summam aliquam pecuniæ accipiat à Sempronio, hunc admittens in societatem, non cum Titio, cui officium suum non granatum restituitur, sed secum, quoad officium illud, quod ex consensu Titij in contractu pro formâ producitur. Deinde pro parte fructuum quæ Sempronio ex tali officio prouenire posset, similiter spondet pensionem annuam 12. in centum vsque ad mortem Sempronij naturalem, soluendam anticipatè ante singula semestria per repræsentationem 6. in 100. sic vt quando Mœnius id non præstiterit, eum cogere possit Sempronius ad sortem intra dies 15. refundendam.

QVÆRITVR, *An vtrobique Sempronius inuierit contractum vsurarium?*

AD hunc casum difficile est solidam dare responsionem, eò quòd species facti non sit satis distinctè explicata. Nam Primò non explicatur an extinguatur obligatio soluendæ pensionis si Titius officio priuetur, vel moriatur; an verò hæredes debeant continuare solutionem vsque ad mortem Sempronij, vel donec alio modo contractus debitè dissoluatur. quod puto seruari in praxi. Secundò, an tunc debeat fors restitui Sempronio; an verò hæredes Titij illam lucrentur. quamuis putem seruari vt restituatur. Tertiò, quòd si factâ anticipatâ solutione contingat Sempronium violenta morte defungi, vtrùm ius ipsius transiret ad hæredes, an verò Titius lucraretur sortem. sed dictum mihi est eo euentu ius Sempronij transire ad hæredes, & ipsis sortem esse restituendam, nisi contractus continuetur. Quarto vtrùm Sempronius possit recusare anticipatam solutionem, quam Titius initio cuiusque semestris facit, & tunc repetere sortem, ita vt Titius teneatur eam elapsis 15. diebus repræsentare. dicitur mihi posse recusare, & tunc repetere sortem.

23 *Species facti non satis hic explicatur.*

sortem. quod si verum est, conditio illa est valdè dura. Quintò, Vtrùm in euentu huius quartæ cõditionis sit soluenda pensio pro rata vsq; ad diem quo refunditur sors ipsa. Hæc omnia ad exactam resolutionem deberent esse cognita. Nihilominùs respondebimus secundùm illa quæ verisimiliùs putantur adesse. quod vt faciamus :

24

4. Rationes ob quas hic contractus videtur iniquus.

Adferenda primùm illa ob quæ hic contractus videri possit iniquus : quorum Primum sit, quòd hîc non videatur vera societas, sed ficta ; ac proinde non subsistat species contractus quæ supponitur : quod sanè contractum efficit valdè suspectum. Non esse veram societatem, Probatur :

1. Quia non est hic vera societas.

quia contractus societatis requirit rem aliquam communem & indiuisam, quæ communiter possideatur, cuiusque fructus sint communes; vt patet in varijs societatum generibus, vt in societate matrimonij, in qua est communio omnium bonorum; in societate mercaturę, in quâ est communio sortis quæ mercimonijs impenditur ; in societate animalium, in qua est communio animalium, quę pro rata & aliquota parte pertinent ad singulos socios ; in societate agriculturæ, in qua est communio agrorum, vel laborum, vel expensarum. Societas enim lucratiua requirit vt singuli sociorum aliquid in commune, veluti suam symbolam conferant, ex quo aliquis fructus in commune proueniat, postcà in singulos, pro rata symbolæ collatæ (siue ea sit pecunia, siue labor ac industria) diuidendus. Atqui hîc nihil tale apparet : quia officium illud non fit commune præsertim in secunda forma contractûs, cùm Mæuius mutuatur illud à Titio. nam Sempronius non efficitur socius Titij in possessione illius officij, nec quidquam illi est negotij cum Titio officiali, sed solùm cum Mæuio, cui nihil iuris est in officio Titij : nam officium illud solùm in contractum producitur pro formâ, vt dicitur in specie facti, id est, ad palliandum contractum honesto societatis nomine. Itaque manifestum est nullam ibi esse veram societatem.

2. Quia anticipatur solutio fructuum.

Secundò, Etiamsi admitteremus hîc contractum societatis, nihilominùs non videretur posse excusari ab iniustitia : nam in societate non anticipatur solutio fructuum, cùm sit contra naturam societatis vt socio debeantur fructus priusquam sint nati. Atqui hîc anticipatur solutio: nam in principio semestris soluendi sunt fructus, qui nondum extant, quos nimirum officium decursu illius semestris lucrabitur. Nec satisfacis, si dicas, hunc contractum potiùs habere formam census vitalis, quàm societatis : quia etiam in censibus iniquum est obligare ad solutionem pensionis initio cuiusque anni vel semestris spacij. Ratio est, quia si tibi dem ad censum vel ad societatem centum aureos, & obligem te vt statim soluas mihi pensionem vel fructum 6. aureorum pro primo semestri, reuerà non do tibi 100. sed solùm 94. nam ex centum repetere 6. nihil est aliud quã dare 94. quare iniquum est si postea repetens sortem exigam 100. & iniquum est velle vt mihi statim soluatur pensio manente sorte 100. aureorum.

3. Quia sors hic nõ extinguitur.

Tertiò, In censibus vitalibus non est restituenda sors, sed extinguitur, & manet debitoris, moriente illo super cuius vitâ est census talis constitutus: sicut patet ex vsu Prouinciarum & ex Doctoribus, qui hæc de re tractant. Atqui hîc sors multis casibus non extinguitur, sed salua manet creditori : quod videtur iniquum & contra iustam æqualitatem. Si enim est æqualitas cùm sors non est restituenda, sed manet debitoris & extinguitur morte; certè non potest esse æqualitas quando est certis euentis restituenda.

Quartò, In censibus, in quibus dantur 16. in singula, sors non potest repeti, quia id vsuram sapit, vt communiter D D. tradunt : atqui hîc potest sors repeti, cùm tamen nõ dentur nisi 8. in singula : ergo hic contractus sapit vsuram.

4. Quia sors hic potest repeti.

Pro Responsione : Notandum est, non esse hîc aliquem contractum vnicum, qui possit dici contractus societatis, aut census, vt iuxta naturam illius possit decidi ; sed multiplicem & ex multis pactis accessorijs constitutum.

25

Quædam responsioni præmittenda.

Et quidem in priore formâ in quâ Sempronius tractat cum Titio officiali, prior contractus est societatis, si reuerà officium fiat commune. Sicut enim ab initio poterant officium communiter emere, ita vt esset vtriusque pro ratâ, quamuis ab vno tantùm administretur; ita etiam quando ab vno solo emptum est & possessum, potest alius in partem admitti siue gratis, siue pretio : & ille efficietur particeps lucri, iuxta conuentionem initam. Si autem officium non fiat commune, sed Sempronius tantùm admittatur ad ius fructuum, sic non est propriè contractus societatis, sicut neque cùm alij fructus ab indiuiso à pluribus emuntur, aut possidentur; sed emptio rei indiuisæ pro parte aliquotâ incertâ. Potest tamen dici societas, quatenus emptor efficitur socius venditoris in ordine ad dominium & diuisionem fructuum illorum. sed parui interest quo nomine vocetur, modò de re constet. Certum autem est hunc contractum esse licitum, modò seruetur æqualitas.

Alter contractus quo ad vitandas altercationes diuisionis, paciscuntur de 12. in centum &c. videtur contractus commutationis iuris ad lucrum incertum, cum iure ad lucrũ certũ ; vel venditionis lucri incerti, pro certo, adiectis certis pactiunculis & conditionibus. Hic etiam contractus iustus esse potest, modò seruetur æqualitas, ita vt onera illa quæ imponuntur præsertim debitori, ritè compensentur ; & lucrum illud incertum seu spes eius, iudicio prudentum tanti valeat quanti obligatio illa annuè soluendi 12. in 100. cum cęteris oneribus. Si enim spes illa lucri incerti ex officio percipiendi, non tanti valet iudicio prudentum, contractus est iniquus, neque ex hoc capite potest iustificari. Sed tunc videndum esset an aliâ ratione iustificari nequeat, v. g. per modum census vitalitij. Et sanè crediderim in praxi parũ curari, Vtrùm lucrum incertum tanti valeat; sed solùm id quæri vt habeantur 12. in centum. Vnde non videtur hîc esse vera societas, aut verum ius ad fructus officij pro ratâ pretij : sed solùm emptio census vitalis, siue personalis tantùm; siue partim realis, partim personalis. De cuius iustitia,

26

Prior contractus excusatur, si creditor non possit repetere sortem.

Dico Primò, Si debitor soluens annuè 12. pro 100. anticipatè initio cuiusque semestris, potest hac ratione efficere vt creditor non possit repetere sortem, non video cur hic contractus non possit admitti. Nulla enim apparet inęqualitas. Quod confirmo : quia census vitales quibus soluuntur 12. cum dimidio in centum quotannis, constitui solent in alijs locis etiam ad duorum vitam. Atqui hoc onus (quamuis sors non possit repeti)

non

non videtur minùs graue, imò grauius, quàm onus soluendi 12. in centum dicto modo anticipatè ad vitam vnius cum potestate impediendi repetitionem sortis: onus enim soluendi ad duas vitas grauius videtur, quàm onus soluendi ad vnam tantùm anticipatè, si sic possis impedire repetitionem sortis.

Nec obstat quòd sors possit repeti, vel in aliam vitam transferri possit contractus, si non solueris pensionem anticipatè; quia id tuæ negligentiæ imputandum est. poteras enim præuenire & impedire.

27 *Respondetur argumentis suprà allatis.*

Ad Primum argumentum suprà positum quatenus huic propositioni repugnat, dicendum est: Parùm referre ad iustitiam contractus quo nomine vocari debeat, aut quâ formâ celebretur, modò in ea inueniatur æqualitas inter ea quæ conferuntur à partibus. hîc autè videtur seruari æqualitas. Obligatio enim soluendi 12. in 100 anticipatè modo supradicto ad vitam creditoris, non videtur pluris valere, quàm 100. etiamsi creditor quibusdam casibus ius repetendæ sortis habeat.

Ad Secundum: Verum est in simplici contractu societatis vel census non posse peti anticipatam solutionem: potest tamen id fieri in composito, vbi peculiari pacto ita stipulatur, & debita fit compensatio, sicut in præsenti negotio; vt ostensum est.

Ad Tertium & Quartum: Hęc argumenta potissimùm vrgent. Sed dicendum, Quando census vitalis constituitur ad duas vitas, non posse sortè vllo modo repeti: secùs, cùm ad vnam tantùm. Nam hoc tantum minuit onus debitoris, quantum illa potestas quibusdam casibus repetendi, illud augeat; præsertim cùm ipse diligentiâ suâ possit impedire ne repetatur.

28 *Non potest excusari si possit creditor sortem repetere.*

Dico Secundò, Si debitor soluendo anticipatè non possit impedire quo minùs creditor possit repetere sortem, difficile est hunc contractum excusare ab iniquitate, imò & ab vsura. Probatur Ptimò, quia accipit lucrum ex pecunia sua, saluâ sorte, & ius illud sortis repetendæ non compensatur peculiari pretio: ergo est inæqualitas: cumque sors salua maneat, videtur esse tantùm mutuatio; ac consequenter lucrum illud accipietur ratione mutuationis. vnde erit vsurarium lucrũ. Nec obstat quòd in quibusdam casibus sors amittatur creditori; quia illi casus facilè ab ipso possunt impediri ne eueniant. Neque vsurarius publicus excusaretur ab vsuris, etiamsi similes quosdam casus poneret in contractu quibus sors ipsi periret: nam illud periculũ parui æstimatur, cùm facilè impediri queat. Fateor tamen excusari posse si totum niteretur vero contractu societatis, & ius Sempronij ad fructus incertos iudicio prudentum tanti valeret, quanti totum illud onus quod subit Titius, nempe quantum obligatio illa soluendi anticipatè prædictam pensionem, & periculum restituendæ sortis. Si autem ius illud non tanti valeat, aut Sempronius non habeat verum ius ad fructus officij pro ratâ summæ collatæ, totum reuoluitur ad rationem census vitalis, in quo sors non potest repeti; vt ex Bulla Pij V. & alijs DD. constat, saltem non ita quin creditor id possit suâ diligentiâ impedire, vt suprà dictum est. quo casu etiam illud ius est compensandum, vel alia ratione onus creditoris leuandum.

29 *Examinatur posterior contractus.*

Quod ad alteram formam attinet, in qua non Titius officialis, sed amicus eius Mæuius tractat cum Sempronio, & ab eo accipit 100. super officio Titij, cuius officij nomen & titulum ei Titius veluti equum meritorium elocat: certum est nullam hîc esse societatẽ; sed fingi duntaxat, fortè propter Bullam Pij. V. quæ vetat constitui census nisi super re aliqua fructifera, & hic contractus habeat speciem census; vel vt imago vsuræ obueletur. Itaque ad examinandã iustitiam illius, nulla est habenda ratio officij, aut fructuum eius, aut quantum officiũ sit grauatum, vel alijs ad similes contractus elocatum. Hæc enim omnia impertinentia sunt ad veram huius contractus qualitatẽ, cùm officium solùm ad formam & speciem quandam externam adhibeatur.

Est hic cõtractus iniustus si creditor pro libitu possit sortẽ repetere.

Quo posito: Manifestum est hîc solùm esse contractum census vitalis personalis adiectis quibusdam conditionibus & pactiunculis limitantibus: cuius iustitiam difficile est statuere si creditori, quandocunque libuerit, fas est recusare anticipatam solutionem, & tunc repetere sortem, hoc enim onus valdè est graue & contra naturã census. Si enim in censu perpetuo redimibili ex parte venditoris, vbi in singula dantur 16. non potest emptor repetere pretium, quanto minùs poterit in vitali, vbi in singula dantur solùm 8. quique morte deberet extingui? accedit, quòd tantum onus non videatur compensari. Itaque non satis appareat qua ratione hic cõtractus ab improbitate vsurariã possit excusari.

30 *Ratio alîqua excusatoria.*

Vna sola ratio videri possit, si dicatur posse emi censum perpetuum redimibilem ex parte venditioris pretio 100. in 10. & pretio 10. in singulos, vt fit in Sicilia. Cur non possit emi vitalis pretio 100. in 12. seruato iure repetendæ sortis; cùm quibusdam casibus debitor possit sortem lucrari, & creditor illam amittere? Ponamus enim Mæuium debere Sempronio censum perpetuum 10. aureorum, qui non possit extingui nisi restitutâ sorte 100. aureorum: & Sempronium offerre Męuio hanc conditionem, vt iste reditus commutetur in vitalem, ita tamen vt soluat 12. in 100. & det ius repetendæ sortis, & ipse Mæuius certis euentis possit lucrari sortem, non videbitur adeò dura hæc commutatio. sed meo iudicio dura est. Vnde non ausim hunc contractum approbare, nisi pleniore informatione de re tota acceptâ.

FINIS.

INDEX

INDEX QVÆSTIONVM ARTICVLORVM ET DVBIORVM.

In 1. 2. de Beatitudine & Actibus Humanis.

QVAESTIO PRIMA.

De Vltimo fine hominis.

In Octo Articulos diuisa.

ART. 1. *Vtrùm homini conueniat agere propter finem.* Pag. 1
DVB. 1. *Vtrùm verum sit quod ait D. Th. in corp. obiectum voluntatis esse finem.* 1
DVB. 2. *Vtrùm finis sit causa vt est in intentione, (vt insinuat D. Thom. in resp. ad 1.) an vt est in rerum natura.* 2.
DVB. 3. *Vtrùm verum sit quod dicitur in resp. ad 2.* Impossibile esse vt actus à voluntate elicitus sit vltimus finis. 3
ART. 2. *Vtrùm agere propter finem sit proprium rationalis naturæ.* ibid.
ART. 3. *Vtrum actus humani accipiant speciem à fine.* 4
ART. 4. *Vtrum sit aliquis finis vltimus humanæ vitæ.* ibid.
ART. 5. *Vtrum Vnius hominis possint esse plures vltimi fines.* ibid.
ART. 6. *Vtrum homo, omnia quæ vult, velit propter finem vltimum.* 5
DVB. 1. *Quonam modo ex his tribus appetantur omnia propter finem vltimum in genere.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum omnia quæ homo appetit, appetat ob vltimum finem in particulari considèratum, qui est Deus.* 6
ART. 7. & 8. *Vtrum omnes Creaturæ habeant eundem vltimum finem.* ibid.

QVAESTIO II.

In quibus consistat beatitudo.

QVAESTIO III.

Quid sit Beatitudo.

In Octo Articulos diuisa.

ART. 1. *Vtrum beatitudo sit aliquid creatum.* 7
ART. 2. *Vtrum Beatitudo sit operatio.* 8
DVB. 1. *Vtrum operatio illa, in quâ consistit nostra beatitudo debeat effectiuè ab anima procedere, an sufficiat eam extrinsecus immitti.* 9
DVB. 2. *Vtrum per potentiam Dei absolutâ ipsi actus visio, amor, & alij similes possint produci absque concursu effectiuo Potentiarum.* ibid.
ART. 3. *An Beatitudo sit operatio partis sensitiuæ, an intellectiuæ tantum:* 10
ART. 4. *An beatitudo sit operatio Intellectus, an Voluntatis.* ibid.
DVB. 1. *Vtrum tota beatitudinis ratio consistat formaliter in vnicâ operatione.* ibid.
DVB. 2. *In quonam ex his actibus potissimùm consistat beatitudo.* 12
ART. 5. *Vtrum Beatitudo sit operatio intellectus speculatiui, an practici.* 15
DVB. 1. *Vtrum Visio Dei tantùm sit speculatiua, an etiam practica.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum verum sit quod ait D. Thom. in Corp. Beatitudinem huius vitæ potissimùm consistere in contemplatione, secundariò in operatione practici intellectus dirigentis actiones, & passiones.* 16

QVAESTIO IV.

De his quæ ad beatitudinem exiguntur.

In Octo Articulos diuisa.

ART. 1. *Vtrum delectatio requiratur ad beatitudinem.* 16
DVB. *Vtrum Beati delectenter immediatè de ipso Deo, an solùm de ipsa visione.* ibid.
ART. 2. *Vtrum in beatitudine principalior sit visio, an delectatio.* 17
DVB. *Quomodo appetitus animalium non sit peruersus appetendo operationem propter delectationem, cùm Deus constituerit delectationem propter operationem.* 18
ART. 3. *Vtrum ad beatitudinem requiratur comprehensio.* ibid.
DVB. 1. *Quis actus significetur hic nomine* comprehensionis. ibid.
DVB. 2. *Vtrum* Visio, comprehensio, delectatio *rectè dicantur dotes animæ.* ibid
ART. 4. *Vtrum ad beatitudinem requiratur rectitudo voluntatis.* 19
DVB. *Quæ sit causa, cur illi, qui sunt beati, peccare non possint.* ibid.
ART. 5. *Vtrum ad beatitudinem hominis requiratur corpus.* 21
DVB. 1. *Vtrum ante resurrectionem corporum animæ sanctæ sint reipsa beatæ.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum Animæ Sanctorum post resurrectionem corporum non sint visuræ clarius Deum, quàm ante.* 23
ART. 6. *Vtrum ad beatitudinem requiratur aliqua corporis perfectio.* 24
DVB. 1. *Quæ & quot sint illæ corporis perfectiones futuræ in statu beatitudinis.* ib.
DVB. 2. *Per quid corpora Beatorum futura sint impassibilia.* 25
DVB. 3. *Quidnam sit illa claritas corporum beatorum.* 26
DVB. 4. *Quæ & qualis futura sit agilitas corporis glorioſi.* 27
DVB. 5. *In quo consistat subtilitas corporum beatorum.* 28
DVB. 6. *Vtrum sensus sint habituri suas functiones in beatis, & quas.* 29

QVAESTIO V.

De consecutione Beatitudinis.

In Octo Articulos diuisa.

ART. 1. *Vtrum Homo possit consequi beatitudinem.* 31
DVB. *Vtrum ratione naturali certò cognosci possit hominem posse perfectè beari.* 31
ART. 2. *An alius alio possit esse beatior.* 32
ART. 3. *Vtrum aliquis in hâc vitâ possit esse beatus,* ibid.

ART. 4.

ART. 4. *Vtrum beatitudo possit amitti.* 32
DVB. 1. *Vtrum beatitudo suâpte naturâ sit incorruptibilis, an solùm supernaturali Dei conseruatione.* ibid.
DVB. 2. *Quomodo verum sit quod ait D. Thomas in Corp.* De ratione beatitudinis esse vt omne desiderium Hominis impleat. ibid.
DVB. 3. *Vtrum ad beatitudinem requiratur securitas.* ibid.
ART. 5. *Vtrum homo per sua naturalia possit acquirere beatitudinem.* 33

QVAESTIO VI.
De voluntario & inuoluntario.
In Octo Articulos diuisa.

ART. 1. *Vtrum in humanis actibus inueniatur voluntarium.* 34
DVB. 1. *Quid sit voluntarium.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum voluntarium dicatur ex eo tantùm quòd procedat à voluntate, vel appetitu vitali? an ex eo quòd sit volitum per modum obiecti.* 35
ART. 2. *Vtrum voluntarium reperiatur in brutis? id est, Vtrum motus, & operationes brutorum sint voluntariæ, seu spontaneæ.* ibid.
DVB. 1. *Quis actus propriè dicatur liber.* 36
DVB. 2. *Vtrum intellectui conueniat formaliter esse liberum.* 39
DVB. 3. *Quid sit libertas tum in ipsâ potentiâ, tum in ipsis actibus liberis.* 40
ART. 3. *Vtrum voluntarium possit esse absque omni actu.* 41
DVB. 1. *Quando omissio sit voluntaria.* ibid.
DVB. 2. *Quando euentus qui ex omissione sequitur, censeatur voluntarius.* 42
ART. 4. *Vtrum voluntati possit inferri violentia.* ibid.
DVB. 1. *Vtrum voluntati aliquo modo possit vis inferri circa actus internos ipsi inexistentes, vel circa eiusmodi actuum carentiam.* 43
DVB. 2. *Vtrum voluntas possit vim pati in actibus imperatis, & eorum cessatione.* 44
ART. 5. *Vtrum violentia causet inuoluntarium.* 45
ART. 6. *Vtrum metus causet inuoluntarium simpliciter.* ibid.
ART. 7. *Vtrum concupiscentia causet inuoluntarium.* 46
DVB. 1. *Vtrum id quod ex concupiscentia facimus, sit censendum inuoluntarium; sicut id quod ex metu facimus.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum concupiscentia augeat voluntarium.* 47
DVB. 3. *Vtrum habitus siue bonus, siue malus & auxilium præueniens augeat voluntarium.* 48
ART. 8. *Vtrum ignorantia causet inuoluntarium.* ibid.
DVB. 1. *Vtrum ignorantia antecedens, quando est causa operis, faciat opus inuoluntarium.* 49
DVB. 2. *Vtrum ignorantia consequens non affectata quando est causa operis, faciat inuoluntarium.* ibid.
DVB. 3. *Vtrum ignorantia consequens affectata minuat voluntarium, aut faciat ex parte inuoluntarium.* 50
DVB. 4. *Vtrum ignorantia, quæ non est causa actus, sed dumtaxat comitatur actum, faciat actū inuoluntarium.* ibid.

QVÆSTIO VII.
De circumstantijs actuum humanorum.
In Quatuor Articulos diuisa.

ART. 1. *Vtrum circumstantia sit accidens humanorum actuum.* 52
ART. 2. *Vtrum circumstantiæ humanorum actuum sint considerandæ Theologo.* ibid.
ART. 3. *Vtrum conuenienter enumerentur circumstantiæ 3. Ethic. cap. 1.* ibid.
DVB. 1. *Vtrum non sint plures circumstantiæ, quam istæ octo.* ibid.
DVB. 2. *Vtrū istæ circūstantiæ afficiant omnes actus humanos, etiam internos.* 53
ART. 4. *Vtrum principales circumstantiæ sint* quid, & propter quid. ibid.

QVAESTIO VIII.
De obiecto voluntatis.
In Tres Articulos diuisa.

ART. 1. *Vtrum voluntas sit tantùm boni.* 54
DVB. 1. *Vtrum voluntas nihil possit velle, seu appetere prosequendo nisi sub ratione boni.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum voluntas semper absolutè feratur in bonum, & quidem in tale quod etiam absolutè sit bonum: an aliquando sub conditione, & in bonum sub conditione.* 55
ART. 2. *Vtrum voluntas sit tantùm finis, an etiam mediorum.* 56
DVB. *Vtrum omnis actus voluntatis versetur circa finem, vel circa medium.* ibid.
ART. 3. *Vtrum voluntas eodem actu moueatur in finē, & in id quod est ad finem.* 57
DVB. 1. *Quomodo voluntas eodē actu feratur in finē, & in media, directè, an indirectè.* ibid.
DVB. 2 *Vtrum voluntas feratur etiam eodem actu in obiectum quod appetitur, & personam seu rem cui appetitur.* 58

QVAESTIO IX.
De motiuo voluntatis.
In Sex Articulos diuisa.

ART. 1. *Vtrum voluntas moueatur ab intellectu.* 59
DVB. 1. *Quid sit mouere ad exercitium actus, vel ad specificationem.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum voluntas moueat alias animæ potentias ad exercitium actus, & quo modo.* 60
DVB. 3. *Quomodo voluntas moueatur ab intellectu, & ab obiecto.* 61
DVB. 4. *Vtrum ad motum voluntatis necessariò requiratur cognitio intellectûs: an verò aliquando voluntas possit sine intellectu moueri.* 63
DVB. 5. *Vtrum ad mouendum voluntatem necessaria sit cognitio iudicatiua intellectûs; an verò sufficiat apprehensiua.* 64
Vtrum ad mouendam voluntatem necessarius sit aliquis actus intellectus, quo voluntas omnino determinetur. Et si non, Vtrum necessarium sit practicum iudicium. 65
ART. 2. *Vtrū volūtas moueatur ab appetitu sensitiuo.* 67
DVB. *Vtrum appetitus inferior seu passio moueat aliquando voluntatem per se immediatè absque interuentu rationis.* ibid.
ART. 3. *Vtrum voluntas moueat seipsam.* 68
ART. 4. *Vtrum voluntas moueatur ab aliquo exteriori principio.* ibid.
DVB. *Vtrum voluntas in primis actibus seipsam moueat ad exercitium: an verò tantùm moueatur ab exteriori principio.* ibid.
ART. 5. *Vtrum voluntas moueatur à corporibus cœlestibus.* 69

ART. 6. *Vtrum voluntas moueatur à Deo sicut ab exteriori principio.* 69
DVB. 1. *Quot, & quibus modis voluntas moueatur à Deo.* ibid.
DVB. 2. *De quo ex his modis loquatur D. Thom. hoc Articulo.* 70
DVB. 3. *Vtrum aliqua causa creata, vt Angelus, vel dæmon possit voluntatem directè mouere ad exercitium actus.* ibid.

QVÆSTIO X.
De modo quo voluntas mouetur.
In Quatuor Articulos diuisa.
ART. 1. *Vtrum voluntas ad aliquid naturaliter moueatur.* 71
ART. 2. *Vtrum voluntas moueatur necessariò à suo obiecto.* 72
ART. 3. *Vtrum voluntas necessariò moueatur ab appetitu inferiore, seu à passionibus.* ibid.
ART. 4. *Vtrum voluntas necessariò moueatur à Deo.* 73

QVÆSTIO XI.
De Fruitione.
In Quatuor Articulos diuisa.
ART. 1. *Vtrum frui sit potentiæ appetitiuæ.* 74
DVB. 1. *Quid propriè sit fruitio.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum fruitio sit actus elicitus à voluntate: an solùm passio impressa voluntati ab obiecto, ipsâ non concurrente.* ibid.
ART. 2. *Vtrum frui tantùm conueniat naturæ rationali, an etiam brutis.* 75
ART. 3. *Vtrum fruitio sit tantùm vltimi finis.* ibid.
DVB. *Vtrum etiam mediis fruamur quatenus media sunt.* ibid.
ART. 4. *Vtrum fruitio sit solùm finis habiti.* 76

QVAESTIO XII.
De Intentione.
In Quinque Articulos diuisa.
ART. 1. *Vtrum Intentio sit actus voluntatis.* 76
ART 2. *Vtrum intentio tantùm sit vltimi finis.* ibid.
DVB. *Vtrum media quatenus habent rationem boni vtilis, possint intendi.* ibid.
ART. 3. *Vtrum aliquis possit simul duo intendere.* 77
DVB. 1. *Vtrum nullo modo possint plura simul intendi tanquam integri fines.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum ex duabus intentionibus duorum finium integrorum, possit sequi vnum numero opus.* ibid.
ART. 4. *Vtrum voluntas finis sit idem actus cum voluntate eius quod est ad finem.* 78
ART. 5. *Vtrum intentio conueniat brutis.* ibid.

QVAESTIO XIII.
De Electione.
In Sex Articulos diuisa.
ART. 1. *Vtrum electio sit actus voluntatis.* 79
ART. 2. *Vtrum electio conueniat brutis.* ibid.
DVB. *Vtrum electio conueniat pueris ante vsum rationis, & amentibus.* ibid.
ART. 3. *Vtrum media eligantur, an etiam finis.* ibid.
ART. 4. *Vtrum electio sit tantùm eorum quæ per nos aguntur.* 80
ART. 5. *Vtrum electio sit tantùm possibilium.* ibid.
DVB. Circa resp. ad 1. *Vtrum quis possit si non eligere, saltem appetere, id quod nouit esse impossibile.* ibid.
ART. 6. *Vtrum homo eligat ex necessitate, an liberè.* 81
DVB. 1. *Vtrum quando est vnicum solùm medium ad finem idoneum, electio sit libera an necessaria.* 82
DVB. 2. *Vtrum, si plura sint media ad finem idonea, necessarium sit posita efficaci intentione finis, eligere id, quod est ad finem vtilius.* ibid.

QVAESTIO XIV.
De Consilio.
In Sex Articulos diuisa.
ART. 1. *Vtrum Consilium sit inquisitio.* 83
ART. 2. *Vtrum consilium sit de his quæ sunt ad finem.* 84
ART. 3. *Vtrum consilium sit solùm de ijs quæ à nobis aguntur.* ibid.
ART. 4. *Vtrum consilium sit de omnibus quæ à nobis aguntur.* ibid.
ART. 5. *Vtrum consilium procedat ordine resolutorio.* ibid.
ART. 6. *Vtrum consilium procedat in infinitum.* 85

QVAESTIO XV.
De Consensu.
In Quatuor Articulos diuisa.
ART. 1. *Vtrum Consensus sit apprehensiuæ virtutis, an appetitiuæ.* 85
ART. 2. *Vtrum consensus conueniat brutis.* ibid.
ART. 3. *Vtrum consensus sit de fine, an de ijs quæ ad finem.* ibid.
ART. 4. *Vtrum consensus in actum pertineat ad partem animæ superiorem.* 86

QVAESTIO XVI.
De Vsu.
In Quatuor Articulos diuisa.
ART. 1. *Vtrum* vti *sit actus voluntatis.* 86
ART. 2 *Vtrum* vti *conueniat brutis.* ibid.
ART. 3. *Vtrum* vsus *possit esse vltimi finis.* 87
DVB. *Quo modo intelligendum sit illud D. Augustini lib. 10. de Trinit. cap. 10.* Nulla vita hominum est vitiosa, nisi malè vtens, & malè fruens. ibid.
ART. 4. *Vtrum* vsus *præcedat electionem.* 88
DVB *Quando electio sit actus distinctus ab vsu actiuo, & quando non.* ibid.

QVAESTIO XVII.
De Imperio.
In Nouem Articulos diuisa.
ART. 1. *Vtrum* Imperare *sit actus rationis.* 88
DVB. 1. *Cuius potentiæ actus sit* Imperium. ibid.
DVB. 2. *Vtrum illud imperium rationis propriè dictum distinctum à iudicio, sit necessarium ad actus elicitos, vel imperatos voluntatis.* 89
ART. 2. *Vtrum imperare sit brutorum.* 91
ART. 3. *Vtrum* vsus *præcedat* imperium. ibid.
ART. 4. *Vtrum imperium & actus imperatus sint vnus actus.* 92
ART. 5. *Vtrum actus voluntatis imperetur.* ibid.
DVB. *Quinam actus voluntatis dicantur imperati.* ibid.
ART. 6. *Vtrum actus rationis imperetur.* 93
DVB. *Vtrum si vtrumque sint rationes omnino pares, & tibi etiam pares videantur, possis alteri parti præ altera assentiri solùm quia sic placet.* ibid.
ART. 7. *Vtrum appetitus sensitiui actus imperentur.* 94
ART 8. *Vtrum actus animæ vegetantis imperentur.* ib,
ART. 9. *Vtrum actus membrorum exteriorum imperentur.* ibid.
DVB. *Quot genera actuum voluntariorum concurrant in quouis negotio: & quo ordine.* 95

QVAE-

QVAESTIO XVIII.
De bonitate, & malitia actuum humanorum.
In Vndecim Articulos diuisa.
ART. 1. Vtrum omnis actio humana sit bona. 96
DVB. Quid sit esse naturale & esse mortale actuum humanorum; & quomodo differant. ibid.
ART. 2. Vtrum actio hominis habeat bonitatem vel malitiam ab obiecto. 97
DVB. 1. Vtrum etiam actus exteriores habeant bonitatem vel malitiam ex obiecto. ibid.
DVB. 2. Vtrum bonitas quæ sumitur ex obiecto, sit prima bonitas moralis in actu. 98
DVB. 3. Vtrum bonitas quæ sumitur ex obiecto, sit specifica, an generica, in actibus humanis. ibid.
DVB. 4. Quomodo obiectum debeat esse volitum, vt actus habeat bonitatem, vel malitiam ex obiecto. 99
ART. 3. Vtrum actio hominis sit bona vel mala ex circumstantijs. 100.
DVB. Quomodo bonitas ex circumstantijs iungatur bonitati quæ est ex obiecto in actu interno, & externo. ibid.
ART. 4. Vtrum actio hominis sit bona, vel mala ex fine. ibid.
ART. 5. Vtrum aliqua actio hominis sit bona, vel mala in sua specie. 101
DVB. Vtrum bonum & malum sint etiam differentiæ essentiales actuum secundùm esse naturale consideratorum. ibid.
ART. 6. Vtrum actus habeat speciem boni vel mali ex fine. 103
DVB. 1. Vtrum quando aliquod opus externum per se bonum eligitur ob alium finem, electio illa habeat primariam speciem boni ex intrinseca bonitate medij, accidentariam autem ex fine: similiter quando medium est per se malum, & refertur ad aliud malum tanquam ad finem. ibid.
DVB. 2. Vtrum quando assumitur aliquis actus interior voluntatis ad aliquem alium finem, accipiat aliquam bonitatem vel malitiã ex fine. 105
ART. 7. Vtrum species quæ est ex fine, contineatur sub specie, quæ est ex obiecto, sicut sub genere; vel contrà. 106
ART. 8. Vtrum actus aliquis secundùm speciem suam sit indifferens. 107
DVB. Vtrum præter has tres species sit quarta, nempe Actuum malè sonantium. ibid.
ART. 9. Vtrum sit aliquis actus indifferens secundùm individuum. ibid.
DVB. 1. Vtrum omnis actus deliberatus vt sit in individuo, sit verè, & propriè bonus, aut malus moraliter, ita vt laude vel vituperio sit dignus. ibid.
DVB 2. Quomodo verum sit, quod ait D. Thom. in resp. ad 3. Omnis finis à ratione deliberata intentus pertinet ad bonum alicuius virtutis, vel ad malitiam alicuius vitij. 110
ART. 10. Vtrum aliqua circumstantia constituat actum in specie boni, vel mali. 111
ART. 11. Vtrum omnis circumstantia augens bonitatem, vel malitiam, constituat actum in specie boni, vel mali. ibid.
QVAESTIO XIX.
De bonitate, & malitia actus interioris voluntatis.
In Decem Articulos diuisa.
ART. 1. Vtrum bonitas voluntatis pendeat ex obiecto. 112
ART. 2. Vtrum bonitas voluntatis pendeat ex solo obiecto. ibid.
ART. 3. Vtrum bonitas voluntatis pendeat ex ratione. 113
DVB. 1. Quid sit ratio recta, cui voluntas vt bona sit, debet conformari. ibid.
DVB. 2. Vtrum vt voluntas sit bona, requiratur vt obiectum sit volitum, quia conforme rectæ rationi. 114
ART. 4. Vtrum bonitas voluntatis pendeat ex lege æterna. 115
DVB. Quomodo bona voluntas pendeat à lege æterna, & in quo genere causæ. ibid.
ART. 5. Vtrum voluntas discordans à ratione errante sit mala. 116
ART. 6. Vtrum voluntas concordans rationi erranti sit bona. ibid.
DVB. 1. Quid sit conscientia. ibid.
DVB. 2. Vtrum vt quis agat contra conscientiam, debeat agere contra iudiciũ actuale præsens. 117
DVB. 3. Quale peccatum sit agere contra conscientiam. ibid.
DVB. 4. Quotuplex sit conscientia. 118
DVB. 5. Vtrum voluntas, quæ consentit conscientiæ erranti, aliquando sit bona. ibid.
DVB. 6. Vtrum conscientia errans obliget. 119
DVB. 7. Vtrum in operando possimus sequi opinionem probabilem, omissâ eâ, quam iudicamus probabiliorem. 120
DVB 8. Vtrum voluntas, conscientiâ dubiâ aliquid faciens, sit mala. 122
DVB. 9. Quid faciendum quando vtrimque est dubium: scilicet, Vtrum liceat facere, & an teneat omittere. 123
DVB. 10. Vtrum semper in dubijs tutior pars sit eligenda. 124
DVB. 11. Vtrum licitum sit agere contra scrupulũ, & quâ ratione scrupuli vincendi. 126
DVB. 12. Quomodo conscientia erronea seu dubia sit deponenda. 127
ART. 7. Vtrum bonitas voluntatis in his, quæ sunt ad finem, pendeat ex intentione finis. 128
DVB. 1. Vtrum intentio boni finis fiat mala ex electione mali medij. ibid.
DVB. 2. Vtrum malitia electionis & operis minuatur per bonam intentionem. 129
ART. 8. Vtrum quantitas bonitatis vel malitiæ in voluntate sequatur quantitatem boni, vel mali in intentione. 130
ART. 9. Vtrum bonitas voluntatis dependeat ex conformitate ad voluntatem diuinam. 131
ART. 10. Vtrum voluntas nostra debeat conformari diuinæ voluntati in volito. ibid.
DVB. 1. Quibus modis teneamur voluntatem nostram diuinæ conformare. 132
DVB. 2. Vtrum sit laudabile in omnibus idem velle quod vult Deus. 133
QVÆSTIO XX.
De bonitate, & malitiâ actuum externorum.
In Sex Articulos diuisa.
ART. 1. Vtrum bonum, & malum prius inueniantur in actu exteriori, quàm in interiori. 134
DVB. 1. Vtro modo deriuetur bonitas & malitia ab actu externo ad internum, vel contrà. 135
DVB. 2. Vtrum actus exteriores secundùm se, & immediatè sint boni, vel mali moraliter. 136
ART. 2. Vtrum tota bonitas & malitia actus exterioris pendeat ex voluntate. 137

ART. 3. *Vtrum bonitas & malitia sit eadem actus exterioris, & interioris.* 137
DVB. *Vtrum actus interior & exterior sint vnum numero peccatum.* 138
ART. 4. *Vtrum actus exterior aliquid bonitatis vel malitiæ addat actui interno.* ibid.
DVB. *Vtrum actus exterior aliquid bonitatis vel malitiæ addat supra internum, ita vt vterque simul sit magis laudabilis, vel vituperabilis, meritorius, vel demeritorius quàm internus solus.* 139
ART. 5. *Vtrum idem actus exterior possit esse simul bonus, & malus.* 140
DVB. 1. *Vtrum nullo modo fieri possit vt idem actus exterior eodem temporis momento sit bonus, & malus.* ibid.
DVB. 2. *Vtrum idem actus internus possit esse simul bonus, & malus.* 141
DVB. 3. *Vtrum idem actus interior voluntatis possit successiuè esse bonus, & malus.* 142

QVAESTIO XXI.

De his quæ consequuntur actus humanos quatenus boni sunt, vel mali.

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM

Quæ in 1.2. *de* Beatitudine & Actibus humanis, *& in* Auctario Resolutionum Casuum Conscientiæ *continentur.*

Prior numerus paginam; posterior, marginalem paginæ numerum denotat. Vbi numerus marginalis solùm apponitur, ad proximè designatam paginam refertur.

Abbas.

Abbati habenti priuilegium suorum Calices consecrandi, non licet, etiam accedente Ordinariorum licentiâ, externorũ Calices consecrare. 179.1
Abbati non potest committi ab Episcopo consecratio Virginum. 2
Abbas qui ex priuilegio potest benedicere vasis sacris, non ideò potest altaria consecrare. 240.24
Quos Ordines possit conferre, vide Indicem de Sacramentis. *V.* Ordo. §. 5.

Absolutio.

Absolue ostendentem signa contritionis in extremis. 122.50. *Non ostendentem, ne absoluas.* 145.2
Quiuis Sacerdos absoluat quemuis in periculo mortis à reseruatis. 146.5
Licet haberi possit Superior aut proprius. 7
Absoluitur à reseruatis qui confitetur Superiori, licet cõfessio sit irrita defectu doloris. 9
Quo casu absoluere possit Parochus à reseruatis Episcopo? 10. & seq. *Vide* Reseruatio.
Mendicantes habentes potestatem absoluendi in foro cõscientiæ à censuris, possunt id facere extra Sacramentum. 148 17
Quomodo rudes, pueri, crebrò, relabentes &c. sint absoluendi, vide Confessarius, Confessio.

Actvs Hvmanvs.

§. 1. In genere.

Actus humani sunt propter aliquem finem. 1. 1
Finis hic est duplex. ibid.
Actus etiam sunt duplices: scilicet eliciti & imperati. 2
Ostenditur quomodo vtrique sint propter finem. ibid.
Habent speciem à fine. 4. 11
Habent bonitatem à fine. 100. 29
Versantur partim circa finem, partim circa media. 54.1
Soli actus humani propriè sunt propter finem. 3.9
Actiones aliarum rerum, quatenus à tali agente procedunt, non fiunt formaliter propter finem. 10
Vt tamen à Deo procedunt & ab eo diriguntur, sunt propriè propter finem. ibid.
Actus omnes qui ab eadem potentia procedunt, quà tales, sunt eiusdem speciei. 112.1

§. 2. Actus intellectus.

Intellectus tripliciter applicatur ad actum. 39. 16
Duo actus intellectûs, apprehensio & iudicium: & quomodo differant. 64.19
Actus intellectus & appetitus sensitiui non sunt liberi nisi per denominationem extrinsecam. 136.11
Vide Intellectus.

§. 3. Actus voluntatis.

Quid requiratur vt fiat vnus actus ex volitione & actu volito. 106. 53. *Sententia & mens D. Thomæ explicatur.* 54
Omnem actum voluntatis esse absolutum, non autem conditionatum, volunt aliqui. 55. 5
Actus voluntatis potest dupliciter spectari. 56.5
Quomodo detur actus voluntatis absolutus, quomodo cõditionatus. 5. & 6
Differentia inter vellem, & volo sub conditione. ibid.
Actuum humanorum affectiones. 144
Actuum voluntariorum ordo. 34. 4
Quot actus voluntarij requirãtur in quouis opere. 25.29
Actus voluntatis. Vide Voluntarium.

§ 4. Actus liber & necessarius.

Actus liber, quis sit. 38.10
Quomodo differat ab actu necessario. ibid.
Qua ratione actus imperati, & eliciti sint liberi. 41.21
Vide Libertas.

§. 5. Actus Violentus.

Nullus actus potest esse violentus respectu suæ potentiæ. 43. 29.
Nullus actus etsi extrinsecè infusus, potest esse violentus potentiæ naturali. ibid. *Potest tamen esse violentus respectu appetitus eliciti* ibid. *Vide* Violentum.

§ 6. Actus elicitus.

Actus elicitus & imperatus, quid. 40. 20
Quomodo sint propter finem. 1. 2
Quomodo sint liberi. 41. 21
Actus eliciti voluntatis possunt amittere, & rursus acquirere esse morale. 96. 7
Quomodo dicatur actus elicitus ab vna virtute, & imperatus ab alia. 105.51

§ 7. Actus

§. 7. Actus imperans & imperatus.
Quinam actus concurrant ad imperium. 89.2
Quinam sint actus imperati. 92. 16
Quinus actus virtutis imperari potest à quauis. ibid.
Quomodo actus interni & externi imperentur. ibid.
Actus imperatus & imperium in genere moris, est vnus actus, etsi ratione naturæ differant. 92. 13
Vide Imperare. Imperium.
§. 8. Actus moralis.
In quo consistat essentia actus naturalis & moralis. 96. 3. & 4.
Ad esse morale duo requiruntur. ibid.
Esse morale quibus actibus conueniat. 5
Esse morale distinguitur à naturali. 6
Quomodo moralitatem actus externus ab interno accipiat. 97. 9
Vide Bonum morale.
§. 9. Actus bonus.
Actiones omnes humanæ non sunt bonæ. 96. 2
Actuum humanorum bonitas & malitia à tribus dependet. 34. 1
Bonitas quæ sumitur ex obiecto, est prima bonitas moralis in actu. 98. 13. *Hæc actum specificat.* 15
Actus ab obiecto specificatus, cuius sit virtutis. 16
Actus bonus specie differt à malo in genere moris. 101. 33.
In actu quadruplex est bonitas. 101. 30
Actus in genere moris dupliciter dici potest bonus. 108. 63.
§. 10. Actus malus.
Vt actus interior sit malus, sufficit vt malitia interpretatiuè sit volita. 99. 21
In actibus malis distinguitur species naturalis & moralis. 102. 37
In vno actu possunt esse duæ species malitiæ. 104. 44
§. 11. Actus indifferens.
Datur actus secundùm speciem indifferens. 107. 58
Quid sit esse indifferens secundùm speciem. ibid.
Actus indifferens secundùm speciem, potest in individuo esse bonus vel malus. 60
Quo sensu dentur actus in individuo indifferentes, & quo sensu non. 108. 64. & 65
Dupliciter dicitur aliquid indifferens. 109. 68
Satisfit argumentis contrariæ sententiæ. 110. 71
Dantur habitus indifferentes. 73
§. 12. Actus malè sonans, & neuter.
Quomodo dentur actus malè sonantes. 107. 59
Actus neuter, *quis.* 56. 9. *Talis non datur, & quare?* ibid.
§. 13. Actus internus.
Quomodo actus internus habeat ab exteriore bonitatem: & hic ab illo moralitatem. 97. 9
Vt actus interior voluntatis sit bonus ex obiecto, obiectum debet esse honestum & volitum. 99. 20
Vt actus interior sit malus, sufficit vt malitia interpretatiuè sit volita. 21
Actus interior voluntatis accipit speciem boni vel mali ex fine. 102. 41
Actus interior voluntatis qui immediatè versatur circa finem, accipit bonitatem ex fine. 42
Actus internus voluntatis non contrahit nouam bonitatem vel malitiam ex eo, quòd ordinetur ad finem extrinsecum bonum vel malum. 105. 53
Sententia Caietani reijcitur. 52
Idem actus internus non potest simul esse bonus & malus. 142. 34.
Refutatur contraria sententia. ibid.
Idem actus internus verùs non potest successiuè esse bonus & malus. 37. *Potest tamen esse indifferens & malus successiuè.* 143. 41. *Non tamen ex indifferenti bonus successiuè.* 42
§. 14. Actus externus.
Actus externus est triplex. 136
Habet bonitatem vel malitiam ex obiecto, etsi non tam propriè quàm internus. 97. 10
Talis actus quomodo sit conueniens. 12
Actus exterior secundùm se consideratus accipit speciem à materia. 102. 41
Idem consideratus qua moralis, accipit speciem boni vel mali à fine. ibid.
Nullus actus externus formaliter est bonus secundùm se, sed tantùm obiectiuè. 136. 10
Actus externus habet malitiam formalem à libertate. ib.
Refutatur sententia contraria. 11. & seq.
Quomodo actus externi prohibeantur. 137. 14
Actus exterior & interior physicè sunt duo actus, moraliter tantùm vnus. 138. 18. *Sententia contraria refutatur.* ibid.
An & quando actus externus aliquid bonitatis addat interno. 19
Multis modis per se aliquid commodi adfert. 20
Nihil bonitatis meritoriæ addit volùtati internæ. 139. 21
Addit tamen aliquam bonitatem obiectiuam materialem in genere moru. 24
Quomodo idē actus exterior possit esse simul bonus & malus. 140. 29. *Cur in confessione explicandus.* 28
§. 15. Actus requisitus ad beatitudinem.
Actuum requisitorū ad completam beatitudinem definitio. 11. 16
Quo ordine illi actus ad beatitudinem concurrant. 13. 22
Vide Beatitudo, §. 2. & §. 5.
§. 16. Actus vitales.
Actus vitales possunt à solo Deo produci. 9. 9
Actus vitales duplicem habent dependentiam ab anima. ibid.
De illorum essentia est aptitudo ad emanandum à potentijs. 10. 9
Actus vitales non tribuunt suum effectum formalem nisi effectiuè à potentijs dimanent. 10

Adam.
Adamus qua ratione fuerit impassibilis. 26. 32

Administrator.
Restituere debet administrator suo domino si plus consumpserit in itineribus, negotijs illius conficiendis, quàm necesse erat. 263. 14.

Aduocatus.
Aduocatus consultus à Iudice de pœnâ reo irrogandâ, potest respondere iuxta leges citra irregularitatem. 201. 3.
Fit irregularis instigando Iudicem ad reum plectendum. si idcircò mors illi vel inferatur, vel acceleretur. ibid.
Aduocatus consultus in vrbe rebelli de solutione exactionum pro bello iniusto, quomodo respondebit. 254. 5

Affectus.
Affectus facit vt minus probabile, videatur probabilius. 93. 21.
Ad effectus honesti in genere concurrunt virtutes particulares. 99. 17

Agilitas.
Agilitas corporis glorioſi quid sit. 24. 29
Non consistit in habilitate ad motum progressiuū. 27. 37
Nec in detractione ponderis à corpore. ibid.
Sed in qualitate supernaturali ad celerrimum motū. 38
Quæ tamen non inhæreat corpori, sed animæ. 28. 38
Rectè dicitur dos corporis. ibid. *Non mouebit in instanti.* 39. *Nec de extremo ad extremum sine medio.* ib.

Amentes.

Amentes in quibus necessariò moueantur. 73.6
Et quomodo careant vsu rationis. ibid.
Amentibus conuenit electio. 79.4

Amor.

Amor tendit in finem absolutum. 1. 2
Amor & odium non potest esse in eodem respectu eiusdem. 73. 30. *Et quare.* ibid.
Duo requiruntur ad amorem benevolentiæ. 59.16
Amor Dei non potest esse sine cognitione Dei. 64.18
Amare possum quidquid apprehendo sub ratione boni. 65. 20.
Amor viæ & patriæ videntur specie differre. 20.17

Amor Beatorum.

Amor increatus non est formalis nostra beatitudo. 8.3
Amor spectari potest vel vt bonum beati, vel vt bonum Dei: vt prius, non est finis visionis. 14.25
Amor vt est bonum dilecti, est finis visionis. ibid.
Amor qua ratione sit præstantior visione. ibid.
Amor transformat in dilectum. ibid.
Ad amorem, & gaudium, non est necessaria cognitio practica. 15. 29
Amor beatificus etsi non sit liber, est voluntarius. 35.6
Cur non sit liber. ibid.

Angelus.

Angelos posse peccare error fuit Origenis. 19.13

Anima.

Anima ex vnione cùm corpore non fit perfectior. 23.26
Anima vna æquiualet toti vniuerso corporeo. 72. 2

Animæ Sanctorum.

Animæ sanctæ sunt nunc reipsa beatæ essentialiter. 21.19
Ostenditur ex Conciliis, Scripturâ. ibid.
Consensu Patrum. Ratione. 22. 21.22
Quid animarum atria *Bernardo.* 23.25
Animæ Sanctorum post Resurrectionem Corporum non sunt clariùs visuræ Deum, quàm ante. 23.26
Vide Beatus.

Antecedens.

Qui vult antecedens, quomodo velit consequens ei necessariò connexum. 55.4

Appetere. Appetitus.

Appetere possum amittere meum esse, vt assequar melius esse. 81. 13
Appetitus vnionis nõ impedit animæ beatitudinẽ. 24.27
Appetitus inferior suam habebit beatitudinem. 31.47
Appetitus alius est rationalis, alius sensitiuus, & quæ sit inter vtrumque distinctio. 46.40
Appetitus mouet motum non effectiuè, sed vt finis. 63.15
Appetitus inferior potest mouere superiorem absque errore intellectus.

Apprehensio.

Apprehensio simplex obiecti sufficit ad actum voluntatis. 65. 20
Apprehensio tamen talis continet virtuale iudiciũ. 65.21
Apprehensio obiecti secundùm suam speciem imperari non potest. 93.18

Approbatio.

Nuntius Apostolicus dare potest potestatem approbandi confessarios. 174. 1
Approbatio confessarij ad Episcopum non ad Capitulum spectat. 174.2
Priuilegium Pontificis confessarijs monasteriorum datum ad confessiones sæcularium audiendas, non supplet approbationem Episcopi. 174.3.4

Archiepiscopus.

Quantas qualesque Indulgentias possit dare? 199.1

Assensus, assentiri.

Vnus assensus potest immediatè fieri ob multas rationes quasi partiales. 77.5
Non possumus assentiri ei quod minùs probabile iudicamus. 93. 20. *Contrarium aliqui tenent.* ibid.
Respondetur eorum argumentis. 21
Voluntas potest assentiri minus probabili, non verò intellectus. ibid.

Auxilium.

Auxilium præueniens seu habitus, an & quomodo augeat voluntarium. 48.44
Physicè minuit libertatem, non moraliter. ibid.

Baptismus.

IN *Baptismo contrahitur matrimonium inter Christum & animam.* 19. 11
Tenetur quis dare in necessitate pecunias vt puer baptizetur. 122. 50
Non licet deferre infantem ad ministrum hæreticum ab eo baptizandũ; adstare instar Patrini; interesse causâ honoris, &c. 149. 1. & seq.
Infans quem parens hæreticus vult à Ministro baptizari, potest mater Catholica priùs à Sacerdote curare baptizari. 149.3
Possunt rudes baptizari, si alius fide iubeat pro illorum institutione. 4

Beatitvdo.

§. 1. Naturalis.

Beatitudo non consistit in diuitijs, honoribus, fama, &c.7
Vide lib. 1. *de* Summo bono, *vbi* Auctor *latè id persequitur.*
Beatitudo huius vitæ primariò consistit in vita contemplatiua, secundariò in practica. 16. 31
Nullam beatitudinem in statu naturæ lapsæ potest homo solis naturæ viribus acquirere. 33.10
Imperfectam tamen posset in statu naturæ nudæ. ibid.
Vt tamen vel illâ imperfectâ frueretur, necessaria esset aliqua Dei supra naturam operatio. ibid.

§. 2. Beatitudo supernaturalis.

Quid sit: & in quo consistat?

Beatitudinis obiectum est increatum. 7.1
Beatitudo formalis est creata. ibid.
Beatitudo obiectiua & formalis, quid sint. ibid.
Beatitudo nostra formalis non est visio Dei increata: & quare. ibid.
Nec amor increatus. 8.3
Nec est illapsus Dei in animæ essentiã, vt vult Hẽricus. ib.
Nec consistit in habitu, & quare. 5
Consistit in operatione immanente, & cur. 8.4
Immediatiùs perficit potentias animæ, quàm ipsam essentiam. ibid.
Beatitudo in ratione entis non est perfectissima, sed in ratione operationis vnientis vltimo fini. 8.2
Operatio in qua nostra beatitudo consistit, non potest infundi à solo Deo. 9.6
Debet emanare ab ipsis potentijs animæ. ibid. *Hinc tamen non proprie dicendus est homo seipsum beare.* 7
Completa beatitudo non consistit in sola visione, vt volunt Thomistæ. 10.13
Sed etiam in amore, & gaudio. 14
Probatur ex definitione Ecclesiæ, & auctoritate Patrum. 10.11.15
Beatitudo completa requirit quinque actus. 11, 16
Eorum definitio. ibid.
Beatitudo radicaliter consistit in visione. 17
Imò & principaliter. 12.20
Formalis beatitudo est collectio multarum perfectionum, quibus Deo iungimur. 19
Ex beatitudine duplex gaudium nascitur. ibid.

Quo

Quo sensu beatitudo magis consistat in operatione intellectus speculativi, quàm practici. 15.27

§. 3. Requisita ad Beatitudinem.

Ad beatitudinem requiritur rectitudo voluntatis. 19.12.

Ad beatitudinem completè requiritur aliqua corporis perfectio. 24. 28

Debet esse inamissibilis. 32.5

Est incorruptibilis comparata ad res creatas, non autem respectu Dei. 6

Debet esse sufficiens implere omne desiderium. 7

Ad eam requiritur securitas. 8

§. 4. Beatitudinis consecutio.

Homo potest consequi beatitudinem. 31.1

Nequit tamen ratione naturali convinci hominem posse perfectè beari. 2

Beatitudinem essentialem nemo in hac vita potest obtinere. 32. 4

Beatitudo secundùm se non potest apprehendi vt mala. 65. 21. *Nec secundùm se potest respui.* 55. 4

Homo non debet quouis opere ad beatitudinem contendere. 110.72

§. 5. Beatus.

Beati primariò, & immediatè delectantur & fruuntur Deo. 16.3

Aliter beati gaudent de visione Dei, aliter damnati dolent de eius carentia. 17.6

Beatorum impeccabilitas verius refertur in visionem quàm in amorem Dei. 19. 14. *Et quare?* 15

Beati nihil possunt appetere, nisi in ordine ad Deum. 20. 16.

Beati erunt in cœlo non supra cœlum. 30. 44

Beati non deferent è terra aërem quo in cœlo vtantur. 45

Alius alio potest esse beatior. 32.3

Begguinæ.

Begguinæ non debent censeri religiosæ vel ecclesiasticæ. 283.7.

Bellum iniustum.

Catholicus potest sepositò scandalo pro bello iniusto preces proclamare. 254.6

Potest quis pro bello iniusto vectigal colligere. 254.7

Vide Rebellio.

Benèdictini.

Quanam ex Clementina Ne in agro *de statu Monachorum, &* Cap. Cùm ad monasterium *eodem in 3. Benedictinos obligent ad peccatum mortale,* 256.8.9

Vide Horæ Canonicæ.

Beneficiarius.

Quando teneatur alium sibi substituere. 219.14

Qui habet beneficium ratione cuius obligatur quotidie celebrare, non obligatur integrè numerum explere, nisi recipiat quantum sufficit ad sustentationem, 17

Vide plura V. Sacellanus. *Et V.* Missa.

Beneficium.

In eâdem Ecclesia haberi possunt duo beneficia difformia, non vniformia. 156.34

Nullum onus imponi potest beneficio sine consensu Papæ. 157. 37.

§. 1. Eius collatio.

Institutio beneficiati spectat ad Episcopum. 151. 1

Agens annum 23. non est capax denominationis ad beneficium quod requirit Sacerdotium in denominando. 151. 3. 4.

Collatio beneficij facta per Episcopum à Sede Apostolicâ confirmatum ante captam possessionem sui Episcopatus, non redditur inualida per Regulas Cancellariæ Romanæ. 151. 5. & seq.

Beneficium prius ab Episcopo loci vni, postea à Pontifice alteri collatum, illi cedit cui est à Pontifice collatum, non obstante concessione Pontificis Ordinario facta de beneficijs conferendis. 152. 8. 9. 10

Collatio beneficij facta presbytero de adulterio infamato & punito, irritari potest & debet. 152.11

Imò ipso iure probabiliter irrita est. 12

Quibus modis catholicus accipere possit aut retinere beneficia ecclesiastica ab hæretico patrono. 153. 13

Quomodo illius hæredes gerere se debeant circa bona ecclesiastica ad illos deuoluta? 16

Fructus beneficij percepti ab existente ignoranter in excommunicatione, non debent restitui ei, cui, errore cognito, collatum est beneficium. 153.17

Vide Simonia.

§. 2. Eius Permutatio.

Non est permissa permutatio veri beneficij cum ficto. 153. 18.

Eam rescindere potest Episcopus. 154. 18

In permutatione beneficij iam nullos fructus habentis cum alio mille florenorum, quanta pensio constitui possit? 154. 19.

Vide Simonia, Pensio.

§. 3. Eius Resignatio.

Resignatio facta sub conditione si Episcopus consenserit, non videtur illicita; nec idcirco vacat beneficium. 154. 22.

Super resignationem gratiæ expectatiuæ non potest ab Ordinario statui pensio. 155. 28

Vide Pensio.

§. 4. Beneficiorum vnio. Et in titulum erectio.

Potest Papa conferre & vnire beneficium alicui loco pio absque consensu patroni, præsertim Ecclesiastici. 161. 63. *Vide* Papa.

Idem potest Legatus à latere. 162. 66

Quid possit in hac re Episcopus, Vide Episcopus.

Bona Ecclesiastica.

Priuilegium læti Introitus *non obstat quò minùs religiosi sint capaces pretij prouenientis ex venditione immobilium.* 162.1. & seq.

Bona confiscata monasterio à Principe absolutè donata, adimi numquam possunt, & cur. 163.4. & seq.

Prohibitio quâ vel pia loca bona acquirere, vel alij sua illis conferre prohibentur, est contra libertatem ecclesiasticam. 7

Religionem ingressi vel ingressuri prohiberi non possunt bona sua dare pauperibus, vel religioni, præsertim si ea sit pauper. 163.8

Politica authoritas non potest limitare in religionibus numerum personarum, quantitatem reditûs, aut bonorum mobilium acquisitionem. 166.16. & seq.

Episcopus potest vendere suam domum alicui religioni in alia ciuitate, eiusque tradere possessionem sub ratihabitione Pontificis. 168. 22. & 23

Prælatus iuramento suo de non alienanda re Ecclesiæ sine consilio Pontificis, non satisfacit eam alienans sola authoritate Nuntij Apostolici. 168.24. & seq.

Possum vendere ades hæretico pro pecunijs ex beneficijs ecclesiasticis ab illo iniquè possessis. 169.29

Bonum.

Quid sit bonum. 96.2

Vnde in rebus naturalibus oriatur primum bonum. 97.8

Bonum amabile tripliciter spectari potest. 76.1

Omne bonum honestum adamatum, est delectabile. 75.5

Bonum vt apprehensum, morali efficientia mouet voluntatem

tatem per illam cognitionem; sicut mandans est causa efficiens. 63. 15
Quomodo in omni bono Deus appetatur. 6.16
Bonum quod appetitur ob delectationem, vel commodum natura, appetitur vt vltimus finis operis, non autem operantis. ibid.
Ratio boni non potest abstrahi à bono per se, & propter aliud. 57.10
Ratio boni non est præstantior ratione veri, nec contrà. 14. 23.
Bonorum extrinsecorum duo tantùm sunt genera, diuitiæ & gloria. 6.17

Bonum Infinitum.

Bonum infinitum infinitè trahit voluntatem. 20.16
Esse voluntarium perfectè circa summum bonum, non est perfectio simplex. 36.6
Bonum quantumuis supernaturale in substantia, potest tamen amari amore naturali. 21.18
Vide Amor Beatorum.

Bonum morale.

Prima bonitas moralis actionum humanarum sumitur ab obiecto. 97.8
Quomodo bonum morale non tribuat, & quomodo tribuat actui voluntatis speciem naturalem. 102.37
In bonis actibus non distinguitur species naturalis & moralis. ibid.
Bonum & malum morale respectu actuum externorum in natura consideratorum, sint mere accidentia. 101.35. *Proponitur sententia Conrardi.* 34
Vide Actus moralis.

Bonitas ex fine.

Bonitas finis non eodem modo conuenit fini & medio. 58. 12.
Bonitas finis est formale obiectum electionis. 104.48
Bonitas electionis pendet ex intentione finis. 128.84
Bonitas & malitia ex fine prius conuenit actui interno, quam externo. 134.1
Vide Electio, & Finis.

Bonitas ex obiecto.

Bonitas quæ sumitur ex obiecto in actibus humanis est specifica. 98.15
An bonitas quæ est ex obiecto & circumstantijs prius conueniat actui interno, quam externo. 134.1
Quomodo deriuetur bonitas actus externi ab actu externo in internum, vel contrà. 135.3
Cur potiùs debeat esse volita bonitas actus boni, quam malitia actus mali? 99.22
Vide Obiectum.

Bonitas voluntatis.

Bonitas voluntatis pendet ex obiecto integro. 112.1
Non pendet ex circumstantijs. 3
Accidentalis bonitas pendet ex circumstantijs augentibus intra eamdem speciem. 113.3
Bonitas voluntatis pendet à ratione proponente bonitatem obiecti. 113. 4
Pendet etiam à lege æterna. 115.14
Bonitas actus externi dupliciter deriuatur in voluntatem. 135.4
Vide Voluntas.

Brutum.

Bruta non agunt propriè ob finem. 3.9
Motus brutorum sunt voluntary impropriè, non autem propriè, cùm nec sint à voluntate, nec liberi. 35.6
Brutorum non est imperare. 91.11
Appetunt operationes non solùm ob delectationem, sed etiam quia naturæ conuenientes. 18.7

Bulla.

Clausula priuatoria Bullis Pontificijs inserta, quid operetur? 170.1
Cùm Pontifex Romæ Bullam promulgat, quam vult vbique obseruari: quas illa Prouincias obligit? 4. & seqq.
Ad valorem Bullæ impertinens est Placitum Aulæ. 6
Bulla Cœnæ quomodo in Belgio recepta. 7
Admissio Bullæ in variis Prouincijs vnius Religiosi Ordinis verosimiliùs non obligat monasteria Belgica eiusdem Ordinis. 171.3

Cambium.

Cambij ficti iniustitia. 171.2
Nemo potest obligari ad recambium. 2
Campsor non potest tantum exigere, quantum baiulus realiter transferens. 3. & 4
Cambium quoddam Francofurtense illicitum. ibid.
Cambium datum ad quatuor menses, æquiualet quatuor cambys datis ad singulos menses. 172.9

Canonicatus.

Canonicatus Andeuacensis, & Decanatus S. Donatiani Brugis sunt beneficia compatibilia, si Canonicatus non requirat residentiam personalem, & Decanatus non sufficiat ad decentem sustentationem. 156.30. & seq.
Canonicatus est beneficium simplex. 31
Potest idem in Ecclesia Cathedrali obtinere beneficiũ curatum & Canonicatum, si muneri vtriusque satisfacere possit, & alias alterum non sufficiat. 156.34.
Canonicatum obtinens in Ecclesia Cathedrali, non habet ius ad grossos fructus, nisi sacris sit initiatus. 158. 46.

Canonicus.

Canonicus potest cum venia Capituli aliquot annos abesse à sua Ecclesia, vt alibi studijs vacet, & simul agat in curia negotium Principis. 157.40
Consuetudo quà in Ecclesia Cathedrali Gandensi Canonici quotannis per tres menses instam ob causam abesse possunt, & nihilominus distributiones quotidianas recipere, potest legitimè retineri. 158.44
Non sufficit Canonicos solùm interesse diuinis officijs, quando aliquid sui muneris ipsis est obeundum. 192. 16.
Probabile est, accedente consuetudine, sufficere, vt intersint quotidie vni vel duabus ex maioribus horis, vel sacrificio Missæ. 193.17
Probabilius tamen est teneri eos quotidie interesse singulis horis, nisi aliqua causa excuset. 193.18. & 19
An & cui restituere debeant distributiones Canonici, qui dum prolixiora sunt officia, absentant se à choro? 193. 20. & 21.
Canonici tales admonendi sunt à Confessario dum veniunt ad confessionem. 22
Canonici qui ante finem officij exeunt, non sunt ipso iure priuati distributionibus; digni tamen sunt aliquâ mulctâ. 193.24
Canonicorum fabulæ in choro, quale peccatum? 194.25.

Canonicæ.

Canonicæ non tenentur sub mortali ad legendas horas ex probabili multorum sententia. 195.31
Capitulum Canonicarum Montensiũ, Malbodiensium, & Niuellensium tenetur sub mortali curare vt quotidie fiat officium diuinum. 196.38. & 39
Singulæ tamen Canonicæ non peccant mortaliter si paucis diebus absint à Choro, vel vno alterove die non recitent

recitent officium. 196.40.& 41
Secùs est si ad longum tempus officium omittant. 42
Canonicæ Montenses quæ plus quàm sex menses abfuerũt à choro & vrbe metu pestis, non sunt priuandæ grossis fructibus, non obstante statuto Caroli V. de residentia sex mensium intra annum. 197.44

Capitaneus.

Si Capitaneo petente Commissarius plures milites annotauerit, quàm sub signis erant, vter eorum restituere Regi debeat? 149.1
An possit Capitaneus minori pretio transigere cum militibus, quàm sit stipendium eis assignatum? 150. 3
Videtur Capitanei posse aliquo artificio aliquid amplius accipere, quando stipendia non sufficiunt. 150. 5

Capellania.

Capellania potest ab Episcopo erigi in nouam dignitatem patrono consentiente. 159.51
Duæ Capellaniæ in Ecclesiâ non habente proprium Parochum possunt erigi in beneficium parochiale. 159. 52.

Capuccinus.

Professio Capuccini inualida non est, qui rogatus tempore probationis, negauit se laborare lepra. 246.23
Capuccini pauperibus oppidi annumerari possunt, vti & alij pauperes Religiosi, cùm legata pauperibus relinquuntur. 283.18

Castitas.

Votum Castitatis in sæculo valdè laudabile. 290.4
Dirimit sponsalia. 280.16
Vt castitati contra intemperantem Confessarium Monialis consulat, potest fugere. 222.9

Causa.

Causa efficiens, vti & finalis, duo requirit priùs naturâ quàm causat. 2.6
Causa vna secundùm eamdem formam potest esse principium efficiens, & recipiens eiusdem. 62.13
Causæ plures efficientes possunt producere eundem effectũ. 78. 8. Non possunt tamen vnius rei esse duæ materiæ, vel duæ formæ totales. ibid.
Quomodo causa bonitatem habere possit ab effectu. 97.9

Census.

Census vitalitius, quis. 172.1
Si promittis alteri ad vitam 600. florenos annuos ob summam 2671. florenorum ab eo accipiendorum, & simul ob accepta ab eo beneficia, non est hic census vitalitius, sed contractus innominatus. ibid.
Qui empto & constituto censu statim recipit canonem, quasi iam cessum, non potest deinceps canones integros recipere. 173. 3
Census vtrimque redimibilis non potest constitui ad sex & vnam quartum in centum. 4
Quomodo non mercatores possint accipere 4. vel 5. in centum, salua sorte, cum facultate sortem repetendi? 173. 6.
Pro pecunia ad censum destinata, sed alio conuersa, quid accipi possit. 173. 7

Cessio fori.

Potest is qui cessit foro, certum aliquod pignus tradere creditori, etiamsi solùm indeterminatè pignus aliquod ante cessionem promiserat. 261.5. Imò id potest, licet data solùm fuerit promissio de cõtrahendo, super dando pignore quando vellet creditor. 6
Potest quis facta compositione, eum qui foro cessit, sollicitare vt debitum integrum recuperet. 8

Charitas.

Charitas viæ ordinatur ad visionem patriæ. 14.24
Est imperfectior lumine gloriæ, ibid.
Cur Charitas non dicatur dos. 19.15

Christus.

Christi lucta in horto explicatur. 72.2
Quomodo Christi humanitas dicatur vti virtute diuina. 87. 3. Christus nunquam consultauit. 84.5

Circumstantia.

Circumstantia est accidens humanorum actuum: & quare. 52.1
Quid circumstantia Theologica. ibid.
Circumstantiæ humanorum actuum sunt considerandæ Theologo. 2
Circumstantiæ sunt octo. 3. Singularum enumeratio. & explicatio. ibid.
Cur tantùm sint octo circumstantiæ. 4
Non omnes circumstantiæ afficiunt singulos actus in particulari. 53.5
Circumstantiæ afficiunt actus humanos secundùm esse naturale, & morale. ibid.
Illæ circumstantiæ etiam afficiunt actus internos voluntatis velut circumstantiæ. ibid.
Quando circumstantiæ transeant in rationem obiecti, quando non. 6
Quænam circumstantiæ sint principales. 7
Circumstantiæ augent bonitatem vel malitiam. 100.23
Non sunt necessariæ ad bonitatem vel malitiam. 25
Bonitas ex circumstantijs coniungitur bonitati obiecti per modum diuersorum respectuum, quos actus habet ad suas circumstantias. 26
In actibus externis bonitas ex circumstantijs non coniungitur bonitati quæ est ex obiecto. 28
Quando circumstantia constituat actum in specie boni, & quando non. 111.76
Specificat actum dupliciter. ibid.
Aliquando habet rationem obiecti. 77
Tres regulæ de circumstantijs. 78
Quandonam circumstantia augeat bonitatem intra eamdem speciem. 79
Quædam tales circumstantiæ explicantur. 112. 79
Omnis circumstantia necessaria ad bonum virtutis, includit peculiarem ordinem ad rationem. 81
Circumstantia multum & parum dupliciter accipi potest. 80

Claritas.

Claritas corporis glorioſi, quid sit. 24.29
Claritas illa habebitur per intrinsecam lucem. 26.34
Cur non semper appareant corpora illa lucida. ibid.
Erunt intime clara. 27. 34. Et diaphana. ibid.
Non tamen per poros corporis. ibid.
Erunt colorata. 35
Lux illa erit perfectior luce solis. 36
Contrarium tamen est probabile. ibid.

Clausura.

Non potest ne quidem per ἐπιείκειαν indulgeri libertas montalibus exeundi, licet cùm profiterentur, non esset clausura. 221.4
Rationes quæ clausuram suadent esse admittendam. 8

Coactum.

Distinctio inter coactum & violentum. 43.27
Eius definitio. 44.28
Reperitur solùm in Brutis, Hominibus, & Angelis. ib.

Clericus.

Clericus suadens Iudici sæculari vt occultè informationẽ capiat contra personam Ecclesiasticam, non incurrit excommunicationem. 201.2

Cognitio.

Variata cognitione variatur species actus voluntatis. 2.7

Cognitio quanam sit practica iuxta Scotum, & quanam iuxta communem sententiam. 15.28
Cognitio practica non est necessaria ad amorem & gaudium. 15. 29
Cognitio non mouet nisi ratione obiecti. 62. 11.
Cognitio Dei quæ habetur per negationes, est sublimior eâ, quæ fit per affirmationem. 64.18
Cognitio phantasiæ non sufficit ad mouendam voluntatem. 64.19
Quando vera cognitio tollit obligationem agendi. 120.40

Comprehensio.

Comprehensio, quid sit; & quomodo distinguatur à visione Dei. 18.8
Complectitur visionem & amorem Dei. 9. *Est dos animæ.* 10

Concupiscentia.

Concupiscentia, quid. 46. 40. *Concupiscentia alia est consequens, alia antecedens.* ibid.
Quomodo ea inter se distinguantur. ibid.
Cõcupiscentia antecedens non facit inuoluntarium. 47.41
Discrimen inter metum & concupiscentiam respectu effectus. ibid.
Dum aliquid ex concupiscentia fit, quatuor actus interueniunt. 47. 42. *Quinam ij sint.* ibid.
Ex concupiscentia peccans, magis peccat quàm qui ex metu peccat. ibid.
Quo sensu concupiscentia augeat, & minuat voluntarium. 43

Conditio.

Quædam conditiones à Deo suppleri nequeunt, sed essentialiter requiruntur. 64.18

Conductio.

Qui conduxit agros, nesciens alicui illorum parti maius decimarum onus impositum, quàm reliquis, ad quid teneatur? 181.7
Fructus ex accretâ terrâ, ad locatorem, non ad conductorem spectant. 181. 10

Confessarius.

Tenetur absoluere ostendentem signa contritionis in extremis. 122 50
Item eum qui ex sententia minùs probabili non vult restituere. 51. *Potest talem Confessarius qui non est Parochus, ante auditam confessionem remittere.* ibid.
Confessarius vt Christus ipse in negotio conscientiæ audiendus. 126. 78
Non potest quis ex vi indulgentiæ in forma Iubilæi concessa eligere confessarium qui absoluat à reseruatis, cõmutet vota &c. sicut fit in Iubilæo. 200.4
Subditus non potest sibi confessarium eligere, etsi contra decretum Clementis VIII. superior duos aut plures præter se confessarios domesticos non statuerit. 174. 5. & 6.
Quomodo Confessarius omnino rudes absoluet. 174. 7
Quomodo pueros. 175. 9
Quomodo sapiùs in peccata relabentes, 10. & 11
Quanam censenda occasio proxima lapsus. 12
Modus inuestigandi an delectatio pœnitentis fuerit morosa. 13
Quid Confessario obseruandum circa pœnitentia mensuram, surdastros, debitores, &c. 15
Confessarius non tenetur monere pœnitentem peccatorum, quæ olim ob eo per oblitionem prætermissa. 176.18
Valide absoluit Confessarius, licet pro scrupulis habeat peccata verè mortalia; aut pro non factis, verè facta. 177.4
Item si vt venialia apprehendat quæ sunt mortalia, ritè tamen à pœnitente exposita. 5
Sufficit vt Confessarius sciat distinctionem venialium & mortalium in genere. 178.12
Vide Absolutio. Approbatio.

Confessio.

Quis dolor, detestatio, aut propositum ad absolutionem sufficiat. 176. 1
Dolor pridie conceptus, & virtualiter permanens sufficit ad confessionem diei sequentis. 176. 3
Confessus peccatum quod putabat veniale, non tenetur repetere si post deprehendat esse mortale. 177.6
Peccata dubia quomodo confitenda? 177.7
Dubium negatiuum quotuplex? 8. & seq.
Quomodo & quæ peccatorum species in confessione explicandæ. 178.11
Quomodo exprimendus peccatorum numerus? 178. 16. & 17.
Cur opus externum sit in confessione exprimendum. 140. 28.
Sanus confiteri potest peccatum, vt de eo, cùm ager erit, absoluatur. 146.4

Conscientia.

Conscientia à varijs variè accipitur. 116.20
Hic accipitur pro dictamine intellectus. 21. *Eius actus.* ibid.
Vt quis agat contra conscientiam, requiritur iudicium actuale præsens. 117.23. *Refutatur contraria sententia Medinæ.* 24
Quotuplex est conscientia. 30

Erronea.

Quando error conscientiæ est culpabilis, voluntas cõsentiens non potest esse bona. 118.31. *Secus est, si error est inculpatus.* 119.32. *Hinc Iudæi persequentes Christum & Apostolos, sunt culpabiles.* 33
Conscientia erronea quomodo obliget. 34
Conscientia errans inculpate, obligat vt agamus secundùm eam. 120.38

Dubia.

Mala est voluntas operans in particulari, si conscientia sit practicè dubia. 122.54
Conscientia speculatiuè dubia, vel practicè dubia in vniuersali est bona. 123. 56. *Vide* Dubium.
Conscientia scrupulosa. Vide Scrupulus.
Conscientia potest dupliciter deponi. 127. 81
Vt conscientia possit deponi, quid requiratur. 82
An & quando conscientia possit deponi vi affectus. 83

Consecratio.

Episcopus non potest committere consecrationem virginum alteri non Episcopo. 179.2
Potest eam Pontifex committere Presbytero. 3
Vtrum Puella occultè corrupta factâ professione & accepto velo virginitatis, possit manere cum cæteris, & accipere velum consecrationis. 179.4
Quomodo vestes benedictæ, lapides, & ligna templi cõsecrati possint vendi in vsus profanos. 179.5
Vide Abbas.

Consensus.

A qua facultate oriatur Consensus. 85.1
Quotuplex eius acceptio. ibid.
Consensus brutis non conuenit. 2
Consensus propriè est de medijs: aliquando latiùs sumitur. 3
Quomodo differat ab electione. 86.3
Consensus est actus pertinens ad partem superioris animæ. ibid.
Consensus voluntatis non est fortuitus. 91. 10

Consilium.

Consilium, quid. 83.1
Consilium non convenit Deo. 2. *Convenit tamen ei si accipiatur pro iudicio.* ibid.
Convenit Angelis. 84. 2. *Sæpè tamen non consultant.* 84.5. *Christus nunquam consultat.* ibid.
Consilium tantùm est de medijs. 84.3
Potest esse consultatio de fine materiali. ibid.
Consilium tantum est de ijs quæ sunt in nostra potestate, vel quasi potestate. 4
Solùm etiam est de dubijs. 84.5
Processus consilij fit secundùm ordinem resolutorium. 6
Consilium non procedit in infinitum. 85.8
Possumus dare consilium, sequendo opinionem probabilem, relicto eo, quod est probabilius. 121.46
Quomodo possit tunc aliquis prudenter procedere. 4

Consuetudo.

Consuetudo immemorialis, eiusque efficacia. 236. 6
Consuetudine potest obligatio mortalis fieri venialis. 256. 11.
Consuetudo repugnans iuri communi, strictè interpretanda. 288.29
Consuetudo potest inducere impedimentum dirimens, & id quod antè erat impedimentum dirimens, facere non dirimens. 236 4
Consuetudo potest præscribere contra abstinentiam carnium in religione. 237.8
Vide Præscriptio.

Contractus.

Pœna cõtractui venditionis quomodo à venditore adijci possit, & ab emptore incurri. 180.3. & seq.
In contractu elocationis perpetuæ, non amittitur vtile dominium ex non solutione canonis. 181. 6
Qui conduxit agros nesciens aliqui illorum parti manus decimarum onus impositum, quam reliquis, ad quid teneatur? 181.7
Emens rem 300. *aureis, & efficiens vt in instrumento contractus scribantur* 500. *ad impediendum retractum, non peccat contra iustitiam.* 181. 12. & seq.
Iustus est contractus si Titius Caio det centum florenos, vt post annum, si viuat, restituat centum & decem; si obierit, tantùm nonaginta. 223.5. *Vide V.* vsura.

Mutuum.

Contractus iniquus bona fide initus, excusari potest à restitutione. 262.9
Contractus iniquus bonæ fidei in re mobili patitur præscriptionem. 10

Conuersæ.

Conuersæ non tenentur preces suas ordinarias persoluere sub mortali. 195.30
An Conuersæ peccent mortaliter si sapiùs omittant psalmum miserere quotidie illis ex obligatione recitandum? 196. 36. *Vide* Clausura.

Conuiuium.

Quomodo licitum Catholico conuiuium nuptiale hæreticorum honestare suâ præsentiâ, vel munere? 189. 44. & 45,

Corpus.

Corporis perfectio requiritur ad beatitudinem completam. 24.28
Molestia corporis non potest visioni diuinæ essentiæ officere. ibid.
Corpora gloriosa qua ratione futura impassibilia clara, agilia, subtilia.
Vide Impassibilitas. Claritas. Agilitas. Subtilitas.

Damnati.

Aliter damnati dolent de carentia Dei, aliter Beati gaudent de eius visione. 17.6

Dæmones.

Dæmones quomodo appetant peccatum vt offensiuum Dei 55.

Debitor.

Certus de debito, dubius an soluerit, quid facere debet. 125. 68.
Hic ex chirographo defuncti asserit debitum, ille ex libro rationum negat: quid hic agendum? 182.15

Delectatio.

Delectatio quomodo includatur in beatitudine completa, 16. 1. *Vide* Gaudium.
Delectatio ex duello quo pacto licita. 204.4

Delectatio morosa.

Modus inuestigandi an delectatio fuerit morosa. 175.13
Illicita est delectatio ex cogitatione copulæ matrimonij futuri vel præteriti. 203.1
Malitia delectationis sumenda est ex obiecto formali. 204. 2.
Quomodo status personæ pertineat ad formale obiectum delectationis morosæ. 7
Carthusiano licitus est imaginarius esus carnium; non tamen imaginaria delectatio venerea. 205. 10

Delegatio.

Probabile est delegari validè potestatem audiendi confessiones, excommunicationis suæ sine culpa ignaro. 149. 25.

Depositum.

Ædilis non potest vti depósito Ecclesiæ in commodum priuatum aut publicum pro suo arbitrio. 182.1
Si depositum sit in commodum solius deponentis, depositarius solùm tenetur ex culpa graui vel dolo. 4
Non potest quis se obligare ad custodiã depositi cum damno Reipublicæ. 5

Desiderium.

Desiderium tendit in finem obtinendum. 1. 2

Determinatiõ.

Determinatio voluntatis non officiens libertati, quadruplex à quibusdam statuitur. 36.7
Omnis determinatio quæ non est in potestate voluntatis, repugnat libertati. 8
Ostenditur id ex Scriptura, Tridentino, PP. Latinis & Græcis, & DD. Scholasticis. ibid.
Probatur etiam ratione. 38.10
Quænam determinatio non repugnet libertati. 12
Implicat esse determinatũ & tamen liberè operari. 39.14

Deus.

Deus est finis cui omnium creaturarum. 6.17
Deus per visionem beatificam possidetur. 13.21
Deus & visio Dei habent se per modum vnius boni, sicut res & rei possessio. 17.4
Deus est immediatum obiectum spei in via, & delectationis in patria. 17.3
Deus est obiectum beatificum etiam virium inferiorũ, scilicet imaginatricis & appetitus sensitiui. 31. 47
Deus dupliciter est bonum nostrum. 17.4
Deo similes erimus, quando & quomodo. 22. 24
Deus quomodo sit liber. 38. 11
Deus non est auctor malorum motuum. 70.39
Deus non est ita propriè auctor electionis, sicut intentionis. ibid.

Dolor de peccatis.

Quis dolor, detestatio, aut propositum sufficiat ad absolutionem. 176. 1
Sufficienter dolet, qui dolet se non satis dolere, modò adsit propositum absolutum imposterum abstinendi. 2
Dolor pridie conceptus & virtualiter permanens, sufficit ad confessionem diei sequentis. 3

Vide

Vide Indicem de Sacramentis *V.* Dolor.

Donatio.

Quæ donationes censeantur prohibitæ Religiosis per Bullam Clementis VIII. 230.7
Donatio ante facta non potest reuocari ob ingressum religionis. 255.3

Dos.

Dos, quid sit. 18. 10
Dotes animæ sunt visio, comprehensio, *&* delectatio. ibid.
Dos quando danda. 19.11
Dotes corporis glorioſi non manant more physico à beatitudine animæ. 24.28
Quatuor dotes corporis glorioſi. 24. 29. Impassibilitas ibid. Claritas. ibid. Agilitas. ibid. Subtilitas ibid. *Vide Singula suis locis.*
Dotes illæ sufficiunt ad plenam perfectionem corporis beati. 25. 30

Dubium.

Quid dubium practicè. Quid speculatiuè. 122. 53
Quid Iuris: quid facti. ibid.
Dubitans in vniuersali an non dubitet in particulari. 123. 57.
Voluntas in dubio debet determinatè iudicare aliquam partem esse licitam. 123. 58. *Quid hic obseruandum* 59. *Si hic eligat maius malum, quale peccatum est?* 60
Si vtrumque æquale videtur, elige quod vis. ibid. *Licet tua culpa in tale dubium incideris.* 61
Si dubium sit an sint spurij, illegitimi &c. pars mitior, non tutior eligenda est. 124.63
Quid faciendum, si dubites an aliquid iustè possides? 65
Quid faciendum in dubio Iuris? 66
Quid faciendum in dubio facti de lege vel voto? 67
Quid faciendum, si dubites an lex sit recepta vel abrogata? 125. 68
In dubio facti de cẽsura vel irregularitate, ordinariè pars tutior est sequenda. 69
Certus de debito, dubius an soluerit, quid faciet? 68
In dubio condẽmnari potest reus pœnâ ecclesiasticâ. 70
Quid faciendum in matrimonio dubio? 126. 72. & seq.
Vide Conscientia.

Electio.

§. 1. Quid sit: & quibus conueniat.

Electio dupliciter sumitur. 78. 1
Propriè est actus voluntatis habens ordinem ad rationem dirigentem. 79.2
Requirit iudicium practicum. 67. 27
Tot sunt electiones, quot intentiones. 77.7
Electio sit subinde sine consultatione. 84. 5
Electio aliquando distinguitur ab vsu actiuo. 88. 7
Brutis non conuenit. 79.3
Conuenit pueris & amentibus. 4

§. 2. Eius Materia.

Electio tantùm est mediorum. 79. 5. *Tamen etiam versatur circa materiam finis formalis.* ibid.
Electio est solùm eorum quæ per nos agimus. 80.6
Electionis integrum obiectum. ibid.
Electio tantùm fertur in possibilia. 7

§. 3. Eius libertas vel necessitas.

Homo liberè eligit. 81.13
Vnius solius medij electio est ex suppositione necessaria: absolutè tamen est libera. 82.14. *In tali electione est nouũ meritum, vel demeritum.* 15
Electio medij vtilioris est necessaria, si sola habeatur ratio vtilitatis mediorum ad finem. 83.17. *Non est necessaria, si etiam spectetur eorum vtilitas ad alios fines.* ibid. *Hinc error in electione status vitæ.* ibid.

§. 4. Eius bonitas vel malitia.

Electio medij ex se indifferentis non habet bonitatem vel malitiam ex medio. 103. 42
Electio medij mali ob finem malum duplicem speciem malitiæ habet. 104.44
Sententia Medinæ &c. proponitur. 103.43. *Et eius solvuntur rationes.* 104.48
Electio medij boni ordinata ad finem bonum non sumit vllam bonitatem ex propria bonitate medij, sed tantùm ex fine. 47
Omnes electiones factæ ob eumdem finem non sunt æquales. 105.50
Electio pendet ex fine & ex finis intentione, sed diuersimodè. 128.84
Mala electio non potest sequi ex vi bonæ intentionis. 128 87.
Mala electio propriè numquam inficit bonam intentionem. 129.87

Electio Prælatorum.

Vide Prælatus.

Eleëmosyna.

Largitio externa eleëmosynæ habet suam speciem ab obiecto. 105. 49
Electio eleëmosynæ non habet speciem boni ex obiecto materiali. ibid.
Quomodo melius sit velle dare magnam eleëmosynam, quã paruam. 105.49
Eleëmosyna ad pauperem missa, in via si capiatur, danti non perit. 130.93

Elocatio.

In contractu elocationis perpetuæ non amittimur vtile dominium ex non solutione canonis. 181. 6
In elocatione si onera non sunt specificata, quis ea feret, locator an conductor? 8
Si enormiter plus fructuum accipiat conductor, elocator petat restitutionem in integrum. 9
Fructus ex accretâ terrâ ad elocatorem, non ad conductorem spectant. 10
Elocator seu dominus directus colens terras ab emphyteuta derelictas, non tenetur fructus eidem restituere. 11

Energumenus.

Energumenus suscipiens Ordines, est irregularis. 228. 15.
Perfectè sanatus potest eos suscipere cum dispensatione. ibid.
Sufficit implicita dispensatio. ibid.
Si sit ordinatus, capax est Prælaturæ. 229.15

Epilepticus.

Epilepticus non potest celebrare, etsi lapsum præsentiscere soleat. 220.20
Peccat mortaliter, quoties celebrat. 21
Debet esse perfectè curatus antequam possit celebrare. ibid.

Episcopus.

Ad eum spectat institutio Beneficiati. 171. 1
Episcopus à Papa confirmatus, ante captam possessionẽ validè confert beneficia. 151. 5
Potest permutationem vers beneficij cum ficti rescindere. 154.18
Potest cum consensu Capituli erigere Præposituram ex Personatu non vacante, etiam inuito possessore. 159. 50.
Potest erigere Capellaniam in nouam dignitatem patrono consentiente. 51

Potest duas Capellanias erigere in beneficium Parochiale vbi Ecclesia proprium Parochum non habet. 159.52.
Potest in Ecclesiâ sibi subiectâ vnire præbendam Subdiaconalem cum Præpositurâ, ob illius paupertatem. 55
Potest monasterium sibi subiectum, consentientibus Monialibus, vnire alteri monasterio absque pleno Capituli sui consensu. 160.57
Potest vendere suam domum eiusque tradere possessionē sub ratihabitione Pontificis. 168.22
Episcopi est Confessarios approbare, non Capituli. 174.2
Potest delegare suam potestatem dispensandi in irregularitate & suspensione, & absoluendi ab omnibus casibus occultis, non tamen ab hæresi. 148.22
Potest dispensare in omni voto non reseruato Papæ. 292.19.
Non potest committere consecrationem virginum alteri non Episcopo. 179.2
Potest iure proprio in sua diœcesi Religionem instituere; sed id modò non potest ex prohibitione Ecclesiæ. 258.58.
Potest pium institutum approbare, non Religionem. 253.59.
Potest vti opera Religiosi fugientis ex Monasterio metu pœnæ, qui postea habitum dimisit, quo per sententiam fuit priuatus à Prouinciali & Capitulo. 256.7
Potest pro libitu testari de patrimonialibus & industria acquisitis. 286.20
Nō potest de ijs quæ supersunt honestæ sustentationi. 21
Potest testari de sibi subtractis. ibid.
Licita ei donatio inter viuos ad pias causas. 24
Quibus locis necessaria sit Episcopis & Clericis testandi licentia. 22

Emphyteuta.

Si emphyteuta terras non colat, potest id facere dominus directus. 181.11
Si per tres annos canonem non soluat, amittit ius emphyteuseos. 6

Error.

Quando error conscientiæ est culpabilis, voluntas consentiens non potest esse bona. 118.31
Contrarium est si error sit inculpatus. 119.32
Vide Conscientia.

Essentia.

Essentia diuina potest fungi munere speciei intelligibilis, non tamen operationis intelligibilis, vt beatus per illā Deum videat. 7.2

Euentus.

Vt euentus censeatur voluntarius ex omissione, requiritur vt tenearis illum impedire. 42.25
Cur euentus, quem non teneris impedire censeatur minùs voluntarius, quàm omissio censeatur voluntaria quam non teneris vitare. 26. Ostenditur in simili. ibid.

Expositicius.

Expositicius promoueri potest ad sacros Ordines. 124.64

Eucharistia.

Potest Societas in suis Ecclesijs per externos Sacerdotes administrare Eucharistiam. 271.12

Excommunicatio. Excommunicatus.

Iudex sæcularis capiens occultè informationem contra personam Ecclesiasticam, non incurrit excommunicationem. 201.2
Nec Canonicus ob istud consilium Iudici datum. ibid.
Absolutus in foro interno ab excommunicatione, non tenetur se foris gerere pro excommunicato, nisi sit nominatim denuntiatus. 148.18
Probabile est excōmunicationis suæ sine culpâ ignaro validè delegari potestatē audiendi confessiones. 149.25
Fructus beneficij ab existente ignoranter in excommunicatione, non debent restitui ei, cui errore cognito, collatum est beneficium. 153.17

Fabulæ in Ecclesia.

Dedecent viros Principes tēpore diuini officij. 217.2
Fabulantes increpandi: & ex templo eijciendi. 3
Qui fabulantes non arguit, peccat. ibid.
Canonici & Capellani in Choro fabulantes non possunt excusari à graui peccato. 194.25

Falsum.

Quomodo verum *& falsum sint differentiæ accidentales vel essentiales actus intellectus.* 102.38

Festum.

Hæretici non tenentur interesse rei diuinæ. 185.16
Non licet tamen illis magis quàm Catholicis diebus Festis laborare. 18
Mancipia Christiana non possunt diebus Festis occupari. 186.18.
Quid agendum Catholicis circa Festa mobilia in locis hæreticorum, vbi seruant antiquum Kalendarium. 20
Quando liceat Catholicis iussu hæreticorum diebus Festis ab Ecclesia præceptis aperire officinas. 21
Institor die Festo reculas suas vendens, adeoque raro Missam audiens, an absoluendus? 218.11

Fidei commissum.

Pia causa non potest substitui necessario hæredi, eo, certâ summâ, excluso. 281.1
Fidei commissum in odium religionis, est inualidū. 282.4
Onus fidei commissi eliditur per ingressum monasterij. 284.11.
Non censetur sine liberis discedere qui monasterium ingreditur. 285.14
Actio hinc ex substitutione, inde ex statuto consuetudinario, est ex vtraque parte probabilis. 286.25
Non licet prouidere spurijs per fidei commissum. 198.4
Vide Testamentum.

Finis.

Finis quotuplex. 1.1
Finis cui, *& finis* qui, *quid sint?* ibid.
Finis qui, *quotuplex.* ibid.
Finis potest exercere suam causalitatem respectu intentionis, etsi non priùs tempore vel naturâ sit in intentione. 2.5
Non tamen respectu actionū à voluntate imperatarū. ib.
Aliud est ratio causandi in fine, aliud conditio necessaria: & quid sint? 6
Bonitas finis mouet existens obiectiuè in intellectu. 7
Agere ob finem, est solius naturæ rationalis. 3.9
Finis specificat actus humanos. 4.11
Bonitas finis non eodem modo conuenit fini, & medio. 58.12.
Finis continetur in medijs velut in causa. 13
Finis est quasi ratio formalis obiectiua cur medium appetatur. ibid.
Volitio finis est causaliter volitio medij necessarij. 14
Ostenditur ratione. ibid.
Finis auget bonitatem vel malitiam actionis humanæ. 100.29.
Finis non tantùm est circumstantia, sed etiam causa actus. 101.31
Omnis finis intentus quomodo pertineat ad aliquod vitiū vel virtutem. 111.75
Finis dupliciter potest intendi. 128.85
Si cum bono fine simul determinetur prauum medium, intentio mala est. ibid.
Finis quomodo debitè intendi debeat. 68

Finis vltimus.

Finis vltimus accipitur dupliciter. 4.11
Datur finis vltimus humanæ vitæ. ibid.

Is tam ex naturâ rei, quàm ex intentione hominum potest solùm esse vnicus. 4.12
Quomodo peccator constituat finem vltimum in bono creato. ibid.
Tribus modis aliquid appetitur propter finem. 5.13
Omnia appetuntur propter finem intentione interpretatiua. 5.14
Finis vltimus certo sensu concurrit ad omnem operationem creaturæ. ibid.
Finis vltimus alius est operis, alius est operantis. 6. 16 in fine.
Finis cui *omnium creaturarum est Deus: finis autẽ* qui, *est gloria Dei extrinseca.* 17

Fiscus.

Bona Ecclesiæ non cadunt in Fiscum. 162. 65
Bona confiscata tradita à Principe monasterio, non possunt repeti. 163.4
Ministri Regij etiamsi iurarint se omni modo curaturos vtilitatem Regis, non debent deferre ad Fiscum delinquentes. 265. 23

Fornicatio.

Fornicatio contra votum, duplicem speciem malitiæ continet. 111. 77

Fortuitum.

Quid sit esse fortuitum. 91. 10

Fructus.

Fructus ex accretâ terrâ ad elocatorem, non ad conductorem spectant. 181.10
Non tenetur dominus directus colens terras ab emphyteuta derelictas, eidem fructus restituere. 11
Non excidit iure fructuum qui canonem non soluit ex contractu elocationis perpetuæ. 6

Fruitio.

Fruitio secundùm Scotum & Sotum. 74.1
Nec amor, nec coniunctio boni per actũ vitalem est fruitio. 2. Hæc tamen cõiunctio, est causaliter fruitio. ib.
Fruitio, quid propriè. 74. 1. *Tria ad eam requisita.* ibid.
Fruitio non est passio, sed actus vitalis. 3
Frui perfectè competit soli rationali naturæ. 75.4
Brutis imperfectè. ibid.
Ex quibus nascatur fruitio. ibid.
Fruitio propriè tantùm est vltimi finis. 5
Fruitio etiam quodam modo est aliorum bonorum. ibid.
An & quomodo fruamur medijs. 6
Perfecta fruitio est perfectè obtento fine: imperfecta, fine imperfectè obtento. 76.7

Furari.

Qui furatur vt mœchetur, duplicem speciem mali contrahit. 104. 44
Furtum in loco sacro duplicem speciem malitiæ continet. 111. 77.

Funus

Non est per se illicitum hæreticorum funera comitari. 189. 46.

Gaudium.

Gaudium, quid sit? 74. 3
Gaudium tendit in finem obtentum. 1.2
Gaudium spirituale cur nequeat esse vltimum expetendum. 3. 8
Cur gaudium seu delectatio carnalis possit esse vltimum expetendum. ibid.
Gaudium est quid præstantius amore. 13.22
Gaudiũ intrinsecè includitur in beatitudine cõpleta. 16.1
Quomodo gaudium sit in nostra potestate. 75.3

Gloria.

Gloria Dei in quo obiectiuè, & in quo formaliter consistat. 6.17

Habitus.

Habitus seu auxilium præueniens quomodo augeat voluntarium. 48. 44
Minuit libertatem physicè, non tamen moraliter. ibid.
Si hominem pœniteat, propensio ex habitu sit inuoluntaria. ibid.
Nullus habitus est essentialiter vitium. 103.40
Habitus virtutum sunt essentialiter virtutes. ibid.
Dantur habitus indifferentes. 110. 73

Hæres.

Exhæredari nequit filius ducens se non indignam, contra voluntatem parentum. 216. 48. *Vide* Testamentum.

Hæreticus.

An liceat Baptismum ab hæreticis accipere, vide Baptismus.
Quid inter illos liceat die Festo, vide Festum.
Quid liceat circa ciborum abstinentiam, vide Ieiunium.
Quid liceat circa libros prohibitos, vide Libri.
Quid liceat circa matrimonia cum illis, vel coram illis, vide Matrimonium.
An præscribant contra præcepta Ecclesiæ, vide Præscriptio.

§. 1. Hæreticorvm cum Catholicis habitatio.

Non licet Principi concedere hæretico ob artem vel scientiam, habitationem in locis sibi subiectis. 183. 1
Anglis hæreticis permitti potest negotiatio Antuerpiæ. 4
Mercatores hæretici in Hispania tolerantur. 184. 5
Catholicis permissa negotiatio inter hæreticos. 9

§. 2. Studia eorum cum Catholicis.

Non licet Professori Catholico in Vniuersitate hæreticorum nõ approbata promouere discipulos suos ad Magisterium. 11
Dispensatio iuramenti facti à studiosis dum gradus reciperent in Vniuersitatibus Catholicis, peti non potest à Ministris vel Magistratibus hæreticis. 185. 13

§. 3. Oratio & cantus cum hæreticis.

Quomodo liceat Catholicis claudere suas officinas die dicato orationi hæreticorum. 186.23
Illicitum est Catholicis canere Psalmos in conuiuijs hæreticorum. 24
Item agere organistam in eorũ templis. 25

Honestum.

Honestum est quod naturam rationalem decet. 114. 11
Quare communiter explicetur honestas obiecti per conformitatem cum rectâ ratione. ibid.
Ratio honesti sola sufficit vt voluntas sit moraliter bona. 115. 13.
Quando honestum in genere amatur, aliquando tantùm est affectus simplex. 99.17
Ad affectus honesti in genere concurrunt virtutes particulares. ibid.

Horæ Canonicæ.

Omissio officij ex abiectione Breuiarij, si de ea doleas, non erit peccatum. 124.21
Si officium alicuius Ecclesiæ mutilum sit, tenetur Capitulum illud deferre, & acceptare Romanum. 189.1
Si Capitulum eiusmodi officium retinere velit, fas est singulis in priuatis Missis vti Romano. 190.2
Quid eo in casu singulis faciendum in officijs publicis? 3 & seq.
In eadem missâ Collegiatâ misceri possunt rubricæ & officia diuersa, vbi officium proprium imperfectum est, & vsus Romanus à Capitulo non permissus. 190.6
Possunt singula monasteria Ord. S. Benedicti amplecti nouum Breuiarium à Paulo V. approbatum, licet alia monasteria eiusdem Ordinis id non acceptent. 191.7

Si Præ-

Si Prælatus cum suo Capitulo in Ordine S. Benedicti notabiliter immutauit Breuiarium S. Benedicti post editam Bullam Pij V. Breuiario Romano præfixam, Auctores huius mutationis illo sic immutato vtentes, non satisfaciunt præcepto de legendis horis. 191. 10
Satisfaciunt tamen alij subditi, qui non sunt Auctores mutationis. 12
Non potest Clericus relicto Breuiario Ecclesiæ in qua beneficium habet & residet, vti officio alterius Ecclesiæ. 192. 13.
Monasterium vel Ecclesia quæ admisit vsum Breuiarij Romani, non tenetur amplius in Choro diebus in Breuiario præscriptis, persoluere Vigilias mortuorum, Psalmos graduales &c. sed tantum Officium Beatæ Mariæ. 192. 14
An monasteria quæ retinent Breuiarium Bursfeldense, teneantur sub mortali dicere quotidie Officium mortuorum ? 15
Probabile est Moniales, vti & Religiosos professos Choro mancipatos, sed necdum sacris Ordinibus initiatos, non teneri sub mortali ad horas Canonicas. 194. 26
Superiores tamen Monialium tenentur sub mortali procurare ne Officium diuinum omittatur. 195. 29
Conuersæ non tenentur preces suas ordinarias persoluere sub mortali. 30
An Conuersæ peccent mortaliter si sæpius omittant Psalmum Miserere quotidie illis ex obligatione recitandum ? 196. 36
Canonicæ etiam non tenentur sub mortali ad legendas horas ex probabili multorum sententia. 195. 31
Quæ Canonicarum ad Chorum & ad horas sit obligatio, vide Canonicæ.
Quomodo Canonici teneantur interesse Officijs diuinis, ibique se gerere, vide Canonicus.

Hospitalarij.

Fratres & Sorores hospitalarij non approbati à Sede Apostolica non sunt censendi veri Religiosi, etsi à plebe ita vocentur, & putentur tales. 252. 55

Hydalgia.

Hydalgia importat immunitatem à vectigalibus. 289. 3
Amitti potest, vti etiam nobilitas. ibid.

Iacob.

Iacob vt accesſit ad Liam. 49. 47
Et quomodo accedendo non peccauit. 119. 32

Ieiunium.

Hæretici tenentur præcepto Ecclesiæ de ieiunio & abstinentia ciborum. 185. 16
Quando Catholico liceat obedire Magistratui hæretico præcipienti esum carnium diebus Veneris. 186. 26
Quando possit Catholicus domino hæretico coquere & apponere carnes die ab Ecclesia prohibito ? 187. 28
Potest leporarius & auceps in terris hæreticorum in Quadragesima venari & prædam vendere. 29
In religione præscribi potest abstinentia carnium. 237. 8

Ignis.

Ignis Babylonicus quomodo per vim fuerit diuinitus prohibitus ab vrendo. 44. 31

Ignorantia.

Diuiditur à D. Thoma in Antecedentē, Consequentem, & Comitantem. 48. 45
Sed comitans, potius est modus ignorantiæ antecedentis & consequentis, quàm distinctum membrum. ib.
Ignorantia alia est respectu voluntatis, alia respectu operis. ibid.
Respectu voluntatis, alia est antecedens *seu* non voluntaria: *Alia* consequens *seu* voluntaria; *& hæc triplex; scilicet* affectata, crassa, *&* leuis *seu* vincibilis. ibid.
Ignorantia Antecedens *dum est causa operis, facit absolutè inuoluntarium.* 49. 46
Iudæ cognoscenti Thamar quomodo fuerit actus voluntarius, quomodo inuoluntarius. ibid.
Quo modo ignorantia sit causa inuoluntarij. 47
Patet in Iacob accedente ad Liam. ibid.
Ignorantia quomodo sit causa operis. ibid.
Cur ignorantia dicatur facere inuoluntarium. ibid.
Ignorantia Consequens *non affectata absolutè facit voluntarium; secundùm quid, inuoluntarium.* 49. 48
Non excusat à totâ culpâ. ibid.
Quomodo illa ignorantia possit simul facere voluntarium, & inuoluntarium. ibid.
Quomodo ignorantia consistat cum cognitione necessaria ad voluntarium ? ibid.
Ignorantia crassa *minuit rationem voluntarij.* 50. 49
Tribus modis potest quis directè velle ignorare. 50
Ignorantia affectata *quo modo minuat voluntarium.* ibid.
Quando non minuat, sed augeat potius. 51
Ignorantia Comitans *non facit vnquam inuoluntarium.* 52
Aliud est aliquid facere ex ignorantia, seu per ignorantiam: aliud cum ignorantia. ibid.
Ignorantia tamen comitans si sit inculpata, facit non voluntarium. 51. 53
Ignoranter occidens inimicum, se potest habere triplicitèr. ibid.
Ignorantia comitans si sit culpabilis & consequens, facit voluntarium. 54

Illegitimus.

Proli spuriæ etiam legitimatæ, nihil per leges, vltra alimenta quibus indiget, relinqui potest. 197. 1
Non licet per fideicommissum spurijs prouidere. 198. 4
Nati ex copulâ sacrilegâ, non efficiuntur legitimi per subsequens matrimonium parentum, etsi impetratâ dispensatione contractum. 6
Non potest eos Pontifex legitimare ad temporalia, sed ad sola spiritualia. 7
Illegitimus potest accipere primam tonsuram. 199. 9
Illegitimus dubius potest promoueri ad sacros Ordines. 124. 64.
Religiosus dimissus ob impedimentum tori illegitimi cùm haberet dispensationem Nuntij Apostolici, sed per imperitiam & errorem impedimento non satis expresso, non eget noua dispensatione ad celebrandum. 199. 10.
Idem iam dimissus vti potest officio sui Ordinis. 11
Non potest succedere in bona parentis, quia verè Religiosus est. 12
Potest tamen repetere pecuniam à se in ingressu monasterio datam. 13
Professio filij Presbyteri facta ante constitutionem Sixti V. valida est. 248. 35
Non potest à religione expelli. 36
Neque ipse a religione abire. ibid.
Per professionem tollitur irregularitas ex defectu natalium. 37
Illegitimus ignarus constitutionis Sixti V. professionem eam irritantis, si à Superiore etiam ignaro admissus sit, probabilius validè profitetur. 249. 39
Si ceteroquin idoneus est, licet professio esset inualida, nō potest ejici. 42

Imaginatio.

Imaginatio seu vis imaginatrix suam habebit beatitudinem, & qua ratione. 31. 47
Periculosum est imaginari delectabilia tactu. 65. 20

Impassibilitas.

Impassibilitas corporis glorioſi, quid sit ? 24. 29

Ea non consistit in qualitate supernaturali, & quare. 25.31.
Nec in extrinseca Dei conseruatione. 26.32
Sed in influxu conseruatiuo Dei, & animæ. 33
Influxus ille seu concursus conseruatiuus Dei, quid sit. ibid.
Impassibilitas sit per aliquid intrinsecum. ibid.

Impeccabilitas.

Impeccabilitas beatorum verius refertur in visionem, quàm in amorem Dei. 19. 14. *Et quare?* 15

Imperans, Imperare.

Quot sint conditiones seu officia imperantis. 89.5
Bruta non imperant. 91.11
Imperari potest actus voluntatis. 92.15
Nec frustrà talis actus imperatur. ibid.
Actus cuiusuis virtutis potest imperari à quauis virtute. 16
Aliter actus interni, & aliter externi imperãtur. ibid.
Imperari potest exercitium actus intellectus, & quomodo. 93.18
Apprehensio obiecti secundùm suam speciem imperari nõ potest. ibid.
Obiectum euidens non potest imperari secundùm speciem actus. 19
Potest autem si sit obscurum. ibid.
Imperari non possunt passiones animi. 94.22
Vide Assensus.

Imperium.

Imperium necessario est actus rationis. 88.1
Imperium dupliciter accipitur. ibid.
Imperium propriè est actus intellectus. 89.2
Quando quis propriè imperet. ibid.
Ad imperium plures actus concurrunt. 3
Imperium mouet voluntatem per modum signi. 4
Interna locutio ad imperium non sufficit. ibid.
Voluntas efficax, & iudicium practicum dirigens operationem, dicitur imperium latè sumptum. 5
Imperium intellectus propriè dictum, non est necessarium ad actus voluntatis. 90.7
Sententia contraria proponitur cum suis rationibus. 89.6
Respondetur eius argumentis. 90.9
Imperium illud non requiritur ad actus aliarum potentiarum. ibid. 8. *Vtile tamen interdum est illud imperium.* ibid.
Aliquando vsus præcedit imperium, aliquando non. 91.12
Imperium tripliciter distinguitur respectu vsus. ibid.
Imperium & actus imperatus in genere moris est vnus actus, etsi ratione differant. 92.13
Imperio non subsunt actus animæ vegetantis. 94.26
Quomodo ei subsint actus sensuum exteriorum. ibid.
Imperio subsunt actus membrorum exteriorum. 27

Implicantia.

Implicantia, & Contradictio quomodo appeti possint. 81. 12.

Impossibile.

Impossibile est aliud per se, aliud per accidens. 80.8
Impossibilia non possunt efficaciter appeti. 9
Possunt inefficaciter. 10
Impossibilia quomodo appeti possint. 81.10. & 11

Indeliberatum.

Actus indeliberati non sunt boni vel mali moraliter. 107. 60.

Indulgentia. Iubilæum.

Quantas qualesque Indulgentias dare possit Archiepiscopus? 199. 1
Indulgentia plenaria consequens ingressum Religionis, datur probabilius in ipsâ professione. 200.2
Causa quæ est pro concedendis Indulgentijs in forma Iubilæi, non potest censeri sufficiens pro dispensatione votorum. 3
Nec ex vi talis Indulgentiæ potest quiuis eligere Confessarium qui absoluat à reseruatis, commutet vota &c. sicut fit in Iubilæo. 4
Non tenentur Religiosi Mendicantes, maximè subditi, quidquam erogare in eleemosynam, vt Indulgentiam consequantur. 5
Religiosi ex vi Iubilæi non possunt confiteri Sacerdoti nõ approbato. 6
Opus in quod vi Iubilæi commutatum est votum, non potest post Iubilæum vi eiusdem commutari in prius votum, aut aliud opus pium. 7

Infamare. Infamia.

Qui bona fide infamauit alterum, non tenetur ad restitutionem cum graui suo incommodo. 260.1
Superior probabilius non potest condonare infamiam suo subdito factam. 2
Infamia quæ timetur ex coniectura de auctore furti, si fiat restitutio, non excusat à restitutione. 3

Infidelis.

Omnia infidelium opera non sunt peccata. 5.14
Opposita sententia est damnata à tribus Pontificibus. ib.

Intellectus.

Intellectus est perfectior voluntate. 13.23
Intellectus, & voluntas distinguuntur penes diuersum modum tendendi in idem obiectum. 14. 23
Intellectus non est potentia formaliter libera, sed sola voluntas. 39. 15
Intellectus tripliciter applicatur ad actum. 16
Intellectus potest dici liber fundamentaliter, non autem formaliter. 40.17
Aliter Intellectus, aliter Voluntas est indeterminata. ib.

§.1. Intentio.

Intentio, quid: & vnde dicatur. 76. 1
Est actus voluntatis. ibid.
Intendere finem & efficaciter eum velle, sunt eadem. ib.
Quid requiratur vt aliquid dicatur fieri ex intentione virtuali. 5.13
Omnia appetuntur propter finem intentione interpretatiua. 14
Quæ intentio requiratur ad suscipiendos Ordines sacros. 227.12.
Intentio & electio requirunt iudicium practicum. 67.27
Intentio brutis quomodo conueniat. 78. 10

§.2. Eius obiectum.

Intentio circa quemuis finem versari potest. 76.2
Media, vt habent rationem boni vtilis, propriè non intenduntur. 3
Plura subordinata, & non subordinata, simul possunt intendi. 77.4
Circa hæc, quæ sit mens D. Thomæ. ibid.
Intendi possunt plura bona diuersi generis simul, vt partes vnius integri boni. 5
Intendi simul distinctis actibus plura possunt tamquam integri fines. 6
Tot sunt electiones, quot sunt intentiones. 7
Ex vi duarum intentionum potest sequi vnum opus externum. ibid.

§.3. Eius bonitas, & malitia.

Bona intentio à malo per se non tollit malitiã. 129.89
Bona intentio minuit malitiam. 90
Quandonam opus non sit tam bonum vel malum, quàm intentio. 130.93
Bonitas & malitia intentionis redundant in electionem, & opus externum. 94
Idem etiam est in bonitate intensiua. 131.90
Quomodo intentio & electio sit vnus actus moralis. 95

Inuite.

Inuitè.

Inuitè aliquid fit dupliciter. 34.2

Inuoluntarium.

Violentia cauſat inuoluntarium. 45.34
Tria cauſant inuoluntarium. ibid.
Vide Voluntarium. Ignorantia. Metus.

Irregularis.

Dubitans de ſua irregularitate vel cenſura, poteſt acceptare beneficium. 125.71
Talis, ſi non poßit niſi magno ſumptu obtinere diſpenſationem, non obligatur vt perpetuò ab Ordinum executione abſtineat. 126.71
Epiſcopus delegare poteſt facultatem diſpenſandi in irregularitate. 148.22
Fit irregularis Aduocatus inſtigans iudicem ad reum plectendum, ſi idcircò mors illi vel inferatur, vel acceleretur. 201.3
Non item ſi conſultus de pœnâ reo irrogandâ reſpondeat iuxta Iura. ibid.
Hæc irregularitas non poteſt tolli ab Epiſcopo; poteſt à Societate Ieſu *ex priuilegio, ſed in foro tantùm interno.* 4

Iudas.

Iudas cognoſcens Thamar, quomodo peccauerit? 49.46

Iudæi.

Iudæi poterant bona promiſſa per ſe appetere. 109.66
Iudæi occidentes Chriſtum non fecerunt id ſub ratione honeſti. 119.33
Tolerantur Romæ & in Polonia. 184.4

Iudex.

Iudex non poteſt in particulari aduerſus aliquem inquirere, niſi præcedente infamia, vel præuijs quibuſdam indicijs. 221 3
Licet Iudicibus ob præuia indicia reos extra iudicium interrogare, ſed non condemnare ob eorum confeßionem tunc factam. 201.1
Iudex ſecularis capiens occultè informationem contra perſonam Eccleſiaſticam, non incurrit excommunicationem. 201.2
Iudex non poteſt edicere contradictoria. 238.16
An & quando Iudex poßit ſequi ſententiam probabilem, relicta probabiliori. 122.48

Iudicium Fori.

Ter victus in iudicio contradictorio, nõ poteſt vlteriùs appellare. 239.18
Non eſt iudicium contradictorium vbi vna pars colludit, & habens intereſſe non citatur. 19
Sententia hinc lata eſt nulla. ibid.
Neque appellatio ab ea facta nocet appellanti. ibid.
Contra tres ſententias in iudicio conformes, poteſt dari reſtitutio in integrum. 20

Iudicium intellectûs.

Iudicium ad quoſdam actus eſt neceſſarium. 65.22
Iudicium ſpeculatiuum poteſt mouere voluntatẽ. 66.26
Iudicium practicum dirigens operationem quando poßit dici imperium. 89.5
Iudicium quo Iacob ad Liam acceßit, fuit conforme obiecto honeſto. 113.8
Iudicium ſpeculatiuè falſum quomodo practicè ſit verũ. 114.10.
Iudicium moraliter certum ſit, vt voluntas operans ſit bona. 123.55

Iuramentum

Diſpenſatio iuramenti facti à ſtudioſis dum gradus reciperent in Vniuerſitatibus Catholicis, peti non poteſt à Miniſtris vel Magiſtratibus hæreticis. 185.13.&14
Promittens ſe daturũ 100. *Monaſterio, idque iuramento confirmans, ad quid teneatur ſi monaſterium recuſet accipere?* 201.5.&202.6
Qui poteſt tollere votum ſimplex, poteſt etiam tollere iuramentum ſupra illud votum cadens. 202.7. *Non poteſt tamen tollere iuramentum, dum id per ſe ſtat, licet verſetur circa eandem materiam.* 8
Vnde colligi poßit an iuramentum abſolutum ſit, an tantùm acceſſorium promiſſioni, ſeu voto antè facto? 9
Quomodo ſeruandum iuramentum cuius obſeruatio cedit in damnum eorum, in quorum commodum fuerat exactum? 202.10.&203.12
Iuramentum fidelitatis quale præſtari poßit iniquis ſubiugatoribus? 203.18
Dæmonibus iuratis interdum fides aliqua haberi poteſt. 206.15.
Depoſitio duarum ſagarum iuramento firmata regulariter ſufficit vt accuſatus torturæ ſubijciatur. 18
Iuramentum cum inſpectione corporis ſufficit ad declarandum impedimentum impotentiæ. 211.23
Cõtractus iuratus ex errore initus reſcindi poteſt. 203.13
In iuramento promiſſorio Papa poteſt diſpenſare. 12
Iuramentum contra bonum cõmune non obligat. 257.15
Iuramentum ſubinde licitum cum mentis reſtrictione. 284.10.

Legatum.

Legatum pauperibus relictum licitè in Religioſos diſtribuitur. 285.18
Hæres neceſſarius non poteſt excludi, & fieri legatarius. 281.1.
Legata pia valent, etſi hæredis inſtitutio ſit nulla. 286.19.
Qui ſpe legati obſequia præſtitit, non poteſt ſibi ipſi compenſare, ſi nihil ei legetur. 288.30
Pijs legatis non poteſt detrahi Trebellianica. 285.17

Legitima.

Quænam cenſenda ſit portio legitima. 281.2
Si hæredi neceſſario non relinquatur legitima, irritum eſt teſtamentum. ibid.

Legitimus.

Quinam dicendi ſint legitimi. 238.16
Quandonam cenſendus ſit quis eſſe in poſſeßione legitimitatis. 17
Ex matrimonio clandeſtino non poſſunt proles declarari legitimæ, contra proles ſuſceptas ex matrimonio ſolemni. ibid.14. & 240.22. *Vide* Illegitimus.

Lex.

Periculoſum eſt onerare conſcientias præceptis non neceſſarijs. 121.44
Verbum Teneatur, *continet præceptum.* 233.6
Lex prohibens ne moneta maiori pretio expendatur, quã valeat, videtur pœnalis. 220.1
Quæ mens Principum circa legum pœnalium obſeruationem. 220.2
Quando legis ratio cenſenda ſit ceſſare. 221.6
In lege ſæpe magis ſpectanda rationabilis intentio legiſlatoris, quàm rigida verba. 230.12
Vim legis habet conſuetudo legitimè præſcripta. 236.4
Quomodo ad eſſentiam legis requiratur receptio. 235.2
Leges reuocatoriæ Iuris communis, ſunt odioſæ. 249.41
Legibus Eccleſiæ de ieiunijs & clandeſtinis matrimonijs tenentur hæretici. 185.16
Neque contra has poſſunt præſcribere. 235.1
Promulgatio Tridentini Romæ facta, vbique obligat. 241.1.
Promulgatio legis non requiritur quando aliundè lex ſatis innoteſcit. 280.15
Quomodo poßit Laicus promulgare leges Eccleſiæ. ibid.
Quid faciendum ſi dubium ſit an lex ſit recepta, vel abrogata. 125.68. *Vide* Bulla.

Lex æterna.

Quid sit lex æterna. 115.14
Quot modis bona voluntas dependeat à lege æterna. 15
Si non esset lex æterna, nulla esset bona voluntas. 17
Opus ideò à lege æterna præceptum, quia bonum. ibid.

Libri prohibiti, & hæretici.

Quinam libri non censeantur editi ad stabilienda dogmata hæretica. 187.30
Quid faciendum de libris corrigendis? 31
Non licet Catholicis typographis libros hæreticos lucri causâ excudere, nec bibliopolis vendere. 32
Non videtur tamen illicitum bibliopegis tales libros cõpingere. 33
An in Prouincijs confœderatis Belgij licitum sit apud se habere libros hæreticos? 188.34
Non licet vendere indifferenter cuilibet libros hæreticos, vel obscœnas picturas. 35
Hæreticus ad fidem conuersus in locis hæreticorum, quibus vendere possit libros suos hæreticos? 36
Vbi & quando Catholicus vendere possit libros hæreticos hæreditate à parentibus acceptos? 37

Liberum arbitrium.

Liberum arbitrium per peccatum originale est quidem debilitatum, non tamen extinctum. 39.13
Quo sensu liberum arbitrium dicatur facultas Rationis, & Voluntatis. 40.18

Libertas.

Libertas est necessaria vt actus humani sint moraliter boni vel mali. 36.7
Quænam determinatio Voluntatis tollat libertatem. 8
Ostenditur ex S. Scripturâ, Concil. Tridentino, Patribus, & DD. Scholasticis. 9. *Probatur etiam Ratione.* 38.10
Implicat esse determinatum, & tamen liberè operari. 39. 14.
Libertas fundamentalis, quid sit. 40. 20. *Formalis, quid.* ibid. *Libertas in actibus elicitis, quid?* ibid. *Libertas in actibus imperatis, quid?* 21

Locutio.

Locutio alia interior, alia exterior. 89. 2
Locutio interna ad imperium non sufficit. 4

Lucifer.

Quomodo Lucifer optauerit æqualitatem cũ Deo. 65.20

Magia.

Videtur licita probatio per aquam frigidam quâ Iudices interdum vtuntur ad explorandas sagas. 205.11
Secùs est de ferro candente, & aqua calida. ibid.
Hinc non licet procedere ad torturam. 12
Dissuadetur vsus. ibid.
Non licet cor animantis veneficijs enecti coquere feruenti aquâ ad cognoscendum auctorem. 13
Non licet mihi signa aliqua, quæ putantur magica, edere causâ experiundi an reuera talia sint. 206.14
Non videtur ratio cur non liceat Titium à duabus veneficis magiæ & veneficij accusatum adducere coram Venerabili Eucharistia ad illum criminis conuincendum. 16
Quare dæmon permissu Dei hæc posset aperire. 17
Depositio duarum sagarum sub iuramento facta de crimine magiæ Titij, regulariter sufficiens dat indicium vt torturæ subijciatur. 18
Potest permitti vt maga designet stigmata in corpore Titij à dæmone impressa, si illa iam ab eo didicisset. 207.19
Non tantum facientes magiam, sed etiam consentientes peccant. 20
Dæmonibus iuratis interdum fides aliqua haberi potest. 206. 15.
Non facilè dæmoni habenda fides. 207.21
Aliquando tamen habenda fides. 22

Malitia.

Quomodo malitia possit directè esse volita, & non per se. 103. 39.
Malitia, quam habet electio ex fine, est principalis in actu interno, non autem in externo. 104. 45
Circa hoc explicatur mens Aristotelis. 46
An malitia pendeat à ratione eam proponente. 113. 4

Malum.

Quid sit malum. 96.2
Vnde in rebus naturalibus oriatur primum malum. 97.8
Quid sit velle malum sub ratione mali. 128. 84
Malum sub ratione mali appeti non potest. 54.2
Confirmatur auctoritate SS. Patrum, & Ratione. ibid.
Quomodo appeti possit non esse. 4
Potest quis velle malum quà malum alteri, non sibi 55.4
Quod per se malum est, bona intentio non excusat a malo. 129.89

Malum morale.

Primâ malitia moralis actionum humanarum sumitur ab obiecto. 97.8
Malum morale, respectu actuum interiorum voluntatis in genere naturæ consideratorum, est differentia accidentaria. 101. 36
Volitio mali in genere vnde sumat suam malitiã. 118.26
Vide Bonum.

Mandatarius.

Mandatarius non potest agere nisi ex tacita vel expressa intentione mandantis. 264.19

Martyres.

Martyrum passiones non erant ijs violentæ, imò nec propriè voluntariæ. 45.36

Matrimonivm.

§. 1. Clandestinum & solemne.

Matrimonium clandestinum est irritum, vbi Tridentinum est promulgatum. 214.31
Clandestina matrimonia ab Anno 1602. *Parisijs sunt irrita.* 280.14
Matrimonium clandestinum non habet vim sponsalitij. 213.32. & 279.10.
Solemne matrimonium præfertur cuiuis præsumpto. 238. 14.
Ex solemni matrimonio susceptæ proles potiùs legitimæ dicendæ, quàm quæ ex clandestino seu præsumpto. 16
Secundum matrimonium solemne duobus solùm testibus probatum præfertur priori clandestino probato per famam & vnum testem. 239.21

§. 2. Instructio ad matrimonium & proclamatio.

Rudes in Frisiâ & Nort-hollandiâ (qui ferè conueniunt ante nuptias) possunt contingi legitimè antequam plenè sint instructi ad confessionem. 207.1
Facultas eligendi Sacerdotem coram quo occultè contrahas, non est regulariter concedenda. 281.17

§. 3. Eius renouatio & reformatio.

Matrimonium sæpiùs a coniugibus renouari potest. 207.2
Reformari potest matrimonium solemne, impedimento, ob quod ante irritum erat, sublato, etiamsi altera pars impedimentum nesciat. 208. 4. & *Parochus denuò cum assistat.* 210.14
Hæc sententia cum cautela est adhibenda. 208.4

§. 4. Consensus in matrimonium.

Validum est matrimonium etsi Caius neget in illud se verè consensisse cum Agnete, si affectu maritali cum ea consummarit. 5

Nec

Nec Agnes, si Titium ducat, potest ei reddere aut petere debitum. 208. 5
Caius si fictè contraxisset cum Agnete, idque ipsi constaret, nec posteà matrimonium illud ratificasset, posset in conscientia manere cum Berta. 6
Si Agnes Caium repetat, tenetur ad eam redire vbi illa à Titio recesserit. ibid.
Matrimonium metu graui factum, quo iure sit irritum. 46.38.

§. 5. Dubium vel certitudo de impedimento dirimente.

Qui bona fide contraxit matrimonium, & posteà speculatiuè dubitat, potest reddere debitum. 123.56
In dubio matrimonij potiùs reddendum est debitū, quam negandum. 59
Quid faciendum in dubio de matrimonij validitate. 126. 72. &c.
Maritus vxori non potest reddere debitum qui certo detexit se contraxisse cum impedimento dirimente, etsi illa sit in bona fide. 209.13
Episcopus potest in hoc impedimento dirimente dispensare, & concedere vt rursum contrahant. 210. 14
Et quidem sine Parocho & testibus. ibid.

§. 6. Contractum coram hæretico vel cum hæretico.

Hæretici tenentur præcepto Ecclesiæ de clandestinis matrimonijs vbi decretū Concilij Tridentini est promulgatum. 185.15
Quando in locis vbi hæresis dominatur, licitum sit Catholico contrahere matrimonium cum hæreticâ? 188. 38.
Illicitum est contrahere matrimonium coram Ministro hæretico, etiam cum mente illud renouandi coram legitimo Sacerdote. 39
Quando legitimè iunctus coram Sacerdote Catholico possit denuò iungi coram Ministro hæretico? 189.40
Quomodo licitum Catholico conuiuium nuptiale hæreticorum honestare sua præsentia vel munere. 44

§. 7. Dispensatio in impedimento Affinitatis & Consanguinitatis.

Hoc ipso quo Tridentinum suo decreto sustulit Ius antiquum inducens impedimentum dirimens ob affinitatem in 3. & 4. gradu ex copula illicita, & summus Pontifex decretum illud confirmauit, vbique cessat hoc impedimentum. 210. 15
Dispensatio irrita est quam Titius impetrat super impedimento affinitatis, si non exprimat interuenisse copulam. 210.18
Potestas dispensandi in impedimentis matrimonij præscribi nequit absolutè. 211. 19
Præscribi tamen potest restrictim ad certum casum. 20

§. 8. Impedimentum voti & promissi.

Professio emissa à puella tredecim annorum A. 1565. cùm solùm Romæ, & necdum in isto loco, promulgatum esset Tridentinum de anno decimo sexto, verosimilius non reddit irritum matrimonium. 240. 1.
Professa ante expletum annum probationis, etsi posteà decem annis in monasterio manserit, valide nubit. 242. 10.
Professio hospitalariorū qui vouerunt regulam non approbatam à Papa, non irritat matrimonium. 252. 55. & 292. 18.
Monialis quæ 25. annis in monasterio vixit vt libera, & non professa, non contrahit impedimentum dirimens matrimonium actionibus quibusdā professarū, & respondēdo, Quod cū Dei adiutorio parata sit cōsentire in vota religionis. 209.8
Promissio, qua parens vidnus promisit filio vxorem ducenti, se aliud matrimonium non inturum, non obligat ex iustitia. 216.47

§. 9. Impedimentum criminis, & impotentiæ.

Contrahit impedimentum dirimens Lucretia iuncta Matrimonio cum Petro, si hunc occidat, vt cum Achille, qui cum adulterium perpetrauit, matrimonium ineat, etsi hoc tantùm secundariò intenderit. 211.21
Si bonâ fide contraxerit cum Achille, & posteà dubium superueniat, probabile est non indigere dispensatione ad petendum debitum. 22
In impedimento impotentiæ seu frigiditatis non semper requiritur probatio triennij, sed sufficit inspectio corporis cum iuramento & alijs signis. 211. 23

§. 10. Præsentia Parochi.

Qui habent domicilium fixæ habitationis inualidè contrahunt coram Parocho originis. 212. 24
Parochus bona fide non subditos iungens matrimonio non est suspensus. 25
Validum est matrimonium militis externi coram quocūque Parocho contractum. 212.26
Validè contrahunt sine Parocho qui adeunt loca vbi Tridentinum admissum non est, etsi eo fine id faciant. 212.27
Probabile tamen est illa matrimonia sic de industria contracta, esse irrita. 28
Matrimonia contracta sine præsentia Parochi irrita sunt in locis vbi Tridentinum promulgatum est. 214. 35

§. 11. Præsentia testium.

Videtur validum esse matrimonium etsi testes non assequantur quid contrahentes intendant. 213.29. &c.
Etsi probabile sit contractum matrimonij per verba de præsenti absque Parocho & testibus habere vim sponsaliorum, oppositum tamen est probabilius. 213.32
Inhabilitas illa per Tridentinum inducta, non tollitur per extremam necessitatem 36
Matrimonium absque Parocho contractum irritum est etiam illis locis, in quibus Tridentinū promulgatū non est, si consuetudine introductum sit. 236.4
Non videtur licere catholico adire nuptiale conuiuium catholicorum, quando matrimonium non fuit contractum coram Parocho & testibus. 219.37
Hoc tamen non est mortale, si scandalum absit. ib.

§. 12. Consensus Parentum.

Validus est contractus matrimonialis in præsentia Parochi & duorum testium, absque facultate parentum. 215.43.
Nequit exhæredari Titius ducens filiam se non indignam contra voluntatem Parentis. 216.45

Medium.

Non est idem obiectum formale appetitionis medij & finis. 58.12
Quæ sit immediata ratio cur medium ametur. ibid.
Qui directè fertur in medium, indirectè fertur in finem. 13
Medium ob se, vel ob aliam bonitatem appeti potest. 103. 42.
Medium vel est actus interior, vel exterior. ibid.
Actus electionis medij per se indifferentis non habet speciē boni vel mali ex medio, sed solùm ex fine, ad quē medium dirigitur. 103.24
Vide Electio.

Mercator. *Vide* Cambium.

Mercatoribus Anglis hæreticis permitti potest negotiatio Antuerpiæ 183.4
Mercatores Iudæi permittuntur Romæ, & in Polonia. 184. 4

Item hæretici in Hispaniâ. 5
Catholicis permissum negotiatiari inter hæreticos. 9
Titulus omissa negotiationis non sufficit mercatori ad lucrum è mutuo, nisi hæc mutuatio sit causa lucri cessantis. 223.1
Mercatores magni æstimant alterius gratiâ mutare designationes lucrosas. 2
Vide Mutuum.
Mercator qui pecuniam dedit ad lucrum iuxta Bursa Antuerpiensis consuetudinem, probabilius non tenetur ad restitutionem. 224.9
Mercatores impenere possunt æstimationẽ carentiæ pecuniæ. 224.10
Mercator potest maiori pretio certas pecunias expendere, quàm valeant, & ipse acceperit. 220.1
Non possunt Officiales Principum in Mercatores inquirere, an monetam maiori pretio expenderint, de quibus nulla suspicio. 220.2
Vide Societas officiorum.

Merces operis.

Merces operarijs soluenda Matthæi 20 22.23

Metus.

Metus causat voluntarium simpliciter, inuoluntarium secundùm quid. 45.37
Metus quomodo differat à violentia. ibid.
Dum aliquid metu fit, quatuor actus concurrunt. ibid.
Id quod metu fit, non censetur inuoluntarium nisi adsit displicentia. 46.38
Metu inferni pœnitens, & seruans mandata, voluntariè id facit. ibid.
Contractus metu factus non est irritus defectu voluntarij. ibid.
Matrimonium metu graui contractum quo iure sit irritum. ibid.
An metus excuset à culpa. 39
Præceptum Confessionis, Communionis &c. non obligat cum periculo vitæ. ibid.
Discrimen inter metum & concupiscentiam respectu effectus. 47.41
Metu peccans, minùs peccat, quàm qui ex concupiscentia peccat. 42
Quomodo metus possit simul facere voluntarium, & inuoluntarium. 49.48
Metus iniustè incussus inualidat professionem. 246. 27
In metu spectanda persona cui incutitur. ibid.
Metus reuerentialis non irritat professionem. 247.30
Preces materna non æquiualent graui metui. 31
Probabile est ex metu reuerentiali editam professionem irritam posse declarari a Iudice. 248.32

Miles.

Miles speculatiuè de iustitia belli dubitans, potest militare. 123.56
An, & vbi militi permissa sit pabulatio. 150.7
Miles externus non censetur in Belgio habere domicilium, estque instar vagabundi. 212. 26
An liceat militare in vrbe rebelli. 253.2
Militi minanti mortem, an ostendam thesaurum? 263. 13.
In arce militari potitantes ciues possunt frui immunitate militum. 289.1

Missa.

Hæretici non tenentur interesse Missæ sacrificio. 185. 16.
Mos ille in Ecclesia tempore diuini officij fabulandi viris Principibus illicitus est, & indecorus. 217.2
Quanta Deo ab homine, & maximè à Magnatibus debita ibidem reuerentia. 4
Probabile est in rigore non satisfacere præcepto de audiendo sacro, qui tempore sacri confitentur, si bonam partem, v.g. tertiam, ea in re occupentur. 218.7
Videntur tamen excusari valde occupati. 8
Quæ attentio sufficiat in Missa. ibid.
Eidem præcepto satisfaciunt, qui colligunt Eleemosynas. 10
Institor absoluendus qui ad pagos, vbi est Dedicatio, excurrit vt reculas suas vendat, etsi fiat vt rarò audiat sacrum. 11
Quotidie celebrare absolutè tenetur Sacellanus qui legatum accepit quo obligatur peragere diuinum officium quoties salua honestate ac debita deuotione poterit. 219.13
Explicatur clausula hic adiecta. ibid. *Hinc tamen non tenetur offerre pro defuncto, sed tantùm orare.* ibid.
Pro sacrificio licet accipere eb vno vel pluribus quantum necessarium est ad sustentationem. 16
Missam quotidie facere non tenetur Sacellanus, qui habet beneficium, cui hæc obligatio annexa est, nisi aliquomodo sufficiat ad sustentationem. 219.17
Moderatio hæc facienda ab Episcopo. 220.18
Missam celebrare non potest Epilepticus. 220.21
Potiùs Missa omittenda est, quàm ager deserendus. 123.59.

Monasterium.

Potest Episcopus monasterium sibi subiectum, consentientibus monialibus, vnire alteri monasterio absque pleno Capituli sui consensu. 160.57
Bona monasterio à Principe absolutè semel donata, adimi numquam possunt. 163.4
Monasterium ingressuri vel ingressi prohiberi non possunt bona sua dare pauperibus vel monasterio, præsertim si id sit egenum. 163.8
Princeps secularis, non habet potestatem disponendi de monasterijs, & Ecclesiasticis personis, eorumque bonis. 166.16
Si excluderis ab hæreditate quia ingrederis monasterium, testamentum est irritum. 282.5
Statuta Cæsarea in fauorẽ Monaster. 283.6.&165.12
Monasterium tanquam filius excludit substitutum. 284. 12.
Non censetur sine liberis discedere, qui monasterium ingreditur. 285.14

Moneta.

Moneta certa potest maiori pretio expendi, quàm valeat vel accepta sit. 220.1
Lex id prohibens tantùm pœnalis est. ibid.
Non est acerbior & extraordinaria in delinquentes faciendæ inquisitio. 2

Monialis.

Probabile est moniales choro mancipatas non teneri sub mortali ad horas canonicas. 194.26
Conuersa nõ tenentur preces suas ordinarias persoluere sub mortali. 195.30
Quid si sæpiùs omittant Psalmum miserere quotidie ipsis ex obligatione recitandum? 196.36
Monialis ante Tridentinum in his partibus promulgatum, anno ætatis suæ 13. professa, potuit nubere. Vide Matrimonium §. 8. *vbi agitur de impedimento voti.*
Non potest ne quidem per ἐπιείκειαν indulgeri libertas exeundi monialibus, licet, cùm profiterentur, non esset clausura. 224.4
Monialis quæ non potest se expedire à turpi consuetudine sui con-

sui Confessarij, potest habitu seculari fugere ad aliam Prouinciam, vt ibi in alio Ordine recipiatur. 222.9
Non videtur in conscientia obligari monialis denegare suum suffragium puellæ clanculum defloratæ, petenti admitti in monasterium. 10
Carentia virginitatis non irritat professionem. 11
Monialis professa Ordinis S. Benedicti potest per Ordinarij dispensationem transire ad Ordinem monialium S. Augustini, si monasterium illi subiectum sit. 12
Monialis quæ occupato ab hæreticis suo monasterio nupsit, potest alimenta ab ijs taxata accipere. 13
Non videtur posse absolui si permaneat apud præsumptum maritum, etsi nullum sit periculum incontinentiæ. 14

Monstra.

Monstra quomodo apprehendimus. 65.21

Moribundus.

Non potest absolui sine edito signo doloris. 145.2
Quinus Sacerdos quemuis moribundum absoluat à reseruatis. 146.5. *Etsi haberi possit Superior aut proprius.* 7

Motus. Mouere.

Praxis resistendi prauis motibus. 94.24
Motus brutorum quo sensu sint voluntarij, & quo sensu non sint. 35.6
Mouere ad exercitium, quid sit? 54.2
Mouere ad specificationem actus, quid sit? 60.2

Mutuum.

Qui dedit amico suo 100. vt inde lucretur, v.g. 8. non potest tantum supra sortem percipere, etsi tantum lucrari potuisset ex mercimonijs, si ea exercuisset. 223.1
Potest tamen, tantum accipere si incendat actu vel virtute tres illos contractus cum mercatore. 3
Iustus est contractus si Titius Caio det 100. vt post annũ, si viuat, restituat centum & decem: si verò obierit, tantum 90. 225.5
Non videtur vsura si Franciscus det Petro 100. vt post mensem in assignatione vel chirographo soluat centum & decem. 224.7
Quomodo haberi possit ratio periculi. 8
Via excusandi ab vsura solam carentiam pecuniæ. 9
Secundùm iuris rigorem censetur vsura si tutor pupilli pecunias mutuò det cũ pacto restituendi pecunias, quã lo is opus habebit, si interim 6. in 100. soluere cogatur. 224.10.
Qui sciunt se non posse soluere, vel id probabiliter credunt, non possunt pecuniam mutuò, vel ad censum accipere. 225.11
Nec etiam possunt mutuò petere, etsi Superior, si alicui subsint, id imperaret. 12
Confessarius id intelligens, tenetur eos monere ne amplius mutuò accipiant. 13
Vide Vsura.

Nuntius Apostolicus.

Consilium Nuntij Apostolici non sufficit ad alienationem bonorum Ecclesiæ. 168.24
Potest approbare Confessarios. 174.1
Potest cogere Superiores Ordinum vt Decreta Pontificum seruent. 6
Potest dispensare cum illegitimis ad Ordines, & ad Pastoratum. 199.9
Sine commissione Pontificis non potest se immiscere iudicio an professio religiosa sit inualida. 251.47
Potest dispensare in voto Castitatis eorum qui in pio Instituto, quod à Sede Apostolica approbatum non est, vouerunt. 235.56
Potest dispensare in proclamationibus, & vt coram quouis Sacerdote contrahatur matrimonium. 281.17
Potest dispensare in vltimis voluntatibus ad causas pias. 289.35.
Si est Legatus à Latere, potest beneficia vnire absque consensu patroni ecclesiastici. 162.26

Obiectum.

Obiecta honesta solùm appeti possunt propter Deum. 6.16.
Idem est obiectum Spei in via, & delectationis in patria. 17.3
Obiectum diuerso modo applicatũ efficit vt aliquid nunc liberè, nunc necessariò appetatur. 20.17
Quandonam in rationem obiecti transeant circumstantiæ. 53.6
Omnis obiecti ratio formalis debet attingi eodem actu cognitionis, quo obiectum materiale. 58.13
Obiectum volitionis & nolitionis non est quid simplex, sed complexum. 58.15
Obiectum cognitum non est causa effectiua actus voluntatis. 61.8
Obiecti cognitio non est causa totalis vel partialis efficiens volitionis. 61.9
Obiectum mouet metaphoricè instar finis. 62.11
Obiectum eâdem motione mouet voluntatem, quâ voluntas seipsam. ibid.
Obiecti cogniti non concurrit effectiuè ad volitionem, etsi species intelligibilis concurrat effectiuè ad intellectionem. 62.14
Obiectum euidens non potest imperari secundùm speciem actus. 93.19
Potest autem si sit obscurum. ibid.
Obiecta actionum humanarum habent bonitatem vel malitiam causaliter. 97.9
Quando obiectum ex natura suâ ordinatur ad finem, tunc species, quæ est ex obiecto, se habet ad speciem, quæ est ex fine, sicut species ad genus. 107.57
Obiectum quomodo debet esse volitum vt voluntas sit bona. 114.12

Obligatio.

Quomodo non detur obligatio ad illicitum. 120.39
Quandonam vera cognitio tollat obligationem. 40
Obligatio quæ oritur ex errore culpabili, an debeat dici putatiua. 41
Quando obligationes contrariæ occurrunt, voluntas debet determinatè alteram partem iudicare licitam. 123.58.
Vt hîc prudenter iudices, quæ sint obseruanda. 59
Si maius malum eligas, quale peccatum est. 60
Si æquè malum vtrumque videatur, elige quod vis. ibid.
Obligatio mortalis potest consuetudine fieri venialis. 256.11.
Obligationes reales in testamento appositæ non possunt à Confessarijs mutari. 289.34

Occidere. Occidens.

Occidens inimicum, quem putat esse feram, cum ignorantia comitante, voluntariè occidit. 50.52
Occidens inimicum ignoranter, tripliciter se habere potest. 51.53
Occisio inimici cum ignorantia, an & quando censeatur voluntaria & peccaminosa. 51.53
Vide Irregularis.

Odium.

Odium & amor nullo modo potest esse in eodem respectu eiusdem. 43.0

Omissio.

Omissio tripliciter est voluntaria. 41.23

Datur omissio pura libera, ibid. *Ad illam vt sit voluntaria, tria requiruntur.* ibid. *Vt omissio sit voluntaria non requiritur vt opus quod omittitur sit præceptum: requiritur tamen vt sit culpabilis.* 24
Vt euentus ex omissione secutus censeatur voluntarius, requiritur vt tenearis illum impedire. 42.25

Opinio.

Aliqui putant semper sequendam esse opinionem probabiliorem. 120.42
Opinio improbabilis non est sequenda, nec dubiè probabilis. 121.43
Si opiniones in vtramque partem sint æquè probabiles, potes sequi vtramlibet. 44
Possumus sequi sententiam probabilem omissa probabiliore. 45
Possumus sequi opinionem probabilem relicta propria probabiliore. 46
Quomodo possit quis tunc prudenter procedere. 47
An, & quando Iudex possit sequi sententiam minùs probabilem, relicta probabiliore. 122.48
Aliquando tenemur sequi sententiam probabilem relicta probabiliore. 50

Opera. Operarius.

Opera omnia Infidelium non sunt peccata. 5.14
Idem opus externũ pendens à duabus voluntatibus imperantibus, quomodo possit esse bonum & malum. 92.14.
Opera nostra non debent necessariò ferri in finem honestum. 109.67
Opus ideò à lege æterna præceptum, quia bonum. 115.17.
Merces operarijs soluenda Matth. 20. 22.23

Ordines Sacri.

Quid sufficiat ad contrahendum domicilium ordinationis. 225.1
An requiratur voluntas perpetuò ibi manendi. 2
Titio habenda fides asserenti se Ordinem Subdiaconatus suscepisse cum actuali intentione contraria, si ad Sacerdotium progredi cupit. 226.4
Secùs si suscepto per simulationẽ Ordine, matrimoniũ absque dispensatione iniisset. ibid.
Debet ei denuò conferri Subdiaconatus, & quidem ante Diaconatum. 5
Potest Episcopus huic conferre Subdiaconatum extra tempora. 6
Valida est ordinatio Sacerdotalis, si culpa Archidiaconi porrigatur aqua loco vini. 226.7
Traditio materiæ consecrandæ non est de essentia Ordinationis. ibid.
Probabilissimum est in Ordinatione Sacerdotis non requiri contactum physicum calicis. 227.12
Qui tangit calicem, censetur tangere patenam. 11
Quæ intentio requiratur ad Ordines suscipiendos. ibid.
Nulla est censura constituta in eos qui Ordinem repetunt. 228.8
Qui in Hibernia suscipit Ordines à non suo Ordinario, non est suspensus. 228.13
Suspensus est qui ficto titulo patrimonij Ordines sacros suscipit. Contrarium tamen est probabile. 228.14
Energumenus suscipiens Ordines, est irregularis. 13
Perfectè sanatus cum dispensatione Ordinari potest. ibid.
Vide plura V. Energumenus.
Potest sacros Ordines sine dispensatione suscipere maritus, cuius vxor hæretica vult in fide sua permanere, & marito permittit vt agat quidquid suæ conscientiæ expedire putet. 229.18

Ordo actuum.

Ordo actuum voluntariorum. 34.4
Triplex ordo actus ad iudicium rationis in genere moris. 101.33

Originale peccatum.

Originale peccatum debilitauit non tamen extinxit liberum arbitrium. 39.13

Otiosum.

Quæ sit actio otiosa, & verbum otiosum. 110.71

Ouis.

Ouis impropriè iudicat lupum esse sibi inimicum. 65.20.

Papa.

Potest vbique conferre beneficia concurrendo cum Ordinarijs, illos præuenire, & sibi reseruare huius vel illius collationem. 152.8
Potest dispensare vt beneficia ab hæretico patrono accepta retineas. 153.16
Sine eius consensu nullum onus imponi potest beneficijs. 157.38.
Sine eius consilio non potest Prælatus rem Ecclesiæ alienare. 168.24
Potest derogare iuri Patronatus Ecclesiastici & Laici, dum vniones facit. 161.60
Plena dispositio beneficiorum ad eum pertinet. ibid.
Potest beneficium conferre & vnire alicui loco pio, absque consensu patroni, præsertim Ecclesiastici. 63
Bullam à se Romæ publicatam potest velle vbique obseruari. 170.4
Potest suis legibus obligare nolentes & non recipientes. 233.1.
Papa debet approbare Regulam religiosam, alioquin est inualida. 244.20. & 252.55. *Similiter & religionem.* 253.58
Ad Papam recurrere potest subditus, nec à Superiore impediri. 251.47
Potest committere consecrationem virginum Sacerdoti simplici. 179.3
Non potest spurios Ecclesiasticorum legitimare ad temporalia, sed solùm ad spiritualia. 198.7
Potest dispensare in iuramento promissorio. 203.12
Potest dispensare in sponsalibus iurato etiam inuita parte. 279.11
Non potest dispensare vt Religiosus habeat proprium. 229.2.
Potest dispensare in vltimis voluntatibus ad causas pias. 289.35.

Paradisus.

Paradisus Latroni promissus, est essentialis beatitudo. 21.21.

Parochus. Pastor.

Parochus ne remittat pœnitentem, qui vult sequi in confessione sententiam probabilem. 122.51
Quo casu absoluere possit Parochus à reseruatis Episcopo? 146.10.
Potest in Ecclesia Cathedrali simul esse Canonicus. 156.33.
Duæ Capellaniæ possunt ab Episcopo erigi in Parochiam. 159.52.
Parochi præsentia non est necessaria in reformatione matrimonij, si antea matrimonio fuit legitimè adhibitus. 208.4. & 210.14.
Præsentia eius est necessaria ad matrimonij valorem. Vide Matrimonium §. 10.
Cùlgans se ad permutationem Pastoratus ratione seruitij ab altero præstandi, committit simoniam. 265.3.

Ne ad-

Ne admittat publicum vsurarium ad Sacramenta & sepulturam. 294.5. & 295.11
Religiosus Iure communi potest esse Parochus. 256.5. *Talem corrigat Episcopus.* 6. *Non tamen tenetur eum superior recipere.* ibid.
Religiosus Vice-Parochus cuius peculij habeat administrationem ? 229.5

Passio.

Passiones animi imperari possunt. 94.22
Non semper possunt tolli imperio rationis. 23
Possunt tamen reddi inefficaces. 24
Praxis resistendi prauis motibus. 94.24

Patrinus.

Non licet Catholico adstare baptismo ministri hæretici instar patrini. 149.2

Peccator.

Quomodo peccator constituat finem vltimum in bono creato. 4.12
Quomodo possit rectè velle se carere gratia. 134. 114
Peccator, quà talis, Deo displicet, placet quà homo. ib.

Peccatum.

Non est peccatum speciale agere contra conscientiam, nisi fiat vt vincatur conscientia. 117. 25
Peccatum habet suam speciem ex ordine ad materiam cui aduersatur. 26
Si dubitas an sit mortale vel veniale, quale peccatum committis ? 118.27
Quale peccatum, si solùm in genere putes esse malũ. ib.
Peccatum contra conscientiam commissum, non est duplex peccatum. 28
Peccatum mortale dubium sub dubio est confitendum. 125. 69.

Pensio.

In permutatione beneficij iam nullos fructus habentis cum alio mille florenorum, quanta pensio constitui possit ? 154.19
Pensio licet modum excedat, non tamen est simonia. 154. 21
Quibus modis Canonicus vxorem ducens possit sub graui pensione aliisque conditionibus suum beneficium resignare in manus collatoris ? 154.23. 155.24
Ordinarius non potest constituere pensionem super beneficia causà resignationis solius : multò minus super resignationem gratiæ expectatiuæ. 155.27
Peccat pensionem petens, qui Ecclesiasticum statum deserit. 155.28

Pignus.

Vide Cessio Foti.

Potentia.

Potentia magis propriè dicenda est libera, quàm ipsi actus. 36. 7
Potentia quænam sit libera. ibid.
Potentia ex se ad certæ speciei operationẽ determinatæ, non egent motore. 60. 3. *Neque sensus exteriores.* ibid.
Cur vnius potentiæ operatio impediat operationem alterius non subordinatæ. 61. 7

Paupertas Religiosa.

Contra votum paupertatis est, habere in religione aliquid proprium post professionem. 229.1
Quæ excusent à mortali. ibid.
Quæ materia hic sit mortalis. ibid.
Superior non potest in hoc voto dispensare. 2
Imo nec Pontifex, ita vt maneat religiosus. ibid.
Non est mortale, si quis nolit sua scripta commodare aliis. 3
Quæ religioso dantur ab amicis vel superiore, cedunt in ius Monasterij. 4
Superior non potest subdito concedere dispositionem rei notabilis, sed tantùm vsum. ibid.
Religiosus vice-Pastor habet administrationẽ sui vice-Pastoratus si sit beneficium. 5
Si non sit beneficium, & bona sint immobilia, non potest habere administrationem. Secùs si sint mobilia. 6
Per bullam Clementis VIII. De donationibus Religiosorum, non prohibetur illis ne dent eleëmosynas. 230. 7.
Neque prohibẽtur donationes ad redimendam vexã. 8
Neque Antidorales & remuneratoriæ. 9
Neque donationes ex laudabili consuetudine, & rectâ ratione factæ. 10
Religiosus omnia acquirit Monasterio. 237. 11
Possunt fieri fundationes ab Abbate & Priore ex bonis propriis absque detrimento paupertatis. 12. & 231. 20. *Vide* Superior religiosus.
Religiosus cuius professio inualida, sibi, non Monasterio acquirit. 243. 15. & 244. 16
Religiosus tenetur renuntiare ijs quæ repugnant paupertati. 258. 20
Quid sit ius pecuniarium. ibid.

§. 1. Prælatus.

Quis propriè dicatur Prælatus. 232. 1
Decanus Ecclesiæ Cathedralis S. Mariæ Antuerpiæ est Prælatus. ibid.
Prælatus iuramento suo de nõ alienanda re Ecclesiæ sine consilio Pontificis, non satisfacit eam alienans sola auctoritate Nuntij Apostolici. 168.24
Potest ex bonis sibi propriis facere pias fundationes & obligare suum monasterium. 236.12
Tenetur ad religiosam reformationem non obstante suo iuramento in contrarium. 257.12
Vide Superior religiosus.
Quomodo se geret cum inualidè professis. Vide Professio religiosa inualida.
Prælatus titulo colorato potest conferre titulum coloratum. 232. 2

§. 2. Ambitus Prælaturæ.

Qui ex religionis suæ instituto vouit se nec directè, nec indirectè prætensurum aliquam prælationem, non potest munusculis & officijs Electorum beneuolentiam captare. 232.3
Nec si videat se eligendum in Priorem vel Definitorem, v. g. potest aliquid agere vt eligatur potiùs in Definitorem. 233. 4
Si tamen detur optio vt è duobus conuentibus eligat vtrũ velit præesse, casu quo cogatur præesse alteri, potest eligere quem placuerit. 5
Qui principaliter mouetur desiderio Prælaturæ ad se mancipandum Religioni, adeò vt sine tali spe non vouerit, ipsius professio non est irrita si non fiat Prælatus. 260 26. *Esset tamẽ irrita si per modum contractus ita cum Religione conueniisset.* ibid.

§ 3. Electio Prælati, & depositio.

Non videtur Minoribus imponi præceptum eligendi Ministrum Prouincialem à Clemente V. in Concilio Viennensi. 6
Possunt tamen cedere iure eligendi per hanc Clementinã concesso. 7
Generalis Minister potest in certis casibus facere contra eandem Clementinam. ibid.
Clementina hæc sublata per contrarium vsum. 234.8
Quando duo solùm sunt eligibiles, neuter illorum potest habere suffragium actiuum. 9
Electio Prælati ex indebita Electorum conspiratione promoti, irrita est, vel saltem irritanda per Iudicem. 10

Iustè &

Iustè & legitimè facta censeri debet Prælati depositio qui apud Episcopum vel Capitulum Prouinciale accusatus, citatus, & non comparens, depositus est. 235.12
Legitimus eius successor habendus est, qui eius loco suffectus est, licet aliqui reclament. ibid.
Rebelles censendi sunt qui adhærere pergunt legitimè depositio. ibid.

Præscriptio.

Ad præscriptionem contra legem canonicam sufficiunt anni XL. aliquando X. 158.44
Hæretici non præscribunt contra leges Ecclesiasticas earū non obseruatione. 235.1
Consuetudo legitimè præscripta habet vim legis. 236.4
Si hic putet legitimam præscriptionem, alter illegitimam, quo modo vterque se tuebitur? 5
Consuetudo immemorialis impendendi in fabricam &c. duas tertias redituum pauperum, si subsit bona fides, præscribit. 236.6
Religiosi præscribere possunt contra abstinentiam carniū. 237.8. *Tenētur tamen reformationem admittere.* 9
Non vsus 100. annorum præscribit contra pias fundationes. 10
Præscribi nequit absolutè potestas dispensandi in impedimentis matrimonij. 211.19
Præscribi tamen potest restrictim ad certum casum. 20
Consuetudo præscribere potest vt matrimonium sine Parocho contractum sit irritum, etiam in locis vbi Tridentinum non est promulgatum. 236.4
Tres sententiæ conformes habent vim præscriptionis. 238.14.
Præscripserunt Principes Belgij ius concedendi priuilegiū testandi vsurarijs. 294.6
Principes vsucapione præscripserunt ius imponendi tributum vsurarijs, meretricibus & Iudæis. 297.21
Cōtractus iniquus bonæ fidei in re mobili patitur præscriptionem. 262.10
Vide Consuetudo. Priuilegium.

Primogenitus.

Primogenitus licet hæreditatem adeat cum onere sustentandi minores fratres, non tenetur eis succurrere cum imminutione sui status. 287.27

Princeps.

Princeps videtur tacitè consentire in aliquas fraudes Militares. 150.6
In oneribus subditorum seruet iustitiam distributiuam. 9
Statuat de bonis priuatorum ex bono communi. 163.5
Caueat ne alicui subditorum fiat iniuria. 6
Quo pacto ad Principem spectet dispositio temporalium. 166.15.
Ne oneret bona Reipub. quorum solùm est administrator. 183.5.
Potest legitimare suos subditos ad temporalia. 198.7
Legitimum Principem nemo potest abiurare. 203.18
Principi suam vrbem à rebellibus repetenti, ne resistant fidi subditi. 253.1
Belgarum Principes præscripserunt ius concedendi priuilegium testandi vsurarijs. 294.6
Item ius imponendi tributum vsurarijs, meretricibus & Iudæis. 297.21
Principes Christiani monasterijs fauerunt. 165.12
Atque hinc felicissimi. 167.20
Non habent potestatem disponendi de monasterijs, eorum personis. &c. 166.16
A se bona data monasterio, ne repetant. 163.4
Principis Placitum impertinens est ad valorē Bullæ Apostolicæ. 170.6
Principi illicitum & indecorum fabulari tempore diuini officij. 217.1
Non potest inducere impedimentum dirimens matrimonij. 236.4
Pensio quam Princeps beneficijs imponit, debet confirmari à Papa. 267.12
Principes commendant & propagant scholas Societatis Iesu. 272.16. & 19
Princeps ne permittat hæretico ob artem habitationem publicam inter catholicos. 183.1
Permittat tamen mercatoribus negotiationem. 4

Priuilegium.

Priuilegium concessum à Greg. XIII. Episcopis Belgij, vt possent absoluere subditos participes rebellionis à quibusuis criminibus in Bullâ Cœnæ Domini reseruatis, explicatur. 147.13
Priuilegium Læti introitus *non obstat quo minus religiosi sint capaces pretij prouenientis ex venditione immobilium.* 162.1
Priuilegium concessum à Sixto IV. cuidam Abbati absoluendi monachos sibi subditos à quibusuis censuris, ad quos se extendat? 148.20
Priuilegium benedicendi vasa sacra, quid significet? 240.23.
Priuilegium consecrandi altaris amittitur non vsu. 24
Vide Abbas.
Priuilegium rescindendi contractus ob defectum consensus Generalis amittitur per consuetudinem contrariam, etsi non sint lapsi 40. anni. 169.28
Priuilegium Superioris negligentiâ amissum, non potest sola Monasterij auctoritate resumi. 240.25
Priuilegiorum communicatio facta alijs Ordinibus nō est extendenda nisi ad concessa vsque ad illud tempus, non autem ad concedenda imposterum, nisi id exprimatur. 26

Professio Religiosa inualida.

§. 1. Si regula & forma viuendi non est approbata.

VT professio sit valida, debet fieri secundùm regulam approbatam à Papa. 244.20
Complexum regulæ secundùm quod profiteris, etsi constet omnibus partibus à Papa approbatis, nisi tamen vt sic sit ab eo approbatum, inualida est professio. 21
Approbatio religionis formaliter consistit in approbatione regulæ. 22
Professio facta iuxta formam viuendi quæ à Papa non est approbata, est irrita. 252.55. & 253.58

§. 2. Si non sit expletus annus ætatis, & probationis.

Probabiliter inualida est professio emissa à puella 13. annorum, si Tridentinum de anno decimo Sexto Romæ, non tamen in illo loco sit promulgatum. 240.1
Professio ante 16. ætatis annum irrita, tractu temporis non conualescit. 241.4
Mater de filij ætate testari hic potest. 242.7
Professio facta ante expletum annum probationis, est inualida. 242.10. & 243.11
Expletio hæc intelligenda est de horâ in horam. 270.7
Probabile tamen est paucas horas posse deesse. ibid.
Tridui dimissio non videtur impedire continuationem necessariam nouitiatus. 242.8

§. 3. Si professio metu extorta: aut si desit consensus.

Professio emissa cū protestatione de iniusto metu, est irrita, & si postea renouetur semel iterumque Superiorum inductione, non ideò censenda est valida. 246.24
Professio extorta à matre & sorore metu subtractionis alimentorum, est irrita etsi Notarius testetur metū non interuenisse. 27

In metu

In metu spectanda est conditio personæ cui incutitur. 247. 27.
Metus reuerentialis verius nõ inualidat professionem. 30
Inualidat si accedant minæ. ibid. *Preces importunæ non inualidant.* 31
Potest Iudex in foro externo iudicare professionem inualidam ex metu reuerentiali. 248. 32
Qui non aliter profitetur quàm dicendo, Quòd cum Dei adiutorio sit paratus consentire in vota religionis, inualidè profitetur, etsi alias professorũ actiones obeat. 205. 8.
Qui solum in professionem consentit stipulando, Si fiat Prælatus; non est validè professus. 260. 26

§. 4. Si desit debita informatio.

Professio Capuccini irrita non est, qui negauit in anno probationis se lepra, morbo gallico vel caduco laborare: potest tamen à Superioribus irritari. 245. 23
Si nullæ informationes, vel notabiliter non sufficientes habitæ fuerint in admissione, professio est irrita. 250. 43.
Quænam ante professionem maximè inquirenda. ibid.
Huic inquisitioni æquiualet cognitio ante habita ex longa conuersatione. ibid.
Hæ informationes non à solo Magistro Nouitiorum sumendæ. 44
Concernunt omnes admittendos, non solùm defectuosos vel criminosos. ibid.
Non debent fieri iuridicè. 45

§. 5. Si sint illegitimi.

Xixtus V. reddidit filios Presbyterorum inhabiles ad religionem. 248. 35
Intellige, in futurum, non in præteritum professos. 56
Gregorius XIV. eam constitutionem restrinxit. ibid.
Illegitimus ignorans hanc Xixti constitutionem, validè profitetur vbi hæc non est publicata. 249. 39. *Hæc publicatio debuit fieri in locis Regularium.* 40
Etsi talis professio esset inualida, non posset eyci si ex ignorantia Superioris admissus fuit. 41
Absolute expedit talem denuò profiteri. ibid.

§. 6. Modus quo inualidè professus se à religione expediet.

Reclamare debet ante lapsum quinquennij à professione, alioquin non est audiendus in iudicio. 241. 4 & 250. 46. *vbi per 9. articulos deducitur quid tali professo agendum.*
Iustæ quædam causæ non reclamandi ante quinquennium. 241. 5.
Restitutio in integrum vt causam agat qui tempestiuè non reclamauit, spectat ad solum Papam. 246. 26
Recursus ad Papã nõ potest à Superiore impediri. 251. 47
Qui impeditur recurrere, fugiendo & habitum dimittendo, non peccat mortaliter. 242. 6. *Nec est incapax vt pro se alleget, estque audiendus in foro externo.* ib. *Imò omni auxilio destitutus potest etiã ad seculũ redire.* 251. 48. *Sed ad loca vbi ignotus est.* 252. 54

§. 7. Quomodo interea se in religione geret.

Non tenetur manifestare professionis suæ nullitatem. 243. 13.
Potest clam ratificare suam professionem. ibid.
Imò eam tenetur ratificare, vel discedere. 252. 54
Acquirit sibi, non monasterio. 252. 15. & 244. 16. &c.
Potest & debet à suis Superioribus haberi vt verus professus. 251. 50. *Non expedit tamen eam mitti ad Ordines, nisi velit professionem ratificare.* ibid.
Neque fieri Superiorem. ibid.
Si meditetur fugam, non potest ordinari priuilegio Religionis. 252. 52. *Neque ferre vocem in Capitulo.* ib. *Neque absolui à reseruatis.* ibid. *Neque se miscere ijs quæ Ordini sunt propria.* ibid.

§. 8. Quomodo erga inualidè professum se geret Superior.

Si clam sciat alicuius inualidam professionem, non semper tenetur id aperire. 252. 53. *Expedit bemgnè cum eo agere, & rem Ordinario exponere.* ibid.
Non potest cum auctoritatiue dimittere. 54. *Potest se permissiue habere vt discedat, si est publico noxius.* ib. & 243. 14.
Debet eum habere publicè vt verè professum. 251. 50
Non tenetur inducere ad ratificandam professionem. 251. 51.

§. 9. Quomodo talis professio renouanda.

Professio semel inualida solo tractu temporis non conualescit. 241. 4. & 251. 49
Multis annis manendo in religione, & functiones professorum obeundo, per hoc præcise non ratificas professionem, nisi id scias & intendas. 242. 10
Non requiritur noua acceptatio Capituli vel Prælati. 243. 12.
Expedit vt iterum expresse profitearis clam vel publicè. 249. 42.

Pueri.

In quibus necessariò moueantur. 73. 6
Quomodo careant vsu rationis. ibid.
Illis ante vsum rationis conuenit electio. 79. 4
Cur ante vsum rationis peccare non possint? ibid.
Quæ obligatio restitutionis sit in puero pascente pecora in alienis campis? 262. 12

Ratio.

Quid sit recta ratio? 113. 5
Aristotelis & aliorum de ea iudicium. ibid.
Quomodo recta ratio sit conformis appetitui recto. 114. 9

Rebellio.

Fidi & legitimi subditi degentes in vrbe belli, nõ possunt Regi vrbem inuadenti resistere. 253. 1
Quid in vrbe rebelli possit fidus Secretarius, Aduocatus, Præco, Mercator, Nauta, &c. Vide Auctarium *V.* Rebellio.

Religio.

Religio non potest approbari ab Episcopo. 253. 38. *sed a Papa. Vide* Professio Religiosa inualida, §. 1.
Testamentum est inualidum si ob ingressum Religionis aut cælibatum aliquè priuet debita hæreditate. 281. 1 *Vide* Monasterium, & Fideicommissum.

Religiosus.

Non est religiosus cuius forma viuendi non est approbata à Papa. 252. 55. *Vide plura V.* Professio Religiosa inualida, §. 1.
Religiosus tenetur ad obseruantiam Regulæ. 258. 18
Tenetur ex voto obedientiæ ad legitimas reformationes. 19
Tenetur renuntiare ijs quæ repugnant Paupertati. 20
In omnibus pendet à Superiore. 21
Est capax Pastoratus. 256. 5
Religiosum Parochum infamia laborantem non tenetur Superior recipere. 6
Qui vouendo principaliter intendit Prælaturam, est verè religiosus etsi eam non consequatur. 259. 25
Fugiens ex monasterio metu pœnæ non est excommunicatus. 256. 7
Electus ex Ordine potest deponere habitum. ibid.
Electi operâ potest vti Episcopus. ibid.
Professi choro mancipati, sed necdum sacris Ordinibus initiati, probabiliter non tenentur ad horas Canonicas sub mortali. 194. 26. *Vide* Horæ Canonicæ, & Monialis.

Religiosi Mendicantes sunt capaces pretij ex venditione immobilium prouenientis. 162.1
Religiosus in professione cõsequitur Indulgentias. 200.2
Plura de Religiosorum Indulgentijs, Vide Indulgentiæ.

Reseruatio.

Ab omnibus reseruatis quinis Sacerdos quemuis absoluat in articulo mortis. 146.5
An reseruatio tolli possit extra confessionem? 147.15
Quandonam crimen quod habet annexam excommunicationem Papalem, censeatur reseruatum? 147.16
Reseruatio Papalis non constat nisi ratione censuræ. ib.
Vide Absolutio.

Restitutio.

Canonici se à Choro absentantes dum prolixiora sunt beneficia tenentur restituere perceptas distributiones. 193. 20.
Capitaneus & Commissarius qui plures milites quàm sub signis sunt, annotarunt, tenentur Regi ad restitutionem. 149.1
Quid faciendum hæredi Catholico de bonis Ecclesiasticis ad se deuolutis, quæ parentes malè possederunt? 153. 16.
De restitutione famæ, Vide Infamia.
De restitutione eius qui foro cessit, Vide Cessio fori.
De restitutione quam debent varij ex varijs capitibus, Vide Auctarium, *Verbo* Restitutio.

Rex.

Vide Princeps.

Sacellanus.

Sacellanus qui accepit legatum, quo obligatur peragere diuinum officium, quoties salua honestate ac debita deuotione poterit, *non tenetur absolutè quotidie celebrare.* 219.13
Explicatur clausula hic adiecta. ibid
Non tenetur offerre pro defuncto, sed tantùm orare. ib.
Potest subinde à Sacello abesse. 14
Quando debeat alius substitui. ibid.
Hæc capella non compatitur aliud beneficiũ Parochiale. 15
Sacellanus non tenetur quotidie celebrare, licet habeat beneficium cui hæc obligatio annexa, nisi aliquo modo sufficiat ad sustentationem. 17
Moderatio hæc facienda ab Episcopo. 220. 18

Scrupulus.

Quid sit scrupulus? 126. 76
Ex quibus causis oriatur. ibid.
An & quando liceat agere contra scrupulos. 77
Remedia contra scrupulos. 78
Scrupulosus prudenter sibi persuadet, nisi res sit euidens, esse scrupulum. 127.76

Securitas.

Securitas quid sit? 32.8
Requiritur ad beatitudinem. ibid.

Sensus.

Sensus suam beatam vitam habebunt. 29. 44
Ostenditur id in singulis sensibus. 30.44
Sensus exteriores, an egeant motore quoad exercitium actus? 60. 3

Sigillum.

Confessarius caueat ne ex sua confessione, alterius sibi confessi peccatum innotescat. 176. 19
Non frangitur confessionis sigillum per restitutionem, etiamsi fiat coniectura de auctore furti. 261. 3. *Vide Indicem de* Sacramentis, *Verbo* Confessarius, §. 4.

Similis.

Similes Deo erimus quando, & quomodo. 22.24

Simonia.

Pensio licet modum excedat, non est simonia. 154.21
Pensio statuta non habita licentia Ordinarij in litigioso beneficio, est simoniaca si detur ad redimendam iustam vexam; non verò si ad iniustam. 266.7
Fructus beneficij simoniacè obtenti per ignorantiam simoniæ ab altero commissæ tantùm extantes debent restitui si ignota fuerit; si verò nota, etiam non extantes. 265. 1
Pacisci de parte fructuũ vt pacificè reliquum recipias, quando licitum? 13
Permutatio beneficij ratione seruitij præstandi, est simonia. ibid. 3. & 265. 1
Cessio & dein permutatio litigiosi beneficij inter ipsos litigantes, probabiliter non est simoniaca. 266.5
Resignatio beneficij, nondum perceptis ex beneficio fructibus sub onere expensarum in acquisitione factarũ, est simoniaca. 266. 4
Resignatio præuia promissione gratitudinis, quando sit simoniaca? 267.9
An sit simoniacũ exigere aliquid in admissione ad monasterium opulentum. 268. 15
Non est simoniacum exigere aliquid in admissione vt monasterium se seruet indemne. 18

Sinus.

Quid sinus Abrahæ Augustino. 23. 25

Synteresis.

Quid Synteresis. 116. 20

Societas Iesv.

§. 1. Regula.

Violatio Regularum Societatis Iesu, vt est violatio Regulæ, non est peccatum. 269.1
Ex octo capitibus violatio hæc potest esse peccatum. 2
Promissio seruandi regulas non obligat sub peccato in singulis regulis. 270.6

§. 2. Vota.

Emissio votorum simplicium Societatis ante expletum biennium, est inualida. 7
Renouatio votorum sequens inualidam eorum emissionem reddit eam validam si sciens vel dubitans de eorum validitate intendat illa ratificare. 8
Professio sequens inualidam emissionem votorum, quando inualida sit, & quando valida? 9
Votum simplex scholasticorum Societatis facit eos Religiosos. 10

§. 3. Priuilegia.

Potest Societas in suis Ecclesijs per externos Sacerdotes administrare Eucharistiam. 271.12
Potest tollere irregularitatem prouenientem ex defectu lenitatis in foro conscientiæ tantùm. 201. 4

§. 4. Scholæ.

Societas suis Scholis prodest bono publico & Vniuersitatibus. 271.13
Auget numerum studiosorum. 14
Illustrat tractationem disciplinarum. 272.15
Pietatem & religionem singulariter promouet. 16
Formæ Scholarum Societatis. 273.17
Magistrorum Societatis quatuor conditiones. 18
Fidem erga Principem ipsa constanter seruauit, & subditos docuit. 275.23
Philippus II. Societatis Scholas propagauit. 272.16
Henricus IV. ob Scholas reuocauit Societatem in Galliam. 274.19
Scholæ Societatis ibidem florent. 21. 1
Gloria Scholarum Societatis redundat in Principem. 21
Responsio ad Argumenta Aduersariorum. 20

Societas officiorum.

Tripliciter initur hæc Societas. 275.1
Consistit hæc Societas in eo, quòd sint socij in emptione officij, eius

ficij, eius dominio, & lucro. 276.2. & 298.24
Si officium sit grauatum supra æstimationem, & posteà quis admittatur in Societatem, non est contractus Societatis. 3. Posset tamen censeri implicitus contractus census personalis. 4
Si paciscantur de fructibus officij, cum onere vt Officialis anticipet singulis semestribus sex in 100, & in defectu solutionis teneatur refundere sortē si alter velit, contractus hic non videtur iniquus, si alter non possit absolutè sortem repetere. 298. 26. & 28
Contractus census vitalis personalis palliatus contractu societatis officiorum, est illicitus si creditor possit pro libitu sortem repetere. 299 29

Sponsalia.

Adolescens multas virgines paris conditionis corrupit sub ficta promissione coniugij, quam ex illis ducet, & ad quid tenetur? 277. 1
Quibus casibus non teneatur ducere, vel damnum compensare. 3
Adolescens sub tutoribus constitutus promisit meretriculæ magnam summam pecuniæ, nisi eam in vxorem ducat, ad nihil tenetur. ibid. 5. & 278.6
Qui contraxit sponsalia cum illa, quam spe matrimonij corrupit, potest cogi vt eam ducat. 278.6
Talis non potest ad triennium differre matrimonium. 7
Modus eum cogendi ne aliam vxorem accipiat. 8
Parentes ipsius non possunt tale matrimonium impedire. ibid.
Matrimonium de præsenti nullum non inducit sponsalia. 279. 9.
Probabile est clandestinum matrimonium non habere vim sponsalium. 10
Cur matrimonium impuberum potiùs habeat vim sponsalium, quàm matrimonium clandestinum? 280.12
Belga Nobilis qui sub promissione matrimonij obtinuit copulam à puella imparis conditionis Parisijs, non censetur consummasse matrimonium. 13
Votum castitatis dirimit sponsalia. 16
Valida est dispensatio ad eligendum ignotum Sacerdotē qui clam sine proclamationibus matrimonio assistat. 281.17. Talis dispensatio regulariter est illicita. ib. Circumstantiæ quædā possunt illam reddere licitā. 18

Spurius.

Mater non potest relinquere trientem filiæ suæ spuriæ. 197. 1.
In hac re leges æquè matrem, quàm patrem obligant. ibid.
Potiùs extraneis, quàm suis spurijs possunt parentes benefacere. 198.2
Possunt ijs alimenta relinquere, nisi aliunde ea habeant. 3
Non possunt per fideicommissum illis prouidere. 4
Spurij per subsequens parentum matrimonium, non legitimantur. 6
Spurium ex Subdiacono & soluta, non potest Pontifex legitimare ad temporalia, sed ad sola spiritualia. 7
Bulla Pij V. contra spurios Ecclesiasticorum. 8
Vide Illegitimus.

Spontaneum.

Ad spontaneum duo requiruntur. 34.2

Status spiritualis.

Beguinæ non habent statum spiritualem. 283.7
Quid propriè intelligendum per Statum spiritualē. 8

Stipendium.

An possit Capitaneus minori pretio transigere cum militibus, quàm sit stipendium eis assignatum? 150. 3
Possunt Capitanei aliquo artificio aliquid amplius accipere, quando stipendia non sufficiunt. 5

Subditus.

Quando subditus debeat obedire Superiori? 121.45
Subditus tenetur obedire præcepto probabiliter licito; licet probabilius sit esse illicitum. 122.51
Subditus speculatiuè dubitans de iustitia belli Regis sui, potest militare. 123.56
Fidus subditus non potest resistere legitimo Principi vrbē rebellem inuadenti. 253. 1. Vide Rebellio, vbi latè agitur quid liceat fidis subditis degentibus inter rebelles.

Subtilitas.

Subtilitas corporis glorioſi, quid sit? 24.29
Non consistit in acumine sensuum, & in subiectione appetitus inferioris. 28.40
Nec in perfecta corporis informatione. 41
Sed in vi penetrandi alia corpora. 42
Vis illa non consistit in eo quod corpora Beatorū sint vertenda in spiritum. ibid.
Vel in aëream tenuitatem. ibid.
Nec consistit in qualitate superaddita. ibid.
Sed in ablatione modi alicuius. 43
Dos subtilitatis quando conferatur. 29.43
Ex subtilitate oritur celeritas in corporibus beatis. ibid.

Superior Religiosus.

Superior potest eligere confessorem à quo à reseruatis absoluatur. 240. 26
Superior non potest subdito concedere ius rei notabilis, sed tantum vsum. 229.4. V. Paupertas religiosa.
Superior tenetur ad Religiosam reformationem non obstante suo iuramento in contrarium. 257.12
Potest suis Nouitijs certam formulam promissionis & renuntiationis proponere, & exigere ab ijs scriptum quo testentur se in eam consentire. 16
Superior probabiliùs non potest condonare infamiam suo subdito factam. 260. 2.
Quomodo Superior se geret cum inualidè professis. Vide Professio religiosa inualida, §. 8.
Superioris electio, & ambitio. Vide Prælatus.
Conuentus non tenetur ex delicto superioris, nec etiam ex contractu, nisi in illum consenserit. 230. 16.17
Nec etiam tenetur ex sponsione quam superior fecit sine consensu. 18

Suspensio.

Nō est suspensus qui in Hibernia Ordines suscipit à non suo Ordinario. 228. 13
Suspensus est qui ficto titulo patrimonij Ordines suscipit. 14. Contrarium tamen est probabile. ibid.

Testamentum.

PRomissio priuatiua facultatis testandi, irrita censetur. 203. 12
Testamentum est inualidū, si ob ingressum religionis aut cælibatum, aliquem priuet debita hæreditate. 281. 1
Irritum est testamentum si non relinquatur legitima. 2
Nemo ex vi testamenti quo constituitur hæres cum onere restituendi si statum religiosum vel spiritualem capessat, tenetur bona per hæreditatem acquisita restituere, sed potest de illis disponere in pias causas. 4
Hæretici sunt intestabiles: item eorum fautores & defensores. ibid.
Non debent restitui bona substitutis per testamentum hoc conditionatū, Casu quo morietur absque hærede è suo corpore & legitimo matrimonio, volo vt bona redeant ad consanguineos si monasterium ingrediatur. 284.11. Vide Fideicommissum.
Hæres constitutus vt in pauperes hæreditatem eroget, non potest partem sibi retinere. 285. 17
Legatum pauperibus relictum in Religiosos distribui potest. 18

Hæreditas repudiata vel incapacibus relicta deuoluitur ad hæredes. 286.19
Primogenitus licet hæreditatem adeat cum onere sustentandi minores fratres, non tenetur illis succurrere cum imminutione sui status. 287.27
Testamentum ad pias causas subscriptum, sed sine testibus, est validum. 287.28
Testamentū propria manu scriptum sine testibus, est inualidum. 288.29
Compensatio testamenti promissi quando valida. 30
Obligationes reales in testamento appositæ, non possunt à Confessarijs mutari. 289.33. *Hic pro dispensatione recurrendum ad Nuntium Apostolicum.* 35
Testamentum Episcopi, Vide Episcopus.
Testamentum publici vsurarij inualidum. Vide Vsurarius.

Tristitia.

Quid sit tristitia? 74.3
Quomodo tristitia sit in nostra potestate. ibid.

Tutum.

Possum sequi partem minùs tutam, modò probabilem, relicta tutiore. 124.62
Non est sequenda pars tutior, sed mitior, si dubites an sis spurius &c. 63. *Vide* Dubium.

Vectigal.

Vectigal potest à fido subdito inter rebelles degente colligi pro bello iniusto. 254.7
Vectigal impositum ciuibus à Gubernatore in arce regia potantibus, iustum est. 289.1
Hydalgia importat immunitatem à vectigalibus. 3
Principes solent imponere vectigal Iudæis, meretricibus, & vsurarijs. 297.21

Veritas.

Quid sit veritas in actu intellectus? 113.6
Veritas & falsitas virtualiter sunt in simplici apprehensione. 7
Quomodo veritas practica consistat in conformitate cum appetitu recto. 114.9
Quomodo distinguatur veritas practica à speculatiua. 10
Vnde pendeat veritas practica, & veritas speculatiua. 123.86.

Verum.

Ratio veri non est præstantior ratione boni; nec contrà. 14.23.
Verum quo sensu sit obiectum intellectûs. ibid.
Verum & falsum quomodo sint differentia accidentales vel essentiales actus intellectus. 102.38

Vicarius.

Vicarius temporalis delegare non potest. 148.24
Potest Vicarius perpetuus. ibid.
Vicarius Leodiensis videtur præscripsisse potestatem in certis casibus dispensandi in impedimento affinitatis & consanguinitatis in 3. gradu. 211.20

Violentum.

Violentum, quid? 42.27. *Et quomodo differat à coacto.* ibid.
Nullus actus potest esse violentus respectu suæ potentiæ. 43.29.
Nullus actus, etsi extrinsecè infusus, potest esse violentus potentiæ naturali. ibid. *Potest tamen esse violentus respectu appetitus eliciti.* ibid.
Quæ cessatio actus ipsis potentijs sit violenta. 44.33
Violentia causat inuoluntarium. 45.34
Non est violenta defloratio puellæ, nisi resistat quantum debet. 35
Passiones Martyrum quomodo non fuerint violentæ. 36

Virtus.

Ad quam virtutem referantur actus qui sumunt bonitatem specificam ex obiecto. 98.14
Vt aliqua actio sit virtutis, tria requirit Aristoteles. 114.13.

Visio.

Omnis visio quà talis, est eiusdem speciei. 112.1

Visio Dei.

Visio Dei increata non est nostra beatitudo. 7.1
Visio beatifica est simul speculatiua, & practica. 15.28
Vt tamen est beatifica, est speculatiua. ibid.
Visio, vt se extendit ad diuinitatem, continet solum vnū iudicium. 30
Vt se extendit ad obiecta creata eminenter in Deo contenta, non est omnino simplex. ibid.
Quid sit visio? & an distinguatur à cōprehensione. 18.8
Visio vt est prior amore, non est perfecta comprehensio. 9
Visio Dei per se reddit voluntatem impeccabilem. 20.16
Posita visione Dei voluntas est ab intrinseco determinata vt eum amet quantum potest. 18
Visio beatifica vnius diei non beatificaret absolutè. 33.9
Nec est sufficiens excludere omnem mœrorem. ibid.

Vita.

Quid sit vita, seu motus vitalis? 9.7
Quæ sit vita malè vtens, & malè fruens. 87.4

Vitalis.

Actus vitalis potest à solo Deo produci. 9.9
Vide Actus vitales.

Volitio.

Volitio finis est causaliter volitio medij necessarij. 58.14
Volitio vt respicit obiectum quod, *vocatur amor concupiscentiæ, vt obiectum* cui, *amor beneuolentiæ.* 59.15
Volitio mali in genere vnde sumat malitiam? 118.26
Sola volitione non possumus assequi quamlibet sanctitatem. 140.27

Voluntarium.

Voluntarium, quid sit? 34.2.3. *Sumitur dupliciter.* 2
Imò & tripliciter. 35.6.& 47.45
Quid magis, & minùs perfectè voluntarium. 34.4
Ordo actuum voluntariorum. ibid.
Voluntarium debet esse à voluntate, & esse volitū. 35.5
Actus voluntatis seipsis implicitè sunt voliti. ibid.
Motus brutorum quo sensu sint, & quo non sint voluntarij. 6
Hæc propositio, Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit, *à tribus Pontificibus est damnata.* 37.col.2
Esse prefectè voluntarium circa summum bonum, non est perfectio simplex. 36.6
Indirectè voluntarium, quid. 41.22. *Fit id dupliciter.* ibid.
Directè voluntarium nequit esse sine omni actu voluntatis, potest autem indirectè voluntarium, 41.22
Cur euentus quem non teneris impedire censeatur minùs voluntarius, quàm omissio censeatur voluntaria quam non teneris vitare? 26. *Vide* Omissio.
Voluntarium quomodo minuatur ratione metus, Vide Metus.
Quomodo per Concupiscentiā, Vide Concupiscentia.
Quomodo per Ignorantiam, Vide Ignorantia.

Voluntas.

§. 1. Eius libertas.

Voluntas & intellectus distinguuntur ex diuerso modo tendendi in idem obiectum. 14.23
Voluntas accipitur dupliciter. 34.2
Potest aliquid dupliciter à voluntate procedere. 35.6
Omnis determinatio quæ non est in potestate voluntatis repugnat libertati. 36.8.9.10
Sola voluntas est indifferens, & ex se indeterminata 38.10.

Voluntas non requirit actum intellectus, cuius vi ipsa determinetur ad cõsensum. 66.24. *Is actus repugnat libertati.* ibid.
Quomodo voluntas, etiam tunc cùm vult, sit secundùm se indeterminata. 38. 12
Aliter voluntas, aliter intellectus est indeterminatus. 40.17
Voluntas nullo modo potest vim pati circa suos actus internos. 43.29. *Potest tamẽ vim pati in actibus nõ eliciendis, seu in actuum carentia.* 43.31
Voluntas potest dupliciter ab actu suo impediri. 43.31
An & quomodo voluntas possit vim pati in actibus imperatis. 44.32. *Voluntas potest vim pati circa actũ intellectus dupliciter.* ibid. *Similiter circa actum phantasiæ, & sensuum externorum.* ibid.
Voluntas potest vim pati in cessatione actuum imperatorum dupliciter. 33

§. 2. Eius obiectum.

Voluntas non potest appetere malum sub ratione mali. 54.2. *Confirmatur auctoritate SS. Patrum, & ratione.* 3
Quomodo voluntas appetere possit non esse. 4
Potest velle malum quà malum alteri, non sibi. 55.4
Quomodo homo possit nolle beatitudinem. ibid.
Volens antecedens censetur interpretatiuè velle consequens ei necessario connexum. ibid.
Quomodo detur actus voluntatis absolutus, quomodo cõditionatus. 5. & 6
Differentia inter Vellem, *&* Volo sub conditione. ibid. *Quid voluntas efficax, quid inefficax.* 135.5
Voluntas vt alicui rei afficiatur, debet eam cõsiderare vt in se bonam, vel bonam propter aliud. 57.10
Voluntatis obiectum an & quomodo sit finis. 13
Volunas potest dupliciter ferri in finem, directè & indirectè. 57.12. *Quid sit ferri in finem directè.* ibid *Quid indirectè.* ibid.
Voluntas non eodem actu fertur directè in finem, & directè in media. ibid.
Eodem tamen actu quo fertur directè in medium, fertur indirectè in finem. 13
Quando voluntas fertur in finem, & in medium seorsim spectatum, fertur diuerso motu. 78.9
Quando voluntas fertur in medium propter finem, eodem actu fertur in medium & in finẽ sed diuerso modo. ib.
Voluntas fertur eodem actu in obiectum quod appetitur, & personam seu rem cui appetitur. 58.15
Voluntas proposito obiecto se determinat. 90.7
Voluntatis consensus non est fortuitus. 91.10
Voluntas potest assentiri minùs probabili. 93.21

§. 3. Eius motiuum.

Obiectum mouet voluntatem ad speciem actus. 62.11
Voluntas mouet potentias quæ non sunt ex parte subiecti determinatæ vt semper agant. 60. 4. *Non mouet eas effectiuè per realem influxum in eas.* 5. *Nec voluntas causat immediatè motum localem.* ibid. *Sed mouet alias potentias ratione naturalis vnitatis vel connexionis in eadem essentia.* 6
Aliter mouet intellectum ad exercitium, aliter imaginatricem 61.6
Cognitio obiecti non concurrit effectiuè cum voluntate, sed voluntas sola est causa sui actus. 61. 10. *Non potest tamen actũ inchoare sine obiecti præuia cognitione.* 63. 16. *nec sine actuali cognitione continuare.* 17. *ne diuinitus quidem.* 64.17
Voluntas non potest intellectum determinare ad rem aliquam, nisi intellectus antè confusè eã cognoscat. 64.18
Voluntas quæ vult intellectum nihil cogitare, pro isto instanti quo ipsa est, est sibi contraria; pro sequenti tunc ipsa etiam cessat. ibid.
Voluntas interdum mouetur ab appetitu sensitiuo. 67. 28
Sed nunquam immediatè. 29
Verè & propriè moraliter & physicè mouet se in primu suis actibus. 68. 33. *Non est tamen necesse vt præcedat consultatio.* 34. *Explicatur circa hoc mens D. Thomæ.* ibid.
Non mouetur directè à corporibus cælestibus, sed tantùm indirectè: & quomodo corpora cælestia hominum moueant voluntates. 69.35
Mouetur à solo Deo tamquam à principio externo motus 69 36. *Idque quinque modu.* 37
Quæ circa hos modos sit mens D. Thomæ. 70.38
Directè ad exercitium actus à nulla creatura moueri potest. 70.40. *Potest tamen indirectè.* 71.40

§. 4. Eius motus naturalis.

In quæ bona voluntas moueatur naturaliter. 71.1
Voluntas nihil amat naturaliter secundùm exercitium, sed quædam secundùm speciem actus. 2
Voluntas quà natura, voluntas quæ voluntas quid significent. ibid.
Voluntas non necessitatur secundùm exercitium ab vllo obiecto. 72.3
Sæpè tamen mouetur necessariò simplici affectu. 4
Voluntas necessariò mouetur si passio rationis vsum prorsus impediat. 72. 5. *Si aliquid rationis maneat, non mouetur necessariò.* 73.5
Quomodo intelligendus sit D. Thomas cùm dicit, Motus voluntatis esse liberos, etsi à Deo proueniant. 73.7

§. 5. Voluntas bona & mala.

Vt voluntas sit bona, quomodo obiectum debeat esse volitum. 114.12
Quot modis bona voluntas depẽdeat à lege æterna. 115.15
Bona voluntas non necessariò pendet à lege æterna tamquam ab obiecto. ibid.
Vt voluntas sit bona, debet habere iudicium moraliter certum rem esse licitam. 123.55
Bonitas voluntatis dependet ex conformitate ad diuinam. 131.98
Omnis voluntas discordans à ratione siue recta siue errante, mala est. 116.18
Voluntas concordans rationi erranti errore culpabili, mala est. 19. *Erranti vero errore inculpato, non est mala.* 19
Voluntas potest agere contra iudicium actuale. 22
Mala est voluntas operans in particulari si conscientia sit practicè dubia. 122.54

§. 6. Conformitas nostræ voluntatis cum diuina.

Vt voluntas sit bona, debet esse conformis cum diuina. 131. 98. *Quid ad hanc conformitatem sufficiat.* ib.
Quatuor modis Deus vult nos aliquid velle, quod ipse vult. 132. 100
Non tenemur nos conformare voluntati diuinæ solùm consulenti vel approbanti, sed præcipienti vel prohibenti. 101
Tenemur nos conformare voluntati diuinæ actum liberum nostrum prædefinienti, si de ea nobis constet. 103
Tenemur semper nos conformare voluntati diuinæ in aliqua ratione volendi, idque dupliciter. 105
Non tenemur conformari voluntati diuinæ in re materialiter volita. 133. 106. *Imò sæpè possumus laudabiliter contrarium velle.* 107
Eadem res aliter à Deo, aliter ab homine approbari aut improbari potest. 108
Quod Deus vnà ratione vult, aliâ ratione non vult. ibid.

Quid propriè optet, qui optat diuinam voluntatem non impleri. 109
Impiè ageret qui absolutum Dei decretum vellet impedire. 110
Laudabile est in omnibus idem velle quod vult Deus. 112
Sæpè tamen insuper tenemur de quibusdam displicentiam & dolorem concipere. 134.113
Contraria sententia Tostati refutatur. 114
Quidquid vult Deus, vult ob iustissimas causas. 134. 112
Deus & beati idem in omnibus volunt. ibid.

Votum.

Si dubitas an votum sit emissum, rectè petes dispensationem. 125.67
Certus de voto emisso, dubitans an id expleuerit, debet explere. 68
Qui potest tollere votum simplex, potest etiam tollere iuramentum supra illud cadens. 202.7
Votum Castitatis in sæculo valdè laudabile. 290.4
Dirimit sponsalia. 280,16
Quomodo quis possit solui voto non petendi dispensationẽ à suo voto. 291.15
Votum illud est perpetuum quo vouet laicus se seruaturum in hospitali, & seruaturum obedientiam, Castitatem &c. nec potest suæ auctoritate institutum relinquere. 292. 16. & 17.
Episcopus potest dispensare in omni voto non reseruato Papæ. 19

Vsurarius.

Qui vult exercere vsuras, quia putat esse licitas, peccat. 116. 19.
Testamentum vxoris publici Vsurarij est validum. 293.1
Esse vxorem publici vsurarij non facit esse manifestam vsurariam. 294.7
Vsurarius solo iure Canonico est inhabilis ad testandum. 293. 1.
Hæc inhabilitas quomodo tollatur. 2
Soli Vsurarij manifesti sunt inhabiles ad testandum. 3
Testamentum publici vsurarij potest ex triplici causa esse validum. 294. 5. & 6
Requisita vt quis censeatur publicus vsurarius. 7
Non sufficit quòd post mortem fiat manifestum viuentem fuisse vsurarium. 295.9
Nec quòd quis in iudicio sit confessus se simpliciter fuisse vsurarium. 10
Nec sufficit infamia. ibid.
Frequentatio Sacramentorum arguit aliquem non esse publicum vsurarium. 11
Tutores pupillorum pecuniam illorum dantes ad vsuram, quomodo excusandi. 13
Mutuum dedisti vsurario bona fide, repete bona commoditate. 296.14
Lucrum ex dato mutuo vsurario restituendum, nisi vsurarius gratuitò donet, vel sit titulus lucri cessantis. 15
Mutuare vsurario sine causa, solùm titulo lucri cessantis, est peccatum. 16. *Non tamen obligat ad restitutionem.* 17. *Etiamsi per hoc vsurarius fiat impotens.* 18
Mutuare vsurario cum iusta causa, non est peccatum. 20
Commoditas iusti lucri non est sufficiens causa mutuandi vsurario. 297.20
Vsurarijs licitè imponitur tributum. 21

Vsus.

Vsus est actus voluntatis. 86.1
Vsus accipitur actiuè & passiuè. ibid.
Vsus passiuus propriè dicitur vsus formalis. ibid.
Ad vsum quatuor concurrunt. ibid.
Vsus non conuenit brutis. 2
Non potest esse vsus vltimi finis, sed tantùm ad eum vtilium. 87.3
Vsus tripliciter accipitur. ibid.
Quomodo omnibus rebus, excepto vltimo fine, possimus vti. 87.5
Quomodo vsus præcedat electionem, & contrà. 88. 6
Qomodo idem actus sit electio & vsus actiuus. ibid.
Vsus actiuus aliquando distinctus est ab electione. ibid.
Circa hæc explicatur mens D. Thomæ. ibid.
Vsus aliquando præcedit imperium, & contrà. 91.12

F I N I S.

Errata Typographica notabiliora sic corrige.

Pag. 74. *col.* 2. *lin.* 18. motum terminus, *lege*, motuum.
Pag. 118. *c.* 1. *l.* 25. peccatum morale, *lege*, mortale.
Pag. 127.. *c.* 1. *l.* 5. *à fine.* indicas, *lege*, iudicas.
Pag. 55. *c.* 2. *l. vlt.* fieri in obiectum, *lege*, ferri.
Pag. 26. *c.* 1. *l.* 5. Durandus q. 44. *lege*, dist. 44.
Pag. 74. *c.* 2. *l.* 22. *à fine.* tristitiam, *lege*, tristitia.
Pag. 48 *c.* 2. *l.* 11. omnem ignorantiam, Comitantem esse, vel Antecedentem, *interpunge sic:* omnem ignorantiam comitantem, esse vel antecedentem,
Pag. 170. *c.* 2. *Casus* 3. Vtrum ad vigorem, *lege*, valorem.
Pag. 179. *Casus* 3. Ligna monasterij, *lege*, Ligna loci consecrati.
Pag. 242. *c.* 2. *l.* 18. *in Casu* 3. admissionem, *lege*, dimissionem.